

D 11 33

FLORES SERAPHICI,

SIVE

ICONES,

VITÆ, ET GESTA

VIRORVM ILLVSTRIVM
ORDINIS FRATRVM MINORVM
S. FRANCISCI CAPVCINORVM.

AVCTORE,

R. P. CAROLO de AREMBERGH,
BRVXELLENSI, EIVSDEM ORDINIS
PRÆDICATORE.



FLORES SERAPHICI

Ex amœnis Annalium hortis
Adm. RPF Zachariæ Bouerij
Ord FF Minorum
S. FRANCISCI
Capucinorum Deſinitoris
Generalis collecti.

SIVE

ICONES,

VITÆ ET GESTA VIRORVM ILLVSTRIVM,

(qui ab Anno 15[illegible] vſque ad Annum 1612 in eodem Ordine, Miraculis, ac vitæ ſanctimoniâ claruère) compendioſè deſcripta.

Auctore

R.P. F. CAROLO DE AREMBERG
Bruxellenſi, eiuſdem Ord. Prædicatore

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud CONSTANTINVM MVNICH,
Anno 1642

DEO VNI VERO,

IN DEO, ET EX DEO

REGI SÆCVLORVM

IMMORTALI AC INVISIBILI,

SPIRITVI SANCTO

SPIRITVI DOMINI, AC DOMINO IPSI

Secundum vnicam eminentiam DEITATIS
Simplici, recto, Principali,
Naturâ, non gratiâ
Ineffabili Patris, & Filij Communioni,
Vtriuſque Dono, non nato,
Sed Dato
Igni, vt DEO, Sanctificanti, non ſanctificato;
Metienti; non contento; Glorificato;
Spiritui Paraclito
Adoptionis, veritatis, libertatis;
Spiritui Intellectili,
Aperto, Multiplici, claro, incontaminato;
Spiritui Altiſſimo
Sapientiæ, Prudentiæ, Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ,
Pietatis, ac timoris DEI.
Omnium efficienti,
Spiritalis regenerationis Authori,
Pauperum Patri,
Munerum cœleſtium Datori, Cordium lumini,
Diuino Amatori,
Epheſ.1. Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, & laudem gloriæ ipſius. Ipſi gloria,
Ep.Can.Iud. & magnificentia, imperium & poteſtas, ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum.

AMEN.



MARIÆ MATRI MAGNÆ, AVSTRIACORVM TVTRICI, PASSAVIENSIVM PROTECTRICI, SINGVLARI SVÆ BENEFACTRICI OMNIVM ADVOCATÆ.
D. D. Fr. Carolus de Arembergh Bruxellenſis capucinus.

DIVÆ MARIÆ

Sanctiſsimæ, Immaculatæ, Chriſtiferæ,
Glorioſiſsimæ, ſemper Virgini,
Totius Triadis Sacrario.
Æterni Patris Filiæ, Verbi Vnigeniti Matri,
Spiritus Paracliti Sponſæ.
Iudicis Matri, & Matri Miſericordiæ,
Virginitatis decori.
Auguſtæ Cœli, & Terræ Reginæ.
Angelis ſublimiori, Seraphin puriori,
Cherubin ſanctiori,
Gratiæ Abyſſo.
Humani Generis per Natum
Saluatrici.
Dauidico ſurculo, Paradiſo voluptatis,
Radici Ieſſe, Horto florum ſpiritualium concluſo,
Iuſtitiæ fonti, Ligno vitæ, Sanctitatis Theſauro,
Humanæ naturæ venuſtati.
Patrum ſpei, Prophetarum gloriæ, Apoſtolorum
Magiſtræ, Martyrum honori, Virginum
Decori, Sanctorum ſplendori,

Para-

Paradiſi fluuio, fœderis Iridi,
Verecundiæ typo,
Inter Mulieres benedictæ,
Omnium Parenti, Luci, Duci,
& Dominæ.

Vouet, Dedicat, Conſecrat,

Humillimus ac deuotiſſimus cliens

F. C. B. C. I.

AD.

ADMODVM REVERENDO
in Chriſto Patri

P. IOANNI A MONTE CALERIO
TOTIVS ORDINIS FRATRVM MINORVM
S. Francisci Capvcinorvm Ministro Generali
Dignissimo, &c.

COMPERTVM eſt, Admodum Reuerende Pater, Numæ libros licet chartaceos, & terræ infoſſos ad Annos 1ↃXXXV. duraſſe; vt Author eſt Plinius, quod Cedraſi eſſent. Ea quippe Cedri vis eſt, quæ tineam, cariem, coſſos, & ſimiles vermium peſtes, ab ijs, quæ delinit, diuturno tempore propellat. Conſultum itaq; cenſui hiſce Seraphicis floribus Ordinis noſtri, ſi tuo in ſinu eos collocarem. Cedrum inquam, vbi non Aquilæ tantum altiſſimæ contemplationis, ſed & paſſeres cuiuſuis etiam infimæ actionis, ſcilicet fratres & filij ſubditi nidificabunt. Nec mihi deliberandum diu fuit, cui offerrem. Exigebat opus, & amor, vt tibi. Opus; quo reuereor, & repeto Auos, & Patres, quorum nos exemplum moueat. Ab Imaginibus, inſurgit animus, ab actis maiorum, ſtudium ſequelæ. Vt quid lateret virtus in ordine? abſit. Alij quidem ſileant. Si interroger, quid ſentiam. Ego noſtrum patrocinium loquar. Laudati, & beati Maiores noſtri, nos Electi & relicti ſumus, quos ſectemur. Porro & erga te meus exigit amor, qui filium in Patrem decet. *Leuit.* 2. Si obtuleris munus primitiarum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni. Obtuli quidem flores illos, qui iam dudum dati ſunt, DEO, & Deiparæ; nec ideo tamen tui finit obliuiſci filialis affectus. Antiochus olim Aſiæ Princeps, Philoſopho ſibi de Iuſtitiâ libellum deferenti, donum dedignatus, putaſne, inquit, placebit mihi tuus de Iuſtitiâ liber, qui hoc vnum curo, vt quæ alij iuſtè habent, mea ſint omnia. Malè quidem. Meliore ego ſenſu Seraphicos flores, id eſt, Ordinis noſtri Patres, offero

tibi, vt Patri, qui illos poſſides, qui illos pectore foues, prædicas, ſuſpicis, & tanquam viua Imago nobis reproducis; Eam enim morum integritatem, eum Religionis zelum, pietatem, & candorem in regimine profers, vt hæc (quæ anteceſſorum fuerunt) ornamenta virtutum, hæreditario Iure, & legitimo Patrimonio longe ante tibi debita cenſenda ſint. Sileo cætera. Conſiderandum enim mihi eſt, quid humilitas, & modeſtia tua pati poſſit, & quid tuis virtutibus debeatur. Reliquum eſt, vt hoſce poſtremos flores, qui ex me veniunt, benignè excipias; quia de manu filij, & ſubditi ſunt, quicunque producti ſunt.

Illos igitur Ordinis noſtri flores, qui odor Chriſti ſunt, Virorum nempe Illuſtrium Vitas, & Geſta, quibus quaſi in firmamento luminibus Religio noſtra collucet, adſpectu foueas, & ſplendore illuſtres. Sic fiet, vt tanti Patrocinij aurâ fœcundatus hortus Seraphicus noſter, eò vberiora in dies proferat florum, ac fructuum incrementa. Vale ex noſtro Conuentu Colonienſi. Anno 1641. Menſe Ianuar. die 11.

Admod. Reuerend. P. V.

Humillimus in Chriſto filius
& ſubditus.

Fr. C. B. C. I.

Præ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ALtitudini firmamentum, inquit Eccleſiaſt.43.c. *pulchritudo eius eſt, ſpecies cœli in viſione Gloriæ. Sol in aſpectu annuntians, in exitu vâs admirabile opus Excelſi.* Firmamentum Eccleſia eſt, Sol iuſtitiæ ex alto oriens, Chriſtus. Vel paulo aliter. Sol in Eccleſiæ Firmamento, Seraphicus Ordo Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum eſt. Quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo DEI. Nec impedire hunc Solem valent mundi, & carnis nebulæ, non terrenarum cupiditatum vapores, non vitiorum noctes. Lucet, & ardet, & Orationis, ac Charitatis ſpiritu Profeſſorum animos, quaſi venis auri terræ viſcera, quaſi vnconibus Abyſſum, quaſi floribus ſuaueolentibus agros fœcundat. Viri illius Illuſtres ſunt. Quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus redolens in diebus æſtatis. Et licet fortaſſe quaſi par ætate ſim, impar tamen virtutibus, ac moribus hos Viros proſequor, celebro generationem hanc ſanctam, genus electum, pretioſas noſtri temporis margaritas. Reſtant innumera, quæ à principio Anni 1613. ad hanc vſque diem peracta ſunt, & præſertim præſtantiſſima Virorum, qui adhuc viuunt opera, quæ poſt eorum obitum propalare, & laudare ſat erit. Ne vero in tantis Ordinis radijs cæcutire videar, id velut manu ob oculos poſitâ, caueo, & præmoneo. Cum Sanctiſſimus D. N. D. VRBANVS Papa VIII. die 13. Martij Anno 1625. in Sacrâ Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis decretum ediderit, idemq; confirmarit die 5. Iulij, Anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate ſeu martyrij famâ celebres è vitâ migrauerunt, geſta miracula, vel reuelationes ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à DEO accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij & quæ hactenus ſine eâ impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij, Anno 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſiâ Romanâ; ſed fides tantum ſit penes Auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi, obſeruantiâ & reuerentiâ, qua par eſt inſiſtendo, profiteor

me haud alio ſenſu quicquid in hoc Catalogo refero, accipere, aut accipi ab vllo velle; quam quo ea ſolent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem in diuinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit. Cæterum Amice Lector, habes, quæ mentis, & voti mei ſunt, & quæ in principio, & fine huiuſce Florum Seraphicorum poſterioris Tomi appoſui, fideliter lege, virtutes elige & in æternum viue.

***



REVERENDO IN CHRISTO PATRI

CAROLO DE AREMBERGH,

FLORES SERAPHICOS

ORDINIS CAPVCINORVM EDENTI.

LAVDATVR alti Conſilij parens,
Interminatâ qui ſapientiâ,
Telluris, & Cœli, marisq;
Vnus opus facit, & gubernat.
Nec vllus eſt, qui ſit ſimilis DEO,
Nemo ſecundus, condere vel velit,
Non ante cuiquam exordia orbi
Viſa, vel impoſuiſſe finem.
Miramur aras (CAROLE) & altiùs
Parata magnis templa laboribus,
Lucosq;, totq; ducta Diuûm
Innumeris ſimulachra formis.
Aſt ex humanis, cui dabo te parem,
Longos Parentum ſanguine Principum,
Qui Ducis ortus, hosq; ſpernens
Patre DEO, ac Duce gloriaris?
Res pro me. Clarum te pietas facit,
Virtusq; ſacro pectore condita,
Mens nata Cœlis, portioq;
Numinis, ingenijq; pondus.
Munus Deorum eſt. Fana penatibus
Aptare, Cœlum iungere cum ſolo,
Rurſusq; mortuos beatis
Germinibus renouare flores.
Munus Deorum eſt. Dum modicâ manu
Trophæa Patrum Seraphici Ordinis,
Imagines, vitasq;, & acta
Claudis honoribus æuiternis.

Pangebat.

Fr. BENED LÉOD. Capuc.

APPROBATIONES.

EGo Fr. Benedictus Leodius Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Guardianus Bonnenſis, & Lector &c. Ex Mandato Admodum Reuerendi P. Ioannis à Monte Calerio dicti Ordinis noſtri Miniſtri Generalis Librum (cui titulus, *Flores Seraphici ex amœnis Annalium hortis Adm. R. P. Zachariæ Bouerij Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Diffinitoris Generalis collecti, ſiue Icones, Vitæ & Geſta Virorum illuſtrium, qui ab Anno 1580. vſque ad Annum 1612. in eodem Ordine, Miraculis, ac vita Sanctimoniâ claruère, compendioſè deſcripta Tom. 2. Auctore R. P. F. Carolo de Arembergh Bruxellenſi eiuſdem Ordinis Prædicatore:*) vidi, accuratè legi, & perlegi, in quo omnia Fidei Catholicæ, & bonis moribus conſona reperi, vera ſpectacula Deo, Angelis, & hominibus facta, paſſim admirabilia, vt plurimùm non Religioſis tantùm, ſed etiam reliquis Chriſti fidelibus imitabilia, eaque vel diuina, vel iucunda, & digna ſingula, quæ in lucem prodeant. Actum Bonnæ 21. Octobris, Anno Domini 1640.

Fr. Benedictus Leodius &c.
qui ſuprà

FLores Seraphicos, ſiue Icones, Vitas, & Geſta Virorum illuſtrium, qui in Ordine FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum, ab Anno 1580. vſque ad Annum duodecimum, virtutibus, ſignis, miraculis, ac vita ſanctimoniâ, claruerunt: à R. P. Fr. Carolo ab Arembergh, ex Annalibus Ordine Hierarchico, concinnatos: de Mandato Adm. R. Patris Ioannis à Monte Calerio, Ordinis noſtri Generalis Miniſtri perlegi: & in eis non tantum nihil contra Fidem, & bonos mores: ſed illuſtri viro dignum opus inueni: quodque in omni loco bonum odorem Chriſti: & filiorum S. P. noſtri Franciſci, ſecundum puritatem Regulæ & ad litteram viuentium, diffundat: reperi, eoque digniſſimum cenſeo vt imprimatur. Datum Coloniæ Agrippinæ 30. Octobris, 1640.

Fr. Victor Treuirenſis
Diffinitor Cuſtos Capucinorum Ind.

NOs Fr. Ioannes à Monte Calerio Generalis Miniſter totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum. Cum opus cui titulus eſt: *Flores Seraphici, ſiue Icones, Vitæ, & Geſta Virorum illuſtrium à R. P. F. Carolo Bruxellenſi compoſitum*; à pluribus Theologis dicti noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, recognitum, & approbatum fuerit: vt typis mandari poſſit ſeruatis ſeruandis, tenore præſentium concedimus. In quorum fidem his ſigillo noſtro munitis ſubſcripſimus. Datum Spoleti die 11. Decembris, 1640.

F. Ioannes Min. Gen.

EX commiſſione Adm. Reuerendi & Eximij P. F. Ioannis Philippi Fridt Ord. Præd. Sacroſanctæ Theologiæ Magiſtri, in almâ Vniuerſitate Colonienſi Profeſſoris publici, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoris Apoſtolici, *Flores* hoſce *Seraphicos* ex amœnis Annalium hortis Adm. Reuerendi P. F. Zachariæ Bouerij Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum definitoris Generalis, operâ R. P. P. Caroli de Arembergh accuratiſſimè collectos, non ſine animi oblectatione euolui, & cum nil Fidei orthodoxæ ſeu bonis moribus diſſonum redoleant, ſed ſuauiſſimum præſtantiſſimarum virtutum ſpirent odorem & illuſtrium virorum prodigia mirè exprimant non ſolum deuotis ſacrarum Iconum amatoribus verùm etiam ſingulis, quos Sanctorum Virorum geſta expreſſa videre delectat, præſens opus vtiliſſimum, & iucundiſſimum futurum ſpondeo: vnde & meritò typis mandandum cenſeo, vt Flores appareant in terrâ noſtrâ, ex quibus quilibet gratum ſibi poſſit & decerpere, & colligere faſciculum. Datum Coloniæ in Conuentu S. Crucis Ord. Præd. 21. Ianuarij 1642.

Fr. Rudolphus Ralen.
SS Theolog. Baccalaureus
& Lector.

Placet vt Tomus II. Annalium R. P. F. Caroli de Arembergh imprimatur, Signatum Colon. die 21. Ianuarij Anno 1642.

F. Ioannes Philippus Fridt Ord. Præd. SS. Theol. Doctor, per Auſtriam & vniuerſam Germaniam Prior Prouincialis. Generalis Apoſtolicus Inquiſitor, Archidiœceſis Colonienſis & partium annexarum. m pr.

CApe ſis. *Flores* hoſce *Seraphicos* viuis Imaginibus expreſſos eorumque ſuauiſſimo odore ſecurus perfruere; nullus latet anguis in herbâ: Collectus enim eſt, operâ & ſtudio *R. P. F. Caroli de Arembergh, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Prædicatoris*, ex purgatiſſimis eiuſdem Familiæ Viridarijs, *Annalibus* inquam *R. P. F. Zachariæ Bouerij*, dicti Ordinis *Deffinitoris*, supremâ Cenſurâ Romanâ approbatis: prout manu, relatuque eorum didici, quibus perſiculatè ventilatus fuit, & accuratè excuſſus, Coloniæ 21. Ianuarij, 1642.

Henr. Francken Sierſtorpffius
SS. Th. D. Regens Laurentianus
librorum Cenſor ordinarius.


Mater eorum
autem apparuerit in visu
magnalium suorum
Deipara Virgo
Illustres Viros
Ordinis nostri Seraphici Primicerios Flores,
quos vultu tuo viuos recreas
mei obsides
premitto
ubique eorum qui sequuntur grata
magis, et accepta reddantur spectacula

Votvm Avctoris
BEATÆ VIRGINI DEI GENITRICI, piæq; Ordinis Capvcinorvm Parenti.

Verus eſt ſermo tuus, quem audiui in terrâ meâ ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientiâ tuâ, & non credebam narrantibus mihi, donec veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Devs tuus Benedictus, cui complacuiſti. 3. *Reg.* 10.

N*irari neminem velim, quod à Sanctiſſimæ* Dei *Matris Apparitionibus operis huiuſce mei ſumam exordium. Præmitto vterum virgineum, vnde illuſtres fluxêre viri, & corpus lucidum primò inſequor, à quo tot fulgent producta lumina. Nec alium Ordinis noſtri Seraphici veneror Electum Solem; non aliam Conſurgentem Auroram; non aliam Pulchram Lunam, quàm Deiparam. Præmitto Diuinum hunc ignem, à quo omnis Entheus emanat calor; & puritatis argentum, aurumq́ dilectionis requiro in venis ſuis, vnde ſumitur. Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur.* Iob 28. *Quin etiam dulciores ex ipſo fonte bibuntur aquæ ſalientes in vitam æternam; de quibus* Iſaiæ 35. *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine, & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitientes in fontes aquarum.*

Ad te igitur conuerto opus meum, ô fœcunda Virgo, ad cellaria, & torcularia tua, quibus gregem tuum toties pauiſti, ſatiâſti ab vbertate tuâ. O liceat vbera illa tua ſugere muſto diuinitatis plena, vt nobis eueniat illud, Pſ. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

O vtinam replear, ego protritæ terræ puluis hoc ſpiritu Deifico, hiſce Diuæ Genitricis aquis ſalutaribus, quibus mœrores deterguntur, nociuæ carnis illecebræ ſoluuntur, noxius fugatur æſtus, exulat ſeruilis timor, mens ad cœleſtia rapitur, conſtantia in bono firmatur, animus in aduerſis roboratur, in proſperis temperatur, caſtitas cum pietate fructificat, ira cum ſuperbiâ reprimitur, humilitas exaltatur, fides & ſpes augentur, charitas in cordibus noſtris dilatatur.

Age igitur, ô Virgo Sacratiſſima, vt his aquis exſatier. Reſpice vineam noſtram, & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Et fac vineam electam, vt cœleſtes emittat propagines. Diffundar per te Spiritus Sancti gratijs, ô gratia plena, diffluamq́ Filij tui amoribus, vt illis in æternum fruar, ac tecum fruar. Amen.



.I. FR. ANDREAS À GANDESA . DEFIN. 2. FR. VRBANVS PANORMITANVS PROLIS. 3. FR. AVGVSTINVS AB ALBINTEMILIO COMM. GENER. 4. FR. HIERONYMVS À S MARTIANO DIFF.

I.

APPARITIO.

FRATER ANDREAS à GANDESA, Cathaloniæ Prouinciæ Sacerdos, anno 1583. ex Obſeruantium gremio, ad Capucinos aduolans, præclarum virtutum curſum, quem in priori Ordine inſtituerat, tanto ſtudio apud noſtros proſequutus eſt; vt vitæ auſteritate, abſtinentiâ, paupertate, humilitate, mânſuetudine, oratione, ac demum regularis obſeruantiæ perfectione inſignis fuerit. Virginitatem, quam à naturâ tulit, hanc tantâ morum honeſtate excoluit, vt mulierum omnium ſtudiosè aſpectum, & conſortia fugiens, perpetui cuiuſdam pudoris, qui virginitatis color eſſe ſolet, in vultu inſignia tulerit. Maiores in Prouinciâ dignitates ſuâ virtute aſſecutus, in his tantâ prudentiâ, moderatione, ac humilitate verſatus eſt, vt neque eum dignitas extolleret, neque humilitas dignitatis grauitatem minueret. Tyronum quoque cum per aliquot annos educationem ſibi commiſſam ſuſcepiſſet; ijs ita verbo, & exemplo præluxit, vt Cathalonienſem Prouinciam bono Virorum ſemine fœcundauerit. Perpetuâ, ac ſingulari Beatiſſimam cœlorum Reginam cùm religione proſequeretur; eò factum eſt, vt plerumque etiam eius aſpectu, ac colloquio potiretur. Poſtremò meritis, ac virtutibus diues, cùm in Conuentu Montis Caluariæ Barcinæ ad immortales conceſſiſſet, ipſius anima à Seraphinâ quâdam, inſigni Muliere, quæ Monialium Capucinarum apud Barcionenſes fundatrix fuit, rectà, abſque vllâ purgatoriâ pœnâ in cœlum ferri viſa fuit.

Anno 1605.

FR. VRBA-

II.

APPARITIO.

FRATER VRBANVS PANORMITANVS, Prouincialis, virtute, prudentiâ, ac Euangelicæ prædicationis dono præcelluit. Hic cùm Panormitanam, ac Meſſanenſem Prouinciam per aliquot annos præclarè adminiſtrâſſet, magnoque cum animarum fructu, Dei verbum in illuſtrioribus Italiæ vrbibus diſſeminâſſet, Beatiſſimæ Virginis in morte aſpectu dignatus, felix è vitâ migrauit. Anno 1611.

III.

APPARITIO.

FRATER AVGVSTINVS ab ALBINTEMILIO, Commiſſarius Generalis, Genuenſis Prouinciæ Concionator, in eâ prouinciâ, virtute, ac prudentiâ floruit, paupertatis propugnator acerrimus fuit. Hic propter inſignem Viri prudentiam, ac regularis obſeruantiæ zelum, ſæpè tum Genuenſem, tum Hetruſcam Prouinciam, ſub Prouincialis, ac Commiſſarij Generalis titulo adminiſtrauit; quo in munere tam præclaris æquitatis, temperantiæ, humanitatis, auſteritatis, ac cæterarum virtutum exemplis præluxit, vt magnam, & immortalem ſibi laudis famam apud omnes comparauerit. Hoc virtutum omnium curſu, cùm ad canos vſq; perueniſſet, Saonæ febre, ac diſſenteriâ correptus. Non diu poſt ad vitæ exitum properabat Vir optimus, cùm repentè Dæmonum turbam irruentem cernit: quâ perterrefactus, cùm ſtatim exclamaſſet: Deus, in adiutorium meum intende. eâ voce; atq; Beatiſſimâ Virgine è cœlo apparente, tota illa Dæmonum nubes protinus diſperſa; atque effugata fuit. Is verò mente integrâ, optimèque cum Deo compoſitâ, haud ſine ſanctimoniæ opinione vitam piè in Domino concludit. An. 1585.

IV.
APPARITIO.

FRATER HIERONYMVS à S. Martiano, Definitor, prudentiâ, & vitæ integritate ita præcelluit, vt maiores ſuâ virtute in eâ Prouinciâ honores conſequutus fuerit. Hic dùm ardentiùs Dei verbum Carmagnoliæ, Salutienſis Marchionatus oppido, diſſeminat, lethali morbo correptus, quatriduo ante mortem cum Dæmone conflictatur: quo in agone diuinam ſibi opem implorans, cœleſtem vocem ſibi dicentem percipit: Hieronyme ne timeas: iam enim tibi cedit Satan. Quo ex tempore ſummâ quiete donatus, Beatiſſimæ Virginis, S. P. N. Franciſci, atque aliorum Beatorum aſpectu fruitur, & ſui obitus die præſignificatâ, vitam cum morte commutat. Anno 1603.



1.us FR PACIFICVS A SESTINO GVARD. 2.us FR. AVGVSTINVS GENVENSIS GVARD. 3. FR. MICHAEL A FORO CORNELY PRAED. 4.us FR. ANGELVS A FOROLIVIO PRAED.

I.

APPARITIO.

FRATER PACIFICVS à SESTINO, Picentis Prouinciæ Guardianus, cùm in ſæculo regulam Tertij Ordinis S.P.N. Franciſci profiteretur, tandem inter Capucinos adſcriptus, tam cœleſte vitæ genus inſtituit, vt potiùs inter Angelos, quàm inter homines verſari videretur, cœleſteſque raptus, & ectaſes pateretur. Cæterùm, cùm tam illuſtria huius Viri ſanctitatis argumenta eſſent, vt in Picenti Prouinciâ, etiamnum viuus, ac ſuperſtes Viri Sancti nomen adeptus eſſet; illud tamen luculentius rem ipſam demonſtrat, quòd eo, Tipherni Metaurenſis Conuentum aliquandò regente, dùm cellâ incluſus erat, præfulgens quædam ſtella ex eâ rumpere viſa, quæ locum vndique ſuis radijs illuſtrabat. Porrò Andreas Beneuentanus, ſacerdos, qui eam ſe proprijs oculis vidiſſe teſtatur, communem tunc inter Fratres famam diffuſam refert, Beatiſſimam illam Deiparam fuiſſe, quæ cùm Pacificum ſibi deuotiſſimum ſuâ præſentiâ conſolata eſſet, ab eo, ſub lucidiſſimi ſyderis formâ diſceſſerit. Cùm verò vitæ finem ſibi à Domino prænunciari audîſſet, ſexagenarius ad Dominum migrat. Anno 1584.

II.

APPARITIO.

FRATER AVGVSTINVS GENVENSIS, Guardianus, Vir omni virtutum genere florens, nec non prophetico ſpiritu clarus, ad Saonenſis Conuentus regimen vocatus, cùm publicæ ſupplicationi, quæ in die Apparitionis Beatiſſimæ Virginis Antonio Bottæ, pio Viro, anno 1536. factæ, vſque ad ſacram eiuſdem Virginis Ædem, quæ per quatuor circiter millia

paſſuum ab vrbe diſtat, die duo de vigeſimâ Martij quotannis celebrari ſolet, cum ſuâ Conuentus Familiâ intereſſet; Sacram Deiparam cœleſti luce perfuſam, in proximo colle, Saonenſem populum, qui aderat, benigno vultu aſpectantem, ac cœleſti dexterâ benedicentem intuetur. Hic igitur viſionibus illuſtris (vt in vitâ ipſius habetur) cùm podagræ morbo diù vexatus fuiſſet, in quo perferendo, ſingularis ſemper eius patientia eluxit; eo tandem conſumptus, octogenarius, probatæ patientiæ à Deo remunerationem accipit. Anno 1606.

III.

APPARITIO.

FRATER MICHAEL à FORO CORNELII, Barcionenſis Prouinciæ Concionator, humilitatis potiſſimùm, quâ honores ſummoperè fugiebat, paupertatis, ſimplicitatis, atque in Beatiſſim. Virginem deuotionis commendatur: cuius aſpectu, ac ſolatio in morte potitus; vbi germano Fratri futurum Religionis amplexum, quem Beatâ Virgine reuelante didicerat, prænunciauit, in Patriæ vrbis Conuentu, mortalem cum immortali, vitam commutat. 1586.

IV.

APPARITIO.

FRATER ANGELVS FOROLIVIENSIS, Bononienſis Prouinciæ Prædicator, Angelicus Vir, vitæ candore, ac integritate præſtans. Cùm elegantiori formâ præditus, in paternâ domo Adoleſcens verſaretur, ſæpè à mulieribus incontinentiæ tentatus, inter tot ſæculi ſpinas virginitatis lilium candidum, ac immaculatum ita ſemper cuſtodiuit, vt nullo vnquam tempore illud labefactauerit. At ne tam cœleſtem theſaurum, quem in vaſe fictili geſtabat, ſtygij illi latrunculi ali-

quando deprædarentur, tutiori loco reponendum curat, religioſamque inter Capucinos vitam ſibi inſtituendam eligit: vbi virtutum omnium ſtudia tam incenſo animo proſequutus eſt, vt Angelici nominis rem, ac laudem ſibi plane comparauerit: Impurus tamen ille ſpiritus, immunditiæ pater, qui Angeli pudicitiæ, iam ab exordio bellum indixerat, mulierem, ad Angelum ad turpia pelliciendum prouocat, at ille durius increpatam, turpi conſilio fruſtratam, relinquit. Ad Concionatorium munus vocàtus, vnus inter omnes Algerium ad Capucinorum redemptionem deſtinatur. Denique cùm totius vitæ curſum præclaris virtutum exemplis exornâſſet, *Florentiæ in ſupremum morbum incidit, cumque ad vitæ finem accederet, paulò antequàm Deo animam redderet, ad Stephanum Foroliuienſem, ſocium aſtantem, conuerſus ait: Feſtina Frater, profer ſedes. Cui ſocius: at nemo eſt, (inquit) qui ſedeat. An non (addit ille) ſacram Deiparam, S. Ioſephum, ac B. P. Franciſcum ſtantes cernis? exiguo deindè temporis ſpatio elapſo: eia, Frater, quid cunctaris? citò ſedilia affer, hùc enim glorioſa Vrſula innumeris ſtipata Virginibus modò accedit. Hæc inter dicta; cùm plurima lætitiæ ſigna ederet, mortalem cum immortali vitam commutat. Anno 1585.

Dum



1. FRATER QVIDAM PRAED. 2. FR. IOANNES A COLLEMATO GVARD.
3. FR. FRANCISCVS ARELATENSIS PRAED. 4. FR. CHRISTOPHORVS ALBIDONENSIS SAC.

I.

APPARITIO.

DVm aliquandò Bitunti, anno 1602. Prouinciale Capitulum celebratur, quàm Beatiſſim. Virgini ſermo gratus ſit, qui de ipſius laudibus inſtituitur, cœleſti teſtimonio proditum fuit: dùm enim quidam ex noſtris Concionator, themate ſibi de Beatiſſimæ Virginis excellentiâ aſſumpto, plura de illius laudibus præclarè pro Concione dicit, ipſa Virgo Virginum ſæpiùs in eâdem Concione conſpicitur, à Concionatoris dextris librum proferens, qui ea continebat, quæ à Concionatore prædicabantur.

II.

APPARITIO.

FRATER IOANNES à COLLEAMATO, Sacerdos, cùm primùm è ſæculi pelago ad Religionis portum euaſit, tàm perfectam rationem inſtituit; vt omnium virtutum choros, ad ſe vnum attraxiſſe videretur. Candidiſſimæ namque mentis puritati, quam ſibi, velut cæterarum ducem, elegerat, pudicitia; pudicitiæ morum honeſtas, morum honeſtati, exteriorum hominis compoſitio; externæ compoſitioni, ſenſuum omnium mortificatio, huic ſingularis animi ſimplicitas; modeſtia, manſuetudo, patientia, humilitas, regularis diſciplinæ rigor, paupertas, abſtinentia, ac perpetuæ orationis ſtudium, ita coniuncta erant; vt cùm his æquè ſtipatus incederet, quænam perfectius in eo virtus eluceret, haud facilè dignoſci poſſet. A mulierum conſpectu ſummoperè abhorrebat. Cùm enim is, & facie decorus, & vultu verecundus eſſet, cui & ipſa morum elegantia venuſtatem addebat; bis à mulieribus incontinentiæ tentatus, tam ſtrenuè aduerſus illas pro caſtitate pugna-

uit,

uit, vt victor tandem in vtroque certamine euaſerit. Tantâ præterea in Deum fiduciâ præcellebat, vt, cùm in Mandauij conuentu, in quo is Guardiani munus ſuſtinebat, ob magnam niuis copiam, neceſſariâ Fratres annonâ laborarent; copioſa, ipſius oratione, à Deo miniſtrata fuerit. A Dæmone varijs infeſtationibus oppetitus, dùm vehementius orationi incumbit, ipſius aſtum deludit. neque illi in extremo mortis agone cum Tartareo hoſte certamina defuêre, at Inclytâ cœlorum Reginâ in ipſius opem accurrente; Dæmonum agmina effugata, iſque læto rerum ſucceſſu exultans, dùm ter Beatiſſimam Virginem præſentem ſalutat; eâdem comite ex hac luce migrat. Anno 1591.

III.

APPARITIO.

FRATER FRANCISCVS ARELATENSIS, Prouinciæ S. Ludouici Concionator, cùm genere nobiliſſimus, ſpretis ampliſſimis nuptijs, meliori ſeſe connubio Religioni copulâſſet, in eâ tot virtutibus effulſit, vt ſexto ante obitum menſe, certum ſibi mortis diem diuinâ reuelatione acceptum præſignificauerit; ac puerum Ieſum ſimul cum Virgine Matre in morte ſibi præſentem conſpexerit. Anno 1597.

IV.

APPARITIO.

FRATER CHRYSOSTOMVS ALBIDONENSIS, Sacerdos. Huius vitæ curſus, perpetuus cum Tartareo hoſte conflictus, ac virtutum omnium diſciplina fuit. Breue quidem vitæ curriculum, at longa meritorum ſeries; non annorum, ſed virtutum numero computata: quam tanta vitæ innocentia, tantusque animi candor exornauit, vt peruigil hoſtis, nihil in morte, quod in eo carperet, ſibi vendicare potuerit, præterquàm

quòd à ſacrarum litterarum ſtudijs, mentem, animumque reuocauerit, quibus pleriſque prædicando prodeſſe potuiſſet: Hâc cùm tentatione grauiter illum in morte pulsâſſet, ab eâ tandem diuinâ virtute liber, Beatiſſimæ Virginis, & SS. Ioannis Baptiſtæ, ac R.P.N. Franciſci aſpectu, & conſolatione potitur: dumque extremo agone cum morte luctatur, cœleſtis in morientis cellâ melodia percipitur; quo tempore Chryſoſtomus Deo animam reddit.

Ann. 1593.



FR. EVGE-



.1. FR. EVGENIVS A VALLECAMONICA SAC. 2 FR. AVGVSTINVS MEDIOLANENSIS. PRAED. 3. FR. VINCENTIVS ANDRIENSIS SAC. 4. FR. ANSELMVS ROSCINIANSIS PRAED.

I.

APPARITIO.

FRATER EVGENIVS à Vallecamonicâ, Brixienſis Prouinciæ Sacerdos, Huic cùm Beatiſſima cœlorum Regina aliquando apparuiſſet; id ab eâ tulit, vt quæcunque ab eâ poſceret, impetraret. Hinc cùm pro febricitante aliquando orans, eum ſigno Crucis communijſſet, liberum à febre dimiſit. Demum Salodij oculis in Beatiſſimæ Virginis imaginem defixis, ſubridens ſpiritum reddit. Anno 1603.

II.

APPARITIO.

FRATER AVGVSTINVS MEDIOLANENSIS, Concionator, inter Illuſtres eiuſdem Prouinciæ Viros connumeratur. Hic ex Oldratorum familiâ, S. Carolo Boromæo charus, cùm illuſtriores Italiæ vrbes Euangelicâ prædicatione, ſub Clericali habitu percurriſſet, diuinâ vocatione ad Capucinos accedens, dum annum probationis agit, maturiùs à Domino ad coronam vocatur: cuius mors Beatiſſimæ Virginis, ac B. P. N. Franciſci præſentiâ illuſtratur. Anno 1594.

III.

APPARITIO.

FRATER ANSELMVS ROSCIMANENSIS, Conſentinæ Prouinciæ Concionator, omni virtutum genere ornatus, cùm omni cum ſanctimoniæ laude, vitam ad canos vſquè perduxiſſet, prædictâ ſui obitus die, Beatiſſimæ Virginis in morte aſpectu fruitur; eamque illis verbis ſalutans: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.* cum eâ in cœlum migrat. An. 1607.

FR. VIN-

IV.

APPARITIO.

FRATER VINCENTIVS ANDRIENSIS, Sacerdos, eius tanta fuit ſanctitas, vt inter ſuæ Conuerſionis initia, Coſmas à Martinâ, Nouitiorum Magiſter, eo tempore è viuis excedens, poſt aliquot dies ſæpè eidem apparuerit, ab eoq; preces poſtulauerit, quo à purgatorijs pœnis, liberari valeret. Id verò cùm omni pietate peregiſſet, Coſmæ anima à pœnis libera; in cœlum euolat. His itaque, cùm crebra ieiunia, chori frequentiam, orationis aſſiduitatem, linguæ cuſtodiam, quam nec in otioſum quidem verbum elabi patiebatur, profundam mentis humilitatem, paupertatis amorem, ac totius regularis obſeruantiæ ſtudiũ, ac præſertim ardentiſſimum in Beatiſſ. Virginis cultu animum adnecteret, Euangelicum planè, ac Seraphicum Virum ſe induiſſe, indicabat. Quamobrem cùm tot virtutibus exornatus, ad extremam vitæ metam perueniſſet, ſerpens ille Tartareus, ægrè ferens, quòd tam ardenter is in Beatiſſim. Virginis venerationem ferretur, eidem viſibilis apparens, perſuadere nititur, haud maiori Virginem, quàm reliquas cœleſtium animas dignitate, atque orationis potentiâ excellere. Quod dùm is velut horrendum, & diabolicum commentum deteſtatione proſequitur; ille è cubiculo tractum, per dormitorij viam vix ſemiuiuum reptat; quo tempore Beatiſſ. Virgo luce vndiq; perfuſa adſtans, Dœmonem abigit, ſuumque athletam ſuauiſſimis verbis recreans, certum illi gloriæ præmium pollicetur, ſeque in ipſo ſuæ Annunciationis die, qui proximus erat, redituram; atque in ipſius ſinum animam excepturam ſpondet. Quod & reipſâ præſtat: nam eâ ipſâ die, dùm Vincentius Beatiſſ. Virginem lætis vocibus inclamat, ex hac luce migrat. An. 1592.



1. FR. PAVLVS A MORELLA CVM DVOBVS SOCYS SAC. 2. FR. DOMINICVS VERONENSIS SAC. 3. FR. LIBERATVS MEYLENSIS SAC. 4. FR. FVLGENTIVS ASCVLANVS SACERDOS

I.

APPARITIO.

FRATER MARCVS à MORELLA, Sacerdos Valentinæ Prouinciæ, à puero in Dei timore enutritus, omni virtutum genere ornatus, ad Capucinos accedit: inter quos tam cœleſtem vitam duxit, vt cum Deo magis, quàm cum hominibus conuerſaretur. Cum duobus alijs Fratribus orans, Sacram Deiparam conſpicit, filium Ieſum ijs inter manus porrigentem: eo dùm is ſe dono indignum reputat, largiùs is quoqué eo perfruitur: Prænunciato deniqué ſui obitus die, Alenæ, claris poſt mortem ſuæ gloriæ ſignis relictis, mortales corporis exuuias deponit: vultus enim ridentis inſtar, ac illius membra non pallentia, ſed ita candida, mollia, ac flexibilia apparuêre, vt ſpectantes maximè exhilararent, cœleſtisque ipſius gloriæ ijs opinionem confirmarent. Obijt anno 1608.

II.

APPARITIO.

FRATER DOMINICVS VERONENSIS, Sacerdos Venetæ Prouinciæ, ob aſſiduum orationis ſtudium, multas à Dæmone infeſtationes patitur. Dolium vino vacuum ſuâ oratione plenum reddit: & in morte Beatiſſimam Virginem, cum B. Clarâ ſibi occurrentem cernit. Anno 1600.

III.

APPARITIO.

FRATER LIBERATVS MEYLENSIS, Sacerdos, perfectus Regulæ cultor, maximèque in Sacram Deiparam religione feruens; cùm ab eâ ſui obitus diem, & horam accepiſſet, eâdem vitam cum morte commutat. Anno 1606.

IV.

APPARITIO.

FRATER FVLGENTIVS ASCVLANVS, Pincentis Prouinciæ Sacerdos, ex Pariſianorum familiâ progenitus, miraculis illuſtris, ac vitæ ſanctimoniâ clarus. Vix trigeſimum quartum ætatis annum attigerat, cùm è monte Vlmi, ad S. Gineſij Conuentum miſſus, ſupremum, qui ei imminebat, diem diuinâ reuelatione percipit, ac paulò poſt in morbum incidit. Multiplex porrò virtus, quæ ipſius vitam velut cœleſtibus gemmis exornauerat, clariùs in morte effulſit: etenim poſt mentem pœnitentiæ Sacramento expiatam, ac cœleſti Pane refectam, tantâ ſuauitate Deo laudes cœpit occinere, totque præconijs diuinam Maieſtatem excolere, vt ante carnis occaſum, tam cœleſti Angelorum, ac ſuperûm choris intereſſe videretur. Inter hæc Deiparæ Virginis, quâm ſingulari pietate, ac religione proſequebatur, hymnos: *O glorioſa Domina* &c. & *Aue Maris ſtella* &c. decantans, cùm illius ante mortem aſpectu dignatus eſſet, lætus in hæc verba exclamat: ô flos Virginum Maria, te nulla pulchrior, nulla magis pia: iam te ſequar cœleſti viâ. Hæc etiamnum verba in illius ore verſabantur, cùm puram ad Deum animam efflat. Anno 1584.



1 FR. FEDERICVS A TIPHERNO SAC. 2 FR. ANGELVS A VISSO SAC. 3 FR. ANTONIVS FANESTRIS. SAC. 4 FR. ANTONIVS A CORIOLANO LAICVS

I.

APPARITIO.

FRATREM FRIDERICVM à TIPHERNO METAVRENSI Sacerdotem, Piceni Prouincia pluribus virtutum laudibus extollit, qui cùm ob ſummam vitæ innocentiam, Beatiſſimæ Virginis, ac S, Antonij Vlyſipponenſis haud ſemel in vitâ aſpectu dignatus fuiſſet, eorundem quoqué in morte, ac præterea S.P.N.Franciſci præſentiâ fruitur, à quibus certa illi cœleſtis gloriæ poſſeſſio promittitur, Anno 1602.

II.

APPARITIO.

FRATER ANGELVS à VISSO, Sacerdos, Vir immortali memoriâ dignus, tam admirabili vitæ innocentiâ clarus erat, vt Angeli nomine, angelica facies, mores, vitæque ratio reſponderent. Huius cùm potiſſimum ſtudium eſſet, vtriuſqué, & corporis, & animi munditiem illibatam ſeruare, immundus ſpiritus varijs, ac diris tentationibus corporis illius honeſtatem aggredi cœpit. Reluctabatur ſtrenuè nomine, & virtute Angelus, quare deuictus Satan orantem aliquando ita premit, vt penè præfocare videretur: quo tempore viribus, ac ſenſibus omnibus deſtitutus, Sacram Deiparam luce clariſſimâ circumfuſam cernit, quæ cùm aureâ illum virgâ attigiſſet, protinùs in priſtinum ſtatum vendicauit, atqué ab omni deinceps huiuſmodi carnis tentatione liberum præſtitit. Prophetici tandem ſpiritus, ac miraculorum donis (vt fuſiùs in vitâ ipſius) illuſtris, in Tridentino Conuentu, octogenarius obdormiuit in Domino.

Anno 1608.

Picens

III.

APPARITIO.

DICENS Prouincia FRATREM ANTONIVM FANESTREM, Sacerdotem, Virum omni virtutum genere ornatum commemorat: qui cùm multas à Deo viſitationes,ac reuelationes accepiſſet, poſtremâ tandem ſui obitus horâ à Beatiſſima Virgine admonitus,vt ſuum ipſi officium perſolueret, adhuc Virginis laudes in eius ore perſonabant, cùm à terrenis ad cœleſtes Deo decantandas euocatur. Anno 1588.

IV.

APPARITIO.

FRATER ANTONIVS à CORIOLANO, Laicus Conſentinæ Prouinciæ, dùm ſtrenuam in effodiendis altiùs fundamentis operam nauat, Dœmonis arte contigit, vt tellure, quæ viginti palmorum altitudine altiùs à fundamentis eminebat, cadente, ab eâ repentè obrueretur. Protinùs fratres ad terræ cadentis ſtrepitum accurrentes, cùm Antonium, quem paulò antè ei operi inſudantem reliquerant, nullibi conſpicerent, procul dubio humo ſepultum ſuſpicantur: verùm, cùm humo longè latèque prolapsâ locum ignorarent, in quo foderent, ac ſepulto ſuppetias ferrent; en puer ignotus extemplò apparens, fratribus mente perplexis locum indigetat, in quo fodere debeant: illi ſtatim pueri dicto acquieſcentes terram effodiunt, & quem poſt integram horam immenſo illo terræ pondere præfocatum, atquè extinctum putabant, viuum, ac incolumem recipiunt. Mox cuncti in Dei laudes erumpunt: Antonius verò, vbi è terræ viſceribus euaſit, tenſis ad ſydera palmis Deo, ac Beatiſſimæ Virgini gratias reddit, narratque cùm primum eo terræ pondere obrutus fuit, Beatiſſimam ſibi Virginem, albis veſtibus indutam, ſibi ad-

fuiſſe, quæ illi animum addens, ait: Ne timeas Antoni, nihil tibi hic telluris caſus officiet. Poſt hæc quaſi in molli culcitrâ collocatum, tutum ſe inter ea terræ pondera quieuiſſe refert. Quapropter rurſum vniuerſi in Beatiſſimæ Virginis laudes vocem extollentes, cum eâ diuinam quoqué benignitatem laudibus efferunt.

Anno 1581.





1. FR. VINCENTIVS A SALDVCIO SAC. 2. FR. PLACIDVS A TYRACENO CLER. 3. FR. REYNERIVS A BVRGO S.^{ti} SEPVLCHRI LAICVS 4 FRATER ALEXIVS, AVIGLEBANO LAICVS.

I.

APPARITIO.

FRATER VINCENTIVS à SALEDVCIO, Sacerdos, omnium virtutum genere ornatiſſimus; ex quibus in eius animo quædam, potiſſimùm in ægrotos, charitas pullulauerat, quâ cùm infirmos quoſdam, ſuæ curæ commiſſos, ardenter aliquandò proſequutus eſſet, ea diuinis oculis ita grata fuit, vt poſtmodum oranti Virgo Deipara,& B.P.N.Franciſcus apparuerint, piumque charitatis opus ab eo ægrotis exhibitum commendantes, cœleſti cohortatione in eo illius magis animum confirmauerunt, atqué vt frequentiores pro ijs, qui purgatorias pœnas luunt, preces ad Deum funderet, commendarunt. Poſthæc cùm Lutetiæ Pariſiorum peſte laborantibus miniſtrâſſet, tandem Nouariæ ſupremâ ægritudine correptus, cui nunquam intermiſſa comes oratio fuit, ſimul & orationis,& vitæ curſum confecit. Anno 1592.

II.

APPARITIO.

FRATER PLACIDVS à TYRACENO, Syracuſanæ Prouinciæ Clericus, tantâ vitæ innocentiâ, mentis puritate, morum honeſtate, atqué in Beatiſſimam Virginem potiſſimùm pietate, ac religione floruit; vt in morte eiuſdem præſentiâ frui, atqué in eius ſinum animam efflare promeruerit. Anno 1600.

III.

APPARITIO.

FRATER REYNERIVS à BVRGO S.SEPVLCHRI, cùm aliquandò in Paulæ Benedictopiæ, honeſtiſſimæ fœminæ domo Tuderti, ante quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem, quæ Dominum infan-

tulum

tulum in ſinu geſtabat, ſeorſim oraret: totâ ſpectante Familiâ, in mentis exceſſum per integræ horæ ſpatium rapitur; poſt hæc ab exceſſu rediens, Paulam monet, vt illam Beatiſſimæ Virginis imaginem ſummâ diligentiâ cuſtodiat: eo quòd ad verum Deiparæ prototypon, quem Vir quidam (ſeipſum reticens) præſentem conſpexerat, propiùs accederet. Ex quo facilè colligi poteſt, ſæpiùs illum, iuxta communem omnium vocem, Sacræ Deiparæ præſentiâ potitum fuiſſe. Obijt anno 1589.

IV.
APPARITIO.

FRATER ALEXIVS à VIGLEBANO, Vir plurimâ virtute, ac ſanctimoniâ clarus. Hic in humili Laicorum ſtatu Domino deſeruiens, cùm tandem conſenuiſſet, illuſtriorisque vitæ curſus, tot præclaris (vt in vitâ ipſius fuſiùs exaratur) virtutibus conſummatus, ad iuſtitiæ coronam vocaretur, animæ domicilio Pœnitentiæ ſcopis mundato, & ad Domini aduentum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento, atquè ardentioribus cœleſtis patriæ deſiderijs adornato, cùm ad vitæ occaſum properaret, nonnullas ſibi in cellâ rogat faces accendi. Cuius rei, cùm ab eo cauſa quæreretur: quàm primum (inquit) hùc Beatiſſima Deipara, ac S. Ioſeph acceſſuri ſunt, quos dignâ veneratione proſequi oportet. Vix hæc effatus fuerat, cùm extemplò clamare cœpit: En cœlorum Regina, ac S. Ioſeph adſunt. Aſſurgite, Fratres, genu flectite, & dignis illos honoribus excipite. Hæc vbi in ſtrato aſſurgens deuotiſſimè protulit, iterum caput in puluinum declinans, Anno 1581. ipſâ die, quæ S. Ioſepho ſacra erat, quem per totum vitæ curriculum multâ ſemper veneratione proſecutus fuerat, extremum Deo ſpiritum reddidit.



1. FR. IAÇOBVS A VILLANOVA SAC. 2. FR. MICHAEL GALLVS LAI. 3. FRA.
VINCENTIVS A NOROMANO LAI. 4. FR. ANTONIVS BERGOMAS LAICVS.

I.

APPARITIO.

FRATER IACOBVS à VILLA NOVA, Sacerdos inter Illuſtres Aquitaniæ Prouinciæ Viros,haud immeritò annumeratur: tam enim inſigni ſanctimoniâ floruit, vt in Sancto Pentecoſtes die Conuentus hortum flammis exundantem viderit; atqué in ipſo Aſſumptionis Deiparæ feſto,dum illa Antiphona,Quæ eſt iſta, quæ deſcendit de deſerto, &c. in choro decantatur; eandem in cœlum aſcendentem conſpexerit; Blitam radicem ſursùm verſâ plantam, ſuâ oratione ad germen prouocat,ac tandem die obitus prædicto,ad perennem vitam concedit. Anno 1592.

II.

APPARITIO.

FRATER MICHAEL GALLVS,Laicus,in Pariſienſi Prouinciâ,plurimis naturæ,& gratiæ donis inſignitus, animique candore, & ſimplicitate inter cæteros omnes clarus,cùm varijs virtutum,& ſanctitatis cumulis vitam ſuam ad finem vſqué adornaſſet, meritis tandem diues, cœleſtes ſæpè viſiones, Deo dante, habuit; inter quas, & Deiparæ Matris præſentiâ paulò ante obitum recreatus, in hæc verba ad eiuſdem conſpectum erupit: O quàm pulchra! ô quàm decora es,Maria! & his dictis ſanctiſſimam animam efflauit. Anno 1598.

III.

APPARITIO.

FRATER VINCENTIVS à NOROMANO, Conſentinæ Prouinciæ Laicus Nouitius, Ordinem Fratrum Minorum Capucinorum vix ingreſſus, ſicut apis optima per puritatem vitæ, obedien-

tiam,humilitatem,orationem,& alios virtutum flores, ſancti Spiritus chariſmata, tanquam mella colligebat; vnde non Religionis, aut ætatis annis, ſed morum grauitate, & plurimis ſanctimoniæ meritis ſenex (ſunt enim ſæpiſſimè nouiſſimi primi, nec ætas, ſed virtus apud Deum in pretio eſt) necdum peracto probationis anno, magnâ cum laude ad ſupremam vitæ metam peruenit. Ac in extremis exiſtens priuſquàm vitam breuem cum cœleſti commutaret, ſanctiſſimis Reginæ cœlorum, & S. P. N. Franciſci, conſpectibus dignatus, naturæ ſuæ iura perſoluit. Anno 1594.

IV.

APPARITIO.

FRATER ANTONIVS BERGOMAS, Laicus, cùm ad finem properaret, illum confeſſarius plus ſolitò hilarem offendens; quænam nouæ illius lætitiæ cauſa ſit, percunctatur. Cui Antonius: Quid? an non mihi (ait) maximè lætandum, quandò ad peregrinationis meæ iam finem accedo, patriamque haud procul diſtantem ſaluto? Proximus enim Sabbathi dies me Conditori meo, ac Supremo auctori reddet. At Confeſſarius: Haud ſemper mi Antoni, optata contingunt: diuturnior, ſi Deo placet, tibi vita erit. Cui mox Antonius: erras Pater (inquit) non animus, aut æternorum cupiditas tantummodò hanc mihi vocem extorſit, ſed cœleſtium hæc vox eſt, quæ neminem fallit. Etenim Beatiſſima Virgo Deipara, S. P. Franciſcus, S. Antonius, & F. Alexius, nuper defunctus, qui hâc mihi nocte apparuêre, proximum hunc Sabbathi diem mihi ſupremum fore, prænunciarunt. Confeſſario verò Satanæ dolum latere ſuſpicante: En iterum vobis (inquit Antonius) Beatiſſimæ Virginis, S. Franciſci, S. Antonij, ac F. Alexij præſentiam: en hîc præſentes adſunt: iam illos vobis licet conſpicere. Cùm autem eâ die ſummâ cum mentis voluptate tranſactâ, nocte ſuccedente, pluribus Dæ-

monis

monis prælijs exagitatus fuiſſet, inter hæc Beatiſſima Virgo,iiſdem Beatis,videlicet S.P.Franciſco, S.Antonio, &Alexio ſtipata, Antonio apparens, vniuerſam illam Dœmonum turbam ſuâ præſentiâ fugans, eum cœleſtibus verbis conſolatur: quæ is Fratribus narrans, ſummâ voluptate afficit. Antonius igitur optatâ tandem de hoſtibus victoriâ potitus, cùm totum Veneris diem in Dei laudibus, ac Fratrum cohortatione,dato Angelicæ Salutationis ſigno, quaſi abeundi ſignum accepiſſet; quemadmodum anteà præſignificauerat,ex hoc ſæculo migrat,cum Iuſtis (vt creditur) in æternum victurus.

Anno 1586.





1. FR. ANTONIVS A FRANCICA SAC. 2. FR. IOANNES A CASTRO BARONIAE LAI. 3. FR. PETRVS VFFVGENSIS LAI. 4. FR. CONSTANTINVS A PATRICO LAICVS

I.

APPARITIO.

FRATER ANTONIVS à FRANCIA, Rheginæ Prouinciæ Sacerdos,nobili proſapià natus,vix trigeſimum ætatis annum expleuerat, cum Poliſteni acutâ febre correptus,ſupremùm ægrotare cœpit. Mente igitur Sacramento expiatâ,atq; ad Domini occurſum præparatâ,pridiè quàm è vitâ migraret,dum Fratres circa illum nocturnas excubias obſeruant, in mentis exceſſum raptus, diuinâ hâc viſione potitur,quam Fratrib.qui excubias obſeruabant,poſtulantibus,his ille verbis narrat. Videbar mihi, inquit, cœmentarium fabrum conſpicere, qui celerrimè ſcalas ſuis gradibus diſtinctas,ad cœlum vſqué pertingentes conſtrueret: quibus feſtinatò abſolutis, Angelus mei Cuſtos, manu apprehenſum,me per eas ducens, in cœlum vſqué perduxit: atqué in Dei,Beatiſſimæ Virginis, B. P. Franciſci, ac multorum Angelorum conſpectu ſtatuit, quorum mihi videbar gloriâ frui.Hoc me gloriæ dono cùm cohoneſtatum cernerem, protinus exclamo: Heu me! quia homo peccator ſum.Vndé tanta mihi gloria,cui potiùs pœna, quàm gloria debetur? At mihi Beatiſſima Virgo: Fili(inquit)æquo animo eſto: iam pœnas in corpore exoluiſti, nunc te gloria manet.Mox Dominus à B.P Franciſco, num me inter filios ſuos coaptatum agnoſcat, percunctatur. Cui ille: vtiqué Domine: quandoquidem pauperculus ſemper fuit,ac paupertatis amator. Tunc mihi inter Martyres,& Confeſſores ſedes collocata fuit.His ita Dei decreto ſancitis, hùc ab Angelo iterum reductus ſum,eò breui reuerſurus. Hæc Dei, ac Beatiſſimæ Virginis iuſſu vobis aperui: vos ea donec ſpiritum egerim continete. Poſt hæc in quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem oculos defigens, inter Crucis amplexum,& B.Virg.aſpectum,Deo ſpiritum reddit. A.1603.

II.

APPARITIO.

FRATER IOANNES à CASTRO BARONIÆ, Laicus, grauiſſimè in Conuentu Immaculatæ Conceptionis vrbis Neapolitanæ ægrotabat, appropinquante vitæ fine, cùm Dœmonis præſentiâ aliquandiu terrefactus fuiſſet, mox aufugiſſe Dœmonem clamat, Beatiſſimamque Virginem, vnà cum B. P. Franciſco (vir probatiſſimæ vitæ erat) accedentem, exclamans, puram animam efflat. Anno 1598.

III.

APPARITIO.

FRATER PETRVS VFFVGENSIS, Laicus, incredibili inter alias virtutes, quarum ornatiſſimus erat, patientiâ emicuit. Hic cùm obitum ſuum longè ante prædixiſſet, inclytam in morte Cœlorum Reginam ſibi occurentem cernens, ex humanis migrat. Anno 1598.

IV.

APPARITIO.

FRATER CONSTANTINVS à PATRICO, Vmbriæ Prouinciæ Laicus, Vir ſimplex, humilis, ac plurimâ virtute ornatus, tam incredibili hic ergà Beatiſſimam Dei Matrem amore, ac veneratione ferebatur, vt cum ſuâ ad eam, vt plurimum in oratione vota dirigeret; illius quoquè aſpectu, ac colloquio potitum, communi inter fratres famâ traditum fuerit. Hic cùm diem mortis diuinà reuelatione accepiſſet; in eo quoquè vitæ curſum confecit. Anno 1586.



1. FR. FRANCISCVS NARENSIS CLER. 2. FR. IOANNES GERVDENSIS CLER.
3. FR. PETRVS PETACIENSIS NOVITIVS 4. FR. RVFFINVS GALERATENSIS LAICVS

I.

APPARITIO.

FRATER FRANCISCVS NARENSIS, Clericus, tantâ in Beatiſſimam Virginem deuotione efferbuit, vt cùm de eâ aliquid ſibi narrari audiret, præ amoris æſtu, animo quodammodò liquefieri videretur. Huic tam ardenti in Beatiſſ. Virg. pietati, cùm Virginitatis, & reliquarum virtutum, quibus omni ſtudio, trium annorum ſpatio, inſudauerat, cumulus accederet; vberiùs à Beatiſſ. Virgine præmium accipit: extremo enim morbo correptus, triduò, antequam è vitâ excederet, Beatiſſ. Virginem albâ veſte indutam, regioque, duodecim ſtellarum diademate coronatam, quam multa virginum agmina ſequebantur, àd ſe venientem cernens; Fratres, qui lecto adſtabant, mox admonet, vt inclytam cœlorum Reginam, ac Dei Matrem magnâ reuerentiâ excipiant: cumque ſæpius in eo triduo appareret, atqué ita familiariter cum eo conuerſaretur, vt pleraqué etiam eum cœleſtia doceret; tandem ſuâ, ac duorum Fratrum obitus horâ prænuntiatâ, eâdem ipſe, atqué alij quoqué ſua morti tributa perſoluunt. Obijt Franciſcus A. 1599.

II.

APPARITIO.

FRATER IOANNES GERVNDIENSIS, Clericus Nouitius, Cathaloniæ Prouinciæ dato aliquandò Completorij ſigno, cùm ab his verbis: *Iube Domine, Benedicere*: Horam inchoaturus eſſet, cæteris de more ſurgentibus, is genuflexus manens, tam ſuauiter in hæc verba (prætermiſſis illis) erumpere cœpit: Benedicant te Angeli, ô Maria ſanctiſſima: Benedicant te cœleſtes ſpiritus, ô Virgo virginum Deipara. vt eum Fratres, vel ſpiritu ebrium, vel diuinâ aliquâ Beatiſſimæ Virginis viſione poti-

tum exiſtimarent. At Vicarius Prouincialis, qui facto præſens erat, ſeorſum in cellam vocatum interrogat, quid eum ad inſolita verba in Choro pronuntianda compulerit. At Ioannes oculis in cœlum ſublatis, repentè in ectaſin rapitur. Laterali quoqué ſemel pleuritidis morbo correptus, cùm ægrotare cœpiſſet, accidit, vt Fr. Antonius à Neapoli Laicus, qui ſedulò illi miniſtrabat, dùm in cellæ illius angulo facie ad feneſtram verſâ, orationi vacaret, alterum cum Ioanne colloquentem audiret: Quâ re obſtupeſcens, cùm neminem ſibi præſentem adeſſe ſciret; vultum repentè ad ægrotum conuertere, & quis cum eo colloqueretur, agnoſcere curat. At quantâcunqué vi ſibi adhibitâ, in id adniteretur; nunquam tamen, virtute quâdam diuinâ obſiſtente, aut loco dimoueri, aut faciem ad ægrotum conuertere potuit, donec communis Oratio, quæ de more tunc poſt Completorium fiebat, abſolueretur. Porrò Oratione peractâ, Antonius à Ioanne percunctatur, quiſnam is eſſet, qui cum eo nuper ſermones miſcuiſſet? Cui ille: dummodò rem, ait, ſilentio tegas, aperiam Adfuit, inquit, hic cœlorum Regina, multis virginum ſtipata choris: quæ cùm plurimis conſolationis verbis ægrum proſequuta fuiſſet; tandem velocioris me meæ diſſolutionis admonuit, quæ craſtinâ die horâ ſextâ procul dubio futura eſt. Poſt hæc cùm ſe ad extremum vitæ curſum deuotiſſimâ Sacramentorum ſuſceptione, ac oratione paràſſet, Religionis profeſſione ante obitum emiſsâ, quâ prædixerat horâ, purus ex hoc ſæculo migrat. Anno 1581.

III.

APPARITIO.

FRATER PETRVS PETACIENSIS, Siculus Nouitius, cùm plurimâ vitæ innocentiâ, mentis puritate, animi ſimplicitate, humilitate, obedientiâ, mundi contemptu, atqué omnium virtutum ſtudio præclarum vitæ tyrocinium inchoâſſet, anno Probationis necdum peracto, morbo correptus, Beatiſſ. Virginem in morte ſibi occurrentem, his verbis excipiens: ô dulce bonum meum, ô vnica ſpes mea, ô Virgo beatiſſima, ter millieſque benedicta, iam me in ſinum tuum ſuſcipe, purum Deo ſpiritum reddidit, Anno 1600.

IV.

APPARITIO.

FRATER RVFFINVS GALLERATENSIS, Mediolanenſis Prouinciæ Laicus, Vir ſanctimoniâ, prophetiæ ſpiritu, ac miraculis clarus. Cùm ſeptem tantùm annos natus, cum paruulâ ſorore aliquandò in vineam proficiſceretur; Lupo aduentante, ſoror cœpit paueſcere. Cui ille: Ne expaueſcas, inquit, Salutationem tantùm angelicam, quam à matre didicimus, deuotè perſoluamus; nihilque nobis Lupus nocebit. Cumque genuflexi Angelicam Salutationem recitâſſent, mox Beatiſſima Virgo inter eos media apparet, quæ metum omnem ab illis propulſans, Lupum fugat, ſaluoſque domum reducit: Minorum tandem Conuentualium albo inſcriptus, poſtmodùm ad Capucinos migrat. Hunc pleriſqué à Deo donis, ac præſertim Beatiſſimæ Virginis viſione, ac colloquio, dùm orat, cohoneſtatum fuiſſe, communis olim fama fuit. Orans tandem genuflexus ſpiritum Deo reddit. Anno 1587.



1 FR. FRANCISC. ARELATENSIS LAI. 2 FR. ANGELUS AB ERATVERTIO LAI.
3 FR. BARTHOLOM AB ALEXANDRIA LAICUS.

I.

APPARITIO.

FRATER FRANCISCVS ARELATENSIS, Pariſienſis Prouinciæ Laicus, maximis virtutibus emicans, Beatiſſimæ Virginis, nec non pueruli Ieſu nonnunquam aſpectu dignatur: Deniqué obitu ſuo longè ante Fratribus prænunciato, felicius in Domino obdormit. Anno 1589.

II.

APPARITIO.

BAriensis Prouincia Fratrem ANGELVM ab ERAVERTIO, Laicum, magnæ virtutis Virum celebrat: cuius tanta fuit vitæ ſanctimonia, vt aqua, in quam lapillum è Sanctiſſimæ Trinitatis monte, qui Caietæ cernitur, immerſerat, ac ſigno Crucis benedixerat, pleraque curatioris ſigna patrauerit. Cui tandem in morte, cùm prius S. Catharina Martyr, tùm verò Beatiſſima cœlorum Regina apparuiſſet, in poſterioris ſinu animam efflauit. Anno 1606.

III.

APPARITIO.

FRATER BARTHOLOMÆVS ab ALEXANDRIA STATIELLORVM, Prouinciæ Genuenſis Laicus, Regularis diſciplinæ obſeruantiſſimus, charitate inſignis, pleraque â Deo dona, tum in vitâ, tum ettiam in morte accepit. Futurorum haud ignarus, quædam poſt mortem ſibi euentura præſignificauit. Beatiſſim. Virginis in morte aſpectu dignatus, Sauelliani apud Pedemontanos, magnâ ad illius funera populi frequentiâ confluente, extremum Deo ſpiritum reddit. Anno 1608.



1 FR. EVSEBIVS A VENAFRO LAIC. 2. FR. PAVLVS A CALAVELLO LAIC 3. FR. ANDREAS STRIMANENSIS LAIC 4 FR. PETRVS A MARTINA LAICVS

I.

APPARITIO.

FRATRIS EVSEBII à VENAFRO, Laici, celebris in S. Angeli Prouinciâ floret memoria: qui cùm obedientiâ, charitate, ac patientiâ eximius, diuinis Beatiſſimæ Virginis interdum colloquijs frueretur; orans quoqué vultu ſplendido deprehenditur. Deniqué dùm ſupremum ægrotat, clarâ luce ipſius cella perfunditur, multaqué apud Fratres virtutum laude clarus, ad Dominum migrat. Anno 1600.

II.

APPARITIO.

FRATER PAVLVS à CALAVELLO, Hidruntinæ Prouinciæ Laicus, ſummæ tum auſteritatis, tum deſpicientiæ Vir, pleraſque cœleſtes viſiones à Deo accepit. Dùm aliquandò in Eccleſiâ oraret, Virgo Deipara, quam is præcipuâ deuotione colebat, è cœlo tenui nubeculâ ad ipſum euecta, ſeruum ſuum cœleſti præſentiâ, ac verbis conſolabatur; quo tempore is ægrotum Fratrem, cuius à Guardiano illi cura commiſſa fuerat, clamantem audiens, ſtatim Virgine relictâ, ad ipſum feſtinat: cui vbi debita obſequia exſoluit, ad Eccleſiam rediens; Sacram Deiparam, etiamnum expectantem, reperit: cui Paulus: Beatiſſima Virginum (inquit) ne indigno famulo tuo ſuccenſeas, quòd te prætermiſsâ, ad infirmum acceſſerim. Cui illa: ne te, Fili, facti pœniteat: rem mihi tantoperè gratam feciſti, vt gratiorem nunquam: charitatis enim, & obedientiæ opus, quo ægrotum Fratrem proſequutus es, in maximum meum, ac filij mei amorem redundat. Idcircò perge viriliter, cœptis inſiſte, & cœleſti coronâ te dignum præſta: non enim deerit, qui operi tuo mercedem reddat. His cùm inclyta cœlorum Regina ſeruum ſuum dictis ſo-

lata

lata fuiſſet, velox in cœlum rediјt. Paulus verò cùm plurimos in Religione annos (prout fuſiùs in ipſius vitâ continetur) omni cum iuſtitiâ, ac virtute traduxiſſet, Neapoli in Conuentu Immaculatæ Conceptionis Beatiſſ. Virginis, corruptibilem corporis ſarcinam deponit. Anno 1583.

III.

APPARITIO.

FRATER ANDREAS STRIMANENSIS, Hetruſciæ Prouinciæ Laicus, cùm plurima vitæ auſteritate, atquè orationis ſtudio præcelleret, virtutibus diues, Chriſtum Dominum, Beatiſſ. Virginem, ac B. P. Franciſcum ſibi in morte occurrentes intuetur, ac beato fine quieſcit. Anno 1586.


IV.

APPARITIO.

FRATER PETRVS à MARTINA, Hidruntinæ Prouinciæ Laicus, ex Maraſſorum familiâ natus; Deum ita ab infantiâ timere didicit, vt ſecum pietas orta, atquè aucta videretur. Verùm, cùm tardioris eſſet ingenij, duabus ſororibus Symbolum Apoſtolorum facilè addiſcentibus, cùm nequè is illud addiſcere, nequè vllâ ratione memoriâ retinere poſſet, puerulus ad Beatiſſimæ Virginis opem confugit, atquè ab eâ ſupplex doceri poſtulat. Quæ pueruli vocem exaudiens, ſub candidæ mulieris ſpecie mox coram ipſo adſtat, & Nicenum Symbolum, quale in Miſsâ decantari ſolet, eius memoriæ inſtillat. Protinus Petrus præ gaudio exultans ad parentes properat, & Beatiſſimæ Virginis viſionem referens, Nicenum Symbolum, quod à Sacrâ Deiparâ didicerat, abſquè errore recitat. Tandem Capucinorum militiæ adſcriptus, donisque cœleſtibus illuſtratus (vti fuſiùs in ipſius geſtis exaratur) Tarentum proficiſcitur, cumque ſorori

ſuæ obitum ſuum tertiâ die futurum prædixiſſet, acutâ febri corripitur: & poſt tertiam diem, vt prædixerat, ad Deum migrat. Extremum verò ſpiritum redditurus, cùm Sacram cœlorum Reginam ſibi occurrentem cerneret, Iam, inquit, valete Fratres: Virgo me Beatiſſima expectat. Moxque anima è corpore ſoluta, in Sacræ Deiparæ ſinum aduolat, cœleſtibus, vt putatur, inſerenda choris. Anno 1590.





1 F. IGNATIUS AGRIGENTINUS. LAICUS. 2 F. MATTHÆUS SALI-NENSIS NOVIT. 3. F. FRANCISCVS a CEPHALODIO.

I.

APPARITIO.

FRATER IGNATIVS AGRIGENTINVS, Laicus Panormitanæ Prouinciæ, ardentiſſimâ febre correptus, ſiti plurimum æſtuabat: qui cùm à medico aquæ potum, quo ſitim ſedaret, impetrare non potuiſſet, animo ad Beatiſſimam Virginem conuerſo, eius in eâ neceſſitate auxilium expoſcit: quæ ægroto apparens, cùm ei vas aquæ pellucidæ potandum porrexiſſet; eo epoto ſtatim incolumis euaſit. Anno 1600.

II.

APPARITIO.

FRATER MATTHÆVS SALINENSIS, Lugdunenſis Prouinciæ Nouitius, cùm purus, & innocens ad Religionem; purior, & innocentior, ante exactum Probationis annum, inde emergens; in morte, Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, & S. P. N. Franciſci præſentiâ fruitur. Anno 1597.

III.

APPARITIO.

FRATER FRANCISCVS à CEPHALODIO, in Meſſanenſi Prouinciâ, cùm multa virtute floreret, diuturnâ patientiâ à Domino probatus, in morte Beatiſſimæ Virginis aſpectu, & conſolatione dignatus, Deo ſpiritum reddit.
Anno 1606.



1.F. IVNIPERVS a GVSSACO LAICVS. 2. F. MICHAEL a VENAFRO LAICVS. 3. F. QVIDAM. 4. F. IOANNES a MANFREDONIA.

I.

APPARITIO.

FRATER IVNIPERVS à GVSSACO, Laicus, Vir virtute præclarus, huius præter cæteras animi virtutes, quibus abundè præditus erat; tanta erat erga Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium religio; vt ne in ſacro Altaris Miniſterio quiſquam ei anteferretur, pacto ſe Sacriſtæ obſtrinxerit, perpetuum ſe Eccleſiæ Scopatorem fore; dummodò Sacerdotibus, qui ad Sacræ Euchariſtiæ Altare diuina Myſteria celebrarent, is ſolus miniſterium exhiberet. Porrò in eo Altaris miniſterio tantâ interdum cœleſti voluptate perfundebatur, vt dum aliquandò Sacerdoti celebranti miniſtrat, mente excedere viſus fuerit: ita vt ex Patribus alterum, qui Miſſæ ſacrificio intererat, pro eo, miniſterio fungi opus fuerit. Incredibili verò cùm Beatiſſ. Virginem veneratione proſequeretur, ab eâ tandem ſui obitus diem, qui in ipſius Natiuitatis ſolemnitatem incidit, certum accipit, à quâ etiam ante mortem verbis recreatus, ac roſarum floribus donatus, piè in Domino obdormit. Anno 1599.

II.

APPARITIO.

FRATER MICHAEL à VENAFRO, Sancti Angeli Prouinciæ Laicus, virtute clarus, in morte Beatiſſimæ Virginis aſpectu fruitur. Anno 1590.

III.

APPARITIO.

FRATER Quidam in Conuentu Spoletano, propter abundantioris catharri deſcenſum, qui in faucibus conſiſtens, putridum in his apoſtema genuerat, demptâ fermè reſpiratione ad interitum properabat;

rabat; cùm ad Fratris Raynerij ex noſtris pridem defuncti opem confugerit, noctu B. Virum ſimul cum Beatiſſimâ Virgine, ac B.P.N. Franciſco ad ſe accedentem cernit: qui, cùm manu ipſius fauces attigiſſet, mox incolumem reddidit; ita vt mane ad communia Conuentus miniſteria conueniret. Anno 1589.

IV.

APPARITIO.

FRATRIS IOANNIS à MANFREDONIA memoria apud Apulos etiamnum celebris viget, qui à muliere incontinentiæ tentatus, aufugit: cumque virginitatem, & vitæ auſteritatem virginitatis cuſtodem, cæteraſque perfecti hominis virtutes, impigrè vſque ad canos proſequutus eſſet; in morte, cœleſtium ſupplicationem Beatiſſimæ Virginis præſentiâ illuſtratam cernens, Deo ſpiritum reddit. Anno 1592.

LAVDEMVS VIROS GLORIOSOS, & Parentes noſtros in generatione ſuâ. Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes: pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: Illi Viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona, hereditas ſancta nepotes eorum: & filij eorum propter illos vſque in æternum manent: ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia. *Eccleſiaſt.* 44.

FACTVRVS MIHI OPERÆ PRETIVM VIdeor, ſi vitas Sanctiſſimorum Virorum, exemplo alijs mox futuras, perſcripſero: quò vtiquè ad veram Sapientiam, & cœleſtem Militiam, diuinamqúe virtutem legentes incitabuntur, in quo ità noſtri quoquè rationem commodi duximus, vt non inanem ab hominibus memoriam; ſed æternum à Deo præmium expectemus: quia etſi ipſi non ità viximus, vt alijs exemplo eſſe poſſimus: dedimus tamen operam, ne ij laterent, qui eſſent imitandi. *Sulpitius Seuerus de B. Mart. Vita in Prolog.*

(∵)

FR. MA-



FRATER MARIVS A FOROSARZINIO FRATRVM
CAPVCINORVM GENERALIS.

FRATRIS MARII à FOROSARZINIO
FRATRVM CAPVCINORVM
VICARII GENERALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER MARIVS à FOROSARZINIO, Picentis Prouinciæ, ex honeſtâ Fabianorum familiâ progenitus, prima in D. Auguſtini Ordine Religioſæ vitæ tyrocinia poſuit: in quo, cùm plures annos Philoſophicis, ac Theologicis ſtudijs vacâſſet; Doctoratus tandem lauream conſequitur. Verùm Patre luminum inſpirante, qui eum ad noui gregis cuſtodiam parauerat, Anno 1536. Capucinis adiungitur. Mira in hoc viro, cùm primùm inter nos verſari cœpit, morum diſciplina eluxit; mira exterioris hominis compoſitio; mira ad omne virtutis ſtudium cupiditas; mira animi manſuetudo, ac moderatio; admiranda quoque mentis prudentia, atque integritas. Vnde factum eſt, vt cum ad cæterorum normam, ac magiſterium datus videretur; facilè tùm in ſuâ Piceni Prouinciâ, tùm in alijs ad dignitates, ac Prouinciarum gubernacula vocaretur: donec ſingulari illius virtute perſpectâ, primùm ad Definitorium Generalis Capituli, tum ad Procuratorium munus aſſumptus; demum ad Generalatus apicem conſcendit. In victu, ac veſtitu, cæteriſq; rebus, ita ab omni tùm ſuperfluitate, tùm copiâ abhorrebat, vt neceſſaria ſibi tantum vendicans nunquam ab arctæ paupertatis lege exorbitaret, ſed virtutis perfectum teneret. Nihil eo humilius, nihil mitiùs, ac manſuetius; in oratione feruens, atq; aſſiduus, cuncta temporis momenta, ac loca, velut auarus captabat, quæ rerum diuinarum contemplationi daret: cuius ſuauitate ita affici videbatur, vt in eâ non paruam diei, ac noctis partem ſtudioſè inſumeret. Hinc pleraque Dei dona, quæ perfectè orantibus concedi ſolent, à Deo accepit: in quibus illud enumeratur, quod Nouitio cuidam oranti

tres è Cœlo coronas aliquando allatas viderit; quæ tres à Dæmone tentatore ab eo reuectas victorias indicarent. Totum huius viri ſtudium fuit, animam veris,ac ſolidis virtutibus imbuere. Inde præclarum perfectiſſimæ obedientiæ aliquando teſtimonium exhibuiſſe legitur,diuino planè miraculo commendatum:cùm enim iam annorum numero grauis,ac febre continuâ laborans Anconæ aliquando in lecto iaceret, à Generali Vicario ei litteræ redduntur, quibus ei pręcipitur, vt ſub Generalis Vicarij titulo, Siculam Prouinciam viſitet. Vix Marius Generalis Vicarij litteras legit, cùm è ſtrato ſurgens, ſibi ſtatim parendum ſtatuit. Reluctabatur Medicus: diſſuadebant quoque Fratres, qui eum in ſene ſtatum deprehendebant, vt abſque vitæ periculo iter illud aggredi non poſſet; at ille non corporis ſtatum, non morbi grauitatem, non virium imbecillitatem, non denique vitæ periculum cogitat; ſed obedientiæ propoſitum omnibus vitæ periculis anteponens ſe ad iter accingit. Tam verò Diuinę Maieſtati grata hæc Viri obedientia fuit; vt cùm primùm iter eſt aggreſſus,febris, quę Phyſicorum iudicio ob violentum corporis motum augeri debuit, protinus miteſcere cœperit; ac breuioris temporis ſpatio,quàm aut morbi natura, aut naturę leges pręſcriberent, ab eo prorſus abſceſſerit. Virginitatem perpetuò coluiſſe,conſtans apud Fratres fama fuit; quam ipſe quoque Fr. Iuliano Maceratenſi, cùm morti iam propinquus eſſet, inter cętera dona, quę ſibi à Deo benignè collata fuerant,enumerans, pro eâ impenſius Deo gratias egit. Maxima quoque eius in Deum confidentia Diuino miraculo comprobata enituit: Cùm enim in Piceni Prouinciâ Prouincialis Vicarij munere fungeretur,accidit vt in Conuentu Tiferni Metaurenſi, quò tunc viſitaturus acceſſerat, nulla in craſtinum eſſet panis, ac vini annona: quo tempore tàm alta è cœlo nix delapſa eſt,vt abſq; periculo Oppidum ad mendicandum adiri non poſſet. Guardianus tamen,ne eam diem, quę Prouincialis aduentu iucunda erat, Fratres ieiuni, ac impaſti tranſigerent;robuſtiores aliquot ex Fratribus eligit,qui niue diſiectâ, viam ad Oppidum parent: At Marius Guardianũ modicę fidei arguens, Prophetę vocibus B. P. N. Franciſco familiaribus, *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*, cunctos in Deum ſperare monet, ad Eccleſiam ducit, Diuinamque liberalitatem vniuerſi, magnâ in eam, ob Patris verba, conceptâ fiduciâ, impenſiùs exorant. Nec vana eorum expectatio fuit;adhuc enim orationi vacabant,cùm ianuę tintinnabulum pulſari audiunt, Ianitorq; annoſum, ac barbatum ſenem, in oſtij limine offendit, qui ſaccum pane ad os

vſque refertum, ac vini cadum illi vltrò benignè erogat. Denique Ianitor pro officio Marium, & Guardianum, vt tanto benefactori gratias reddat, velox acceſſit: Cum ijs verò ad ianuam rediens, Senem nullo loco conſiſtere, neque vlla eius in niue veſtigia deprehendit. Quo ineffabilis illa Dei Maieſtas declarare voluit, quàm gratum illud Marij conſilium, integramque fiduciam gratam habuerit. Tanta autem fuit ipſius vitæ probitas, & ſanctimoniæ ſplendor, quibus tàm præclarè, inter paſtorales curas in Religione effulſit, vt inſtar igneæ columnæ, gregem præcederet, atque omnium in ſe virtutum facem præferret. Quàm verò in Religioſo grege curando, tuendo, atque à perſequentium infeſtatione liberando vigilans, ac ſollicitus fuerit, ſatis ſuperq; manifeſtum fuit; cum Anno 1568. falsò de Capucinorum vnione cum Fratribus de Obſeruantiâ nuncupatis, rumore diffuſo, è Siciliâ Romam aduolat, Pontificem adit, rumorem aperit, eidemque antiquam Ordinis libertatem, hactenus priorum Pontificum benignitate, à Minorum Obſeruantium iugo immunem (vnde totius Regularis Obſeruantiæ ſumma pendet) impenſius commendat. Pontifex verò, cui nihil vnquam huiuſcemodi in mentem venerat, æquo animo eſſe iubet; nihil in Capucinis non modò immutandum fore pollicetur; quin etiam id apud ſe ſtabile, ac fixum ſtatuit, illorum ita incolumitati, ac ſtabilitati incumbere, ac Religionis radices tàm altè plantare, vt nullo vnquam deinceps perſequentium flatu euelli, aut mutari queant. Interim in regulari obſeruantiâ vbique ſartâ tectâ ſeruandâ, ac illuſtrandâ, Marius egregiam operam nauans, tantâ temperantiâ, ac animi moderatione pollebat; vt neque irâ, neque odio, nec amore commotus, iudicium vnquam ferret, ſed in delictis puniendis æquitas, & erga lapſos clementia plurimùm eluceret. Cæterùm illius prudentiam multarum rerum vſu exercitatiſſimam, conſilium, doctrinam, animi magnitudinem, conſtantiam, fidem, quibus Religionem ad ſextum vſque annum præclarè adminiſtrauit, prætereo: dixiſſe ſufficiat; vetuſta omnia noſtræ Religionis M. S. ipſius, tùm in Generalatu, tum in alijs Officijs, quibus ſæpiſſimè functus eſt, adminiſtrandis, ita prudentiam, ac ſollicitudinem laudare, vt nulli ſecundum prædicent. Præclaram hanc vitæ ſanctimoniam, tot virtutibus exornatam, haud D. O. M. cœleſti teſtimonio vacuam eſſe voluit. Cùm enim aliquando Maceratæ ægrotaret, Britius quidam Curſorum Magiſter, vinum illi ex quodam dolio ſuppeditabat, quod cùm ante ipſum ægritudinis exordium iam penè

ex-

exhauſtum eſſet ; ita vt vinum ex epiſtomio guttàtim deflueret, cùm primùm illud Mario miniſtrare cœpit, ita diuinâ virtute in dolio auctum fuit, vt & Mario, donec is ex eo morbó perfectè conualuit, ac toti Britij familiæ toto eo tempore abundè ſufficeret. Miraculum porrò omnibus notum, abſque vllâ dubitatione Marij ſanctimoniæ adſcriptum fuit. Hac in ægritudine in extaſim raptus, vbi poſt longioris temporis moram ad ſenſus redijt, Fr. Laurentio Vrbinati, qui illi à Confeſſionibus erat, Beatam Mariam Magdalenam, in quam is præcipuâ deuotione ferebatur, eo tempore ſibi apparuiſſe, ac multa de rebus cœleſtibus ſecum collocutam fuiſſe ſignificat. His, & illud accedit. Cum Siculam Prouinciam Marius Generalis pedeſter aliquando cum Socijs viſitaret, ſextâ quâdam feriâ, omnes longo itinere fatigati, acrioribusque ſolis ardoribus penè conſumpti, ſiti æſtuabant; nihil verò Socij, aut vini, aut aquæ, quo ſitim extinguerent, ſecum tulerant: Deus Clementiſſimus, qui ſuorum in neceſſitate non obliuiſcitur, ijs fontem eo in itinere parat; dum enim languidiores in viâ procedunt, cuiuſdam velut pueri procul plangentis vocem audiunt, eoque Marius cum Socijs greſſus dirigit, vnde fletus clamorem erumpere ſibi perſuaſerat: paululum cùm è viâ digreſſi fuiſſent, puerum ouium cuſtodem, fonti inſidentem, ac plorantem conſpiciunt; à quo cùm cauſam fletus quærerent, reſpondit is: an non iuſta mihi lachrymarum cauſa eſt, cùm hac die Dei Filium in Cruce ſitientem, potumque aquæ ei denegatum reminiſcor; cùm tamen hic ego ſupra fontem ſedeam, qui tàm abundè mihi aquas ſubminiſtrat? Quo dicto, confeſtim ex eorum oculis euanuit. Hæc Angeli è Cœlo delapſi proculdubio vox fuit, qui ita ſitientibus venam fontis aperuit, vt Saluatoris in Cruce ſitientis exemplum ad mentem reuocare voluerit, quo deinceps iucundius ſitis moleſtiam ſuſtinerent. Accidit quoque, vt inter ipſa ſuſcepti habitus primordia, cùm Marius in Picenti Prouinciâ ad Nobilem quendam virum, qui vitam plurimis vitijs labefactatam vſque ad mortem duxerat, ſupremo morbo ægrotantem conſolator acceſſiſſet; eo morte ſublato, defuncti vxor, quæ erga Religionem plurimâ deuotione ferebatur, à Capucinorum ſuperiore Religionis habitum poſtulat, quo defuncti coniugis cadauer indutum, cum eo poſt mortem tumuletur. Familia illuſtris erat; nec facilè ob Mulieris in noſtros beneuolentiam id illi denegari poterat; quapropter allato habitu,

cùm eo mortui corpus contectum fuiſſet, eidem Mario, & alteri ſocio excubiæ noctu circa defuncti cadauer obſeruandæ præſcribuntur, &c. (horribile dictu) dum cęteris quieſcentibus, Marius cum ſocio pias pro defuncti animâ ad Deum orationes fundunt; en duo ingentis, ac horrendæ magnitudinis moloſſi cubiculum ingreſſi rectà ad defuncti lectum feruntur. Eodem porrò temporis momento vox in aëre perſonantis auditur: Quid cunctamini? noſtra huius anima eſt. Cur corpus illud, quod noſtrum quoque eſt, non rapitis? Cui altera vox: non poſſumus, ait: Prohibet Franciſci habitus, quo tegitur. Hæc Marius audiens, cùm Dæmonum voces eſſe percepiſſet. qui defuncti animam, iuſto Dei iudicio ad Tartara condemnatam indicabant; indignum planè iudicans, vt qui à Beatorum conſortio expunctus fuerat, Sanctorum habitu frueretur, defuncti cadauer habitu expoliat. Mox corpus à moloſſis rapitur, atq; ingenti ibi fœtore relicto, inuiſibiliter aſportatur. Idem ferè & alteri in Apuliâ contigit, cùm Marius Generalis eam Prouinciam viſitando peragraret: dum enim per pagum quendam iter facit, diues quidam agricola in eo graui morbo laborabat; quem cùm nullâ ratione propinqui ad ſcelerum ſuorum pœnitentiam, & Sacramenta ſuſcipienda adducere valerent; Marium prætereuntem precibus compellunt, vt ſuam ad illius animæ curationem operam præſtet. Haud renuit Generalis, pium opus aſſumit, ægrotantiſque cubiculum ingreſſus varijs illum hortationibus, ac perſuaſionibus, tùm ad peccatorum contritionem, tùm ad pœnitentiæ Sacramentum prouocat. Interea canem quendam ingentem pecuarium Marius ſub lecto latentem animaduertit; cuius aſpectu territus, propinquos interrogat; num domeſticus ille canis ſit? Cui propinqui: Nobis (inquiunt) neque canis iſte domeſticus eſt, neque vllo vnquam tempore hic viſus, quin etiam, cum tibi familiarem eſſe, arbitrati ſumus. Rem quidem tunc Marius ſilentio obtexit; ſed cùm ſub eâ formâ Dæmonem latere agnoſceret, ægrum acrioribus diuinorum iudiciorum ſtimulis, ac terroribus ad pœnitentiam, ac delictorum confeſſionem excitat: quibus cùm ſe æger durum præberet, canis, prioribus vngulis ad lectum erectis, ſtratum ægri conſcendere nitebatur. At Marius, manu canis ceruici impoſitâ, illum compeſcens aiebat: Siſte parumper; ne aſcendas: necdum enim tempus eſt. Canis verò, quaſi illius verbis miteſceret, è lecto recedens ſubſidebat. Interea is nullum non lapidem mouet, quo tum blandis ſermonibus, ac diuinæ clementiæ pollicitatione, tum necis æternæ minis,

ac diuini iudicij terroribus ægrotantis duritiem, ac pertinaciam emolliret. Cumque ter, quaterque canem, ſtratum conſcendere volentem, compeſcuiſſet; extremâ tandem ægri obſtinatione compertâ, ad aſtantes conuerſus ait: iam, quod in nobis erat, præſtitimus: ægrum curare voluimus; diuinorum pharmaca adhibuimus; at omnia fruſtra: is omnem prorſus curationem reijcit. Vos quidem canem hunc cernitis; canemque eſſe arbitramini: at certè non canis, ſed Diabolus eſt, qui huius animam iam iam deuoraturus expectat. Hactenus illius famem repreſſimus; at quandoquidem æger ſe illi ſuâ impœnitentiâ deuorandum præbet, fruſtra aduerſus ipſius impietatem adnitimur: quapropter eum Diuino iudicio committimus. Vix Marius hæc protulerat, cùm Tartareus ille canis, vento velocior in lectum exilit, oſque ægroti petens, illius animam, quaſi qui oui luteum abſorberet, ex intimo, ſecum in auerni barathrum trahit. Vir hic illuſtris Prophetico ſpiritu clarus, Iacobum à Foroſarzinio in tenerâ ætate, ſacris Capucinorum caſtris militaturum prædicit. Quod ipſe rei euentus certo certius comprobauit, cùm ad Capucinorum Religionem aduolans, in ea ob præclara virtutum merita, Generalis Miniſtri dignitatem adeptus fuit. Poſtremò, laborum ſuorum finem, ac præmium accepturus; Anconâ ad ad Generalia Comitia diſcedens, obitum ſuum prædicit. Tolentini, mulieri morbo tunc oppreſſæ in lecto iacenti, antequam Tolentinũ appelleret, per nuncium mortem prænunciat, his verbis: Tu quidem ſoror prior, ego poſterior; vnâ tamen die vitæ huius ærumnoſæ curriculum proculdubio confecturi ſumus; oremus pro inuicem, vt ſaluemur. Marius verò, cùm Tolentinum perueniſſet, in morbum incidit, moxque ad Fratres conuerſus, obitum ſuum prædicens: Hîc ait ab omnibus abſtinens, Religionis ſtadium olim ingreſſus ſum; hic etiam rebus omnibus valedicto, meus vitæ curſus finem accipiet. Tandem Sacramentis omnibus ritè munitus, & ad vitæ occaſum properans, diuinâ reuelatione nonnulla prædicit. Denique cùm extremo iam prælio cum morte confligaretur, mulieris illius, cuius obitum prędixerat, animam, quæ Cœlum rectâ conſcendebat, conſpiciens, lætus exclamat: Expecta, ſoror, expecta, vt me quoque comitem habeas. Mox oculis in mortis ſomnum occluſis, mortali vitæ colophonem imponit: Quo verò tempore is cum morte conflictaretur, hæc ipſa mulier, extremum ſpiritum agens, paratam Mario gloriam, Deo reuelante conſpicit, repentéque multis præſentibus exclamans: An non videtis (inquit) amici, an non videtis

Beatiſſimam Cœlorum Reginam, B. Mariam Magdalenam, ac copioſiſſimam Sanctorum multitudinem, qui ad Marium Capucinum pergunt, vt illius animam, quæ breui è corpore ſoluenda eſt, ſecum in Cœlum vehant. Admirabantur viri, mulieris id ſæpe repetentis verba; cumque plerique ad Marij hoſpitium conuolaſſent, illum tunc primùm res humanas deſeruiſſe comperiunt. Obijt Vir illuſtris, atq; omni memoriâ dignus iam ſeptuagenarius Anno 1581. cùm multa in ſacræ Deiparæ, ac B. Mariæ Magdalenæ, quas præcipuâ religione colebat, laudem metro (quo plurimum præſtabat) conſcripſiſſet. Egregium quoque volumen M. S. edidit, in quo Religionis noſtræ primordia, & quæ in ea grauiora accidêre, vſque ad Annum 1570. ſatis accuratè perſtrinxit.



FRATER IOANNES MARIA TISSANENSIS FRATRVM
CAPVCINORVM GENERALIS.

Fr. IOANNIS MARIÆ TISSANENSIS,
FRATRVM CAPVCINORVM
VICARII GENERALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES MARIA TISSANENSIS, ex honeſtâ familiâ ſtirpem, ac originem trahens, cùm poſt aliquot annos in ſæculo tranſactos, diuino ſpiritu afflatus, ſæculum cum Capucinorum Religione mutaſſet, ita animum cum virtute compoſuit, totq; Religioſæ vitæ ornamentis eluxit; vt in eum tanquam magnarum quoddam virtutum ſpeculum, omnium, tum Fratrum, tum ſæcularium virorum oculi conuerterentur. Primam itaque ſibi Obedientiâ, ac perfectâ propriæ voluntatis reſignatione viam ad profectum ſtrauit. Quapropter haud malè ſtultorum victimas appellabat, qui maximum in illis laborem impendentes, nullo fructu ſeipſos propriæ voluntati immolarent: Obedientiam verò non qualemcunque, ſed integram, atque perfectam ſtudioſius æmulabatur; quamobrem ita Superioris imperio ſubdebatur; vt haud ſecus, quam exanime quoddam corpus, nullum in rebus delectum haberet, ſed Superioris tantummodò nutum pro voluntate ſibi vendicaret. Obedientiam ſequebatur Humilitas; non quâ humilis haberi, quæ occulta quædam ſuperbia eſt; ſed quâ vilis, & inutilis ab omnibus iudicari appetebat, vt etiam Religionis habitu ſe indignum iudicaret. Porrò Humilitatem inuicta quædam Patientia commendabat; tantâ enim magnitudine præditus erat; vt nullam vnquam ſibi contumeliam illatam iudicaret: quocirca nemo iratum, nemo vnquam turbatum vidit. Hanc ſequebatur altiſſima Minorum Paupertas, quam Ioannes Maria tam ardenter, quoad vixit, adamauit; vt cùm nihil, præter ea, quæ dura neceſſitas expoſceret, vel Regulæ præſcriptum exigeret, ſibi habendum decerneret; hanc quoque alijs, cùm Superior eſſet, legem ſeuerè obſeruandam præſcriberet. Quod deuoto cuidam, Fratri in Eccleſiâ oranti, cœleſti viſione eo tempore demonſtratum fuit, quo Siculæ Prouinciæ habenas moderabatur. Is namque in mentis exceſſum raptus, duo ingentia, ac rapidiſſima flumina præcipiti curſu in Panormitanum Monaſterium ferri cernebat, quæ ſupremum illi excidium, ac

ruinam minarentur. Mox verò ex aduerſo Ioannem Mariam Prouincialem venientem intuetur, qui arrepto ligone, cùm ab vtroque Monaſterij latere alueos, per quos aquæ fluerent, fodere cœpiſſet, tantam in ijs ſollicitudinem impendit, vt fluminum impetus nihil prorſus Conuentui damni intulerit. Hæc Ioannis Mariæ in eâ Prouinciâ adminiſtrandâ ſtudium, ac diligentiam declarabant: in qua cum nonnulla in priſcas illius Prouinciæ conſuetudines, atque auſterioris paupertatis Regulas, quas à Patribus acceperant, paſſim vitia irruerent; ijs partim ſuo conſilio, ac prudentiâ, partim ſpectatiſſimæ vitæ exemplis, quibus cæteris prælucebat, opportunè occurrit, resq; in priſtinum ſtatum reſtituit. Paupertati verò ita abſtinentiam coniunctam habuit; & ipſa vitæ neceſſaria tàm ſeuerâ victus lege perſtringebat; vt maiorem anni partem ad panis, & aquæ ieiunium extenderet: reliquo verò tempore, cùm famelicus ad menſam accederet, nunquam ſatur ab eâ recedebat; ita vt abſtinentiæ famem perpetuam comitem haberet. Orationem verò tam indiuiduam ſibi ſociam aſſumpſerat; vt cùm ſomni parciſſimus eſſet, maiorem noctis partem, in rerum diuinarum contemplatione impenderet, nihilque iucundiùs exiſtimaret, quàm fletibus exeſas ieiunijs genas irrigare, diuiniſque amplexibus diutius inhærere. Huic ille orationis ſtudio ſemper genuflexus ante Sacroſanctum Euchariſtiæ altare, vel coram Virginis Deiparæ, quam ſingulari, quoad vita ei comes fuit, religione coluit, imagine, tàm incenſo mentis ardore vacare conſueuerat; vt cùm in Sancti Angeli Prouinciâ Prouincialis Miniſtri munus gereret, eò aduentante Hieronymo à Monte Florum, viro preclariſſimo, tunc Ordinis Generali (dum vterque nocturnæ precationi in Eccleſiâ incumbit) ardens quædam flamma ab oppidi illius viris ex Eccleſiæ tecto erumpere viſa fuerit; qui cùm Monaſterium conflagrare exiſtimarent, agminatim confluentes ſuam Fratribus, ad extinguendum incendium, opem & operam offerunt. Stupent Fratres, nullum ignis veſtigium, aut odorem perſentientes; at illi: ingentem flammam (aiunt) ex Eccleſiæ culmine exurgentem conſpeximus, quæ incendium indicat. Confeſtim ad Eccleſiam itur; eâque perluſtrata cùm præter Hieronymum, & Ioannem Mariam, ignitorum lapidum inſtar orantes, neminem reperijſſent, aut vllam alteriùs ignis flammam percepiſſent, cœleſtem illam flammam fuiſſe animaduertunt, quæ ex incenſo vtriuſque animo erumpens, cœlum peteret, ac diuinæ in his charitatis incendium ſignificaret. Hac itaque Ioannes Maria cœleſti flammâ ſuccenſus, tantam è cœlo ad

commouendos, demulcendoſque animos, vim haurire viſus eſt; vt cùm primùm ad diſſeminandum Dei verbum, ipſius in aliquam Vrbem aduentus præſentiretur; Epiſcopus Clero, ac magnâ populi turbâ ſtipatus, eidem obuiam procederet. eumque omnes quaſi Apoſtolum in Vrbem reciperent. Tot ergò virtutibus claro cùm magna doctrinæ laus, atque admirabilis ingenij prudentia, ac celeritas accederent, primùm in Siculâ Prouinciâ, quæ adhuc integra erat, tùm in eâ, quæ S. Angeli nuncupatur, ad Prouincialis honorem, tametſi inuitus, rapitur. Quo in munere cùm multam ſibi ſuo conſilio, ac prudentiâ, nec non illuſtriſſimis vitæ auſterioris exemplis, apud omnes gloriam comparaſſet, ad Generalis Procuratoris in Romana Curia munus aſſumitur Anno 1578. ac denique in ſequentibus Comitijs Anni 1581. totius Ordinis Vicarius Generalis creatur. Prophetico Spiritu clarus plurima prænunciat. Antiquam ſimplicitatem mirabiliter propugnat. Admirabilis quoque erat in hoc ſancto Viro, ac penè incredibilis ſummâ cum morum ſeueritate naturæ benignitas, æquabilitaſque coniuncta; quâ fiebat, vt cùm præter ægri Fratris incolumitatem nihil animo verſaret, ita correptionem lenitate, ac manſuetudine temperabat, vt ab eo correpti ſemper meliores fierent. Caſtitatis verò virtutem, quam cæteris diligentiſſimè cuſtodiendam, ac tuendam prædicabat, is tanto ſtudio in ſeipſo proſequebatur; vt raro cum Fratribus, rariſſimè cum mulieribus conuerſaretur: Et ſi interdum cum ijs loquendum eſſet, aſpectus grauis, demiſſi oculi, atque in humum defixi, manus, membra, verba ad omnem honeſtatem compoſita, honeſtiſſimum illi ineſſe animum teſtabantur. Humilitatem, quam à primo virtutum tyrocinio complexus fuerat, in maximis dignitatibus, tam arcto ſibi neceſſitudinis vinculo copulauit, vt Gregor. Summo Pontifici, apud quem magna vigebat illius exiſtimatio, ſibi aliquando, dum Generalis eſſet, dicenti, ſe in eo caput Cardinalatio Galero aptum conſpicere, protinus reſponderit: Pace tua Beatiſs. Pater: Deus ſiquidem, ac B. P. Franciſcus illud mihi tantùm Capucio aptum dedêre. Cum autem vigilantiſſimus Paſtor ſalubrioribus monitis, ac melioribus vitæ exemplis, ſæpiùs commiſſum ſibi gregem ad virtutes prouocaret, ad vltimam tandem triennalis muneris metam peruenit, Generalique Capitulo Romæ indicto, dum aduentantibus Capituli Patribus futura Comitia parantur; is in eodem Romano Conuentu morbo correptus, grauius ægrotare cœpit. Porrò eius ægritudinis famâ ad Pontificem, à quo magno in honore habe-

batur,

batur, perlatâ, Pontifex plenam illi peccatorum remiſſionem, benedictione per Nuncium impertitâ, contulit; quâ ſumma cum reuerentia ab eo acceptâ, ac mente cœleſti Sacramentorum gratiâ expiatâ, atque ad Domini aduentum crebrioribus orationibus paratâ, dum Ludouicus à Catania, Meſſanenſis olim Prouinciæ Miniſter extremo illi in agone cum morte colluctanti, ſuprema officia morientibus debita exoluit (qui ſenſibus in mortis ſoporem reſolutis, iam iam è vita exceſſurus credebatur) extemplò reſumptis viribus, facieque cœleſti quadam iucunditate perfusâ, cœlum intuens exclamat: Quid, Fratres? An non Patrem noſtrum S. Franciſcum, & S. Antonium cernitis, qui me in ſuam Societatem vocant? Iam in Domino valete. Ac ſtatim his dictis, Deo animam reddidit, huius Viri occaſum totâ Capucinorum Religione maximo luctu proſequente. De illius verò poſt mortem apud Deum gloriâ, quædam in noſtris M.S. viſio ita accidiſſe refertur. Petrus quidam Florentinus Sacerdos, qui ſæpe in Siculâ Prouinciâ Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum officio functus fuerat, dum in Monaſterio Ceptialodenſi, S. Mariæ ſacro, moras trahit; audito Ioannis Mariæ Generalis obitu, cui plurimùm mutui amoris titulo debebat, ſedulas pro eo Domino preces offerens, quo apud Deum in ſtatu verſaretur, certior fieri optabat. Cumque orationem, ac piæ mentis poſtulationem, ad ſeptimum vſque diem produxiſſet; nocte quadam ardentius orans, Ioannem Mariam à tergo Eccleſiam ingredientem, & ad Sacrum Euchariſtiæ altare flexis genibus accedentem ſpectat; mox verò Deiparam Virginem veſte multis coloribus interſtinctâ amictam, è cœlo dilabentem cernit; quæ cùm Ioanni Mariæ cœleſte cingulum, iiſdem coloribus variegatum, porrexit; illum ad ſe euectum, ſecum ſtatim in Cœlum duxit. Quamobrem Petrus Ioannem Mariam cœleſti gloriâ donatum fuiſſe certior eâ viſione factus, vbi ſummas Deo, ac Beatiſſimæ Virgini pro collatâ Patri gloriâ gratias perſoluit, rem Fratribus, quemadmodum exarata fuit, enarrat.

Obijt Vir ſanctus Anno 1584.

***



FRATER HIERONYMVS A MONTE FLORVM FF.^{um}
CAPVCINORVM GENERALIS.

Fr. HIERONYMI à MONTE FLORVM
FRATRVM CAPVCINORVM
VICARII GENERALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER HIERONYMVS à MONTE FLORVM; cuius vita tot præclariſſimarum virtutum odoribus conſperſa, tantisque à Deo cœleſtium donorum ornamentis illuſtrata fuit; vt cui integritate, ſapientiâ, conſilio, doctrinâ, & rerum geſtarum ſplendore ſecundus fuerit, difficile inuenire queas: quibus tamen virtute, ingenio, ac morum ſanctimoniâ præcelluerit, multos reperias. Hic Adoleſcens Minorum Conuentualium vnà cum Franciſco vterino Fratre, numero adſcriptus, vbi in Scholaſticæ diſciplinæ viâ inter præſtantiſſimos primus euaſit, ita vt ſcientiarum mons ab omnibus ferè nuncuparetur. Magiſtralem itaque Hieronymus inter Conuentuales, ob egregiam doctrinæ laudem, cathedram adeptus, eam quoque vitæ integritatem, ac maximarum virtutum ſtudium complexus eſt; vt Fœlix Perettus Cardinalis à Monte alto, priùs eiuſdem Ordinis Magiſter, qui ad ſupremum deinde Pontificatus apicem aſſumptus, Sixtus V. appellatus fuit, vbi Hieronymum ad Capucinos emigraſſe intellexit, id noſtris de eo affirmare ſoleret, Hieronymum iam inter Conuentuales Capucinum fuiſſe; quippe qui inter eos iam ab eo tempore Capucinorum vitam ageret, patriæque appellatione alludens: Vtinam (aiebat) ex huiuſmodi floribus plurimos in veſtro Religionis horto conſitos haberetis. Hîc ad Capucinorum gremium admirabili planè ratione, diuinæ ſapientiæ haud incongruâ, à D. O. M. adducitur. In Narnienſi enim Vrbe pia quædam ac nobilis Virgo à Cacodæmone obſeſſa, diriſſimè ab eo vexabatur; eas tamen moleſtias tam æquo animo tolerabat; vt mente, quæ illi à Dæmonis poteſtate libera relicta fuerat, Dei aſſiduè maieſtatem laudans, cœleſtibus quoque ab eo viciſſim donis, ac viſionibus illuſtraretur. Hanc Hieronymus cùm per biennium pijs obſecrationibus, ac exorciſmis proſecutus eſſet, ſemel accidit; vt dum obſidentem Dæmonem ſacris imprecationibus inſectaretur, eundem corporeis oculis, teterrimâ formâ præditum cerneret, immenſa Virgini tormenta inferentem; eo is aſpectu perterritus, ita

ſecum animo ratiocinari cœpit: Si hæc Dæmon iuſtis etiamnum viuentibus, quorum corpora audet attingere, tàm dira tormenta irrogat; quænam illa ſupplicia erunt, quibus impiorum, ac damnatorum animas, poſt hanc vitam apud inferos afſecturus eſt? Hæc dum ſapienter ſecum Hieronymus ratiocinatur, periculumque præcauere cogitat, D. O. M. qui virum puſillo Capucinorum gregi Paſtorem decreuerat, huius quoque Religionis amorem ipſius animo inſtillat; quo fit, vt paruâ poſthæc interpoſitâ morâ, Religionis albo conſcriptus, inter Capucinos adnumeratus fuerit. Erat Hieronymus, antequam ad Capucinos accederet, Vir grauis, prudens, atque ingenij magnitudine, doctrinâ, ac eruditione clarus: Inter Capucinos autem tantis virtutibus floruit, vt haud alio quàm Monte Florum nomine nuncuparetur. In hoc etiam Florum Monte, in primis florentem humilitatis vitem, humi ſerpentem cernas, maioremque indies ex ſe odorem ſuauitatis effundentem. Neque enim primis duntaxat inſtituti ab eo tyrocinij annis; verùm & cùm Prouincialis, aut Generalis Vicarij munere fungeretur, coquinæ magiſtro miniſterium quotidie exhibebat: Hortulano in fodienda terra: Sacriſtæ in verrenda Eccleſia: omnibus Fratribus in tunicis, ac minoribus pannis emundandis, ac reſarciendis: ægrotis in eorum matulis, & ſcaphijs expurgandis, ſedulam operam præſtabat. Denique, cùm tam perfecta mentis humilitas ita hominem poſſideret, vt in ſuum integrè imperium tranſtuliſſet; hinc tantus in eo humilitatis decor elucebat, vt perfectum, ac cœleſte quoddam humilitatis ſimulachrum Orbi expoſitum eſſe videretur. Florebat quoque ex alterâ huius montis parte, propriæ mortificationis myrrha; quæ cùm nullis terminis occludebatur, totius myrrha, ac mortificationis montem conſcendiſſe videbatur. Id verò vno exemplo luculentiùs patefit. Tale enim is oculis frænum iniecerat, vt nullius vnquam, aut mulieris, aut alterius vultum aſpectaret, nullius rei, tametſi ſpecioſæ, aſpectu delectaretur, nihilq; in Orbe, præter Cœlum, hominis obtutu dignum eſſe putaret. Tam arctam quoque linguæ cuſtodiam adhibuit, vt nullius vnquam verbi perperam, aut abs re prolati, reprehendi potuerit; quare etiam omnium colloquia, ac familiaritates fugere, & ad ſolitaria loca, ſilentij amica, vt plurimùm ſecedere didicerat; in quibus ſe plura, quàm in hominum frequentiâ addiſcere affirmabat. Gulam verò, quæ luxuriæ, ac omnium penè vitiorum eſt ſeminarium, tam ſeuerâ abſtinentię lege compeſcuit, vt frequenter ſolum panem, & aquam ſibi ad vitæ ſuſtenta-

tionem adhiberet. Quanquam verò præter conſueta Ordinis ieiunia, quadrageſimalem in honorem Archangeli Michaëlis inediam; interdum quoque alias Sancti Spiritus, ac Beatiſs. Virginis quadragenas ieiunio celebraret, tamque perpetuum cum ventre bellum gereret, vt vix illi in quotidiano victu vitæ neceſſaria præberet; haud tamen ſibi vnquam ſatisfacere videbatur: corpore ſiquidem carere voluiſſet, vt nullum ventri obſequium præſtare compelleretur. Quàm verò carnem inteſtino bello inſectaretur, illius macerationes declarant; communi enim panno, qui rudis eſſe ſolet, non contentus, ex eo qui in triremibus captiuis ſeruis diſtribui ſolet, habitu ſibi confecto, tunicam ac pallium, inter ipſas quoque brumalis tempeſtatis glacies, perpetuò reſpuebat. Verùm, ne his quidem contentus, aſperrimum cilicium addebat; cilicio verò tàm immania flagella aſſociabat, vt non proprium, aut carneum; ſed marmoreum, aut ligneum corpus cædere videretur; tamq; diuturna, vt ad duarum horarum tempus flagellationem produceret. Semel etiam, cùm Generalis officio fungens, aliquando Fanum (alij Gradaram ſentiunt) ad Conuentus viſitationem appuliſſet; cùm primùm ad pedum ablutionem ventum eſt, aqua in labello tam feruens effuſa fuit, vt tolerari minimè poſſet; is tamen opportunam patiendi occaſionem nactus, (dies enim maioris Hebdomadæ Dominicæ Paſſionis memoriæ conſecratus agebatur) tàm immotos in ea pedes, haud ſine maximo dolore, continuit, quod ex hoc tam graui deinde pedum nerui, doloris ſenſu affecti fuerint, vt cùm ad ſacra myſteria celebranda accederet, ita immaniter cruciaretur, vt toto corpore tremens, vix altari innixus ea peragere poſſet. Myrrhæ affinis, ac cognata paupertas, ſuos hic quoque flores germinat; vitæ enim ipſius contextus perpetuus, ac nunquam intermiſſus paupertatis curſus fuit. Hinc cùm in Religionis viſitatione, dum Generalis munus obiret, ſerotinâ diei horâ ad quoddam noſtrorum Cœnobium appuliſſet, nunciatumque illi eſſet, nihil penitus, aut panis, aut obſonij in domo ſupereſſe, quo in menſâ exciperetur, mirum in modum animo exhilaratus, in has mox voces erupit: O quales Deo meo habeo gratias, qui in illud me aliquando Monaſterium perduxit, in quo rerum omnium penuriam abundare, atque altiſſimam paupertatem regnum tenere conſpicerem! Quapropter, dum inter Conuentuales adhuc verſaretur egregiam quandam pecuniarum ſummam, quam germanus Frater apud eum cuſtodiendam depoſuerat, ne diutiùs apud ſe maneret, in pauperes erogauit:

quam cum ab eo Frater deinde repeteret: Quid (inquit) pecuniam apud me quæris, quæ mihi imprimis inimica eſt? Apud pauperes quære: melius enim inter pauperum, quàm inter Minorum manus verſatur. At neque florido huic monti ſuauiſſimi orationis, ac diuinæ contemplationis flores, quos ſolitudo pullulare ſolet, defuêre: Niſi enim graui aliquo negotio premeretur, ternas & quaternas in rerum diuinarum contemplatione noctu horas inſumere, vt plurimum illi familiare erat; in quâ frequenter illum & raptus, & extaſes paſſum eſſe, inter alios teſtis aliquando oculatus fuit Frater quidam Laicus: qui cùm in Conuentu Camerini, in quem Hieronymus, poſt expletum Generalatus Officium, ſeceſſerat, ante Matutinas Horas in Eccleſiam oraturus conceſſiſſet, Hieronymum ante Sacroſanctum Euchariſtiæ Altare expanſis manibus orantem, geminiſque è ſolo cubitis eleuatum conſpicit. Eundem quoque Frater Hilarius Amerienſis, qui ipſius ſæpe comes fuit, in oratione extra ſenſus raptum, atque in ſublimem ǎërem elatum vidiſſe, haud ſemel teſtatus eſt. Tertius ibidem Frater Bonifacius Callienſis, cùm eum in Conuentu Montis Veteris, dum Prouincialis munere fungeretur, nocte in Eccleſia mente excedentem diu cōſpicatus eſſet; inde tandem obſtupefactus receſſit. Poſtremus denique Frater Vitalis Vrbinas, dùm in Vrbinenſi Cœnobio, quò tunc Hieronymus Prouincialis appulerat, Ianitoris munus agit; cùm eundem, ob quorundam Nobilium Virorum aduentum perquireret, eum in Eccleſia orantem, atque adeo vi extaticâ correptum, ac ſenſu omni carentem offendit; vt etſi præſentem alloqueretur, ac veſte arreptâ vi plurimâ ad ſe attraheret, haud tamen ſenſibus reddere potuerit, quoad is, paulò pòſt ſponte ab exceſſu redijt. Huc quoque ſpectat, quod de flammarum globo, qui eo orante in Eccleſiæ tecto erumpere viſus eſt, in Ioannis Marij Tiſſenſis vitâ ſuperius exaratum fuit. Cùm autem ſemel in ſuo Montis Florum oppido Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaturus eſſet, hunc ſibi vitæ ordinem præſtituerat, vt primâ noctis horâ ſe ad breuem ſomni quietem conferret; ex qua poſt duas, vel ad ſummum tres horas ſurgens, per poſticum in coniunctum Fanum pergere ſolebat; in quo cùm per totum ferè reliquum noctis ſpatium orationi incumberet, Socius lachrymoſos illum ſonitus edentem, atque ardentiora ex imo pectore ſuſpiria ſæpe ducentem animaduertebat: ſemel verò cùm eum intempeſtâ nocte orantem attentius obſeruaret, clariſſimum prope illum ſplendorem è Cœlo delapſum cernit; intra cuius ſphæram,

tametſi

tametſi alterius vocem cum Hieronymo colloquentis audiret; haud tamen illi, aut perſonam, aut vocis articulos vllo modo percipere licuit: Verùm hęc tantum Hieronymum verba promentem audiebat: O Mater mea dulciſſima! Hæc cùm verba ſæpe repeteret, totus lachrymarum imbribus perfuſus animo liquefieri videbatur. Ex his ille facilè agnouit, hæc illi ſacra cum Virgine Deipara colloquia fuiſſe, quæ clariſſimâ illa luce circumfuſa orantem conſolabatur, ac cœleſtes illi ſupernarum deliciarum flores plenis manibus miniſtrabat. Hieronymus itaq; cùm tantâ, tamque inſigni animi magnitudine, doctrinæ præſtantiâ, ac vitæ integritate in Ordine excelleret; inde factum eſt, vt cùm decimum, aut vndecimum in Religione annum attingeret, in ſua primùm Picenti Prouincia, ad Prælationis munus vocaretur: in quo cùm maximam prudentiæ, atque integritatis laudem adeptus eſſet; ad Generalis Definitoris, tum Procuratoris officium Anno ſalutis 1570. aſſumitur: quo in munere cùm præſtantiſſimè ſe geſſiſſet, iterum anno 1573. primus Capituli Generalis Definitor eligitur. At Vincentio à Monte Vlmi Generali immaturâ morte ſublato, Hieronymus Religionis gubernacula moderanda ſuſcipit. Deinde verò in Comitijs Romæ coactis An. 1575. Generalis Vicarius omnium penè ſuffragijs creatur. Tot denique ex hac ſuæ directionis virgâ flores erumpere viſi ſunt; vt Religio ſuâ tempeſtate maximè virtutibus, ac Regulari obſeruantiâ floruerit. At neq; huic monti cœleſtes Prophetici ſpiritus roſæ, ac miraculorum lilia, quibus tandem ſanctimonia illuſtris redderetur, defuêre; Inprimis enim Caſtrodurantij, Horatij Benedicti filium, vix natum, inter Domini Sacerdotes aliquando recenſendum prænunciat. Cumque Picentis Prouinciæ Comitia menſe Ianuario celebrarentur, quo tempore Cœlum vndique nubiloſum, flante præſertim Aquilone, imbrium, ac niuium copiam minabatur, Prouinciæ Patribus, vt finem Comitijs imponeret, ſollicitantibus, felicem Cœli faciem futuram donec quiſque ad deſtinata receſſerit, repromittit. Occultas quoque aliorum cogitationes diuinitus rimatur. Pleraque etiam de ſuiipſius, ac quorundam aliorum Fratrum obitu futura ab eo præſignificata legimus, quæ omnia rei euentus vera probauit. Ad cœleſtia miraculorum lilia venio. Fratrem Hilarium Amerienſem, qui Meſſanæ in grauem febrem inciderat, quâ ad Medicorum deſperationem excreſcente, cùm is in certo mortis articulo verſaretur, Hieronymus ſigno Crucis benedicit. Ægrotus verò poſt hæc vix quartâ horæ parte elapsâ à febri liber breui incolumitatem adipiſci-

tur. Puellam quandam Petri Marcianenſis Comitis propinquam extremo cum morte conflictu, extra ſenſus luctantem; ſigno Crucis munit;& puella,repentè ſibi reddita, intra paucarum horarum tempus perfectam corporis valetudinem aſſequitur. Eodem quoq; Crucis ſigno, dùm in Romano Conuentu Procuratoris Generalis munus agit, Fratrem, cui vena perfracta tam copioſum ſanguinem effundebat,vt nullo remedio ſiſti valeret,à ſanguinis profluuio liberat, venâ,ſolâ Dei virtute occluſâ. Ab eodem quoq; ſanguinis profluuio Stephanum Tyracenienſem, Crucis illi ſigno adhibito, curat. In eodem Romano Noſocomio Frater quidam, varijs languoribus correptus, diu ægrotauerat; quibus adeò imbecillis euaſerat, vt vix ſeipſum à lecto dimouere poſſet. Ad hunc cum Generalis Hieronymus acceſſiſſet: Quid (inquit) hic tam diù iaces, Frater? an non te pudet otioſam tot annis in Niſocomio vitam agere? cumque illius capiti manum impoſuiſſet, nonnullaq; Crucis ſigna membris adhibuiſſet, confeſtim integræ illum ſanirati reſtituit; ac præcepto cauit, ne alicui factum, dum illi vita comes eſſet, declararet. Plurimos quoque Dæmones ab obſeſſis corporibus eodem viuifico Crucis ſigno, eum expuliſſe conſtans traditio eſt. Illud quoque, dum Romæ Hieronymus Generalis moram trahit, accidit, vt Ariani Marchioniſſæ tenellus infans à nutrice in lecto nocte oppreſſus, animam egiſſet; quæ fide plena, primâ luce mortuum infantem aſſumens ad Conuentum pergit; Hieronymo præſentat; ac profuſis lachrymis poſcit, vt ſuâ apud Deum oratione, illum ſibi rediuiuum reddat. Reluctatur Hieronymus: at tandem is eius lachrymis commotus, in Eccleſiam ſecedit: atque vbi tantiſper pro puero Dominum rogauit, ad eam reuerſus, mortuum puerum ad vitam reuocatum offendit. Iterum defunctum hominem (Fr. Hilario Amerienſi Sacerdote, ac Concionatore teſte) ſigno Crucis munit; cuius virtute mox defunctus ad viuos reuocatur. Firmi in Piceno, cùm Horologij rotæ vt plurimùm in medio curſu conſiſterent: quo fiebat, vt ſæpe elapſo Matutinarum Horarum tempore, Chori, & Officiorum ordo perturbaretur. Eo audito, Hieronymus vnà cum Sacriſtâ ad horologium pergit; cumque illud immotum ſtare cerneret, nullam remorati curſus cauſam animaduertens; Horologium increpans, ad deſtinatum curſum præcepto compellit. Vix Hieronymus affatus fuerat, cum Horologium perinde, ac ſi rationis particeps eâ increpatione erubeſceret; nemine mouente, mox iuſto rotarum fluxu

ita curſum auſpicatur, vt ab eo deinceps tempore, præter Sacriſtæ voluntatem, nunquam à curſu deſierit. Dum Hilarius Hieronymi ſocius, cum eo Nouariâ digreſſus, per Picenum iter faceret; ac poſt longum itineris ſpatium penè fame confectus deficeret, id is Hieronymo ſignificat; qui cùm oculis in Cœlum erectis, paulisper oraſſet, panem candidum Socio languenti è Cœlo ſuâ oratione impetrat; quo ille refectus, priſtinas protinùs vires ſibi reſtitutas ſenſit. Iterum, cùm Spoleto quadam die cum Socijs proficiſceretur, ijque longo, ac limoſo itinere feſſi, ac ieiunio confecti, elangueſcerent, Hieronymus ad Deum, egenorum penum, oratione confugiens ab eo opem implorat. Nec fruſtra: nam vix abſolutâ oratione, cùm tres numero eſſent, tres quoque è Cœlo ante eos panes dilabuntur: ex quibus cùm quiſque buccellam guſtaſſet, id ſibi roboris acceſſiſſe ſentiunt, perinde ac ſi opiparè eâ die refecti eſſent. Præter illa, aliud quoque Clerici cuiuſdam exemplum accedat; qui cum Hieronymo iter faciens, cùm ob inediam, & corporis defatigationem ita langueret, vt cœptum iter proſequi non poſſet, panem illi ſuâ oratione è Cœlo impetrauit, quo vires recrearet. Neque illud ſilentio prætereundum, quod Socijs rurſum ſecum per campeſtria, ac deſerta quædam loca itinerantibus, nullâque rerum prouiſione ſuffultis, id ſuâ prece à Deo obtinet, vt Angelus ſub adoleſcentis ſpecie, quatuor ijs panes candidiſſimos, ac geminos turdos aſſos è Cœlo attulerit, vixque his oblatis, actutum ſe ex eorum oculis eripuerit. Poſt hæc Siculâ viſitatione inſtitutâ, dum æſtiuo tempore regiones ſolis ardoribus expoſitas permeat, Socij tum itineris laboribus, tum nimio calore fatigati, ardentiori ſiti æſtuabant; quos piùs Pater verbis conſolatus, alacres iubet procedere: futurum enim ait, vt fonti quamprimùm occurrant, quo ſitim extinguere valeant. Nullus eo in itinere fons illis obuius erat, neque vlla ſedandæ ſitis ſpes animo affulgebat, cùm flentis Pueri vocem haud procul percipiunt: quæ cùm paulatim excreſceret, ac vehementiùs illorum aures verberaret, eos proximum collem conſcendere compulit; vt quid ea vox præſeferret, facilius intelligerent. Porrò, colle conſcenſo, Socij Puerum formâ præſtantiſſimum, in agro acerbè plorantem conſpiciunt; ad quem propiùs accedentes, fletus cauſam perquirunt. Quibus ille: Siti (inquit) cùm magnopere crucier, tam profunda eſt huius fontis aqua, vt eam attingere non valeam. Admirabantur Socij Pueri gratiam, ac formam, quâ præſtantio-

rem ſe nunquam vidiſſe meminerant: dumque, num ea Diuini quicquam potiùs, quàm humani præſeferret, animo volutarent, ea mox ſuſpicio ijs certo teſtimonio confirmatur. Nam, cùm primùm illum verbis demulcere parant, is repentè ex eorum oculis euaneſcens, certum diuinæ erga illos benignitatis argumentum reliquit, quæ ſitientibus cœleſtem è ſuperûm ſedibus Angelum miſit, qui fontis illis aquam oſtenderet. Veruntamen, cùm & fons tam altus eſſet, vt nullo modo ad venam pertingere valerent; & ipſis vrna, quâ aquam attingerent, non ſuppeteret, Socios Hieronymus hortatur, vt ad Dei liberalitatem fidentiùs confugiant; certò enim futurum dicebat, vt qui cœleſti beneficio aquæ illis fontem aperuerat, eo quoque potiri tribueret. Ijs igitur orantibus, adfuit extemplo diuina virtus, ſuorum, ac præſertim Hieronymi precibus exorata; quæ profundam fontis aquam tam altè iuſſit conſcendere, vt ad fontis vſque labrum pertingeret: ex quâ cùm vniuerſi ſitis ardorem extinxiſſent, quò luculentior Dei in eos beneficentia appareret, aqua ad priſtinam fontis profunditatem redijt. Huc quoque accedit admirabile illud exemplum. Cum æſtiuo tempore è Peruſino Conuentu cum Socijs digreſſus Aſſiſium pergeret, ſiti omnes æſtuabant: quo tempore Hieronymus, colloquio cum Socijs de Beatiſs.V. inſtituto, eo ſitis ardorem extinguere conabatur. Vix paululum poſt hæc in viâ proceſſerant, cùm in ea domunculam offendunt, ex qua Matronam quandam grauem prodire cernunt; quæ offam panis vino dilutam in leſſidi poculo geſtans Hieronymo offert: duæ quoque eam pediſſequæ ſequebantur, quæ geminos calices, eodem modo inſtructos, Socijs præbent; illos Matronâ his verbis compellante: Recreamini, Patres, exiguumque potum ſumite; ſcio enim, quod ſiti æſtuatis. Hieronymus verò cùm factum admirans, altius animo ageretur, Matronamque fixè contemplaretur; in eâ, diuinum quid elucere ſibi videbatur. Neq; eum opinio feſellit: cùm enim poſt hæc actis Matronæ gratijs, pedetentim viam proſequeretur; ſæpeq; oculos Hieronymus ad Matronam converteret; vix eam cum pediſſequis domum redijſſe animaduertit, quum domum, Matronam, ac pediſſequas, inde omnes euanuiſſe cernit; nec vlla eo in loco domus veſtigia deinceps agnoſcit. Facto vniuerſi obſtupuêre: At Hieronymo deinde oranti diuinitus réuelatum fuit, ſingularem illam Deiparæ in eos munificentiam fuiſſe, eo quod pios inter ſe, eo tempore, de illâ ſermones miſcerent. Haud abſimile prioribus, tametſi modo, ac

ratione

ratione diſſimili, eidem in Grottariæ Conuentu contigit; in quo puteo effoſſo, tam fœcunda aquæ vena inde effluxerat, vt eâ ad os putei excreſcente, cum plurima hominum, ac mulierum multitudo ad eam quotidie ventitaret; ita vt maxima Conuentus familiæ moleſtia, tum rerum perturbatio oriretur. Re Hieronymo Prouinciali, qui eò familiam inſpecturus acceſſerat, ſignificatâ, atque ab ipſo certo rei experimento comprobatâ, cùm is ad puteum veniſſet, aquæ in Dei nomine imperat, vt tàm profundè ad putei infima deſcendat, vt non niſi improbo labore hauriri queat. Paruit mox viri Dei præcepto vnda; atq; ad ima recedens hauſtu ita deinceps ſe difficilem præbuit, vt multitudinis ob id confluentiâ ceſſante, familia ea moleſtiâ caruerit. Cæterum, vt quæ ad vitæ eius occaſum ſpectant, breuius proſequamur; alterum in Generalatus munere Hieronymus triennium exegerat, cum in Picentem Prouinciam reuerſus, in Anconæ Conuentu ſedem fixit; ibique tantâ poſteriorem, poſt depoſitam Generalatus dignitatem, vitam humilitatis gloriâ accumulat, vt nullo magis, quàm ſui contemptu, ac deſpicientiâ gauderet. Inter tot verò Dei dona, quibus D.O.M. ſeruum ſuum abundè cumulauerat, mirum planè, quo pacto Hieronymi animum perpetua quædam Diuini Iudicij formido ac metus lancinaret: Hoc porrò aliquando timore, atque animi ſollicitudine ductus, Ætnam montem, ex quo nonnulli os Inferni patefieri exiſtimant, rem adhuc cunctis incertam explorare volens, cum Anſelmo Theanenſi conſcendit; aſcenſuque licet perdifficili, ad cacumen pertingit, vnde Mons diurno tempore fumum, nocturno ignem euomit: atque inde introſpectans horridam quandam voraginem, ac montis hiatum cernit; ex quo cùm tres validiſſimos, quaſi æneі tormenti ictus tunc primùm emiſſos percepiſſet; poſt hos ecce ante illum crebri flammarum globi, de barathro aſcendentes, rurſuſque in idem relabentes apparent: vnde mixti hominum, mulierumque ploratus, ac eiulatus, quaſi quos dira vis tormentorum exagitet, aut incendia exurant, inter præaltas illas voragines perſonantes audiuntur, qui pietatem ſimul, ac terrorem illius animo incuterent. Intuebatur diligentius Hieronymus, vtrum inter ea flammarum volumina, quæ modò alta petebant, modò in ima barathri relabebantur, hominum animas animaduerteret. At cùm præter gemitus, ac ploratus, nihil ſe illius oculis conſpiciendum obijceret; id quidem illi velut certum fuit, in ijs animas Diuino iudicio, ac virtute cruciari: num verò ibi temporali pœnâ à ſceleribus purgentur; vel perpetua Inferorum ſupplicia

luant,

luant, penitus incertum. Sexageſimum quartum iam ætatis annum; Religionis verò trigeſimum quintum, Hieronymus agebat, cum Diuinò inter orandum oraculo edoctus, ſupremum iam ſibi imminere diem, id non ſemel nonnullis familiaribus indicat. Erat in Nouariæ Conueutu ſimul cum Hieronymo Fr. Benedictus à Colleamato, & Fr. Anſelmus Theanenſis, antiqui Viri ſocij, quos in familiari colloquio his aliquando verbis affatus: Ignoratis (inquit) Fratres, quod breui tempore longum nobis iter conficiendum ſit? quamobrem, quæ vobis neceſſaria ſunt, parate. Ij verò, cum Patris dictum de Romanâ profectione intelligerent, ſandalia inſtaurant, ſeque ad profectionem accingunt: Verùm cùm pleriſque iam diebus elapſis, nulla ab Hieronymo de profectione mentio fieret; ſed is potiùs in cella occluſus aſſiduæ tantùm orationi vacaret, vno illum animo adeunt, ab eoque, quid de concepto itinere ſtatueret, exquirunt. Quibus ille ſubridens: Nondum (inquit) maturum eſt tempus. At ij ſub his verbis altius myſterium latere ſuſpicati, cùm ſtudioſiùs rem ab eo quærerent, eam tandem palàm his verbis aperit: Filioli mei, ne vos vllus eorum, quæ audituri eſtis, metus percellat. Iter cum primùm profectò aggreſſuri ſumus, quod extremam huic noſtræ peregrinationi metam conſtituat. Tu quidem, Benedicte, decimo me die anteibis. Ego enim die poſt ſanctum Paſchæ feſtum octauo; tu in ſacro Paraſceues die, prior vitæ curſum perficies. Tu verò, Anſelme, poſtremus gradiens; cum primùm ex Romana Vrbe, quò profecturus es, rediens, Picenum attinges, ibi mortalem corporis ſarcinam depones. Hæc ad amuſſim, vti ab Hieronymo prædicta ſunt, euenêre. Poſt hæc enim accidit, vt iuxta ſancti Patris vaticinium, die ſacro Paraſceues, Fr. Benedictus à Colleamato, ipſius Socius, in eodem Conuentu extremum Deo ſpiritum redderet: qui cum poſt iuſta exoluta in ſepulchro conderetur, Hieronymus, qui cum reliqua illius Conuentus familiâ illius funeri interfuerat, ſepelientibus ait: Amabo, Fratres, tantum loci ſpatium iuxta defunctum Socium vacuum relinquite, quod alteriùs corpus capere queat; breuiſſimum namque tempus huc me haud inuitum rapiet. Vix autem poſt hæc dicta dies effluxit, cùm Hieronymus repentinâ febri correptus grauiter ægrotare cœpit. Quo tempore cùm omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè munitus eſſet, totum in pſalmodia, ac Dei laudibus tempus inſumit. Illud verò ſæpiùs ore repetere audiebatur: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Interdum vero: *Æternâ fac cum Sanctis tuis gloriâ munerari.* Cumque Vir Dei ad vitæ occaſum

prope-

properaret,haud defuit Satan,qui eum varijs tentationibus aggreditur; ab eo tamen victus,ac profligatus abſcedit: cuius illud teſtimonium fuit;quod cùm poſt pleraque duri certaminis ſigna, Salutationem Angelicam protuliſſet, totus extemplò animo, ac vultu hilareſcens,victoriam ſe de hoſte reuexiſſe declarauit; atque hac cœleſti lætitiâ perfuſus,dum Dei laudes in ore verſat,inter has fœlicem effudit animam, quam Fr Bernardinus Hiſpanus Cathaloniæ Prouincialis Vicarius, Vir omni virtute florens, dum Romæ ſacris Miſſæ myſterijs incumbit, in Cœlum euehi conſpexit. Poſt eius verò obitum, tum ſæculares, tum Fratres qui ipſius vitam, ac ſanctitatem nouerant, nihil magis quam re aliquâ, quæ eius aliquando vſui deſeruijſſet, frui optant. Franciſcus Celſus Vrbis Nouariæ Ciuis, qui Viri Dei morti interfuit, pluribus ſub aſſeueratione affirmauit, ſe tam ſuauem odoris fragrantiam in Hieronymi cellâ poſt ipſius obitum perſenſiſſe, vt nulla myropolia ei comparari valerent. Frater Michaël, Hiſpanus Concionator, qui Lectoris officio in Firmano Conuentu aliquando functus fuit, cum audito Hieronymi obitu pro eo preces funderet, quidve de illo in Dei iudicio actum eſſet, noſſe optaret, poſt diuturnas preces Deo oblatas, tandem in oratione Hieronymum conſpicit, læuâ manu librum; dextrâ verò aureum gladium geſtantem: quibus cœleſtia illi præmia à Deo collata ſignificabantur;liber namque doctrinam, atque Euangelicæ prædicationis verbum, quod viuens magno cum fructu diſſeminauerat: gladius verò directionis, atque æquitatis virgam quâ Religionem magno cum Iuſtitiæ zelo adminiſtrauerat, non obſcurè indicabant. Eodem ferè tempore (teſte Anſelmo Theanenſi, cuius hæc viſio fuiſſe putatur) Fratri cuidam oranti Hieronymus inter Fratrem Benedictum à Colleamato, qui paulò ante Hieronymum diem ſuum cum Sanctimoniæ fama obierat, & Fr. Mauritium à Monte montanario, vtrumque cœleſti gloriâ donatum, medius & ipſe gloriâ ornatus apparet. His & alter eiuſdem Picentis Prouinciæ Frater accedat; qui cùm plurimæ virtutis Vir eſſet, orationi vacans in mentis exceſſum rapitur; in quo Altiſſimum Dei Filium, cuiuſdam defuncti Fratris animæ, quæ ad Diuinum tunc primùm iudicium acceſſerat, ſubiratum cernit: dumque iudicium penderet, Hieronymum Chriſti pedibus prouolutum, ac pro Fratre interpellantem conſpicit. Porrò eodem tempore durum leonis, & draconis certamen animaduertit; qui cùm acerbè inter ſe pugnarent, leo tandem, draconis capite vnguibus amputato, victor euaſit. Cęterum hęc Hieronymi,

& Tartarei Draconis proculdubio pugna erat, in qua de defuncti Fratris ſalute vtrinque certabatur: at Hieronymo pro illo apud Deum interpellante, defuncto ſalus, ipſi victoria ceſſit; vt quantoperè illius poſt mortem apud Altiſſimum interceſſio valeret, non obſcurè indicaretur. Anno verò ab ipſius obitu elapſo, cùm Fratres Hieronymi corpus explorant, habitum quidem putrem reperiunt; at corpus ita integrum, atque incorruptum aſpectant, vt nec vlla membrorum pars è viuentis ſtatu immutata appareret: quodque vim omnem naturæ ſuperat, tam ſuauis ex eo odor erumpebat, vt omnem vnguentorum, atque aromatum fragrantiam excederet. ita quippe decebat, vt qui inſtar Libani, ac Montis florum, tot virtutibus, ac donis cœleſtibus floruerat, ſuauiſſimos poſt vitalis lucis occaſum odores efflaret. Obijt Vir Sanctus Anno 1584.





FRATER IACOBVS A FOROSARZINIO FRATRVM
CAPVCINORVM GENRALIS.

Fr. IACOBI à FOROSARZINIO

FRATRVM CAPVCINORVM

VICARII GENERALIS

VITA, ET GESTA.

FRATREM IACOBVM à FOROSARZINIO B. P. N. Franciſco potius, quàm parentibus, ac ſæculo natum, prima ipſius vitæ auſpicia non obſcurè indicant. Etenim Marius à Foroſarzinio, qui inter Ordinis noſtri Generales octauus fuit, cùm puerum ab ineunte ætate, in parentum domo, pijs ante annos rerum diuinarum ſtudijs occupatum offenderet; plurimis eum blanditijs demulcens, parentibus ait: ſtudioſè puerum educate: maior enim mundo eſt: non Sæculo, ſed Deo, ac B. P. Franciſco in Capucinorum Ordine conſecrandus. Nec res Marij dictum fefellit: vix enim puer ad adoleſcentiam peruenit, cùm maturè Religionis iugo colla ſubdit, ac tantâ vitæ innocentiâ, ac virtutum ſtudio primum Religioſæ vitæ tyrocinium amplexus eſt, vt nequam ille ſpiritus, & Cacoangelus, ab his illum abſterrere conatus fuerit. Dum enim in Conuentu Foroliuij, vbi is probationis annum agebat, Horarum Matutinarum tempore Acolythi munus gerit; atque in B.V. Officio, quo tempore nulla ante legile lampas ardebat, ſolus Inuitatorium decantat, ater ille tenebrarum pater, tam trucem, atque horribilem ſe illi aſpectandum præbet, vt nouus tyro eo aſpectu ferè exanimatus, ingentem mox clamorem edere compulſus fuerit. At cùm primùm inter fixos B. P. N. Franciſci filios adnumeratus eſt; corpus abſtinentiâ, ac vigilijs macerat, laboribus fatigat, duris extenuat; nulla denique illi carnis commoda, ac oblectamenta indulgens, domeſticum hoſtem tam dirè premit, vexat, vrget, inſequitur, vt Miniſtri Prouincialis in Bononienſi Prouinciâ munus gerens, cùm aliquando brumali tempore in oppidum Meldolæ longo itinere, vſque ad virium deliquium defatigatus appuliſſet, à familiari quodam Viro domo exceptus, dum ad membra itinere feſſa recreanda, molle illi ſtratum paratur, is lecto recuſato, ligneam arcam ſibi ad quietem elegerit. Nihil Iacobus, tametſi aut Prouincialis, aut Generalis Miniſter eſſet, ſpeciale in menſa ſibi vnquam miniſtrari permiſit, ſed communi duntaxat cibo contentus, cæteros recuſare conſue-

uerat.

uerat. Hoc pacto Iacobus,cum carnem animi perduellem generoſè ſubijcit, puritatis prælium illi aliquando à muliere intentatum deuincens,glorioſum caſtitatis trophæum refert. Orationis ſtudio,& voluptate adeò afficitur, vt complures in ea quotidie horas inſumat; ac ferè ſemper nocturnum tempus, quod à Veſpero vſque ad Matutinas Horas interfluit,ſacris vigilijs, atque orationi conſecret; vnde fit, vt ſæpè ab oratione ſtupefactus, atque à ſenſibus alienatus ſurgat: nonnunquam etiam in ecſtaſim raptus, ac toto corpore in ſublime elatus conſpiciatur. Cùm verò ſemel orationi vacans, Raphaëlem ſocium anteiret; illum Raphaël inter duo lumina à dextris,& à ſiniſtris emicantia incedentem cernens, greſſum feſtinat; vt quænam illa lumina ſint, propius agnoſcat: at his,cùm propiùs accederet, euaneſcentibus, haud ille alia, quàm cœleſtes Angelos fuiſſe, qui orantem comitarentur, ſibi certò perſuaſit. Denique orationis ſtudium,quam donorum Dei cornucopiam appellare ſolebat, tanti æſtimabat, vt quanquam præclaro ad Dei verbum diſſeminandum dono præditus eſſet; nunquam tamen ad prædicationem accederet, quin eam vnius ſaltem horæ oratione præcurreret. Hinc tam ingens ac copioſus ex ea fructus in audientes redundare videbatur, vt auerſi, ac rebelles quique animi ad pœnitentiam, ac meliorem vitæ frugem conuerterentur. Bononiæ quoque dum in Metropolitana Eccleſia illa Euangelij verba: *& Pater meus agricola eſt*; Ioan. 15. 1. pro ſuggeſto ediſſerit,oculis in Cœlum ſublatis,in hæc verba exclamare cœpit: O cœleſtis agricola! quæ, tantâ ſpiritus virtute protulit, vt cœleſti impetu actus ſurſum corpore efferri conſpectus fuerit. Patauij quoque, dum verbum Dei publicè pro ſuggeſto proponit,mulier à Dæmone obſeſſa, tot cœpit clamoribus obſtrepere,vt verbum Dei interturbaret: at Iacobus ad Dæmonem conuerſus, eidem in Dei virtute ſilentium imperat; cui Dæmon tam perfectè obtemperat, vt vtroque labio digitis compreſſo, toto illo quadrageſimali tempore, ne verbum quidem ore muſſauerit. Bononiæ cùm ſemel fœminam quandam, genere Nobilem,à Dæmone arreptam,ác dirè cruciatam, quæ plures Exorciſtas experta fuerat, triduano ieiunio, oratione, & lachrymis armatus exorcizandam accederet, muliere à vinculis ſolutâ, protinus ſpiritus in Iacobum irruens, ingenti eum colapho petit. Cui Vir Euangelicus, nequaquam commotus,mox genu flectit,alteramque illi genam præbens, ait: Iam hunc pro amore Dei libens accepi, alterum, ſi vis, impingito. At Dæmon, cùm huiuſmodi Euangelicæ humilitatis, ac patientiæ actum ferre non

poſſet, oppidò à muliere erumpens, eam prorſus liberam relinquit. Porro, cùm ob colaphum illi à Dæmone impactum, qui aderant, Virum Dei grauiter læſum exiſtimarent, his ille: Vos veſtra (ait) fallit opinio, amici: nihil mihi ſpiritus eo colapho nocuit; is enim mihi perinde fuit, ac ſi ſtupæ mollioris maſſa genam attigiſſet. Haud abſimile rurſum in Genuenſi Vrbe, contigiſſe, noſtra M. S. ferunt. Quo fit, vt nunquam ſatis in Viro Dei humilitatis, ac patientiæ virtus laudari poſſet, quæ, quod ſacra interdum verba difficilius efficiunt, facillimè à Deo impetret. Cùm igitur Vir præclarus tot, ac tantis in Religione virtutibus præluceret, vt clariſſimum ſibi apud omnes nomen comparaſſet, poſt plures dignitatum gradus, ad ſupremum Generalis Miniſtri munus, omnium ferè Electorum ſuffragijs eligitur: quo in munere tantâ prudentiæ laude, tamque præclaris vitæ exemplis excelluit, vt nominis immortalitatem, ac perpetuæ gloriæ memoriam ſuâ virtute, ac rebus ſapientiſſimè geſtis adeptus fuerit. Vitæ enim auſteritatem, quam ab exordio inſtituerat, non tam minuit, quàm ipſo honoris incremento auxit. Oratio quoque, ac rerum diuinarum contemplatio potiſſimùm illi inter itinerum ſalebras ſolatium erat: quo tempore nonnunquam etiam inter extaſes, ac raptus diuinis complexibus potitum fuiſſe, noſtra Ordinis monumenta tradunt. Hoc tempore, cum Feroiulij aliquando digreſſus Bononiam proficiſceretur, prope ædiculam quandam B. V. dicatam, quæ ferè medium iter interſecat, conſiſtens, Angelos in eâ ſuauiſſimè concinentes audit. Quod illi planè argumentum fuit, vt eo in loco Deiparæ Virginis gloriam manifeſtandam fore prænunciaret. Quod res ipſa nonnullo pòſt tempore cunctis declarauit: tot enim miracula eo in delubro, Beatiſs. V. merito, patrata fuère, vt delubrum in amplum deinde templum euaſerit. Vitam igitur cùm Iacobus tot virtutibus illuſtrem ageret, eundem quoque D.O.M. diuinis ſignorùm teſtimonijs commendare voluit; ex quibus nonnulla réferre libet. Placentiæ primùm Sororem quandam, Iuſtinam nomine, quæ in conuerſarum familiam conſcripta erat, à diutino capitis languore, quò præter modum cruciabatur, ſigno Crucis tam perfectè diuinâ virtute curat, vt eo nunquam deinceps conflictata fuerit. Gaſparem Luxium Syluaniæ Gubernatorem, vſque ad Medicorum deſperationem ægrotantem ſanat, dum ſacrum numiſma à Gregorio XIII. benedictum, atque Indulgentia donatum ipſius collo appendens, ſigno Crucis obſignat: vix enim ad Conuentum redierat, cum nuncius Gaſparem à febri dimiſſum

renunciat. Porrò ſacer ille nummus, qui ægrotantis collo appenſus fuerat, tantam poſt hæc virtutem à Deo conſecutus eſt, vt ægrotis adhibitus, pleroſque à varijs morbis liberauerit. Fr. Iſaiam Sacerdotem Mediolanenſem, ac Nouitiorum Magiſtrum, Virum omni virtute ornatum, extremo cum morte agone colluctantem reperiens, cum iam deperditis ſenſibus, illum ad finem vitæ properantem cerneret, ter Crucis ſigno circa cordis ipſius Regionem manu efformato abſcedit. Ægrotus verò paulò pòſt, velut è graui ſomno excitatus, apertisque oculis adſtantes fratres interpellans ait: Quis ille eſt, qui ter in Crucis modum cor meum incidit? Tamque repentè, morbo recedente, conualeſcere cœpit, vt breui perfectam valetudinem adeptus fuerit. His Ioannes Franciſcus, Luganenſis Medicus accedat, qui peſtilenti febre correptus, cùm à Iacobo Generali inuiſeretur, illius duntaxat benedictione potitus, poſt exiguum tempus ab eâ perfectè conualuit: Eiuſdemque benedictione Æmilia eius Vxor peculiarem ſe gratiam aſſecutam affirmauit. Neq; illud ſilentio prætereundum, quod Ioanni Baptiſtæ cuidam, Lugani incolæ accidit: qui cùm in Heluetiam Nobiles quoſdam adoleſcentes duceret, in Iacobum Generalem fortè incidit: quem cùm ex fama agnoſceret, mox cum adoleſcentibus ex equo deſiliens, à Generali benedictionem poſtulat; omnes verò pius Pater, cum ante ſe genuflexos tenerrimè amplexatus fuit, benedictione ſuâ munitos dimittit. Accidit verò eâdem die, vt dum hi per montem S. Gotardi pedeſtri itinere deſcendunt, ex equis vnus per loca quædam petroſa, vnde ruiturus timebatur, viam carperet; quem dum Ioannes Baptiſta à lapſu reuocare properat, per montis crepidinem, vnde altiſſimum ſeſe præcipitium offerebat, temerè excurrens, in tam certum ſeſe lapſus periculum iniecit, vt capite, ac toto ferè corpore in præcipitium penderet. Quo in periculo cum Iacobi benedictio illi in mentem veniſſet, eâ maximè fretus, diuinam ſibi opem implorat; moxque velut à vehementi quodam venti flatu in alteram partem ſe impelli ſentiens, à periculo liberum ſe cernit. Quare Deo inprimis gratias agens, tum Iacobi ſe benedictione ſeruatum vbique prædicauit. Idem ferè ex his adoleſcentibus alteri contigit; qui cum pontem, infra quem rapidus amnis fluebat, eodem die tranſmearet, mulorum quorundam, qui eò pertranſibant, inter ſe calcitrantium impulſu, iam cum equo è ponte diuulſus, in flumen ferebatur; cùm ſe ab inuiſibili manu attolli, ac in pontem rurſùs cum equo referri percipit:

quod diuinę prorſus virtutis miraculo tributum fuit, quę per Viri Dei benedictionem, à certo illum mortis periculo liberauit. Pleroſque etiam à Dęmone obſeſſos, diuinâ virtute ab eo liberatos fuiſſe, certis teſtimonijs comprobatum fuit. Inter hos quidam admirabili planè modo curatus legitur. Cum enim iter faciens in oppidum quoddam diuertiſſet, in quo Eccleſię Parochus Dęmonem in obſeſſa muliere ſacris precationibus fruſtra exagitans, piam ipſius operam efflagitauerat; accedens Iacobus, ac S. P. N. Franciſci Regulæ codicem è manica expromptum manu geſtans, his Dęmonem verbis adoritur: Tibi, ô Dęmon, in huius ſanctæ Regulæ virtute, ac verorum ipſius obſeruatorum merito, ac imperio pręcipio, vt ex hoc mulieris domicilio actutùm recedas. Res proculdubio admiranda tunc viſa: Dęmon namque hac voce impulſus, horrendum in modum exclamat: O durum Imperium! atque è muliere protinus erumpit. Alios quoque tum Parmæ, tum Placentiæ à Dęmonum poteſtate, diuinâ virtute ab eo liberatos, Religionis noſtræ monumenta tradunt. Cęterùm neque illum Prophetiæ dono caruiſſe, quo futuros rerum euentus pręnoſceret, plurima, perſpicuaque exempla demonſtrarunt. His, & alijs illuſtrioribus Dei donis, melioribusque virtutibus ornatus, necdum tertium muneris ſui annum expleuerat, cùm Genuenſem Prouinciam inſpecturus, Genuam appulit; ibique in S. Barnabæ Conuentu, acutâ febri laborare cœpit cui pleuriticus morbus ſuccedens, Virum Dei in ſupremum tandem vitæ diſcrimen adduxit. Morbo autem ingraueſcente, cùm pius Pater ſe à Domino vocari, atque ad vitæ finem properare intelligeret, ſacris Eccleſiæ Sacramentis munitus, pręnunciatâq; ſui obitus horâ, quàm in Solis occaſu ſibi ſupremam fore dixerat, tandem vitæ huius fabulam abſoluit, immortalemque (vti credimus) coronam à Domino conſequitur. Nonnullis poſt ipſius obitum annis, Ioannes Baptiſta Reumus, Polupicenſis (vulgò Finarienſis) erga Capucinorum Ordinem beneuolus, qui à Iacobo Generali Religioni aggregatus fuerat, grauiſſimè ad mortem ægrotabat; cùm in ipſo noctis profundo, Iacobum de cœlo ad ſe deſcendentem videt: à quo cum is benedictionem poſtulaſſet, & Iacobus optatam illi benedictionem contuliſſet, ſtatim ad cœleſtia remeat; Ægrotus verò Iacobi benedictione potitus, grato ſomno conſopitur; ex quo cùm manè euigilaſſet, ab omni ſe ægritudine liberum cernens, gratias D. O. M. ac ſuo liberatori refert.

Obijt Vir Sanctus Anno 1586.



FRATER EVANGELISTA A CANOBIO FRATRVM
CAPVCINORVM GENERALIS.

Fr. EVANGELISTÆ à CANOBIO FRATRVM CAPVCINORVM VICARII GENERALIS *VITA, ET GESTA.*

FRATER EVANGELISTA à CANOBIO, ſeptimus Ordinis Generalis, Vir prudentiâ, virtute, & auſteritate clarus, cùm in ſæculari Clero ſacris initiatus, poſt Philoſophica ſtudia ſeſe ad ſacrarum Legum diſciplinam contuliſſet, tantam in eâ, ob ingenij excellentiam, laudem conſecutus eſt; vt inter primos ſacri Iuris Conſultos conſultiſſimus haberetur: ex quo magnum eum in Eccleſia Dei futurum, in omnium animis opinio alebatur. At verò D.O.M. qui hunc tenellæ Capucinorum Congregationi, quæ tunc inter grauiſſimas tempeſtates fluctuabat, Doctorem, ac Moderatorem decreuerat, eum à Clero ſæculari ad Sacræ huius Religionis gremium transfert. Ab ipſo verò probationis anno, tam cœleſte Euangelicæ perfectionis tyrocinium inſtituit, vt ſilentio, ac ſolitudine, rerum omnium contemptu, paupertate, humilitate, obedientiâ, auſteritate, atque omnium Apoſtolicarum virtutum ſtudio Virum planè Euangelicum ſeſe oſtenderet. Huic vitæ morumque excellentiæ, cùm admirabilis quædam animi prudentia, quâ in rebus agendis præditus erat, ac multarum rerum peritia accederent, id facilè aſſecutus eſt, vt tantâ, tamque conglobatâ Viri virtute apud omnes euulgatâ, tam in Vmbriæ, quàm in alijs pleriſque Ordinis Prouincijs ad ſupremos honores vocatus, magnam inde laudem ac nominis celebritatem ſibi ſuâ prudentiâ, & virtute comparauerit: Atque eò factum eſt, vt cùm primùm de illuſtrioribus Ordinis Viris, ad Tridentinum Concilium tranſmittendis, à Thoma Tifernate Generali Miniſtro ageretur; is ob ſingularem doctrinam, & ſummam in rebus arduis pertractandis dexteritatem, inter alios potiſſimùm electus fuerit, qui ſacro Oecumenico Concilio intereſſet. Hinc cùm in difficillimis illis Concilij rebus, præſertim aduerſus hæreticos enodandis, ac decernendis, in quibus Concilij Patres plurimùm ſuâ doctrinâ, & conſilio iuuit; tùm etiam in grauiſſimis Religionis negotijs pro dignitate pertractandis, perſpecta illius prudentia fuiſſet; Anno 1564. ſummo omnium conſenſu

Generalis eligitur. Quanta verò in hoc Viro, cùm primùm Religionis gubernacula regenda ſuſcepit, fuerit in eo munere obeundo integritas, in iudicando æquitas, in puniendo manſuetudo, in agendo prudentia, in præcauendis conſilium, in proſpiciendis ſapientia, in arduis fortitudo, atque in omnibus rebus moderatio: quibus ſi præclaram vitę rationem, quâ ſe omnium virtutum formam gregi exhibuit, ſummamq́ue in Regulari obſeruantia vbiq́ue ſeruanda, & amplificanda ſollicitudinem addas, Euangelici Paſtoris integrum habeas ſimulacrum. Quo fiebat, vt ſupremam in Religione dignitatem amplioris virtutis gloriâ cumularet. Hinc cùm in maximis, grauiſſimisq́ue cauſis ſpectata ſæpe ipſius prudentia fuiſſet, magno apud Gregorium XIII. Pontificem in honore habitus fuit. Vir tùm vitæ auſteritate, tùm oratione eximius, cùm triennio in Generalatus munere expleto, in Porcaria, ſeu Aquæſpartæ ſe Conuentum contuliſſet, integrum Quadrageſimæ Ieiunium, in antro quodam ibi in monte exciſo, quo auſteriori panis, & vini inediâ celebrat, eo ſuauiori rerum diuinarum contemplatione demulcet. Hinc cùm iam octogenarius, ac penè ſenio confectus eſſet, à primâ noctis hora, vſque ad Matutinas in Eccleſia orans, rerum cœleſtium meditationi vacabat: quò tempore haud Dęmonum moleſtijs caruit; qui, vt eum à nocturna prece auocarent, ſpectra, ac rerum turpium illi ſimulacra ſpectanda offerebant. Porrò, vt paucis plura perſtringam, ſemel inſtitutam à carnibus, & piſcibus, tanquam à lautioribus cibis abſtinentiam, ad vltimam vſque decrepitam ſenectam apud ſe inuiolatam ſeruat. Nunquam ad peccatorum tametſi leuium, confeſſionem; nunquam ad ſacra Myſteria celebranda absq́ue lachrymis accedit. Perpetuò, ac ſingulari Beatiſs. V. cultu, ac deuotione proſequitur. Hominem, qui quatuordecim annorum ſpatio, diabolicæ Magiæ operam dederat, ad Chriſtum reuocauit: cuius etiam Magicos libros comburens, ab ijs fœtor olidiſſimus per aëra diffuſus fuit. Prophetico ſpiritu clarus, Illuſtris cuiuſdam Viri necem pręnunciat. Fratres quoque ab eo ad Generalem miſſi, dum ſe abſenti commendant, à certo vitæ periculo diuinâ virtute liberantur. Denique octogenario maior, cùm plurimis pro Religione laboribus functus, ad eam vitæ innocentiam, quæ puerorum eſſe ſolet, tanquam poſtliminio redijſſet; Peruſiæ quaſi dormiens, in Domino quieſcit, laborumq; pręmia aſſequitur.

Anno 1595.



FRATER FRANCISCVS MEDIOLANENSIS FF.[um] CAP.[um]
IN CVRIA ROMANA PROCVRATOR GNLIS. ac PROÆ MEDIOL.[sis] PROLIS.

Fr. FRANCISCI MEDIOLANENSIS, FRATRVM CAPVCINORVM IN ROMANA CVRIA PROCVRATORIS GENERALIS, ET MEDIOLANENSIS PROVINCIÆ PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS MEDIOLANENSIS SACERDOS, inter illuſtriores, non modò Mediolanenſis Prouinciæ; verùm & totius Religionis Viros haud immeritò enumeratur. Hic patre Arconio Cretenſi, Nobili Iuriſconſulto natus. Puer ingenio præſtans, cùm ad litterarum ſtudia ſe contuliſſet, in ijsque haud aſpernandos progreſſus feciſſet; vix duodevigeſimum annum attigit, Patre luminum intus docente, Religioſum vitæ genus ſibi apud Capucinos amplectendum proponit. Nouus ergò Religionis diſcipulus, ad virtutum tyrocinium vocatus, primum in humilitate gradum fixit: omnibusq; officijs, quæ viliſſima exiſtimari ſolent, vſque adeò oblectabatur; vt ab ijs, tametſi prædicationi incumberet, vel Superioris munus gereret, ægrè diuelli poſſet. Tantâ prætcrea lenitate, & patientiâ præditus erat, vt illatas contumelias non ſolùm æquo animo ferret; verùm & contumelioſis ipſis gratiam redderet. Sæpius ob eximiam Viri prudentiam in Mediolanenſi Prouincia, ad Prouincialis Miniſtri munus electus, cùm aliquando à Generali quodam Viſitatore de Prouincialis muneris dignitate immeritò (vt putabatur) pulſus eſſet, rem tam æquo animo tulit, vt neque vllum ſibi ipſe patrocinium præſtare, neque ab alio adhiberi permiſerit. Euangelicam Minorum margaritam, Paupertatem nimirum, tàm auidè complectebatur, vt nihil habendum, nulloque ſibi vtendum putaret, quo carere poſſet. Hoc pacto, vno duntaxat calamo ad conciones conſcribendas per decennium vſus, alium, quàmdiu is integer fuit, ſibi nunquàm quæſiuit. Victus frugalitatem & parſimoniam caſtitati amicam ſummoperè coluit; Caſtitatem verò, quam in ſeipſo ſemper inuiolatam cuſtodiuit, in alijs quoque ſeruari omni ſtudio curabat. Quamobrem Collegium erigendum ſtatuit, in quo pauperum filiæ ſuis parentibus orbatæ (quarum virginitas ob rerum inopiam in diſcrimen adducebatur) publico Vrbis ære aleren-

tur. Pretioſi temporis iacturam, velut irreparabile animi damnum ſummoperè fugiebat. Nihil tamen æquè, ac orationis ſtudium Franciſci animum afficere videbatur; quapropter extra geminum illud orationis tempus apud Capucinos receptum, priuata ſibi orationum tempora, ac loca ſeligebat; in quibus ſupra terrena omnia aſſurgens, cum Domino familiarius verſaretur. Orabat aliquando in Conuentu S. Victoris Vrbis Mediolanenſis, intra cellam incluſus, atque ab omnium conſpectu ſemotus; cum ex Fratribus quidam cellam ingreſſus, illum protenſis brachijs, oculisque in Cœlum erectis, extra ſenſus raptum cernit. Foroliuij quoque cum Dominici Aduentus tempore, Dei verbum prædicaret, tam animó, ac ſenſibus excedere viſus eſt, vt corpore etiam in aëra per duorum cubitorum ſpatia efferretur. Apoſtolico ſpiritu verbum Dei diſſeminans, vniuerſas ferè Italiæ Vrbes percurrens, admirabiles vbique ad pœnitentiam motus excitabat; ac preſertim Brixiæ, vbi tanta, eo prędicante, tamque communis ad Deum animorum conuerſio accidit, vt illius Vrbis haud immeritò Apoſtolus appellatus fuerit. Cremonam profectus, tantâ cœleſtis gratiæ vbertate, in eâ Vrbe verbum Dei diſſeminat, tantaque illius populi, ad propria ſcelera pœnitentiæ Sacramento expurganda, frequentia fuit, vt ad Sacramentales pœnitentium confeſſiones excipiendas, conſtituti Vrbis Sacerdotes non ſufficerent: à puero totius vitæ piaculares confeſſiones inſtitutæ vbique perſonabant; ſilebant negotia; tacebat Forenſium ſtrepitus, ſolusque pœnitentium pectora tundentium paſſim per domos, per vias, per Eccleſias gemitus exaudiebantur. Denique, tàm ingens de vitæ illius ſanctitate apud populos fama percrebuerat, vt anguſtiora eſſent Eccleſiarum ſpatia, quàm confluentes ad audiendum turbas capere poſſent. Prophetico ſpiritu pręcellens, plurima pręnunciauit. Bergomi publicas choreas, dum verbum Dei annunciabat, inſtituentibus imminentem Dei vindictam prędicit. Ibidem futuram cædem denunciat. Franciſci Meatia, huius ſerui Dei ex fratre nepotis, duorum annorum pueri incolumitatem futuram pręnunciat, eamque ſuis precibus à Deo obtinet. Aliorum quoque conſcientias peruadens, Fr. Theodorico Rhegienſi Clerico occulta conſcientiæ aperit, ac futuram mortem, priuſquam Sacerdotio inungeretur, præſignificat. His quoque pleraque miracula acceſsère, quibus D. O. M. ſerui ſui merita, ac ſanctimoniam illuſtrare, omnibusque perſpectam eſſe voluit: quorum etſi magna ex parte memoria perierit;

quo-

quorundam tamen adhuc manet ſuperſtes, certâ veritate comprobatâ. Nouitios, ſi qui interdum tentationibus pulſarentur, manus impoſitione à tentatione liberos dimittebat. Placentiæ in Conuentu, cùm ante Matutinas Horas ſemel extinctâ lampade, quæ ante Sanctiſs. Euchariſtiæ Altare ardere ſolet, ſulphuratis omnibus conſumptis, nullus excitandi ignis modus, aut ſpes Fratribus relicta eſſet, Franciſcus lampadem ſuâ oratione accendit. Dum in eodem Conuentu cum Nouitijs verſatur, à vicinis ſæpe fulgentia quædam lumina ſupra Monaſterij tecta emicare conſpecta fuêre. Hac ipsâ in Placentiæ Vrbe Paulæ cuiuſdam ex Lampugnanorum familia, nobilis fœminæ filia, deſperatâ iam ſalute, cum morte colluctabatur; cuius caſum cum Franciſcus miſeratus eſſet, eam Crucis ſigno conſignat, moxque dilabentem vitam ad perfectam incolumitatem inſtaurat. Huic Paulæ aliquando grauius ægrotanti, atque illius apud Deum preces efflagitanti, futurum prædixit, vt ex ea quidem infirmitate conualeſceret; verum mulieri futuras ærumnas prædicit, quæ illi haud ſecus quam prænunciata fuerant, contigêre. Mediolanenſis Prouinciæ Miniſtri Prouincialis munus agens, Celſum Mediolanenſem Dei virtute quartanâ febre diu laborantem, ab infirmitate liberat. Flaminiam, Maffæi Capitanei nobilis Brixiani filiam, graui, ac periculoſo oculorum morbo correptam, ſigno Crucis incolumitati reſtituit. Huius Flaminiæ ſororem, Eliſabetham nomine, graui apoſtemate, quod febrem illi ſuperinducebat, laborantem, Sacroſancto Crucis charactere conſignans, vix illud abſoluerat, cùm ægra eo ipſo mane à lecto ſurgens, tum à febri, tum etiam ab apoſtemate, ſe omnino liberam agnoſcit. Harum ſororum pediſſequam, Franciſcam nomine, quæ pedis pollicem infauſto lapidis caſu grauiter læſerat, acerbiſſimoq; illius dolore excruciabatur, ſigno Crucis muniens, digitum priſtinæ ſanitati reſtituit. Inter huius Nobiliſſimæ Capitaneorum familiæ fœminas Margaretha quædam enumeratur; cui cùm quatuor filiæ nubiles eſſent, natu maximæ Franciſcus vber corruptum ſanat; ſecundæ, cui digitus tabe computruerat, tabem expellit, ac digitum incolumem reddit; tertiam verò, quæ faucium anginâ periculosè laborabat, ſigno Crucis gutturi adhibiti confeſtim curat. Quartam denique graui febre correptam, cùm eodem Crucis ſigno communiſſet, ſtatim à febre liberam dimittit. Pòſt hæc Cremonâ digreſſus, cùm Mediolanum proficiſceretur, à Nobili quodam Viro hoſpitio excipitur. qui ex Vxore tres tantum filias procreauerat: hæ vbi ad nubilem ætatem peruenêre,

nēre, à Dęmonibus arreptæ, ab his miſerandum in modum excruciabantur; cùm autem Pater varios ad eas liberandas fruſtra Exorciſtas defatigâſſet, vniuerſas ad Franciſcum adduxit; cuius operâ, ac precibus nefarij illi ſpiritus inde erumpentes ſemimortuas puellas deſerunt. In eadem Prouincia Fratrem quendam graui ſanguinis fluxu laborantem, à ſanguinis profluuio liberat. Franciſcus igitur certâ ac diuturnâ virtute probatus, in Generalibus Comitijs, quæ Anno 1581. Romæ celebrata fuêre, totius Ordinis Generalis Procurator eligitur. Biennium in eo munere necdum integrum, magnâ cùm prudentiæ, ac ſanctimoniæ laude exegerat, cùm ad extremam laborum ſuorum metam à Domino vocatus, graui Romæ ægritudine corripitur; in qua cùm plurima patientiæ, ac cæterarum virtutum exempla alijs imitanda reliquiſſet, id maximè veræ tunc animi puritatis teſtimonium commendauit, quo D.O.M. iąm iam moribundus his verbis gratias egit: Deo primùm, velut bonorum omnium fonti, tum Virgini Deiparæ gratias immortales hābeo: cuius id pręſertim patrocinio tuli, vt à primo ſuſceptæ Religionis exordio, in hunc vſque diem nullius vnquam mortalis culpæ aculeus animum pupugerit: veruntamen, quanquam nihil mihi conſcius ſim, haud tamen in hoc iuſtificatus ſum. His dictis, cum iam Eccleſiæ Sacramentis, animam ad Domini occurſum paraſſet; vitæ finem magna cum pietatis laude tandem imponit. Porrò hominem tam pręclarum, tantâque virtute pręditum, haud abſque cœleſti teſtimonio Deus hinc abire voluit: caro enim illius poſt mortem tam tenera, & mollis; artus quoque tam flexiles apparuêre, vt viuentis potius, quam vitâ functi eſſe viderentur. At illud mirabile, quod dum illi iuſta funebria perſoluuntur, puerorum multitudo mox feretro, pręter morem circumfundi, ac innocentiæ coronam defunctô corpori contexere viſa eſt: quin & ipſi infantes, qui in matrum gremijs geſtabantur, tot lætitię eo tempore edere ſigna cœperunt, vt è matrum ſinu exilire, & ad defuncti corpus properare velle viderentur. Diuinum eo præmium ſignificatum fuiſſe, ſacrę Virginis ſuffragio, Franciſco ob id pręſertim collatum, nonnulli exiſtimarunt, quod acerrimus Immaculatę Virginis Conceptionis propugnator extiterit: alij ob eximiam mentis puritatem à Deo illi adiudicatum ſensêre. At quacunque id ratione factum fuerit, id planè certum eſt, rem non ab homine, ſed à diuino duntaxat conſilio, ac virtute profectam: quo tanti Viri ſanctitas cœleſti teſtimonio cunctis manifeſtaretur. His & alia quoq; è Cœlo teſtimonia

acceſsêre. Tertio namque poſt huius ſancti Viri obitum anno, ipſius corpus in ſepulchro tam integrum, & incorruptum repertum fuit, perinde ac ſi illud ipsâ die tumulo conditum fuiſſet; ita vt in pedes erectum ſeipſo ſtaret. Atque hoc ipſo tempore Frater quidam Cæſenas, qui, quo tempore Franciſcus Placentiæ moras trahebat, eo in Conuentu annum probationis agens, ſæpe manus impoſitione ab eo varijs à tentationibus liberatus fuerat; Romæ graui capitis languore affligebatur: cui Fr. Ioannes Mediolanenſis, qui tunc Romæ verſabatur, Franciſci defuncti manus imponens, illum his verbis compellat: Euge, Frater, ſi Franciſcus adhuc inter viuos agens hanc tuo manum capiti imponens, te olim à tentationibus liberum reddidit: quidni te à capitis nunc dolore liberare queat? Vix hæc dixerat, manuque languentis caput contigerat; cùm is integram capitis incolumitatem adipiſcitur. Id Ioannes ipſe, qui diu Iſchiâ laborauerat, cùm factum vidiſſet; eandem Franciſci manum femori ſuo admouens, eodem quoque temporis momento curationis beneficium conſequitur. Alter quoque Romani Conuentus Frater, qui graui dextri humeri dolore afficiebatur, ad Cœmeterium accedens, vbi defuncti Franciſci manum humero ſuo impoſuit, fidei, perfectâ mox ſanitate impetratâ, præmium tulit, Deo ſerui ſui ſanctimoniam ſignis, ac miraculis illuſtrante. Mulier ſanguinis fluuio laborans cùm ſemel Patris habitum induiſſet; ab eo ſtatim curata fuit. Varias quoque alias morborum curationes prætereo, quæ ægrotantibus ex illius contactu diuinâ virtute obuenêre, quibus D. O. M. ſerui ſui merita apud homines haud ignota eſſe voluit. Obijt Vir Sanctus Anno 1583.



FRATER SYLVESTER ROSCINIANENSIS FF.^um CAP.^um
IN CVRIA ROMANA PROCVRATOR GNLIS.

Fr. SYLVESTRI ROSCIANENSIS, ORDINIS IN ROMANA CVRIA

PROCVRATORIS GENERALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER SYLVESTER ROSCIANENSIS, Concionator, Vir Dei ſpiritu, & ſanctimoniâ illuſtris, atque inter clariſſimos Religionis Viros meritò collocandus. Huius cùm mater, Margaretha nomine, adhuc ſe grauidam ignoraret, in ſomnis ſenem quendam vultu venerabilem, & habitu Religioſum ſpectat; qui his illam verbis alloquitur: Margaretha, iam maſculum in vtero geris. Huic, cùm primùm natus fuerit, cura, vt Nicolai nomen imponas, quo ſub B. Nicolai, cui huius Parochiæ Eccleſia dedicata eſt, tutela permaneat. Hic cùm iam quartum ætatis annum attingeret, è domus gradibus dilabitur: quo caſu ita alterum illius brachium confractum fuit, vt nullo id remedio inſtaurari poſſet. Quamobrem illum pia mater ad Capucinorum Conuentum ductum, eorum precibus commendat. Erat tunc in Roſcianenſi Conuentu Sacerdos, plurimâ apud Deum virtute præſtans, Hieronymus Padulenſis nomine; qui cùm puerum attentius conſpexiſſet, confractum brachium benedictione inſtaurat, matremque his verbis monet: Mulier, puerum hunc omni ſtudio in timore Dei educandum, atque optimis moribus inſtruendum cura; Dei enim aliquando frugi ſeruus futurus eſt. Puer igitur à matre omni pietate inſtructus, cùm primùm adoleuit, vltrò ad Clericalem ſtatum accedens, in eo magnâ cum morum honeſtate, atq; pietatis laude, vſq; ad duodecimum annum verſatus fuit. Deo verò illum ad præſtantiora vocante, ad Capucinos migrat, Syluestriq; nomen ſortitur. Vix Seraphicæ militiæ nomen dederat, cùm velut bonus Chriſti miles, tot ſibi virtutum ſpolia comparauit, vt cùm his inuſtus priùs ad Sacrarum litterarum ſtudia, tum verò ad Euangelizandi munus acceſſiſſet, in eo tam inſignis euaſit, vt admirabiles animarum fructus referret. Cuius rei teſtes fuére Roma, Venetiæ, Neapolis, Panormus, Meſſana, atque aliæ Italiæ vrbes, in quibus is verbum Dei diſſeminans, pleraq; vitiorum, ac diſcordiarum ziza-

nia, Xenodochijs inſtitutis, & pietatis domibus erectis, euulſit. Florentiæ verbum Dei prædicans, Confraternitatem Sanguinis Chriſti, tanto omnium applauſu in ea Vrbe fundat, vt primus, qui in eâ conſcribi voluerit, Magnus ipſe Hetruriæ Dux Franciſcus fuerit: quem Nobilium deinde turba ſequuta, maximè Confraternitatem illam ſuâ pietate illuſtrarunt. Eo prædicante ſæpè tum à Iacobo à Manfredonia eius Socio, tum ab alijs pleriſque, candida columba, quæ Spiritus S. gratiam præſeferret, ipſius capiti inſidere viſa eſt. Mateolę in Dei verbo laborans, à Nobili quadam Viduâ, quæ eum hoſpitio exceperat, ad turpia pellectus, mirâ animi conſtantiâ pellicem reijcit. Erga egenos mirâ charitate ferebatur. Vir denique tantâ prudentiâ, & conſilio præditus fuit, vt ad maiores tum Picentis Prouinciæ, tum Ordinis dignitates prouectus fuerit: cùm enim ſæpe Guardiani, Definitoris, & Prouincialis Vicarij officio in ea Prouincia functus eſſet, ad Procuratorium tandem munus in Romana Vrbe aſſumitur. Quo tempore Gregorio XIII. Pontifici ita charus fuit; vt eum ad Vrbis Melitenſis Epiſcopatum promouendum decreuiſſet, niſi Viri humilitas Pontificem à propoſito reuocaſſet. His cùm aſſiduum orationis ſtudium accederet, pleriſq; à Deo, tum in vita, tum etiam in morte ſignis cohoneſtatur. Cum Iniæ Capucinorum Conuentus fundamenta ponerentur, ac ſolemni totius Oppidi ſupplicatione, Crux in Monaſterij ſignum erigenda eſſet; Dæmon, cui res prorſus odioſa erat, rixam ob prioris loci dignitatem inter ciues excitat; etiam partes inter ſe diſcordes ad mutuam ſe cædem parabant; quo tempore Sylueſter luſtrali peniculo Crucis ſignum in Dæmones vibrat: quo ijs in fugam conuerſis, mox armorum ſtrepitus ſedatur, pax inter ciues conciliatur, Cruxque vnâ omnium conſenſione erigitur. Rubiliani Dianæ cuidam futurum maſculi fœtum prædicit: qui cùm in lucem editus aſſiduo vagitu matris ſomnum interciperet, à Syluestro benedictus, deinceps à vagitu abſtinet. Hoc ipſo Prophetico ſpiritu alteri quoq; Deianiræ Alimenæ, quæ poſt fœtus abortum diu prole caruerat, futuram liberorum procreationem prænunciat. Adhæc Romæ, dum Procuratorio munere fungitur, ſacris Myſterijs incumbens, matrem Roſciani animam agentem in ſpiritu cernit, quam duo Capucini Fratres ad Deum proficiſcentem Eccleſiaſtico ritu proſequuntur. Poſtremò, cùm per 40. circiter annorum ſpatium in Dei vinea excolenda, multos impigrè labores exantlaſſet, dum Anno 1596. Vſſugi multa cùm audientium vtilitate, Dei verbum

Quadrageſimali tempore diſſeminat, ad quietem, atque inde ad mercedem vocatur, Vrbis Clero, & populo ad ſancti Viri funus haud ſine luctu confluente. Porrò, hac ipsâ ſui obitus horâ, Manſuetus à Corilliano ex noſtris Laicus, qui in Blandæ Conuentu moras trahebat, dum horâ antelucanâ orat, ſplendidam Beatorum Capucinorum vndiquaque emicantium ſupplicationem intuetur. Hi verò, cùm omnes ſtolis albis amicti, Cœlum verſus incederent, Syluestrum medium ſecum, graui vultus ſpecie gradientem tenebant. Cum autem viſionis myſterium Fratribus narrâſſet; poſt vnum aut alterum diem, litteræ de Syluestri obitu, atque eâdem temporis horâ, quâ Manſueto viſio demonſtrata fuerat, perferuntur. Tertio itaque poſt ſancti Viri obitum anno, cùm Ioannes Petrus Græcus, ciuis Roſcianenſis, tam grauiter ægrotaret, vt minimam de illius vita Medici ſpem reliquam haberent; en Sylueſter intempeſtâ nocte ante cubiculi fores apparens, Iuliam vxorem vocat, eamque his verbis affatur: Æquo animo eſto, ô Iulia: iam ex Dei clementia, tibi Viri vita condonata eſt. Satage, vt te erga Capucinorum Ordinem piam, ac deuotam ſerues. His verbis dictis abſceſſit; atque eodem tempore ſummâ Phyſicorum admiratione, ægrotus à febre, omnique morbo liber euadit. His accedat, quod cùm tanta, & tam conſtans, non modò apud ſæculares homines, verum & apud Fratres de Syluestri ſanctimoniâ, fama etiamnum poſt mortem peruulgata eſſet, vt habitus particulas, vngulas, digitorum articulos, atque alia huiuſmodi corporis fruſtula, ſibi velut ſacras Reliquias ſeponerent: Marcus Dubilianenſis ex noſtris Laicus, Vffugenſi mulieri, quæ tranſuerſum fœtum in vtero à Phyſicis morti adiudicatum gerebat, Syluestri habitus particulam adhibens, illicò prægnans ſalua ſaluum maſculum parit. Extremi quoque digiti articulus, ac ipſius vngula à Fratribus religioſè aſſeruata tam ſuauiter olent, vt moſchi paſtillos, atque aromatum omnium fragrantiam ſuo odore ſuperarent. Ipſius quoque merita Nobilis quidam Vffugenſis ante Patyci portum inuocans, ab imminenti naufragio liberatur.

***



FRATER LVDOVICVS A IVVENACIO FRATRVM
CAPVC^{ini} PROÆ. BARIENSIS PROVINCIALIS.

Fr. LVDOVICI à IVVENACIO
DEFINITORIS GENERALIS,
Nec non in diverſis Provinciis
Vicarii Provincialis
VITA, ET GESTA.

FRATER LVDOVICVS à IVVENACIO, Vir illuſtris, ac æternâ memoriâ dignus, ex Nobili Merulorum familia ortus, tam præclara in ipſa ineunte ætate, tum Dei teſtimonia, tum virtutum præludia habuit, vt ex his, quanta illius vitæ præſtantia futura eſſet, facilè ab omnibus conijci poſſet. Infans namque cùm matris ſinu geſtaretur, ab Eremita, cuius nec antea, nec poſt quiſquam deinceps vultum agnouit, inter vlnas acceptus illud inter alia prouectioris ætatis præconium accipit; magnum illum, ac ſanctum Virum in Dei Eccleſia futurum. Nec inanè dictum. Puer enim cum Bitunti primis litterarum ſtudijs operam daret, ita vanas, ac pueriles illius ætatis cupiditates reſpuere viſus eſt, vt quotidiano Miſſæ Sacrificio deuotè intereſſet, ſacra Myſteria celebrantibus omni pietate miniſtraret: Sæpe ab omni, præterquam panis, & aquæ cibo abſtinens, ciliciumq; ſub veſte gerens, quotidie in loca eiuſdem Eccleſiæ ſubterranea ſecederet, geminisque ante Crucifixi imaginem ibi horarum ſpatijs orando conſumptis, ſeipſum flagris vſque ad ſanguinem cæderet. Triennio verò, in Legum diſciplina, ſummâ cum ingenij laude peracto; cum Pater ſponſalibus iam de futuro conceptis, illum Virgini coniugio copulare vellet: qui ſuam Deo virginitatem conſecrare decreuerat, ad Capucinos fugiens Religionis ſinu excipitur. Cæterùm inter Nouitios adſcriptus; mirum eſt, quanto virtutum omnium ſtudio vitam inſtituere cœperit. At à Dæmone, ſub virtutis ſpecie deceptus, ad Eremum ſecedit. Veruntamen cum ibi nullo ſpirituali ductore fretus, indiſcretâ corporis caſtigatione eò imbecillitatis deueniſſet, vt pelle vix oſſibus herente, quo diutius ſubſiſteret, non haberet; ſuo periculo edoctus, ac meliori ſpiritu ductus, ad priorem Religionis vocationem animum reuocat; iterumq; Nouitiorum albo inſcribitur. Nullus porrò inter Nouitios illo humilior, nullùs ad obedientiam

promptior, nullus ad omnium virtutum ſtudia, ac præſertim voluntatis abnegationem paratior. Hoc pacto cùm antiquâ vitij ſuſpicione abſterſâ, nouæ teſtimonium virtutis reddidiſſet, ad ſolemnem votorum nuncupationem admiſſus, lucidum virtutum omnium exemplar in ſeipſo prætulit. Poſt Theologica ſtudia ad prędicationis munus aſſumptus, maximis, quæ Euangelicum decent concionatorem, virtutibus florere cœpit. Apoſtolicâ namque dicendi libertate fretus, cùm in publica vitia acrius inueheretur, plerumque accidit, vt qui aſperas huiuſmodi correptiones moleſtius ferebant, eidem ſæpe inſidias in via ſtruerent, quò eum è medio tollerent. Quibus dum ille impauido animo occurrit, ij haud ſemel diuinâ virtute perterriti, fugâ, nullo perſequente ſibi conſulunt. Poſt hæc, cùm ſingulari eius prudentiâ, ac Regularis obſeruantiæ zelo perſpectis, ad ſupremas S. Nicolai, ac nonnullarum Prouinciarum dignitates euectus eſſet; in his adminiſtrandis præclariſſimè Paſtoris munus obit. Prouincialis Vicarij aliquando in Barienſi Prouincia munere fungens, ex ſæcularibus nonnullis in eius necem conſpirantibus, neque id ipſe ignorans; ſed ſæpe Pſalmographi verba ore verſans: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Pſ. 26. 2. dum è cuiuſdam collis decliui deſcendit ſaltibus obſito; en armati è ſaltu erumpunt; quibus quo nomine nuncupetur interrogantibus, ore impauido: Ludouicus, inquit, appellor, & officio Capucinorum Prouincialis: Vix hæc Ludoicus protulerat, cum ij repentè diuinâ virtute attoniti, ac immobiles ſubſiſtunt; arma è manibus cadunt; tantoque intus terrore exagitantur, vt protinus ſeſe in fugam dederint; ac paulò poſt laqueo vitæ finem impoſuerint. Rurſus, cùm gemini Nouitij, Religioni minus apti, ab Ordine dimiſſi, ſimul in ipſius necem conſpirant, nullâque temporis morâ armis ſepti Ludoicum haud longè à Martinæ oppido aggredi parant; ille impauidus accedens, familiaria ſibi Vatis verba cœpit occinere: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Pſ. 26. 1. quibus & poſteriora addens: *Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.* Mirabile viſu: illi ad arma, & facinus parati, diuinâ virtute repentè adeò ſtolidi, imbecilles, ac viribus deſtituti conſpiciuntur, vt neque ſeipſos agnoſcerent; neque vbi eſſent, aut quò ſe verterent, vllatenus intelligerent. Quapropter ad eos Ludouicus: Vos, inquit, perperam huc armati veniſtis, vt innocentem perimeretis: Dominus autem de cœlo veſtros conatus irriſit, ac deluſit. Iam verò hic tam

diu immobiles permanete, donec ad Conuentum, quò proficiſcor, appulero. Mira præcipientis vis: Diuina ſiquidem virtus vtrumque repentè tam fixum, ac immobilem reddidit, vt ne quidem pedem loco amouere potuerint, donec is ad Monaſterium perueniſſet. Hoc ipſo tempore, quo is Ordinis cuiuſdam, cuius appellationem conſultò prætereo, Concionatorem, Virum præclarum, Religionis gremio exceperat, rem nonnulli ægrè ferentes, in Ludouici damnum coniurant; qui cùm viam, quâ is iter facturus erat, obſediſſent; cùm primùm Ludouicum venientem cernunt, ſplendidum illius vultum, ac ſolis inſtar, radios vndique euibrantem conſpicientes, tanto terrore afficiuntur; vt volentes, nolentes, ab iniquo ſcelere abſtinuerint. Gemini quoque alij, cùm illum Martinam proficiſcentem armati expectaſent, vt eum è medio tollerent; is diuinâ virtute inuiſibilis inter eos iter ſuum proſequitur; neque vllatenus ab ipſis, licet adſpectantibus conſpicitur. Poſtremò, Faber quidam, Paulus nomine, Barienſis Vrbis incola, dum eum aliquando ferro in via aggreditur, ſtrictoque enſe primum Ludouico vulnus intentat; mox humi ſemimortuus prolabitur: quapropter ſceleris pœnitens ab eo veniam poſtulat. Hic porrò à noſtris deinde interrogatus, quid eum ad ſcelus paratum tam repentè exterruerit: Tot, inquit, Ludoico circumſtantes armatos Viros conſpiciebam, qui indubiam mihi necem comminabantur; vt terrore penè exanimatus, vix eorum manus effugere mihi poſſe viderer. Sic Ludouicus Angelorum tutelâ à periculo liberatur. Cùm autem inter denſas noctis tenebras, per deſerta loca à viâ aberraſſet, ab Angelis hoſpitio excipitur: at mane illuceſcente, vix è domo digreſſus, domum cum domeſticis euanuiſſe comperit. Tarento etiam aliquando æſtiuo tempore proficiſcens, ſiti grauiter æſtuabat; cùm ſibi ante pedes aquæ fontem oriri cernit: ex quo vbi ſitim extinxit, ita ex oculis euanuit, vt ne veſtigium quidem in puluere reliquerit. Rurſus, cùm ex itinere feſſus, acetum illi, per errorem pro vino propinatum fuiſſet; illud ebibens, non acetum, ſed vinum diuinâ virtute ex aceto factum guſtat. Poſtremo, cùm graui animi deliquio in itinere affectus, vbi iacens pedem vlterius efferre non poſſet, longiusque à Conuentu abeſſet; extemplò Vir equo inſidens, cunctis ignotus conſpicitur, qui ad eum accedens ait: Eia, Pater, quandoquidem tibi vires deficiunt equum conſcende: cumque eum equi tergo excepiſſet, vſque ad Conuentus fores aduectum vix ex equo depoſuit, cùm terga

vertit, & ex omnium oculis ſublatus ſimul cum equo euaneſcit. Vir præterea tam ſingularis abſtinentiæ fuit, vt verbum Dei Quadrageſimali tempore diſſeminans, nullo, præterquam pane & aquâ, quibus crudas duntaxat herbas adhibebat, cibo veſceretur. Orationis verò ſtudio ita addictus fuit, vt cùm prolixas noctu orando vigilias duceret; raptus, & ecſtaſes pateretur, ac pleriſque in his Dei donis frueretur. Prouincialis Vicarij munere fungens, quo tempore in Martinæ familiâ, cum Matutinis Horis in Choro (quod illi ſemper familiare fuit) cum alijs intereſſet; dum in paruo Beatiſſimæ Virg. Officio Hymnus, O glorioſa Domina, à Choro cantatur: is in mentis exceſſum raptus, altius à terra elatus conſpicitur. Hoc modo ſæpiſſimè, dum vel in Eccleſia orat, vel in Choro pſallit, immobilis, ac à ſenſibus planè abſtractus videtur. Denique tantus in hoc viro fulgebat omnium virtutum decor, vt haud facilè alterum reperias, in quo tam abundè tot perfectionum ſplendor emicaret. Spiritu quoque Prophetico, nec non miraculorum gratiâ illuſtris fuit. Dynaſtæ cuiuſdam, qui Neapoli in Sanctæ Inquiſitionis domo detinebatur, coniugi, poſt tertium diem eum liberum futurum prædicit. Vinum ſuâ oratione aduenis Fratribus impetrat. Diem ſui obitus prænunciat. Peragratâ igitur Lucaniæ Prouinciâ, ac multis virtutum exemplis illuſtratâ, cùm Acirim fluuium tranſuadere nititur; à profluente vnda raptus, ac penè demerſus, maximo in vitæ diſcrimine verſabatur; cùm extemplò Vir facie ignotus, atque albâ veſte indutus apparet, qui illum ad ripam pertractum à ſubmerſione liberat. Hinc Turſum profectus, cùm primùm Conuentus fores attigit, Fratribus ait: Ite, filij, ac ſepulchri os quamprimùm recludite, vt breui Patrem veſtrum ſuo excipiat ſinu. Pleuritide itaque correptus, cùm morbo ingraueſcente ſibi finem imminere non ignoraret, lachrymoſâ peccatorum confeſſione expiatus, Sacroſancto Domini Corpore refici poſtulat: quod cùm in cellæ oſtio pronus adoraſſet, eoque potitus eſſet; ſacro tandem oleo inunctus, die quâ prædixerat, deuotiſſimè Deo ſpiritum reddidit, Anno 1587. plurimâ ſanctimoniæ famâ tam apud Fratres, quam ſæculares Viros poſt ſe relictâ. Rumore verò de ipſius obitu per oppidum diſſeminato, multa vtriuſque ſexus turba, ipſius ſanctitatis opinione commota, ad funera confluit, & defuncti corpus veneratur. Neque illud prætereundum, quod poſt quartum ab obitu annum, eiuſdem corpus, quod cæterorum more in ſepulchro conditum fuerat, tam integrum atque incorruptum apparuit, vt ne

qui-

quidem veſtes illius detritæ, aut putrefactæ eſſent. Facies verò inſtar viuentis colorata, barba hærens, lucentes oculi, omneſque corporis partes incorruptæ; quidni illum apud Deum viuentem, ac perpetuâ animæ incorruptione, ſi minùs Canonicâ, piâ ſaltem fide donatum oſtendunt?





FRATER IACOBVS SVPERATENSIS FRATRVM
CAPVCINORVM DEFINITOR GENERALIS

Fr. IACOBI SVPERATENSIS, DEFINITORIS GENERALIS VITA, ET GESTA.

FRATER Iacobvs Svperatensis, Concionator, prudentiâ, virtute, doctrinâ, ac miraculis illuſtris, à teneris annis, futuræ ſanctitatis ſpecimen edens, in puerili corpore ſenilem animum præſeferebat. At verò adoleſcente ætate, cùm ſimul cum eo pietas adoleſceret, corpuſculum inediâ afficit; orationi ſerius inſiſtit; frequentius ad Sacramenta accedit; atque ad omnia veræ pietatis officia ſummo ſtudio anhelat. Humaniora literarum ſtudia amplexus, in his eos progreſſus fecit, vt ætate prouectior, bonarum artium ſcholam aperuerit. Poſt hæc, diuino Numine inſpirante, ſuis omnibus in pauperes diſtributis, ſub Capucinorum vexillo, Sacræ B. P. N. Franciſci militiæ aſſcribitur: vbi tot cœpit virtutibus efflorere, vt omnibus admirabilis euaderet. Ad ſtudia Philoſophica & Theologica vocatus, tantum in his profecit, vt inter illuſtriores noſtri Ordinis Theologos, & Theologicæ diſciplinæ Profeſſores merito adnumeratus fuerit. Vir tam ſingulari prudentiâ, & conſilio præditus fuit, vt præcipuis in Rhegina Prouincia honoribus auctus eam multo tempore præclarè adminiſtrauerit: ſæpè ad Generalia Comitia, Prouinciæ illius Cuſtos, Romam profectus, Generalis Definitoris aliquando in Religione munus obijt. Nihil eo inter honores humilius, nihil manſuetius; neque vnquam niſi inuitus, aut cum lachrymis ad honores rapiebatur. In Dei verbo prædicando, tam cœleſtis illius verbis vis indita erat, vt hominum animis quodammodo imperitaret, durioresque ad pœnitentiam compelleret. Orationis ſtudio tantoperè afficiebatur, vt ſingulis diebus denas, ac plerumque duodenas horas ſibi illius oratio vendicaret: in eâ tanto charitatis æſtu in Deum ferebatur, vt haud rarò è ſenſibus excedens, quò ſpiritu ferebatur, eò & corpore ſequi velle videretur. Hinc cùm in antrum quoddam Ieracenſis Conuentus aliquando oraturus ſeceſſiſſet; Ferrans Saccus, Nobilis Ieracenſis, qui ipſius ſæpe ecſtaticos exceſſus audierat, illum obſeruaturus, in hortum clam ſe confert: vnde Iacobum diuino amore feruentem,

nunc genuflexum, nunc proſtratum; modò ſtantem, modò vultu in Cœlum erecto, ac tenſis ad ſidera palmis, tot Cœlum gemitibus pulſantem cernit, vt antrum lachrymoſis ipſius vocibus vndique perſonaret. Mox eo ſilente, ſpecum tanto lucis ſplendore coruſcantem ſpectat, vt tota Domini gloria in eam dilapſa videretur. Idem Iacobum rurſus in Choro orantem, tam altè in aëra toto corpore ſublatum vidit, vt geminos non minùs palmos è ſolo emineret. Hoc modo cùm in oppido Flomaratinari Dei verbum euangelizaret, illius Eccleſiæ Rector, eundem in Eccleſia orantem cubito altius in ſublime elatum conſpicit. Poſt hæc, dum ſacra Myſteria peragit, diuinâ viſione potitur. At verò, quæ ſequuntur miracula, præclara eiuſdem apud Deum merita, & ſanctimoniam teſtantur. Dum Theologicis ſtudijs incumbit, Guardiano iubente, ad Nobilis cuiuſdam Filiam obſeſſam proficiſcitur: quam ſimul atque conſpicit, ſermonem ad Spiritum nequam conuertens: Audi, inquit, ſuperbe Dæmon. Ego non ſponte, aut ex animo; ſed inuitus, & obedientiâ compulſus huc veni: æquum planè eſt, vt & tu obedientiam præſtes. Cui Dæmon: Hinc me tua obedientia expellit. Cumque hæc dixiſſet, protinus erumpens, obſeſſam liberam relinquit. Quo tempore is Cryptæ aureæ Dei verbum diſſeminat, fame vbique inualeſcente, cùm pauperibus vniuerſa, quæ apud eos erant, diſtribuiſſet; nouis aduenientibus, cùm nihil erogandum ſupereſſet, geminos panes calidos, ac recentes è Cœlo accipit. Franciſcæ Stricueriæ Ordinis deuotiſſimæ confractum cyathum ſuâ oratione inſtaurat. Poſtremò, binos Hieronymi Regitani, Nobilis Ieracenſis filios graui ægritudine laborantes, ſigno Crucis communiens, incolumes reddit. Cùm igitur Iacobus Româ rediens, Neapolim appuliſſet, dùm in ea Vrbe Euangelicæ prędicationi inſudat, graui morbo corripitur: ex quo ſe à Domino vocari cognoſcens, ad immaculatæ Conceptionis Conuentum ſe confert: vbi cùm integros octo dies abſque cibo tranſegiſſet; quo tempore Sacramentis ex Eccleſiaſtico ritu, ſummâ deuotione ſuſceptis, animum ardentiſſimis diuinæ charitatis flammis ad Domini aduentum parat; nudumque Chriſtum in Cruce morientem imitari volens, è ſtrato exilit, nudum ſe humi collocat; ac velut in arenam deſcendens, in eâ ad extremum vſque ſpiritum decertans, nudus de ſuperbo hoſte triumphat. Anno 1594.



FRATER ANGELVS. IOIOSÆVS FRATRVM CAPVCINORVM
DIFFINITOR GENERALIS.

Fr. ANGELI IOIOSÆI, DEFINITORIS GENERALIS, Nec non Parisiensis Provinciæ Vicarii Provincialis

VITA, ET GESTA.

FRATER ANGELVS IOIOSÆVS, SACERDOS, Patre Guilielmo Ioioſæo, Gallicorum Caſtrorum Præfecto,& Occitaniæ Prorege,Matre verò Mariâ Batarneâ, Buchagij Comitiſsâ, Anno 1563. natus; atque Henrici in Baptiſmo nomen ſortitus, quaſi ſtella matutina cœleſtis quædam lucis primordia, quibus ad omnem animo pietatem ferebatur, iam à teneris annis hauſit. Vix enim decimum ætatis annum attigerat, cùm Toloſam ſtudiorum cauſâ miſſus, Fratrum Minorum, qui de Obſeruantia nuncupatur, bibliothecam perluſtrans, obuium quendam librum manu apprehendit; moxque vocem quandam ſibi intus in animo ita loquentem percipit: Lege,& quæ legeris,ſi potes,obſerua. Hac ille internâ Dei voce prouocatus, librum aperit, protinusq; hæc in eo verba legit: Vita & Regula Fratrum Minorum hæc eſt, obſeruare ſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelium. Stupet inclytus puer: iam enim ante annum, Nobilium quorundam Adoleſcentum, qui mundo cum ſuis delicijs calcato, in Obſeruantium ſinum ſe receperant, exemplo commotus, conceptum Religionis propoſitum Fr. Roberto à Doqua, tunc Toloſani Conuentus Obſeruantium Guardiano, communicat: qui cùm Parentum indignationem extimeſceret,mox illum à propoſito deterret; Parentibusq; per litteras religioſum filij conſilium ſignificat. Quamobrem Patris iuſſu Pariſios migrans, in Nauarræo Collegio, in quo Principum filij inſtitui ſolent, dum Humanioribus litteris operam nauat, pia ſimul pietatis ſtudia enutriens, vt litteris, & ætate, ita & virtute adoleſcebat. Fœlicius verò ac præſtantius ingenium ſortitus, cùm vix tertium decimum annum agens Philoſophica ſtudia inchôaſſet; ijs breui abſolutis, aulico à parentibus Henrici III. Regis cultui addicitur. Inter aulæ igitur tenebras, ſtellæ inſtar relucere, atque inter Aulicos ita verſari cœpit, vt cunctorum (quod rarum eſt) ſibi

amorem

amorem ac beneuolentiam conciliaret. Quo factum eſt, vt ob hanc morum facilitatem,atque animi prudentiam,ac probitatem,Henrico Regi tam charus fuerit, vt eum regio cubiculo præfecerit: quo in munere ita ſe pauperum, ac Religioſorum fautorem conſtituit, vt cum eorum nemini ad Regem aditum præcluderet, illum ſæpe Rex Religioſorum Patronum appellaret. Interea Rex, quo eum perpetuò ſibi alligaret, Illuſtriſſimum Catharinæ Nogaretiæ, Valetani fortiſſimi, ac nobiliſſimi Viri, (qui & Ducis Eſpernonij frater, & cataphractorum tunc equitum Tribunus erat,) filiæ coniugium ſuadet. Is verò, cui etiamnum Religionis capeſcendæ in animo fumabat igniculus, reluctari primùm viſus: at Regis imperio, ac propinquorum conſilio accedente, tandem matrimonij iugo colla ſubdit. Catharinæ verò ſponſæ tanta inerat animo pietas, ac rerum cœleſtium cupiditas; vt diuinæ charitatis flammâ in vtroque crebris de rebus cœleſtibus colloquijs, ac mutuis virtutum exercitationibus excreſcente, mutuâ inter ſe pactione conuenerint, vt qui, altero è viuis erepto, ſuperſtes maneret, Deo ſe in monaſticâ vitâ conſecraret. Quapropter, vt ſe eatenus, ſi non habitu, ſaltem animo Religioſos oſtenderent, tales eorum domus erat, vt ab eâ ſcurræ, mimi, periuria, blaſphemiæ, & obſcœna verba exularent. Per id tempus Capucinorum Ordo prima Lutetiæ Pariſiorum ſuæ propagationis ſemina iecerat: qui cum tantam apud omnes ſuâ virtutum luce ſanctimoniæ ſibi famam comparaſſent, vt eos cuncti velut noua Chriſtiani Orbis ſidera ſuſpicerent; Henricus, amplo palatio relicto, quo facilius, ac frequentius eorum præſentiâ, ac colloquio frui poſſet, mediocrem quandam apud Capucinos domum ſibi pretio comparat; diuinaque cum eis officia perſoluens, noctu etiam ſæpè diuinis meditationibus vacabat. His dum Henricus animum pijs exercitationibus excolit, Catharina Vxor, vix vigeſimum ſecundum annum nata, ſolâ filiâ, quæ duodevigeſimum menſem attigerat, relictâ, ad Superos migrat. Hoc ille Vxoris ſibi dilectiſſimæ occaſu grauiter animo ſauciatus, quàm vana, ac fugax mortalis vitæ vmbra ſit, ſeriùs animo cogitare, & philoſophari cœpit. Quibus cogitationibus dum aliquando vehementiùs agitatur, in ſecretum cubiculum oraturus ſecedens, cùm primùm B. Virginis Horarum codicem aperit, hæc ſacri Vatis verba primo ſe illi aſpectui obijciunt: *Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Verùm ab oratione interceptus, cum rurſus ad eam redijſſet,

iterum aperto libro eadem illi verba legenda proponuntur: tertiò denique cum eadem verba legiſſet, mox pactum cum Vxore adhuc ſuperſtite initum, voxque Toloſæ intus in animo audita, quâ ad Seraphicæ Religionis amplexum prouocabatur, illi in mentem redeunt: remque diuino conſilio agitari arbitratus, ſecum firmâ animi deliberatione ſtatuit, ſeipſum in Capucinorum Religione Deo ſacrificium offerre; nulliqúe prorſus, prȩterquam Capucinorum Prouinciali Vicario, à quo in Ordinis gremium excipiendus erat, re communicata; cum vnicam filiam ſimul cum Comitatu Buchagienſi, atque amplis reditibus Matri, ac Fratri commendaſſet, noctu ad Capucinos ſe confert; & Henrici in Angelum nomine commutato, inter Seraphicos filios, annos circiter tres & viginti natus cooptatur. Repentinâ, & inopinatâ hac Henrici conuerſione in Vrbe diffusâ, protinus ad Henrici Regis aures rumor penetrat: qui cùm maximâ Virum dilectione proſequeretur, vehementiori dolore oppreſſus, manȩ currum conſcendens ad Conuentum aduolat, Angelum accerſiri imperat, præſentemque tot perſuaſionibus, tot precibus, tot minis aggreditur, quò eum à Religionis propoſito auocet; vt ſe inde haud abſceſſurum iurauerit, niſi Religioſo habitu exutum eum ſibi Comitem haberet. At nouus Angelus tam ſuaui, ac cœleſti Regis iram eloquio demulſit, totqúe argumentis illius animum conuicit, vt ab eo lachrymans diſceſſerit. At neque ſterilis hæc Henrici in Angelum mutatio fuit: etenim, vt ea ab Excelſi dextrâ profecta crederetur, plurimos ex Nobilium Ordine, Deo ſeruos peperit, atque in Religionis ſinum compulit. Admirabilem quoque huius Viri conuerſionem, religioſa quædam fœmina, vitæ ſanctimoniâ in Vrbe conſpicua, quæ noto nomine, Mater Belgica, appellabatur; antequam contingeret, viſione quâdam præuidit. Cùm enim in Capucinorum Eccleſia, ſacris aliquando Miſſæ myſterijs intereſſet, quo tempore Nouitij ad ſacram Synaxim accedebant, inter eos & Angelum, etiamnum in ſæculo agentem, eodem Nouitiorum habitu contectum conſpicit. Angelus igitur probationis annum cœleſtibus hiſce auſpicijs aggreſſus; vix tertium in Religione menſem exegerat, cùm variâ ac graui tentatione à Deo probari cœpit: eo namque tempore germanus ipſius Frater, magnus rei maritimæ in Gallia Præfectus, fatis cedit; Deoque permittente, Satan plura illum in ſæculo, quàm in Religione bona patrare poſſe, occultâ tentatione perſuadet. Quod ſi aliqua illi Religio amplectenda ſit, Carthuſianorum Ordinem illi Capucinorum Religioni præferen-

dum

dum ſuggerit. At Angelus tametſi profundo mœſtitiæ gurgite abſorptus, haud tamen animum deponit, aut à Religione alienat: ſed cum lachrymis orans à Deo miſericordiam expectabat. Aliquando igitur in Eccleſia illi poſt Matutinas Horas, ante Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum oranti, tantam animo, ac cœleſtem voluptatem Deus indidit, vt vniuerſæ illę mentis tenebræ diſiectæ fuerint; tantaq; animo illius inde fortitudo, ac rerum diuinarum ſapor acceſſerit; vt quæ antea dura, ac difficilia credebantur, leuia deinceps, ac iucunda illi fuerint. Hac igitur poſt tentationem deuictam, mentis ſerenitate potitus, cum ſolemnia Religionis Vota nuncupaſſet; mirum planè, quantâ humilitate viliſſima quæque domus miniſteria præſtaret; quantâ obedientiâ ſeipſum Superioris nutui ſubijceret; quantâ ſenſuum mortificatione, quantâ patientiâ, quantâ denique charitate inter alios præcelleret. Anno poſt illius Profeſſionem exacto, in Italiam ſtudiorum causâ miſſus, Venetijs primùm; deinde Mediolani Theologiæ operam dat: atque inde ad Prędicationis munus aſſumptus, in Galliam redit; vbi Toloſæ Guardianus conſtitutus, dum animarum lucra tum prædicando, tum præſidendo admirabili charitatis æſtu proſequitur; Scipio Ioioſæus, germanus Angeli Frater, qui toti Occitaniæ Regiâ authoritate præſidebat, infauſto bello decertans, clade acceptâ, diem extremum claudit. Hoc tam infœlici nuncio Toloſana plebs, atque Vrbis Proceres conſternati; cùm belli Ducem non haberent, qui Hæreticorum furori obſiſteret; Franciſcum Ioioſæum, S.R.E. Cardinalem Archiepiſcopum Toloſanum adeunt, ad arma prouocant; atq; vt cœptum aduerſus Hæreticos bellum proſequatur, ſummis precibus pulſant. At Cardinalis, qui nunquam bello, aut armis aſſuetus fuerat, oblatam ſibi prouinciam recuſat. Angelum verò Capucinum, germanum Fratrem, magis ad arma adminiſtranda idoneum proponit. In Angelum ergò mox cuncti conſpirant: tantusque populi, Angelum ſibi Regis nomine Præfectum depoſcentis ardor fuit; vt in Conuentum ruens, niſi Cardinalis prudentiâ ſedatus fuiſſet, iam vi illum rapere, & ex Cœnobio extrahere pararet. Interea Cardinalis, congregato omnium ferè Doctorum, & Theologorum, qui eo tempore Toloſæ aderant, Conuentu, id Concilio diſcutiendum proponit: An Sacerdos, alicuius Ordinis Profeſſus, in ſummo Fidei, ac Patriæ euerſionis periculo; cum aliud remedium non ſupereſt, Ordinem, ac habitum deſerere, armis inccumbere, & cadenti Patriæ ſubuenire poſſit, aut debeat. Re vltro, citroque inter

eos maturè exagitatâ; tandem omnium ſententiâ, ac conſenſu ſtabilitum; Fidei, ac Patriæ periculum, Ordini, ac Sacerdotio præferendum eſſe: ac proinde Angelum, tametſi Sacerdotem, & Capucinorum Ordinis Profeſſum, hoc tunc periculo vrgente, & arma ſumere, & bellum aduerſus Hæreticos inſtaurare, atque ad depoſitam Patriam accedere, & poſſe, & debere decernunt. Re ita definitâ, Cardinalis per celerem tabellarium, omnium certiorem Pontificem reddit: qui Romæ iterum Cardinalium, ac Theologorum congregatione coactâ, Roberti Bellarmini, & Cæſaris Baronij potiſſimùm iudicio, Toloſatum Theologorum ſententiam confirmat: quæ Pontificiâ deinde Bullâ, quâ Angelus ab Ordine dimiſſus, inter S. Ioannis Hieroſolymitani Equites adnumeratur, à Clemente VIII. roborata fuit. Hoc Cardinalium conſenſu ad Franciſcum Cardinalem perlato, quandoquidem hoſtibus Toloſanum agrum incurſantibus res moras non patiebantur; ſtatim Angelus è Cœnobio rapitur: mœrensque ac lachrymans à germano Cardinali in Epiſcopium ducitur. Poſtridie verò, Vrbis Proceribus, ac maximâ populi multitudine in Archiepiſcopali Aulâ congregatis; Angelus Capucinorum habitu, in átram, ac lugubrem ſæcularis Viri veſtem, vt internum animi mœrorem teſtaretur, mutato apparet; vbi à Cardinale Fratre gladio illis verbis præcinctus: *Accipe gladium ſanctum, munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei*; mox à Nobilium turbâ ſummo omnium applauſu Princeps ſalutatur: indeque in communem Vrbis plateam deductus, tam ingenti ibi plebis lætitiâ excipitur, vt palam illum Pacis Angelum acclamaret. Hæc verò haud abſque ſingulari Dei conſilio accidiſſe, duplici teſtimonio diuinitùs declaratum fuit: cum enim ante aliquot dies Toloſæ aliquando in lecto ſuo quieſceret; quo tempore ne vlla quidem rei ſuſpicio illi in animo oriri poterat, ingenti ſtrepitu in cellâ edito, à ſomno excitatur; moxque Capucinum Fratrem, cuius non agnoſcebat vultum, amaro animo lachrymantem cernit; qui cùm à nonnullis circumſtantibus ſacro habitu expoliatus; ac molli induſio, ceteriſque ſæcularibus veſtibus indutus fuiſſet, è cellâ expellebatur. Hoc quoque tempore Virgo quædam Mediolanenſis, Iſabella nomine, vitæ ſanctimoniâ in eâ Vrbe inſignis, ad eum epiſtolam ſcribit; in quâ vbi illum rerum omnium, quæ illi in hac habitus mutatione deinceps acciderunt, præmonuit; ne propter huiuſmodi vllâ animi triſtitiâ afficiatur: Hoc Dei conſilium eſſe aperit, diuinâ ſibi reuelatione patefactum, quo depoſitis Occitaniæ rebus proſpicere

decre-

decreuerat. Verùm Dei opere expleto, iterum illum ad Capucinos rediturum; extremumque apud eos glorioſè diem clauſurum prænunciat. Hac Virginis epiſtolâ vtcunque conſolatus, alacriori animo res publicas adminiſtrare, atque alia, quæ ad rectam militiæ directionem ſpectant, peragere exorſus: animum verò potiſſimùm ad quietem aliquam populo conciliandam contulit. Hac de causâ cum Annæo Momoranceo triennij inducias paciſcitur. Interea Henricus IV. Gallorum Rex, cùm hęreſi abiuratâ, pacificè Regno potitus eſſet; Angelus Lutetiam profectus, cum eo res ita componit; vt integra tandem Occitaniæ pax reddita fuerit: is verò à Rege multis honoribus affectus, ab eo Dux, & Mareſchallus Franciæ, & Occitaniæ Prorex pronunciatur. Pace itaque Occitaniæ redditâ, Angelus tametſi liberâ Pontificis diſpenſatione frueretur, quâ in ſæculo tutâ conſcientiâ verſari poſſet, votis tandem potitus, ad Hieronymum Sorbum, Capucinorum Generalem litteras ſcribit; quibus ab eo, iterum in Religionis ſinum admitti poſtulat. Sed cùm Generalis, ipſius licet conſilio approbato, id inconſulto Pontifice ab eo fieri non poſſe, reſcripſiſſet; Angelus Romam familiarem confeſtim cum litteris ad Pontificem mittit: Pontifex verò Viri in Religione repetendâ conſtantiam admiratus, cùm rem prudentum conſilio adhibito, ſecum ſeriùs diſcuſſiſſet, tandem poſtulatis annuit; Angelusque hac Pontificis licentiâ munitus, ac Generalis obedientialibus litteris inſtructus: quibus rurſus, velut profeſſum, Ordini adnectendum, omniaque illi, perinde ac ſi nunquam ab Ordine exceſſiſſet, integra reſtituenda præcipit; vt Occitani populi impedimenta, quæ verebatur, effugeret, Lutetiam proficiſcitur: vbi poſt iuſta Henrico Regi obſequia reddita, quo tempore nemo id vnquam, neque ex domeſticis ſuſpicari poterat, exaratis ad Regem litteris, quibus ſui ad Capucinos reditus certior fieret; vndecimâ noctis horâ, depoſitis mundanæ veſtis exuuijs, quarto circiter poſt ſuum ab Ordine exceſſum anno, ſacrum iterum habitum induit; maneque ex Prorege tantâ omnium admiratione Capucinus conſpicitur, vt plerique Nobiles, qui inter mundi delicias verſabantur, illius odore attracti, poſt eum ad Religionis ſinum confluxerint. Tantâ porrò Angelus poſt reditum, in Religione deinceps virtute floruit, vt prior ille ab Ordine exceſſus, maiores illi ad omnem pietatem ſtimulos addiderit. Ab eo ſiquidem tempore, tam ſeuerè paupertatis cultor fuit, vt obſoleto, ac detrito habitu contentus, in ſolâ rerum paupertate gloriari videretur. Prouincialis Miniſter in

Pariſienſi Prouinciâ creatus, tantâ vitæ auſteritate, ac Regularis obſeruantiæ zelo, tamque præclaris virtutum exemplis eam Prouinciam adminiſtrauit, vt forma factus gregis, vniuerſos ad præſtantiora virtutum ſtudia attraheret. Prædicationis verò officium hoc tempore tam ardenti ſpiritus æſtu exercere viſus, vt velut nouus Galliæ Apoſtolus admirabiles in omnium animis mutationes ederet. Multa de illius humilitate; plura de inuictâ patientiâ exempla referri poſſent; at illud vnum enarrare ſufficiat, quod illi, Prouincialis munus agenti, aliquando accidit. Dum enim aliquot Galliæ Conuentus inſpectans iter facit; ſub veſperum ad quoddam Nobilis Viri caſtrum accedens, ab eo hoſpitium humillimè poſtulat: qui dum Caluinianâ hæreſi infectus eſſet, non modò illi hoſpitium denegat; ſed & illum diris conuitijs proſequitur, ac deteriora minatur. His Angelus haud commotus, tectum tantummodò ob aëris inclementiam ab eo ſibi elargiri poſcit. Cuius ille tandem, non prece, ſed importunitate victus, ſtabulum abſque tecto ſemidirutum indigitat. Huc cùm Angelus cum Socio ſe noctu recepiſſet, noctem illam magis in Dei laudibus, quam dormiendo inſumunt; manéque illuceſcente, dum iter proſequuntur, Nobilem quendam obuium habent, qui cùm Angelum ab Hæretici caſtro venientem didiciſſet, quo pacto ab eo exceptus fuerit, percunctatur. Optimè, ait Angelus, quæ enim nobis neceſſaria erant, præbuit; quin etiam illum meo nomine ſaluta. His cùm ille dictis abſceſſiſſet; in caſtrum pergens, Hæretico homini demandatam ſibi ab Angelo ſalutationem reddidit. Cui Hæreticus: Quiſnam hic Angelus eſt, inquit, quē commemoras? At ille: Ioioſęus eſt, qui olim Dux, & Par Franciæ, & Occitanię Prorex fuit. Cui Hęreticus: Ludiſne mecum, an feriò loqueris? Non Angelus Ioioſęus, ſed duo Capucini Fratres huc hora veſpertinâ ad me acceſsêre, qui cùm hoſpitium poſtulâſſent, eos ad ſtabulum miſi. At is: Ille, inquit, Angelus Ioioſæus fuit cum Socio; qui cùm ſe optimè à te exceptos affirmarent, ad te in gratitudinis ſignum ſalutationem tranſmittunt. Hoc ille nuncio animo lancinatus, facto erubuit; ſtatimq; conſcenſo equo, Angelum cum Socio pedetentim gradientem attingit: cuius cùm ſe pedibus prouoluiſſet, facti veniam poſcit, vt in caſtrū redeat, rogat; ac tandem Angeli paucis, & grauioribus verbis ad Fidei veritatem perductus, paucis poſt diebus elapſis, hęreſi abiuratâ, ad Catholicam Religionem accedit. Hoc modò humilis Angeli patientia Hęreticum hominem Deo peperit. Orationis tandē adeò ſtudioſus fuit, vt vbiq; eam ſibi comitē adhiberet; Deiq;

præſen-

præſentiam ſibi ante oculos ſemper conſtitutam habebat. Communes orationis horas, neque iter faciens, vnquam prætermittere ſolebat: noctem verò ita diſpertiri conſueuerat, vt tertiam, vel ad ſummum quartam horam ſomno tribueret; reliquas ſacris vigilijs, atque orationi daret: quam cùm pijs vt plurimùm lachrymis perfunderet, atque ardentioribus charitatis igniculis inflammaret, ita Diuinam ſibi amicitiam conciliauerat, vt plurimùm apud Deum ſuâ oratione valeret, quod nonnullis aliquando exemplis manifeſtum fuit. Cùm enim ad Generalia Comitia Romam profecturus, triremem ſibi à Rege paratam Maſſiliæ conſcendiſſet; tam ſæua eâ in nauigatione tempeſtas orta eſt, vt triremis ventorum vi impulſa, rectâ in ſcopulum illidenda pelleretur; ſed cùm nullo remedio naufragij periculum euitari poſſet; re prorſus deſperatâ, Angelus in genua procidens, tam ardentes ad Deum preces fundit; vt cùm triremis haud longè à ſcopulo abeſſet, Diuinâ quadam vi diſtenta, & ab ſcopulo reuocata, aliò curſum direxerit. Eodem quoque in itinere, cùm triremis haud longè à Portu Romano abeſſet, colluctantibus ventis, ita inter fluctus immobilis ſtetit, vt neque vlterius progredi, neque regredi valeret. At Angelo orante, ventorum perfracta vis; ſecundoq; Auſtro flante, paulò poſt in Portum appulit. Hoc modo & ex noſtris quendam, qui ab ipſo Probationis anno à Dæmone infeſtari cœperat, ſuâ oratione ab infeſtatione liberat. Romæ itaque in Generalibus Comitijs Definitor electus, cùm plurimùm ſuâ prudentiâ Religioni profuiſſet; Pontificemque, ac S. R. E. Cardinales, mirum in modum ſuâ virtute ædificaſſet, donis à Pontifice cohoneſtatus, in Galliam rediens; Ripoli, quod oppidum eſt ab Auguſtâ Taurinorum haud longè diſtans, in morbum incidit, vbi à Carolo Emmanuele Sabaudiæ Regulo, omnibus officijs exceptus; cùm Religionis Vota in morte inter Prouincialis Vicarij Genuenſis Prouinciæ manus renouare voluiſſet; plurimaque humilitatis exempla exhibuiſſet: extremum tandem ibi, magnâ cum virtutum laude, diem obit. Corpus verò, Caroli Emmanuelis Ducis iuſſu, aromatis conditum, ac plumbeo loculo incluſum, tamdiu in Capucinorum Conuentu depoſitum fuit, quoad Henriciâ Ioioſæâ filiâ, Henrici Borbonij Ducis Mompenſerij olim Vxore agente, Lutetiam tranſlatum, ac funerali pompâ in Vrbe exceptum, in Capucinorum Eccleſiâ conditum fuit. Nonnullis D. O. M. poſt mortem Miraculis, quam pretioſa illius vita, ac mors fuerit, teſtari voluit: dum enim Angeli defuncti corpus per Camberium tranſuehitur, Nobilis

quædam Mulier Camberienſis, quæ alterum brachium aridum gerebat; cùm paralyſi in lecto detenta, illius corpus pręſens venerari non poſſet, ad eum epiſtolam ſcribit, quâ ipſius, pro incolumitate adipiſcendâ, apud Deum ſuffragium implorat: miſſaque per Virum epiſtola vix ab eo, loculo impoſita fuit, cum ea perfectâ brachij, & corporis incolumitate potitur. Inde Lutetiam deniq; tranſuectum, cùm primùm in Eccleſiâ Capucinorum collatum fuit; Mulier quædam, quæ hemicraniâ diu laborauerat, cùm funebrem pannum, quo feretrum operiebatur, ipſius apud Deum interceſſionem efflagitans, contigiſſet; protinus à morbo curata fuit. Frater ex noſtris, qui grauiter capitis dolore torquebatur, cum Angeli habitus particulâ ſibi caput attigiſſet; effugato dolore incolumis euadit. Hoc modo & geminæ in Turonenſi Prouinciâ puellæ, quæ fermè cum morte colluctabantur, Angeli habitus particulâ, cuique impoſitâ conualuêre. Poſtremò, Angeli nomen, & Reliquias Dæmones humana corpora obſidentes ita exhorrent, vt aſpectu maximè exagitentur. Hanc autem Hiſtoriam haud ita mihi proſequendam ſtatui, quaſi vniuerſa rudi calamo perſtringi, nedum breui hac narratione comprehendi poſſe exiſtimem; ſed, vt qui in hæc fortè ſcripta incident, ex vngue Leonem cognoſcant; cæteroſque (inter alios Iacobum Broſſium) qui fuſius, ac luculentius Viri huius geſta enarrarunt, opportunè conſulant. Obijt præclarus hic Vir Anno 1608.



FRATER MATTHIAS SALODIENSIS FRATRUM CAPUCINORUM
DEFINITOR GENERALIS.

Fr. MATTHIÆ SALODIENSIS, DEFINITORIS GENERALIS, IN GERMANIA, ET GALLIA COMMISSARII GENERALIS, NEC NON MEDIOLANENSIS, ET BRIXIENSIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER MATTHIAS SALODIENSIS, Concionator, ex Belintanorum Familiâ pijs parentibus ortus, vix decimum ſeptimum annum attigit, cùm vniuerſa mundi oblectamenta, velut ſtercora arbitratus, veras in Crucis amplexu apud Capucinos delicias ſibi quærendas duxit; Matthiæq; nomen ſortitus, cum eo tam pręclarum Apoſtolicæ vitæ tyrocinium inſtituit, vt nulla, quæ Apoſtolicum hominem deceret, virtus illi deeſſe videretur. Hinc aſſiduum orationis ſtudium ita ſibi ab exordio conciliandum curauit, vt eidem poſt Matutinas Horas, vſque ad primam diei Horam perpetuò vacans, pleraſque etiam interdiu, ijs Orationis horas adiungeret: Hinc carnis, & ſenſus voluptates ita coërcere didicerat, vt integra quadraginta dierum ieiunia, panis & aquæ inediâ celebraret. Neq; id ſemel, cùm enim poſt Philoſophica, & Theologica ſtudia ad Concionandi officium aſſumptus, Salodij Dei verbum toto Aduentus tempore Anno 1581. diſſeminaret; quâ die Concionem ad populum haberet, ſolo pani vinum, quo ſtomachum refoueret, adhibere conſueuerat: cęteris verò diebus intermedijs, ſicut famem ſolo pane, ita ſitim ſolâ aquâ extinguere ſolebat. Quadragenarium S. Michaëlis ieiunium tam ſingulari cultu complectebatur, vt illud aliquando panis, & vini inediâ proſecutus fuerit: Neque id ſatis; binos enim vt plurimùm cuiuslibet hebdomadæ dies, ſolius panis, & aquæ refectione ſaginabat. Cum autem in fructuum eſum maximè propenderet, ne ſenſus eâ voluptate frueretur, triginta annorum ſpatio ab ijs illius cupiditatem continuit. Tam ſedulâ ſuiipſius abnegationis exercitatione, ita immoderatos omnes, tam exterioris, quàm interioris hominis motus frænauerat; vt nemo triſtem, nemo plus æquò exultantem, nemo turbatum vnquam viderit. Obedientiæ, humilitatis, patientię, paupertatis, caſtimonię, ac totius Regularis obſeruantiæ virtutes pretereo, quibus ita abundè inſtructus fuit, vt earum ſe omnium normam pręberet. Tam ardenti, ac Seraphico

Charitatis zelo ad animarum ſalutem ferri, tamq́; Apoſtolico ſpiritu Dei verbum diſſeminare viſus; vt cum inter illius tempeſtatis Cõcionatores prædicationis gratiâ plurimùm excelleret, Admirabilis ſibi nomen apud omnes compararet. Hinc cùm illuſtriores Italiæ Vrbes Euangelicâ prædicatione percurriſſet; Mediolani Dei verbum proponens, illud à S. Carolo, tunc illius Vrbis Antiſtite, qui illius auditor fuit, laudis encomium tulit; vt palàm eum verum Euangelici ſermonis ſatorem, & Apoſtolico ſpiritu imbutum eſſe affirmauerit. Quadraginta Horarum orationem, quam Fr. Ioſephus Fernenſis primus inſtituit; prout in præcedenti Horum Seraphicorum volumine indicauimus; Matthias ita excoluit; vt is primus, ſermonibus per ſingulas horas diſtributis, eam celebrauerit; vt nouus illius inſtitutor viſus fuerit. Cùm verò toto illo Quadraginta Horarum ſpatio, ab Altari nunquam recederet; neque ſomni, neque refectionis vllius, niſi fortè tenuiſſimæ, ab eo ratio habebatur. Tanta verò vbique ex huiuſmodi ſermonum pietate, animarum commotio cernebatur, vt & grauiſſimis criminibus irretiti, publicè peccata deteſtarentur; & qui diuturnis in odijs, ac ſimultatibus computruerant, ijs depoſitis ſpontè pacem inirent. Id Bergomi, Brixiæ, Bononiæ, Saonæ, Peruſiæ, Interamnæ, Spoleti; qua in Vrbe ſex ſupra triginta capitales inimicitiæ extinctæ fuerunt. Demùm vbicunque Quadraginta Horarum ſermones ab eo celebrabantur, morum corruptiones, & ſimultates exulabant. Neque id mirum: cum enim longâ ſemper oratione Prædicationem anteuerteret, eamq́ue Apoſtolicæ vitæ exemplis communiret; inde prædicationis Verbum ex illius ore, quaſi gladius acutus procedebat, omniumq́; corda penetrabat. Interamnę, Quadrageſimali tempore, quotidianum prædicationis laborem, quotidiano etiam panis, & aquæ ieiunio recreabat: quo fiebat, vt plurima inde animarum lucra reportaret. Brixiæ aliquando Dei verbum diſſeminans, Vrbis illius Epiſcopum adduxit, vt veſpertino tempore mentalis orationis horam in Eccleſiâ Cathedrali publicè agendam inſtituerit: quæ deinde à S. Carolo approbata, Mediolani quoq; ab eodem introducta fuit. Huius rei gratiâ Matthias tunc Libellum, qui, Prima orationis mentalis Pars, inſcribitur, compoſuit: qui deinde prælo datus, omnium ferè manibus teritur. Vir ingenio, & doctrinâ plurimùm antecelluit: quamobrem Prȩlectoris officio ſæpenumerò functus, multos in Philoſophicâ & Theologica diſciplina Auditores habuit; qui ſcientiâ, & prȩdicatione in Religione floruêre.

Multa quoque volumina edidit, quæ Auctoris ingenium, ac pietatem plurimum commendant. Ex his quædam, eo adhuc ſuperſtite; quædam verò, poſt illius vitæ occaſum typis euulgata fuére. Quæ illius obitum anteceſſerunt, hæc ſunt:

Praxis orationis Mentalis in quatuor partes diuiſa, Italico Idiomate conſcripta.

Introductiones ſpirituales in Sermones S. Bonauenturæ, & Euangelia à Dominica in Albis, vſque ad Aduentum Domini excluſiuè.

Sermones octo de Doloribus Chriſti, quatuor alijs Concionibus adiunctis.

Breuis Tractatus de Oratione quadraginta Horarum, & piæ quædam exercitationes de Paſsione Chriſti.

Oratio funebris in obitu Alexandri Luzagli, Nobilis Brixiani.

Poſthuma verò ſunt:

Theatrum Paradiſi, ſiue Piæ Meditationes de Gloria Cæleſti.

Meditationes, ſeu Coronæ de Vita Chriſti.

Confortatorium eorum, qui morte plectendi ſunt.

Præparationes ad Miſſam, & Meditationes de Paſsione Chriſti.

Conciones Quadrageſimales quadruplices iuxta ritum Ambroſianum.

Exaggerationes morales pro Concionatoribus.

Alia quoque volumina ſuperſunt, quæ propediem in lucem edenda erunt.

Duplicem Prudentiæ partem Matthias, ita ſcientiâ, ac diuturno rerum vſu, atque experientiâ ſibi comparauerat, vt cœleſti quoque ſapientiæ luce, quæ ex aſſiduo orationis ſtudio in eum diffundebatur, accedente, is ad ampliores Ordinis honores, ac dignitates, maioraque, ac difficiliora Religionis negotia gerenda vocaretur. Ipſius ſiquidem multiplici, tùm in Regularis obſeruantiæ zelo, tum in rebus agendis prudentiâ perſpectâ, non modò in Mediolanenſi Prouinciâ, atque in Brixienſi, Prouincialis Miniſtri officio functus fuit: ſed & Definitoris Generalis gradu conſcenſo, tantam Prudentiæ laudem aſſecutus eſt, vt priùs in Galliam ad Pariſienſem Prouinciam ſua auctoritate ſtabiliendam Commiſſarius Generalis deſtinatus fuerit: tùm à Laurentio Brunduſio, Generali Miniſtro, in Germaniam eâdem cum poteſtate miſſus, nonnullos in Pragenſi Vrbe Illuſtriores Viros ſuâ prędicatione ad Catholicæ Eccleſiæ gremium perduxerit. Hoc porrò in itinere, cùm per Danubium fluuium iter facęret, nauigium, quo vehebatur, ita arenæ infixum adhęſit, vt inde multâ nautarum vi, aut arte auelli non poſſet: quo tempore, vt Viri ſanctitas omnibus innoteſceret: Matthias verbo

viam indicans,quò nauigium progredi deberet, eò ſtatim nauigium diuino velut præcepto compulſum ferri cœpit. Rurſus, cùm ſacrorum Myſteriorum celebrandorum deſiderio teneretur, ſeſqui horâ nauigium tantum itineris confecit, quantùm tribus aliàs horis vix perficere conſueuerat. Quot verò in vtraque,tam per Gallos, quàm per Germanos peregrinatione ab Hęreticis contumelias ſuſtulerit; quot pericula diuinitus euaſerit;quantis denique laboribus, inuicto ſemper animo, perfunctus fuerit, haud facilè quis referre queat. Poſtremò, tot huius Viri virtutes fuère, vt eas quiſque admirari potiùs,quàm oratione aſſequi valeat. Virginitatem perpetuam coluit; tantoque mentis ardore prędītus legitur, vt cùm Mediolanenſis Prouincia à Brixiana diuidenda eſſet; ob eam tantummodò cauſam, quod is diuiſioni ſuum duntaxat aſſenſum prębuerit,tam illum facti huius conſcientia pupugerit,vt quadraginta dierum ieiunium, quod ſolo pane & aquâ celebrauit, ſpontè ſibi ad illius expiationem elegerit. Epiphaniæ ieiunium,tam ſingulari obſeruatione proſecutus eſt, vt tamdiu Religionem integro Regularis obſeruantiæ ſtatu potituram fore affirmaret, quam diu illud ritè in eâ ſeruaretur. Eiusque rei cauſam reddens, aiebat; hoc Epiphaniæ ieiunio Fratres Dei ſibi benedictionem vendicare,quâ freti, Religionis obſeruantia ſemper ſtabilis futura ſit. Regularis obſeruantiæ propugnator acerrimus fuit,quam ob cauſam varijs à Deo donis cohoneſtatus, orans ecſtaſes, & raptus aliquando paſſus fuit. Candida quoque aliàs orantis capiti columba inſidere viſa. Valerium Gauardenſem,Laicum, calculorum morbo grauiſſimè afflictatum, vnius horæ oratione, effugato dolore, prorſus incolumem reddit. Spiritu quoque Prophetico, dùm Henricus IV. adhuc pro Galliæ Regno obtinendo decertaret; Regnum tandem in eius poteſtatem deuenturum; verùm poſt hæc ferro perimendum prędicit. Franciſco Caſtillioneo maſculam prolem, atque alia præſignificauit. Narniæ itidem Viro Ordinis deuoto,qui Vxoris ſterilitatem lugebat,maſculi ortum prænunciat. Tantæ pręclarus hic Dei ſeruus apud illuſtriores, ac notæ Sanctimoniæ Viros,exiſtimationis fuit;vt eum S.Carolus aliquando, tanquam Virum Apoſtolicum commendauerit. Franciſcus Panicarola, Epiſcopus Aſtenſis, & Concionator celeberrimus, Matthiam inter Eccleſię Patres adnumerari poſſe paſſim æſtimabat. Federicus Borromęus, S. R. E. Cardinalis, ita Matthię doctrinam, & ingenium ſuſpiciebat, vt de eo aliquando aſſeuerauerit. quod Auguſtinus de filio Adeodato dicere ſolebat: Ingenium illud mihi terrori

erat. Spinellus S. R. E. Cardinalis, tantoperè huius Serui Dei ſanctimoniam venerabatur; vt cùm apud Germanos Legati munere fungeretur, pictam ipſius imaginem ſuo in cubiculo gereret; ſeque per litteras illius orationibus commendaret. Robertus Bellarminus, S. R. E. Cardinalis, doctrinâ, & vitæ integritate illuſtris, cùm Serui Dei miracula, quæ poſt ipſius obitum à Deo patrata fuêre, percepiſſet: Haud, inquit, hæc Matthiæ miracula admiror: Vir enim quaſi oliua fructifera fuit in Eccleſiâ Dei. Denique Martha mulier Spoletana, quæ hac ipsâ tempeſtate notâ vitæ ſanctimoniâ in Vmbriâ floruit, illuſtre Seruo Dei encomium conflans, hæc aliquando de illo aſſeruit: Matthiam ardentem Dei lucernam eſſe paucis cognitam; cuius tamen lux poſt ipſius obitum cunctis perſpicua futura eſſet. Quod reipsâ deinde comprobatum fuit, quamplurimis poſt illius occaſum ſignis coruſcantibus, vti mox indicabitur. Cùm igitur fidelis hic Dei ſeruus diu in vineâ Domini impigrè laboraſſet, Brixiæ acutâ febri affligi cœpit. Quâ indies ingraueſcente, cùm animum generali peccatorum Confeſſione expiaſſet, ſuprema hæc collectis Fratribus verba animo inſculpenda relinquens: Fratres, inquit, extrema hæc vitæ periodus vobis ſemper ante oculos verſetur; nihilq; actum putate, niſi hæc optimo fine claudatur. Septuagenario maior ad immortales conceſſit. Vixq; ipſius obitus fama per Vrbem diffuſa fuit, cùm innumera hominum turba ad Monaſterium confluit; defunctiq; corpus in Eccleſiam delatum, quiſq; attingere oſculari, ac venerari contendit; cuius dum teneram carnem, artus flexibiles, vultum dormientis potius, quam mortui ſpeciem præſeferentem cernunt; cuncti in habitum ruunt, totque ex eo particulas, deuotionis causâ præſcindunt, vt nudatum corpus, bis, terque nouo habitu contegi opus fuerit. Iuſtis defuncto perſolutis, mox Prætoris auctoritate, corpus ſarcophago incluſum, ſeorſim repoſitum fuit. Poſt huius ſancti Viri mortem, plurimis D.O.M. vitæ illius ſanctimoniam ſignis illuſtrare voluit: ſecundo enim poſt ipſius ſepulturam die, Eliſabetha Poiena, trium annorum puella, quæ frontem, ac mentum tabido vlcere corruptum gerebat; cùm à Patre, Matthię habitus particulâ in fronte, ac mento veſpere obſignata fuiſſet; mane ab vtroque vlcere ſancti Viri merito ita curata fuit, vt nec vlcerum veſtigia apparerent. Apollonia de Oliueris; Brixiana, cùm vnius menſis ſpatio matricali paſſione afflictata fuiſſet; neq; ab eâ vllo remedio leuari poſſet, voto ad ſanctum Virum emiſſo, habitusque particulâ obſignata illicò ſibi dolo-

rem

rem minui, ac breuiſſimo temporis ſpatio auferri ſenſit. Olympia Brixiana graui ſtomachi dolore cruciabatur, quæ ſancti Viri merita implorans,vix votum pronunciauerat; cùm os ſtomachi ſibi ab inuiſibili manu refoueri ſentiens, protinus à dolore liberatur. Ioannes Petrus de Zannis, Brixienſis, grauiſſimis doloribus cruciatus, ne minimo quidem temporis interuallo, vllâ requie frui poterat; cùm Serui Dei miraculis permotus, Votum emittit, oppidoque illius dolores ſedari cœpere,& vix quatuor, aut quinque horarum ſpatio interlapſo,ab ijs liber omninò,& incolumis euaſit. Iiſdem ferè doloribus, ac fortè grauioribus, cùm Praxedes Oliueria, Brixienſis, ad inſaniam vſque vexari ſoleret; conſuetam vexationem præſentiſcens, quâ ad octauam vſque horam affligtari conſueuerat, omni pietate Matthiæ nomine inuocato, atque ipſius habitus particulâ renibus admotâ, protinus ſiſtunt dolores ac breui vnius horæ interuallo omninò fugantur. Franciſcus Aſtolſinus, dextri pedis dolore ita læſus, vt vix progredi valeret; Matthiæ Sanctimoniam publicâ oratione, in S. Laurentij Eccleſiâ habitâ celebrari audiens; dum illius opem implorat, illiuſque habitus ſegmine pedem obſignat, mox à dolore liber ita incolumis ſurgit, quaſi eo nunquam affectus fuiſſet. Iulia Beſſania, deſperatâ à Medicis valetudine ægrotabat; quo tempore Ioannes Paulus Brixienſis, Capucinus Sacerdos, eius germanus Frater, cum Matthiæ è Cœlo opem imploraret; paulatim perfectè conualeſcit. Fr.Remigius Triumpilinus, Ordinis Capucinorum Laicus,laterum dolore ad mortem laborans,cùm habitus Matthiæ præſegmen malè affecto lateri adhibuiſſet, mox ad vomitum prouocatur, ac breuiſſimo poſt tempore incolumis redditur. Catharina Comenciola, vndecim annorum puella, à Dæmone obſeſſa, nullo exorciſmorum genere adhibito leuari poterat; cùm Mater Voto emiſſo, filiam ſancti Viri ſepulchrum adire iuſſiſſet: Ea dùm in Eccleſiâ orat, fœtida ex ore euomit; moxque à Dæmonum obſeſſione libera, ab ijs nunquam deinceps vexata fuit. Scholaſtica Monaſterij ſancti Spiritus Brixianæ Vrbis, cùm febri, & tuſſi ita aggrauaretur, vt nullus nocturnæ quieti locus eſſet, Matthiam, cuius monogramma ad lectuli pedes gerebat, ſibi in præſidium inuocans, eundem ſibi apparentem cernit; qui digito illius os attingens, ait: Ne dubites, filia, à tuſſi deinceps non vexaberis. Moxque dulci ſopore correpta, deinceps à tuſſi conualeſcit. Seraphina Brixiana, S. Chriſtophori Monialis, tam graui cephalalgiâ laborabat, vt præ capitis dolore, neque cibum ſumere, nec quieſcere, imò neque

ipſâ luce frui valeret, cum Matthiæ habitus particulâ, ter veſperi caput ipſius obſignatum fuiſſet, obdormiens ægra, manè incolumis ſurrexit. Ferrariæ, Entij Bentiuolij filius adhuc puer, ab alto delapſus, ſibi ita corpus contriuerat, vt vnius vix horæ vita à Medicis illi præſcriberetur, cùm Matthiæ habitus pręſegmine obſignatus, voto emiſſo, inuocatâ quoque B. Antonij Olyſipponenſis interceſſione, poſtridie incolumis euadit. In eâdem Vrbe Hoſpes quidam diuerſorius anginâ laborans, cuius ſalus à Medicis deſperata erat, ſecundo poſt Votum die incolumis, ſua in Vrbe negotia geſſit. Iulius Cocionius, eiuſdem Vrbis incola, cui funera parabantur, vix habitus Matthiæ particulam collo appenſam accepit, cùm in vitam ſimul, & incolumitatem, omnibus admirantibus aſſurgit. Bartholomæus à Turculis, in Solerani oppido, extremæ Vnctionis oleo inunctus, cùm primùm Matthiæ habitus particulâ obſignatur, protinus exclamat: Bene valeo; ac poſtridie è ſtrato ſurgit. Sanctia Taurlina, diu oculorum ægritudinem tulerat, cui cùm nulla Medicorum remedia, fruſtrà tentata profuiſſent; ſimul atq; oculis, ſancti Viri habitus particulam, eâ ſignum Crucis formans, adhibuit, ab eâ curata fuit. Eorum oculorum morbo, & Gada de Peuolis, eiuſdem Habitus particulæ contactu, repentè perſanatur. Lucia de Capitaneis triduo grauiſſimis crurum doloribus afflictata, cùm nullâ Phiſicorum arte ab ijs leuari poſſet, Voto de adeundo Matthiæ ſepulchro, ac B. Virg. corollâ ibi recitandâ facto, protinus ſopore correpta fuit: ex quo experrecta, ab eo ſe dolore liberam ſenſit. Petrus Bonfadius, Salodienſis Iuriſperitus, tam graui renum, ac laterum dolore afflictabatur, vt vix ſeipſum mouere poſſet: quapropter Matthiæ ſepulchrum, licet ægrè, accedens, inde perſanatus domum redijt. Maria Caſta Sebina, cùm diu graues crurum dolores paſſa fuiſſet, poſt varia ad eos curandos remedia fruſtra tentata, Matthiæ habitus particulam cruribus adhibet, repentinamque crurum curationem diuinitus aſſequitur. Pleraque alia ſancti huius Viri interceſſione, collata ægris è Cœlo beneficia referuntur: quæ cùm non ſtatim, ſed tractu temporis licet breuioris, perfecta fuerint, ea indicare potius, quàm explicare libet. Vincentiæ, Valeria, Vincentij Bertoldi vxor, Matthię nomine inuocato, à partus periculo liberatur. Ioannes Baptiſta Iacominus, Salodienſis à pedis luxatione; Franciſca Patritia ab oculorum lippitudine; Catharina Taurlina, & Ioannina Soletanenſis, à febri continuâ; Marci Torcoli filius, à maculâ, quam in altero oculo gerebat; Iulia Bradega, à fluxu pituitæ, quâ ſuffoca-

batur; Martha de Caſtellis,à ſiniſtræ manus dolore; Catharina Scaramucia, à febri malignâ; Fr. Simon à Canderino, Capucinus Laicus,à diuturno ſpenis morbo;Fr.Creſcentius Brixianus Sacerdos, à laterum dolore; Fr. Symphorianus Soncinas, Laicus Capucinus, à febri,& cephalalgiâ; Matthiæ habitus particulâ perſanantur. Præter enumeratos,Catharina Rainera Brixienſis,à varijs corporis languoribus;Maria de Veciolis, grauiſſimis doloribus cruciata;Ludouicus Prægnachus, febri continuâ ægrotans; Æneæ Threnæ Comitis filius; malè toto corpore affectus; Iuſtina, Sancti Spiritus Brixianæ Vrbis Monialis,continuâ febri laborans; Prudentia,ſancti Chriſtophori in eâdem Vrbe Monialis, ab odontalgiâ; Fr.Geruaſius Veronenſis, Sacerdos Capucinus, ab alterius brachij languore; Frater Creſcentius Brixianus, ex noſtris Sacerdos, ex graui ægritudine, ſancti Viri ſibi merita,opemq́ue apud Deum implorantes curantur. Poſtremò illud ſilentio non obuoluendum, quod poſt multos ab illius ſepulturâ annos, haud abſq; omnium admiratione viſum fuit. Reliquo namque corpore exeſo, & in arenam reſoluto, lingua, ac duo dexteræ illius manus digiti,nimirum pollex, & index, tam integri, & incorrupti apparuére; vt niſi diuinâ virtute ſeruatos, nemo dubitare queat. Quo cunctis non obſcurè perſpectum eſſet, Apoſtolicæ huius ſancti Viri prædicationi, necnon ſacrorum voluminum ſcriptioni,diuinum teſtimonium, & approbationem accedere, quorum in Cœlo præmijs inter Apoſtolicos Viros, & Doctores perfruitur. Obijt Anno 1611.

Fr. DIONYSII SPOLETANI, FRATRVM CAPVCINORVM IN GALLIA COMMISSARII GENERALIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER DIONYSIVS SPOLETANVS, Aprutinæ Prouinciæ Sacerdos, & Concionator, Sanctimoniæ famâ clarus, cùm & Regulari obſeruantiâ, & morum honeſtate,pręclarisq́ue præſtantioris vitæ ornamentis inter alios pręcelleret,Generalis Commiſſarius in Galliam mittitur. Is cùm nonnullos in Pariſienſi Prouinciâ annos ſummâ cum virtutum laude verſatus eſſet; illiusq; prudentiâ,& conſilio, ac præſertim præclariſſimis vitæ

exemplis, Capucinorum Familia magna in eo Regno incrementa percepiſſet, in Italiam rediens, cœleſtem quandam, in omnium virtutum genere, die noctuq; diligentiſſimè ſe exercens, vitæ rationem inſtituit ita ab omni rerum mundanarum tumultu, & hominum conſortio remotam; vt nihil præter diuina meditaretur, ſæpiusq; in feruidos mentis exceſſus, diuino ſpiritu actus raperetur. Romam, cùm ad Generalia Comitia proficiſceretur, per Tallequitij Conuentum iter faciens, poſt Matutinas horas (vt mos illi erat) in Eccleſiâ orationi incumbebat: quo tempore Fr. Archangelus à Carponeto Laicus, & ipſe ad orationem, circa auroræ crepuſculum accedens, cùm primùm in Choro pedem intulit, ingentem in Eccleſiâ ſplendorem affulgentem, quaſi plures in eâ accenſæ faces arderent, animaduertit. Rem plurimum admiratus; lente ad Chori oſtium, quod à latere Altaris Eccleſiam reſpicit, procedens; vnde fulgor ille erumperet, aperto oſtio inueſtigare cœpit. Mox verò Dionyſium in Eccleſiæ angulo orantem, Cœleſti ſplendore circumfuſum, quatuor circiter palmis in aëra ſublatum, cernit: qui brachijs in Crucis modum expanſis, ardentiora ex imo pectore ſuſpiria edebat. Verùm haud hæc illi inſueta erant; quin ſæpiſſimè, prȩſertim cum Horas Canonicas in Choro perſolueret, mente quoque excedere cerneretur: eo ſiquidem tempore ita ab humanis animo abſtrahebatur, vt vultu in Cœlum erecto, velut immobilis permaneret. Eodem quoque modo frequenter in cellâ orare, ac cœleſtium contemplatione ſupra ſeipſum ferri viſus fuit. Hinc ampliora Dei dona conſecutus, occulta aliquando, Deo reuelante, aperire, ac Prophetico ſpiritu, quæ futura erant, prȩnunciare cœpit. Anno enim 1581. Nobili cuidam mulieri Hiſpanæ, Catharinæ nomine, quæ geminos natos nuper in Belgium tranſmiſſos, vnâ die interfectos acceperat, à Domino in oratione edoctus, filios ſuos viuos, ac ſuperſtites, & poſt breue tempus redituros prȩdicit. Nec vanum illius dictum fuit: nam menſe necdum elapſo, vterque natus è Belgio ſoſpes domum redijt. Plurimos igitur hic Dei ſeruus, cùm in virtutibus, ac perfectâ Regulæ obſeruantiâ annos tranſegiſſet; vitæ tandem curſum Aſſiſij, ſanctimoniâ apud omnes clarus, Anno 1582. feliciter conficit.

Cuius illud eximium poſt ipſius obitum teſtimonium fuit, quod eius habitus obſeſſæ impoſitus eam quamprimùm à Dæmone liberauit.

Fr. FRAN-

Fr. FRANCISCI AB AQVIS BORMIIS, HELVETICÆ PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS, NEC NON MEDIOLANENSIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS AB AQVIS BORMIIS, Prouinciæ Mediolanenſis Concionator, honeſtis parentibus ortus; Mediolanum ſtudiorum causâ profectus, cùm in ijs aliquamdiu magnâ cum ingenij laude verſatus eſſet, Deo afflante litterarum ludum in Religionis palæſtram commutat; ad Theologica ſtudia promotus, tales, ac tantos in ea progreſſus dedit, vt illuſtre ſuâ tempeſtate inter primos Diuini verbi Concionatores nomen ſibi comparauerit. Huius rei teſtes fuêre Mediolanum, Venetiæ, Cremona, Vercellæ, Vicentia, ac quam plurimæ aliæ Italiæ Vrbes; in quibus Dei verbum tam vbere animarum fructu diſſeminauit, vt nouus illarum Apoſtolus prædicaretur. Quædam Franciſco à naturâ morum grauitas, ac prudentia inſita erat; quæ cùm hominem præſtantem, & omnibus aſpectabilem redderet, eò factum eſt, vt facilè in Mediolanenſi Prouinciâ ad dignitates, ac potiora munera quæreretur: quæ dum admirabili ſapientiâ adminiſtrat, ad ſupremum tandem Prouincialis Miniſtri gradum euehitur. Eo tempore, Hæreſium ziza nijs in Rhetorum agro excreſcentibus, eò Hæreticorum inſolentia euaſerat, vt Chriſtum exuere, ac Luthero nomina dare populum compellerent: quapropter Franciſci viſcera dulci amore patriæ lancinari cœpêre; & tandem annuente Greg. XIII. Pontif. Max. cum nonnullis alijs Diuini verbi præconibus in vallem Tellinam proficiſcitur. Hoc igitur ſacro Dei præconum agmine ſtipatus, alterius Machabæi inſtar, non haſtâ aut clypeo munitus; ſed Euangelico Diuini verbi gladio inſtructus Fidei hoſtes aggreditur, conturbat, perſequitur; in Fide imbecilles confirmat, corruptos ad priſtinam Fidei incolumitatem compellit, & ex Miniſtris nonnullos ad veræ Religionis ſinum reuocat. Quot interea, dum hæc Fidei damna apud ſuos reſarcienda curat, ab Hæreticis dura, atque acerbâ patiatur, haud facilè referri poteſt. Sæpe enim ab ijs ludibrio

habitus,luto & ſaxis impetitur, in altam foueam gelu conſtrictam demergitur, venenum illi in poculo propinatum haurit; at oratione pro antidoto vtens, nullum prorſus à veneno damnum aut moleſtiam patitur. Ingruente verò perſecutione, Mediolanum redire compulſus,à S.Carolo Boromæo Monialium Reformationi præficitur;quod munus tàm præclarè ac prudenter Franciſcus,pro inditâ ſibi patientiâ adminiſtrat, vt breui tempore vniuerſa illa Virginum Collegia,rerum omnium proprietate abdicatâ, nouam Regularis diſciplinæ formam aſſequuta, in virtute refloruerint. Poſtmodum autem eodem ſancto Antiſtite cum Greg. XIII. ſeriùs per litteras agente, Commiſſarius Generalis ad Catholicos Heluetiorum Principatus deſtinatur. Fuit Franciſcus Vir Regulæ obſeruantiſſimus, ac Seraphicæ paupertatis ſtudioſiſſimus, eam verò vitæ, ac victus auſteritatem coluit, vt toto Quadrageſimali tempore, quo verbum Dei diſſeminabat,nullo alio præterquam vnius pultis panariæ edulio, quotidie veſceretur.Neque vllo vnquam tempore,quantumq; ex itinere feſſus (Prouincialis etiam munere fungens) cum ad Conuentus aduentaret,meliori aut vberiori victus ratione, quàm ea, quæ cæteris communis erat, in menſâ excipi patiebatur. In Conuentuum verò ædificatione,quamuis Prouincialis eſſet,ſuam quoque cęterorum operariorum inſtar, quotidie operam impendebat. Cum Monaſterium in Damaſi Oppido à noſtris extrueretur, nullum adhuc Fratribus hoſpitium, in quod ſe reciperent, paratum erat: quapropter cęteris ſibi ex arborum ramis cellulas conſtruentibus, Franciſcus Cupam quandam vindemialem, quam ibi fortuitò offendit, ſibi in hoſpitium elegit: quam noctè ligneo tegumento operiens, in eâ tum orationi, tùm quieti vacabat. Tanta quoque huius Viri humilitas erat, vt nullum tam humile opus in Minorum Religione eſſe,quod iure aſpernandum eſſet, facto ipſo doceret. Tantus verò ad animarum ſalutem Charitatis in eo erat ardor,tantus Fidei tuendæ zelus, vt in eo munere exequendo bis, ter in die, vbi id neceſſitas ferret,verbum Dei diſſeminaret,ac omnes corporis moleſtias flocci penderet, caroque illi non humana, ſed ænea aut lapidea prorſus ineſſe videretur.Prophetico ſpiritu clarus,quo tempore Fr.Sebaſtianus Vranienſis Clericus, Franciſco ob egregias illius virtutes chariſſimus, Vraniæ grauiſſimè ad mortem ægrotabat, Vraniam verſus iter aggreſſus, Fr. Simpliciano Socio diem obitus ſui infra quindenam proximam prędicit; cùm autem Vraniam appuliſſet; Fr. Sebaſtianum, iam ſupremum vitæ diem, tantâ cum Sanctimoniæ

famâ

famâ egiſſe deprehendit, vt plerique qui ipſius lecto circumſtabant, eo decedente, illius animam, ſub candidæ columbæ ſpecie, in Cœlum euolare conſpexerint. Iuſtis itaque ſolemni more defuncto Fratri exolutis, Franciſcus ardentiſſimâ febre laborare cœpit: quo tempore Fratribus aſtantibus pleraque Prophetico ſpiritu prædicit, quæ ipſe rerum euentus poſt hæc non obſcurè comprobauit. Cùm verò morbo magis indies inualeſcente, ocyus ad vitæ occaſum properaret, Franciſcum Fabricius (cui totius Prouinciæ onus impoſuerat) interrogat, num ſacro oleo inungi velit. Cui ille: id equidem Fabrici; ſed necdum vltima vitæ hora ad exitum compellit: cùm ea venerit, opportunè monebo. Biduo verò elapſo, cùm febris ardor deferueſceret, morbique vis remitteretur; nonnulla recuperandæ valetudinis ſpes Phyſici animo acceſſerat, cum Franciſcus Fabricio: Feſtina, inquit, Fabrici: En Dominus ſtat ad oſtium, & pulſat: currentem inunge, vt celerius Domino aperiat. Extremæ itaque Vnctionis Sacramento munitus, cùm Chriſti Domini Paſſionem ſibi legi popoſciſſet; vix ad ea verba peruentum: *Ieſus autem exclamans voce magnâ emiſit ſpiritum.* Cùm ſuam quoque ipſe animam, magno virtutum apparatu ſtipatam, D.O.M. reddidit. Quàm verò illius vita, tot cœleſtibus donis exornata, Deo grata fuerit, mox cœleſti teſtimonio declaratum fuit: Cum enim Fr. Bonauentura Vranienſis Clericus hoc ipſo tempore, quo Franciſci corpus efferebatur, tàm grauiter ægrotaret, vt iam cum morte colluctaretur; audito Patris obitu, funem, quo ille pręcingebatur, ſibi adferri poſtulat. Quo pręcinctus mox tàm perfectè conualuit, vt è ſtrato ſurgens Franciſci funus proſecutus fuerit: Cùm primùm verò S. Carolus Borromęus de illius morte nuncium accepit, acerbè luxit, in hæc verba prorumpens: Magnus hodie nobis ereptus eſt Vir: magnus Dei Seruus Eccleſiam deſerit; cuius morte grauem illa hodie iacturam patitur.

Hoc itaque Dei, & hominum teſtimonio clarus Franciſcus hinc emigrat, magna à Deo laturus meritorum præmia. Obijt Sanctus Vir Anno 1583.

***



FRATER HIERONYMVS MEDIOLANENSIS FF.^rum^
CAPVC.^inor^ PROÆ. PARISIENSIS COMISS.^us^ GENERALIS.

Fr. HIERONYMI MEDIOLANENSIS, LVGDVNENSIS PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER HIERONYMVS à MEDIOLANO, Mediolanenſis Prouinciæ Concionator, Patre Laurentio, Nobili Caluſchorum familiâ in Mediolanenſi Vrbe claro, ortus, cum ad 20. annum ſenſus cupiditatibus irretitus fuiſſet, ad Capucinorum aliquando Eccleſiam, Diuinâ illum impellente clementiâ, ſe conferens, cùm inter alia ſacrorum Pſalmorum carmina illud percepiſſet: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: Legem autem tuam dilexi.* Id illi tàm altè animo infixum fuit, vt ſeipſum grauiter obiurgare cœperit, quod tam diu Deo ſe abominabilem exhibuiſſet, pauloq; poſt, ſæculo cum ſuis cupiditatibus relicto, Capucinorum albo ſe inſcribendum curarit. Primum itaq; huius ſtadij curſum à ieiunio auſpicatus; tam ſeuerâ abſtinentiæ lege carnem perſtringere, & guſtus delicias perſequi cœpit; vt familiaria illi eſſent panis & aquæ ieiunia: ſi verò aliquando à ieiunijs vacaret, ſolis oleribus, aut fructibus contentus eſſet. Veſtis rugoſa, vilis, vario præſegmine conſerta illi erat: quæ nec pallium, nec tunicam ſibi aſſociaret; quam perpetua pedum nuditas, ſandalijs abiectis, etiam inter ipſos niuium algores conſectabatur: nec minorem cum ſomno ſimultatem gerebat; vix enim trium illi horarum tempus relinquens, reliquas noctis horas ſacris vigilijs, ac diuinorum contemplationi dicabat: haud tamen in lecto de more paleis ſtrato, vnquam decubare viſus; ſed vel ſedens, vel ſtrato innixus, quantuluncunque illud erat, ſomni capiebat. Has porrò corporis, ac ſenſuum caſtigationes, perpetuus virtutum curſus inſecutus eſt. Nam ſi Humilitatem quæras, maiori ſtudio honores, ac dignitates, cæteroſque populi applauſus refugiebat, quam ambitioſus quiſpiam horum ambitu, ac cupiditate teneretur; viliſſima quæque domus miniſteria, tantâ animi alacritate exhibebat, quaſi qui in his obeundis iucundiſſimis epulis frueretur. Mentis puritatem, ac innocentiam tam ſtudioſè proſequebatur, vt nemo leue, aut inutile verbum ex illius ore vnquam elapſum perceperit: tam enim ſeuerus ſilentij cuſtos fuit, vt Pythagorico homine taciturnior, plurimùm ſecum,

minimùm cum alijs ſibi loquendum cenſeret. Erat oratio illius frequens, ardens, lachrymoſa: ſingulis etenim noctibus binâ ante Matutinum Officium horâ è ſtrato ſurgens, orationi in Eccleſiâ vacabat: neque ab eâ ante primam diei horam diſcedere conſueuerat. Plerumque verò ante Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare (vt ſupremæ adorationis ſignum exhiberet; quæ Deo in eo Sacramento pręſenti debetur) centies tantâ animi Religione genuflectere viſus eſt, vt clam aſpectantes maximè ad pietatem alliceret. Cęterùm tam ingens, ex ſedulo hoc orationis ſtudio, in eum plerumq; mentis ardor redundabat, vt iter faciens interdum rapido curſu ad arborum ac ſtipitum complexum, tanquam diuino amore ebrius ferretur: quo tempore nulla alia, pręter hanc, illius vox audiebatur: Ah! Domine: Ah! bone IESV. Eodem quoque ſpiritus æſtu inter Monaſterij clauſtra agitatus, ſępe pomarij plantas complecti viſus; perinde ac ſi Deum in plantis ipſis pręſentem haberet. Hac Hieronymi virtutum fama Fr. Pacificus à ſancto Geruaſio, cùm primum Generalis Commiſſarius ad Gallos deſtinatus fuit, Hieronymum, qui eo tempore Conuentum Mediolanenſem moderabatur, inter alios ſibi Socios adiungens, ſecum in Galliam ducit, eumque cum poteſtate Lugdunum deſtinat, vt in ea Vrbe nouam Capucinorum ſobolem diffunderet. Pacifico interea è viuis ſublato, cum Matthias Salodienſis in eius locum ſucceſſiſſet, Hieronymus ab eo Auinionem mittitur, vt S. Ludouici Prouinciam, extructo ibi Conuentu fundaret. Quo in itinere, cum ad Hæreticorum partes perueniſſet, Nauicularius periculum præcauens, Hieronymum ac Socium in nauiculæ loco tabulis vndique obſtructo ſe recipere iubet. Interea nauiculis ad ripam appulſis, aduolant Hæretici: qui cùm Capucinorum aduentum Hæreticorum Lugdunenſium literis didiciſſent, armati, ac furentes nauiculam ingrediuntur; cuncta diligentiſſimè perluſtrant, quærunt, rimantur: tabulas tandem, quibus Hieronymus cum Socio obtegebatur, è loco amouent, diuellunt, locum patefaciunt: Nec tamen, Deo illorum oculos obcœcante, illos intueri valent: ſæpe locum repetunt, colluſtrant, ac defixâ acie, atque auidis luminibus, abſque lumine tamen conſpiciunt. Cernebat quidem præſens Hieronymus aſtantes Hæreticos, cùm ipſi præſentem Hieronymum intueri non poſſent. Dei namque miraculo fiebat; vt quemadmodum mente, ita oculis obtenebrati, quos præſentes habebant, videre minimè poſſent. Hieronymus igitur, Lugdunenſi Prouinciâ à fundamentis erectâ, eiuſdem Prouinciæ Generalis Commiſſarius

creatur:

creatur: commiſſamque ſibi Prouinciam tantâ virtute, conſilio, ac prudentiâ adminiſtrat, vt omnibus humilitatis, paupertatis, patientiæ, auſteritatis, ac totius Regularis obſeruantiæ ſeſe formam exhiberet: abſtinentiam, vigilias, ac cæteras corporis auſteritates, quas ab exordio amplexus fuerat, tanto ſtudio proſequitur, vt eas noua dignitas potius augeret, quam minueret. Neque enim Prouinciam inſpectans; tametſi ex longo itinere feſſus ad Cœnobium aliquando aduentaret; alio, quàm qui ſuperius explicatus fuit, quieſcendi modo ac ratione; aut ſedens, aut ſtrato innixus, nocte fatigata membra recreauit: verùm & illud, tanquam inuiolabili lege ſibi ſancitum obſeruabat, vt nunquam à Matutinis Horis, ac communi Oratione, quocunque itineris labore fatigatus, abeſſet. Idipſum quoque, cùm hoſpitij gratiâ ad ſæcularium domos diuerteret, vbique præſtare conſueuerat. Rarò is brumali tempore ad ignem accedebat; tametſi ſolo habitu contentus, ac nudis pedibus abſque ſandalijs ſemper incederet. Dùm verò Lugdunenſem Prouinciam perluſtrat, ſub veſperam à pio quodam Ordinis Benefactore hoſpitio exceptus; dum ſub mediæ noctis tempus, ſenſim è ſtrato ſurgens, in angulo cubiculi orat; Fr. Columbanus Mediolanenſis, qui diu ipſius Socius fuit, ſomno euigilans, Hieronymum clariſſimâ luce vndique circundatum conſpicit: quo aſpectu perterritus confeſtim exclamat: Ah! Pater: Ah! Pater. Sed tacente Hieronymo, atque orationem ad diem vſque proſequente, eum eâdem luce circunſeptum videt. Iterum in Oppido Cameriani Nouarienſis Diœceſis, ab Eccleſiæ Rectore domo exceptus, cùm is paululum ægrotaret, Rector ſub mediæ noctis tempus ſurgens, ad Hieronymum pergit, ſi quâ fortè re indigeret, exploraturus; quem in cubiculi angulo genuflexum, miro ſplendore circumfuſum, ac benè valentem cernit. Eodem itinere Fortunatus Hieronymi Socius, intempeſtæ noctis tempore expergefactus, totum cubiculum lumine ab Hieronymo tunc orante emanante, illuſtratum animaduertit. Dum Laudenſe Monaſterium extrueretur, fornax calcaria, cui ob nimiam imbrium copiam, certum ac irreparabile damnum imminebat, ab omni damno immunis. ſuâ oratione perfectum opus reddidit. Tam ingentem verò, tùm in priuatis, tùm in publicis Concionibus dicendi vim à Deo inditam acceperat; vt vniuerſos facilè ad pœnitentiæ lachrymas, & fletus compelleret; quamplurimòs quoq; Hæreticos ad Catholicam Fidem pertraheret. Eo in quodam Catholicorum oppido Lugdu-

nenſis Prouinciæ. Dei verbum Italico idiomate publicè diſſeminante, rudes illi populi, qui Italicam linguam ignorabant, Hieronymum Gallico illis Sermone Concionantem ſe audiſſe teſtabantur. Fremebat Satan, tot illius virtutibus inuidens: quapropter aliquando à pio quodam Viro hoſpitio exceptus, Satan impudicam mulierem eum ad obſcœna pellicientem impellit; at Vir caſtiſſimus è periculoſo illo certamine victor euadens, plurimis ab eo tempore donis à Deo illuſtrari cœpit: pleraque enim, diuinâ luce perfuſus, euentura prædicere, atque occulta penetrare eſt exorſus. Opulenti cuiuſdam Mercatoris mulierem concubinam, quæ ab omnibus ipſius Vxor credebatur, diuinitùs agnoſcit, crimen fateri cogit; neque inde abſcedit, donec eam ille ſibi in coniugem copulauerit. Duobus Nouitijs, primo perſeuerantiam, ſecundo futurum caſum prænunciat. Alteri Nouitio vocationem deſerenti infauſta prædicit; qui in patriam reuerſus cùm obeliſcum campanarium aliquando conſcendiſſet diuino iudicio ex eo prolapſus, repentino interitu vitæ lineam abrupit. Mulierem ab Hæretico Viro crudeliter vexatam, poſt triduum à Coniugis moleſtijs liberandam prænunciat; qui poſt tertium diem, vt Vir Sanctus prędixerat, inter maximos dolores animam fudit. Nobilis quidam Bugellenſis, cui cùm vnicus filius morte ſublatus eſſet, paruoque elapſo tempore Vxor mortuum filium peperiſſet, eò dementiæ, ac impietatis prolapſus fuerat, vt nullis Hieronymi monitis acquieſcens, in peiores ſemper blaſphemias erumperet: Huic tot infauſta prænunciat; vt ærumnis attritus ſeueriorem in ſe Dei vindictam vel inuitus agnoſcere compellatur, quod miſero ad amuſſim accidit. Præter hæc plurima quoque alia, Diuino ſpiritu afflatus, quæ certò euenêre, Fratribus prædicit, quæ breuitatis ſtudio prætereo. His & nonnulla, quæ viuens edidit, lubet addere miracula; vt eò illuſtrior huius Viri Sanctimonia appareat. Dum Mandelotius ſub Regij Gubernatoris titulo Lugdunenſem Prouinciam moderaretur, illius Coniux, quæ diù maximis partus doloribus cruciata fuerat; nuncio ad Hieronymum miſſo, rogat, vt nonnihil illi ſacrarum rerum impertiat, quibus celerius ac facilius à partui ſe doloribus expediat: mox ille funis cingulum, quo cingebatur, ſoluens nuncio dedit: quo cùm illa præcincta fuiſſet, mox fœtum expulit; atque à partus doloribus liberata fuit. Cum ſemel Bugellam veniſſet, Bernardum Ferrarium, Virum ſibi familiaritate coniunctiſſimum, ad mortem laborantem, ſigno Crucis ac benedictione ſanat. Arelati cuiuſdam Aromatopolæ, qui Noſtris abſque pretio

phar-

pharmaca erogabat, ægrotantem filium, de cuius deſperabatur vita, cum ſacro Crucis ſignaculo proſecutus eſſet, breuiſſimo temporis ſpatio perfectæ incolumitati reſtituit: quod publicâ Phyſicorum voce ac ſententiâ diuino miraculo adſcriptum fuit. Fr. Petronio Bononienſi, qui diu Hieronymi apud Gallos ſocius fuit teſte, canes pecuarios rapido in eum curſu erumpentes ſigno Crucis demulcet, ac velut agnos manſuetos reddit. Dextram aliquando ad cantantem Cicadam extendens, cùm illa amicam manum præſentijt, protinùs ſe illi captiuam dedit: is verò apprehenſam Cicadam aperta in palmâ geſtans, his verbis alloqui cœpit: Eia, ſoror Cicada, Deum communem tui, & noſtrum omnium Creatorem lauda, & vt tibi datum eſt, voce tuâ canorâ illius Maieſtatem commenda. Cui mox Cicada obtemperans, cantum attollit, Dei laudes naturæ inditas depromit; neque à cœptâ vocis modulatione ceſſat, aut ab ipſius manu euolat, donec à Viro Dei audit: Iam ſat eſt: abi, Sororula mea, à Deo benedicta; liberéque per hæc agrorum ſpatia peruolans, vbique Deum lauda. Quo dicto, quaſi facultate ſibi eundi impertitâ, placido inde volatu ſeſe eripit, atque in aëra extollit. In Lugdunenſi deniq; Vrbe Medicus, qui nullo, præterquam Diuini amoris intuitu noſtri Conuentus infirmos curare ſolitus erat, grauiſſimè ægrotabat: cùm ad eum Vir Dei accedens, iam viſu, ac penè auditu præ morbi grauitate carentem offendit: cuius cum capite vtrâque manu apprehenſo, frontem deoſculatus eſſet; terque ægrotum ſigno Crucis benedixiſſet; ab eo cum primum abſceſſit. At vix Hieronymus pedem extra ægroti domum extulerat, cùm æger Medicus perfectam incolumitatem adeptus è ſtrato ſurgit; Deoque in Capucinorum Eccleſiâ pro beneficio in ſe, ſancti Viri merito collato, gratias reddit. Pleraque alia D. O. M. ad declarandam huius Viri ſanctimoniam miracula patraſſe haud dubium eſt: verùm hæc tantum enarraſſe ſufficiat. Hic igitur fidelis Dei Seruus, cùm plurimos in virtutum ſtadio ætatis annos conſumpſiſſet, Lugduni Capitulum conuocat; quo tempore morbo correptus, de corporis ſui occaſu, qui breui futurus erat, diuinitus admonitus, cum Fratribus his verbis præſignificat: Iam, Fratres mei dilectiſſimi iam nauis ad ſtationem properat; breuis illi nauigatio ſupereſt: haud diu vobiſcum ero: dies enim, quæ huc ad Camberienſis Conuentus Guardianum adducit, ea mihi proculdubio ſuprema erit. Interea Capituli Patribus, qui tunc aderant ad ſe accitis, feruentiſſimum ſermonem inſtituit. Poſtremò totum ſe ad parandam viam Domini confert: Cumque

Camberij Guardianus ad eum appuliſſet vix dato, & accepto viciſſim pacis oſculo, antequam Comitia celebrarentur, vitæ huius ſtadium feliciter abſoluit. Soluta verò à corpore anima, Balthaſari Camerianenſis Eccleſiæ Rectori, qui grauiter in lecto ægrotabat, læta apparet, hæc depromens verba: Vale, Frater: Iam peracto vitæ curſu ad beatitudinis brauium conſcendo: ne ægritudinem reformides, breui ab eâ conualeſces. Veruntamen (vbi futurum illi ex alterâ ægritudine obitus diem indicauit) Satage, inquit, vt te in eam diem purum ſerues. Hæc cùm Balthaſar ante obitum iuramento comprobâſſet, diem quoque ſui obitus ab eo certam accepit. Porrò huius Viri Dei obitus famâ per Vrbem euulgatâ, ingens fuit Lugdunenſis populi ad Capucinos concurſus: omnes beatum, omnes ſanctum illum prædicant. Henricus quoquè III. tanti Viri obitum luget. Corpus illius ligneâ capſulâ incluſum, in Fratrum ſepulchro conditum fuit, ac poſt 15. annum integrum illud, nullâque ex parte corruptum repertum fuit Anno 1598. Cùm verò Anno 1609. ipſius oſſa in nouam Eccleſiam transferenda eſſent: cæteris corporis partibus in arenæ modum reſolutis, ipſius caput tàm integrum apparuit; vt in eo (quod vniuerſos in admirationem rapuit) ſanum, ac recens cerebrum conſpiceretur. Obijt Vir Sanctus Anno 1584.



FRATER ANSELMVS A PETRAMOLARIA FRATR[um]
CAPVC.[orum] PROÃ. PARISIENSIS COMMISS[us] GENER[lis]

Fr. ANSELMI à PETRA MOLARIA, PARISIENSIS PROVINCIÆ Commissarii Generalis

VITA, ET GESTA.

FRATER ANSELMVS à PETRA MOLARIA Concionator, Vir illuſtris. Hic in ſæculo inter celeres equites conſcriptus, ſingulari quodam modo ac ordine à Deo ad Religionem vocatur. Dùm enim aliquando haſtâ armatus cum alijs in Vrbe equitat; faſciculum quaſi literarum humi iacentem animaduertens, dum ſummo haſtæ cuſpide illum configere, & ad ſe trahere ſtudet, is cuſpidem effugit: Iterum verò Anſelmus, dum validiori ictu medium faſciculum perforare aggreditur, rursùs is ſaltu ſe in alteram partem proripit. Stupet Vir rei adhuc cœleſtis ignarus; dum tertiò faſciculum inuadens, is non modò haſtæ cædenti non cedit: verùm quaſi is haſtam apprehendere vellet, altero ſaltu ſe ſupra cuſpidem attollens, tenaciter haſtæ ligno adhæret. Anſelmus verò rem ſupra modum admirans, haſtam ad ſe cum faſciculo pertrahit: nihilq; cunctatus, cùm faſciculum ſoluiſſet, in eo nihil, præter æneam Chriſti Crucifixi Imaginem occluſam cernit. Quapropter latentem in eâ diuinam virtutem ſuſpiciens, eam pedeſter colit, veneratur, adorat; ſacramque Imaginem, quam Dei virtus à telo illæſam ſeruauerat, ſummâ Religione ſibi repoſitam cuſtodit. At verò necdum Anſelmus, quid illa Crucifixi Imago portenderet, quòve illum vocaret, intelligebat, donec altero id apertius teſtimonio illi indicatum fuit: Contigit enim aliquando, vt ad ſignum catapultæ glande attingendum is à Commilitonibus prouocaretur. Condicunt omnes, catapultas in ſcopum papyraceum, qui in oſtio quodam procul apparebat, dirigere. Ignorabat Anſelmus, quidnam illud eſſet, quod ſibi Socij pro ſigno, catapultâ attingendo, propoſuerant. Librant alij catapultas, ac certo oculo, fixâq; manu ad ſcopum collineant; quem tamen glande attingere non valent. Accedit Anſelmus, catapultam ad emiſſionem componit, glandeque ſignum confodere parat: at igniarius catapultæ rhombulus ex pyrite ignem non elicit. Bis, ter, ille ſulphurati pulueris alueolum catapultarium abſtergit, nouum puluerem apponit, catapultarij rhombi roſtrum inſtruit, aptat, explodit:

at fruſtra:nam igniarius puluis,perinde ac ſi petreus,aut terreus eſſet, ignem refugit. Id Anſelmus non niſi Diuinâ virtute fieri agnoſcens, ſignum quale ſit, explorat: mox pro ſigno, Chriſti Crucifixi Imaginem oſtio affixam animaduertit; quam cùm is confeſtim pronus in terram adorâſſet, Diuinâ ſe Clementiâ impeditum agnoſcit, quo minus tam ingens ſcelus,tametſi ignarus patraret: ex quo tandem id primùm in animo ſtatuit, ſeſe ex ſæculi huius periculis ſubducere, ac militari cingulo abiecto, ad meliorem Chriſti, à quo iam ſecundò ſe vocari putabat,militiam accedere. Hoc itaque conſilio ſecum inito,paulò poſt militarem cum Clericali habitu commutat, ac Sacerdos inungitur. Satan verò, qui in ipſius ruinam ab exordio conſpirauerat, graui eum tentatione adoritur, ac fœminæ concupiſcentiâ illaqueat.; at Diaboli vincula abrumpens ad Capucinos ſe confert. Anſelmus igitur è Diaboli vinculis liber,cùm primùm Capucini nomen adeptus eſt; tantâ auſteritate vitam inſtituit, vt ter tantùm in hebdomade,matutino tempore cibum ſumeret; neque vnquam vino, ſed aquâ tantummodò vteretur; quæ totius illius vitæ conſuetudo fuit. Quadragenaria S. P. N. Franciſci ieiunia tâm diſtrictâ lege obſeruare conſueuerat, vt in his primum diem panis & aquæ inediâ celebraret alterum ſine cibo tranſigeret: ſicque alternatim, atque hoc ordine dies abſtinentiæ conſecraret. Quadrageſimale verò S.Michaëlis ieiunium, dum Meudoni apud Gallos verſaretur, preter alternos inediæ dies,tantâ ſilentij rigiditate inſtituit,vt toto eo tempore cùm nemine vnquam colloqueretur. Pleraque alia etiam ſimili modo ieiunia obſeruans, frequenter ternos dies, vt orationi diutius vacaret, ab omni cibo immunis preterire conſueuerat. Atque hæc, quamdiu fuit ſuperſtes, ferè quotidiana illius vitæ ratio fuit. Duras corporis flagellationes, quotidianos in horti tellure fodienda labores, nocturnas vigilias, arctiſſima ſilentia,aliasq; corporis macerationes prætereo; quibus ſe vitiorum omnium ſemper hoſtem infenſiſſimum præbuit. Quod verò in eo maximâ laude dignum erat, integra ipſa Regulæ obſeruantia fuit; cuius tantopere zelo efferbuit, vt non modo paupertatis, obedientiæ, ac cæterarum virtutum, quibus Regularis obſeruantiæ cultus ſubſiſtit, ſtudioſiſſimus eſſet; verùm & Conſtitutionum tam perfectus ac diligens cultor eſſet, vt ab ijs ne latum quidem vnguem abſcederet. Hinc tam illuſtre ſibi nomen in Religione comparauerat, vt cùm primùm poſt Hieronymi Piſtorienſis obitum, de altero è Capucinis Fratribus, qui in nauali bello aduerſus Turcam, Chriſtiani nominis

hoſtem,

hoſtem, Pontificijs claſſibus, piâ ope, atque operâ, adeſſe deberet, præficiendo ageretur; is vnus à Mario Generali, Pio V. Pontifici oblatus fuerit, cui arduum ac difficile hoc onus demandaretur. Anſelmus igitur fidei zelo exæſtuans, ac Martyrij inprimis cupidiſſimus, cum ſuis 30. numero, Apoſtolicâ benedictione munitus, Triremes ingreditur. Quiſque ſuam aut ligneam, aut æneam Chriſti Crucifixi Imaginem à Pontifice benedictam, atque Indulgentiâ donatam, ſecum geſtat. Plenariam indulgentiam ante pugnam omnes prædicant; Chriſtiq; Crucifixi imaginem efferentes, noſtros ad victoriam animant. Anſelmus verò, qui in ipſo pugnæ initio Turcarum claſſem, vento illi ſecundo flante, in noſtram tanto impetu irruere conſpexerat, vt vi, armiſque præualere videretur; ſimul atque Beatiſſimæ Virginis opem ad noſtrorum præſidium ardentius implorauit, Deiparam Virginem è Cœlo delapſam, in aëre ſtantem cernit; quæ cum benignos in Chriſtianorum claſſem oculos conuertiſſet, illam ſuâ benedictione firmat. Quo factum eſt, vt protinùs vento hoſtibus in aduerſum commutato, ac noſtris fauente, illuſtriſſimâ tandem victoriâ, multis ſæculis inauditâ Chriſtianis ceſſerit; Turcarum pluſquam 20. millia cæſa fuerint, in quibus Alis Baſſa glande transfixus, ac capite truncatus fuit; capta hoſtium quatuor millia; Chriſtiani captiui libertate donati 15000. Triremes, quæ in Chriſtianorum poteſtatem venerunt, præter eas, quas vnda, & ignis abſorpſit, numero centum ſupra octoginta. Neque etiam illud prætereundum, quod Anſelmus, cùm Triremem ſuam vndiq; ab Infidelium Triremibus obſeſſam, iam ab Aduerſarijs occupari, hoſtemque magnâ noſtrorum ſtrage, ad malum vſque victorem perueniſſe conſpiceret; Chriſti Crucifixi Imagine, quâ eouſque pugnauerat, tantiſper dimiſsâ, fidei zelo alterius Matathiæ inſtar accenſus Romphæam vtraque manu apprehendit; ac tantâ vi in hoſtes irruit, vt ex ijs ſeptem interfectis, cæteros à Triremi deturbauerit. Tot verò eo tempore in eum iacula emiſſa, totque catapultæ exploſæ fuerunt, vt cùm habitus, quo tegebatur, ab ijs vndique perforatus eſſet, eum Diuina virtus ita illæſum præſtitit, vt nec iaculum, nec glandis carnem eius attigerint. Sequenti verò anno, cùm inſtauratâ claſſe, ſub Duce Auſtriaco noſtri Abarinum à Turcâ occupatum oppugnarent; cum eâ Anſelmus quoque profectus, rupe conſcensâ, quæ vndique hoſtium iaculis, ac bombardis expoſita erat, æream Chriſti Crucifixi Imaginem manu geſtans, à mane vſque ad veſperam Chriſtianos milites ad pugnam hortabatur.

Quo

Quo tempore, cùm innumera propè tela, ac ſagittas in eum hoſtes eiacularentur, ac bombardas exploderent; inter hæc Diuinâ tantùm virtute armatus, ſummâ hoſtium ipſorum admiratione, ita illæſus conſtitit, vt nec minimum quidem ab his damnum, aut moleſtiam tulerit. Vir hic mirâ animi fortitudine, & conſtantiâ præditus erat; quàm ex plurimâ vitæ innocentiâ, integritate, & conglobato quodam multarum virtutum cumulo; præſertim verò ex aſſiduo orationis ſtudio ſibi comparauerat: quo tantopere afficiebatur, vt illi quotidianum ac familiare eſſet, duarum ſaltem horarum ſpatio ante Matutinas Horas ad orationem ſurgere; totumque illud diei tempus, quod illi ex neceſſariâ ſui muneris occupatione ſupererat, in cellâ, vel in ſyluâ ſolitariæ orationi conſecrare. Quo tempore pleriſqúe à Deo viſionibus, ac reuelationibus illuſtratur. Cùm autem tam perſpicua apud omnes eſſet Anſelmi virtus, atque in omnibus rebus prudentia, Generalis Commiſſarius in Pariſienſem Prouinciam mittitur; quam magno prudentiæ, ac Sanctimoniæ ſplendore adminiſtrauit. Nec facilè explicari poteſt, quantùm Pariſienſes Fratres, quo tempore grauiſſima lues Pariſienſem Vrbem inuaſerat, in ægrotantium miniſterio, quod ſponte diuinâ tantum Charitate vrgente, in Vrbe obeundum ſuſceperant, ſub Anſelmi ductu, & adminiſtratione præfulſerint. Anſelmus itaqúe conuocato Pariſijs Capitulo, cùm Franciſcum Brigam primum in eâ Prouinciâ Miniſtrum Prouincialem electum, ſuo in munere confirmâſſet, in Italiam redijt. Pleraqúe illum futura, quæ acciderunt, Diuino ſpiritu prædixiſſe conſtans omnium fama eſt. Diem quoqúe, locum ac horam ſui obitus cùm diuinâ reuelatione accepiſſet, Fratribusque præſignificâſſet, cùm primùm Camerinum appuliſſet, illis Prophetæ verbis vſus, inquit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* Vix vno, aut altero die elapſo, febre affligtari cœpit. Quo tempore maximum illius ſtudium animam tùm pœnitentiæ lachrymis, tùm Sacramento diligentius expiare, mentemque ad cœleſtium rerum contemplationem attollere. Cùm verò eâ in ægritudine ita omni cibi appetentiâ careret, vt nec quicquam guſtare poſſet, Deus, qui fidelem Seruum ſupremâ ægritudine laborantem, aliquo ſaltem ſolatio proſequi volebat, extra tempus ceraſa miniſtrat. Deniqúe, cùm is vitam omni virtutum genere ornatam, ad 36. vſque Annum in Religione perduxiſſet, Anno 1584. meritis clarus, ac ſanctimoniâ apud omnes commendatus, quietem in Domino accepit.

Fr. AVGVSTINI DE ALBINTEMELIO GENVENSIS, AC HETRVSCÆ PROVINCIÆ PROVINCIALIS, ET COMMISSARII GENERALIS *VITA, ET GESTA.*

FRATER AVGVSTINVS DE ALBINTEMELIO Genuenſis Prouinciæ Concionator, Vir omni virtute, ac prudentiâ florens, regularis obſeruantiæ cumprimis ſtudioſiſſimus, ac præſertim paupertatis propugnator acerrimus fuit: Chori verò, pſalmodiæ, ac communis Orationis tam eximius cultor extitit, vt ab ijs nunquam, niſi graui neceſſitate præpeditus, abeſſet: Propter inſignem Viri prudentiam, ac regularis obſeruantiæ zelum, ſæpe tùm Genuenſem, tùm Hetruſcam Prouinciam, ſub Prouincialis, ac Commiſſarij Generalis titulo adminiſtrauit: quo in munere, tam pręclaris æquitatis, temperantiæ, humanitatis, auſteritatis, ac cæterarum virtutum exemplis pręluxit, vt magnam & immortalem ſibi laudis famam apud omnes comparauerit. Hoc virtutum omnium curſu, cùm ad canos vſque perueniſſet, Saonæ febre, ac dyſenteriâ correptus, grauiter ad mortem ægrotare cœpit. Iam ad vitæ exitum properabat Vir optimus, cùm repente Dæmonum turbam in ſe irruentem cernit; quâ perterrefactus cum ſtatim exclamâſſet: *Deus in adiutorium meum intende*; eâ voce, atque vt nonnulla alia M. S. ferunt, Beatiſſimâ Virg. è Cœlo apparente, tota illa Dęmonum nubes protinus diſperſa, ac effugata fuit. Is verò mente integrâ, optimeque cum Deo compoſitâ, cùm vitam maximâ cum virtute duxiſſet, eam quoque haud ſine ſanctimoniæ opinione piè in Domino concludit. Cuius illud inter alia argumentum fuit, quod tertio poſt ſepulturam anno, ipſius corpus integrum, ac nullâ ex parte corruptum in ſepulchro conſpicitur: quodque magis admirandum fuit, ipſius femoralia, quæ cęteris partibus putrefacta erant, quâ parte ipſius carnem attigerant, ſolida, ac incorrupta cernuntur. Poſt Auguſtini obitum, cum Fr. Bonauentura à Ceſtaciario Concionator, ac Theologus inſignis, quartanâ febre moleſtiſſimè laboraret, ſingulari huius Viri ſanctimoniæ opinione ductus, ad ipſius ſepulchrum accedit; ipſiusque apud Deum ſuffragia implorans, vbi caput intra ſepulchrum declinauit, mox ſe à febre liberum ſenſit.

Obijt Vir Dei Anno 1585.



FRATER CHERVBIN A NVCIBVS PRŌÆ PARISIENSIS
COMMus GNRĀLIS NEC NON BARIENSIS VICus PRŌLIS

Fr. CHERVBINI à NVCIBVS, PARISIENSIS PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS, NEC NON BARIENSIS PROVINCIALIS VICARII

VITA, ET GESTA.

FRATER CHERVBINVS à NVCIBVS, Concionator, vix decimumquintum adoleſcentis ætatis annum attigit, cùm in Capucinorum Familiâ diuinæ ſeipſum ſeruituti mancipat. Vbi Fratrum, vt plurimum, colloquia fugiens, ſolitudinem Innocentiæ amicam quærebat. Hinc Angelica mentis puritas, hinc honeſtatis candor, hinc Regularis diſciplinæ rigor, hinc ſenſuum mortificatio, hinc gulæ præſertim interitus pullulabat: quo fiebat, vt multorum annorum ſpatio, à carnibus, ouis, ac lacticinijs ſe abſtinuerit: Hinc denique tot virtutum ſcaturigo profluebat, vt propter inſignes huius Viri virtutes, haud ſemel in Barienſi Prouinciâ, Vicarij Prouincialis munus obierit: indeque Lutetiam Pariſiorum miſſus, eam quoque Prouinciam, ſummâ cum prudentiæ, ac Regularis obſeruantiæ laude adminiſtrauerit. Tanto verò virtutum ſplendore ijs, quibus præerat, prælucebat, vt cùm rerum omnium contemptum, altiſſimæ paupertatis amorem, morum honeſtatem, orationis ſtudium, Chori frequentiam, humilitatem, patientiam, ſenſuum mortificationem, Religioſam totius corporis compoſitionem, cæterarumqúe virtutum amplexum, alijs perſuadere vellet; haud alio, præterquam factorum verbo, atque eloquentiori vitæ exemplo hæc illis inſtillaret. Ab omni rerum prouiſione abhorrens, cùm ſemel longo itinere confecto, labore ac ieiunio defatigatus deficeret, nihilqúe ad vires inſtaurandas ei à Socio miniſtrari poſſet; arbori innixus breuem ad Deum orationem fundit: tùm ad Socium: Feſtina, inquit, ad proximum collem: panemqúe, quem ibi reperies, adfer. Properat Socius, candidumqúe atque etiamnum calidum panem, quaſi tunc è clibano hauſtum reperit, Cherubino defert: quo guſtato ſatur, ac viribus reſtitutis, itineris reliquum facilè abſoluit. Altiſſimam paupertatem ita colebat, ac tantopere commendabat, vt cùm ab eo Frater quidam percunctatus fuiſſet, quædam illi ad Dei gratiam citius promerendam, res

magis

magis neceſſaria eſſet, protinus reſponderit: Paupertas, fili, paupertas. Quapropter etiam duplicia omnia refugiens, nunquam niſi vnicâ & obſoleta veſte, obſoletis denique omnibus & interpolis vteretur. Chori verò tam diligens, & aſſiduus cultor fuit, vt eum neque itineris labor, neque vlla corporis defatigatio, aut muneris adminiſtratio, vnquam ab Horis Canonicis, in Choro, diu, noctuq; perſoluendis reuocauerint. Tantâ autem animi attentione, ac pietate diuinis laudibus incumbebat, vt nonnunquam locum ſuaui odoris fragrantiâ redolentem relinqueret. Nec minor illi erga Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium animi ardor inerat; tanto enim aliquando, dum celebrationi intendit, diuinæ Charitatis æſtu rapi contigit, vt corpore ſurſum euecto, nec animo tantum, ſed & carne in Deum transferri velle videretur. Supremum quoque orationis, ac Diuinæ contemplationis cùm attigiſſet; in eâ plerumqúe ſenſibus excedebat. Apoſtolico ſpiritu Verbum Dei diſſeminans, audientium animos vi quâdam ad pœnitentiam propellebat, à Bacchanalium vſu, ad Dei verbum audiendum transferebat. Aquæviuæ etiam ſemel, cum aduersùs Magos, ac Veneficos pro Concione exclamaret, tot illi Magicæ, ac Veneficę artis libri, atque inſtrumenta allata fuêre, vt ſcrinium impleuerint; quæ is Sacro igne publicè comburenda curat. Madurij, dum Dei verbum prędicat, bis nomine IESV inuocato, hyrundines Dęmonis opera in Eccleſiâ garrientes, ac ſuo garritu, quominus ab audientibus percipi poſſet, impedientes, fugat; nec vnquam deinceps in Eccleſiâ viſæ fuerunt. Poſt hęc Andriæ, dum Quadrageſimali tempore prędicationi incumbit; illa Euangelij verba, quæ in tertiâ Dominicâ leguntur; *Erat* IESVS *eijciens Dæmonium.* pro Concione ediſſerens; arreptâ Crucifixi ſtatuâ, quæ à latere ſtabat, eâ Dęmones, qui Vrbem vexabant, aggreſſus, eos in Chriſti nomine, ac poteſtate ex Vrbe egredi compellit: qui ipſius imperio parentes, ad Monialium Monaſterium confugiunt, Monialesque varijs modis infeſtant: quibus cùm Beatiſſimę Virg. Litanias indixiſſet, Dęmones protinus è Monaſterio pellit. Tantâ hic Dei ſeruus animarum ſiti æſtuabat, vt bis, terque in die, ſi opus eſſet, Dei verbo incumberet; Quadraginta verò Horarum Orationem celebrans, cùm nullam abſque ſermone horam pręterlabi ſineret, vix ab eâ ſemiuiuus recedebat. Cùm verò ſemel ex prędicatione opimis animarum ſpolijs onuſtus reuerteretur, Satan nimis ægrè ferens, bellatoris formâ aſſumptâ, Cherubino, niſi deſiſtat, exitium minatur: at is Crucis ſigno in eum vibrato,

ad fugam compellit. Nunquam Cherubinus, niſi poſt longam orationem ad prædicandum ſuggeſtum conſcendebat; in quâ Diuinis amplexibus inhærens, plerumque corpore in aëra ferebatur. Triciani, cum nocte, quæ prædicationis diem antecedebat, in cubiculo oraret, hoſpes eum cubito altius è ſolo eminentem cernit. Eo quoque fiebat, vt Diuinâ Spiritus Sancti luce illuſtratus, nonnunquam futura prædiceret. Nonnulla quoque ab eo miracula patrata leguntur: ex quibus vnum, aut alterum referre libet. Mulieris cuiuſdam filius ſtrumis grauiter laborabat; quæ cùm Virum Dei ſacra Myſteria offerentem, in ſublime elatum conſpexiſſet, nonnullas ex ipſius Habitu fimbrias filij collo appendens, breui filius perfectam incolumitatem aſſequitur. Per Salentinos iter agens, Mulieri egenti, binis malogranatis cœlitùs acceptis, ſubuenit. His cùm tantam Sanctimoniæ famam Vir Dei, apud populos, ac Fratres comparáſſet, vt ab omnibus velut Vir Sanctus haberetur; cum Aquæviuæ Quadrageſimale Sermonum penſum, maximo cum Audientium fletu, ac pœnitentiâ concluſiſſet, obitus ſui diem familiari ſuo prænunciat. Supremo igitur morbo correptus, cùm iam Medici de illius vitâ deſperaſſent, in ipsâ Dominicæ Reſurrectionis die, vt æger ad Dominum, non Dominus ad Seruum accederet, in Eccleſiam ſe deferri popoſcit; vbi ſacro Domini Corpore, tanquam viatico reficitur. Vix autem rumor de deſperatâ ipſius valetudine per oppidum diffunditur; cùm plebs agminatim ad Virum Dei confluit, omneſque certatim, antequam hinc illis letho eripiatur, ipſius benedictione frui contendunt. Cumqúe frequentia tumultum pareret, bini ad Dei ſeruum accedere coguntur. Cæterùm Vir Sanctus cùm ad octauum ægritudinis diem integris ſenſibus perueniſſet; imminente ſui tranſitus horâ, Chriſtum Dominum, clariſſimâ luce circumfuſum, ad ſe venientem cernit, qui his illum verbis compellat: *Cherubine, iam veni mecum.* Cui Cherubinus confeſtim: En, Domine, libentiſſime venio. Hoc modo fidelis Dei ſeruus Chriſtum comitem, ac viæ Ducem nactus, ad immortales concedit. Itaq; rumore de huius Sancti Viri obitu, per Vrbem, ac finitima Oppida peruulgato, tanta mox populi frequentia vndiqúe erumpere viſa eſt, vt multitudinem Conuentus capere non poſſet. Atque hoc ipſo tempore lis inter Aquæviuæ Marchioniſſam, & Fratres de Corpore exorta, poſt multam diſceptationem, tandem hac ratione compoſita eſt, vt defuncti funus Clerus, & Fratres vſque ad

Matri-

Matricem Oppidi Eccleſiam vnà proſequerentur; vbi Inferijs defuncto corpori à Clero exolutis, illud Fratrum Eccleſiæ reſtitueretur. Lite itaqúe hoc pacto diremptâ, funus defuncto paratur: tamque ſolemni luminum pompâ, atque innumerâ populi multitudine, Cherubini ſibi ſuffragia implorante, celebratur; vt non defuncti cadauer, ſed pretioſæ potius Sancti alicuius Reliquiæ in Eccleſiam ferri viderentur. Feretro igitur vnà cum Corpore in Eccleſiâ collocato, dùm à Clero iuſta funebria redduntur, populus nullâ ratione contineri potuit, quin in ſacrum Corpus, præ deuotionis impetu, irrueret, Habitum præſcinderet, capitis capillos tonderet, vngues obtruncaret, omnesque illius pedes, & manus exoſculantes, Beatum exclamarent. Poſt hæc verò, corpore Fratribus reddito, tanta vicinorum Oppidorum ad illud confluentium, populi multitudo excreuit, vt ad quartum vſque diem inhumatum ſeruari neceſſe fuerit; quo tempore ſuauiſſimus ex illius ore odor diffundebatur: caro quoque tam mollis, artusque tam flexibiles cernebantur, vt dormientis potius, quam mortui ſpeciem referret. Poſtremò, ligneo Sarcophago incluſus, à tergo maioris Altaris ſepelitur. Paulò poſt Sancti Viri obitum, cùm Mulier quædam à Nucibus, Paſca nomine, grauiſſimis partus doloribus diu cruciata, fœtum eniti non valeret, vix Cherubini Habitus particulam ſibi collo appendit, cùm protinus ſalua maſculum peperit. Alia quoque miracula ab eo poſt mortem patrata referuntur. Poſt aliquos etiam ſepulturæ menſes, cum Ennius Caluus, Aquæuiuæ Ciuis, illius videndi ſtudio teneretur, id tandem aſſecutus, ſuauiſſimum ex illius corpore odorem emanantem ſentijt. Obijt Vir Sanctus Anno 1592.



FRATER LVCAS ERATVERTENSIS PARISIENSIS
AC LVGDVNENSIS PRŌÆ. VIC. PROLIS

Fr. LVCÆ ERATVERTIENSIS, PARISIENSIS, AC S. LVDOVICI PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER LVCAS AB ERATVERTIO, Sacerdos, à puero puerilia faſtidiens, diuinis tantum rebus oblectatur, tantâq; animi commiſeratione in pauperes fertur; vt tunc tantùm, cùm ſubreptis è menſâ panibus pauperes aleret, ſibi epulari videatur; ſextumdecimum annum agens ad Capucinos aduolat: & Lucæ inter eos nomen ſortitur. Auſteriſſimum vitæ genus, ab ſuæ Profeſſionis exordio aggreſſus, cùm cæteris diebus cibo parciſſimè vteretur, quamlibet ſextam Feriam panis & aquæ ieiunio celebrabat. Quadrageſimali verò tempore, tres cuiuslibet Hebdomadæ dies cibo vacuos tranſigebat: in maiori tandem Hebdomadâ; à Quintâ Feriâ vſque ad Dominicæ Reſurrectionis diem, nullam omninò eſcam deguſtabat. Habitum verò hiſpidum, atque vndiquè conſarcinatum gerebat. Denique cùm prolixiores noctis vigiliæ ſomno tempus præriperent, breuiſſimum illi quietis ſpatium relinquebant. Abundantiùs autem orationi, & rerum diuinarum contemplationi vacans, haud rarò mente excedebat; ac diuinâ luce perfuſus, pleraquè occulta, atque animorum profunda perſcrutabatur. In Conuentus Saluenſis Familiâ aliquando conſcriptus, dum ſacra Myſteria ad Altare celebrat; ac ipſis Chriſti verbis, Panem & Vinum in eius Corpus & Sanguinem commutat; vix Conſecratione peractâ, Portiâ quædam Citta, mulier Saluenſis, Lucam cœleſtem Hoſtiam manibus geſtantem, vnius circiter cubiti menſura, è ſuppedaneo in ſublime efferri, eoquè modo extra ſenſus raptum, ac immobilem per integrum Horæ quadrantem ſubſiſtere cernit: cùm verò is ſibi, ac loco redditus Sacram Euchariſtiam attolleret, illam Portia tam ſplendidam conſpicit, vt vndiquè cœleſtem lucem effunderet; quo illa aſpectu ita territa fuit, vt cum ab Eccleſiâ digreſſa in Ioannem Andream Alemannum, Lucæ, ac Capucinorum familiarem incidiſſet, his eum protinus verbis compellauerit: O Andrea, quidnam illud eſt, quod his oculis perſpexi! quàm magnum, quàm ingens, quàm mirabile! Cui Andreas: Quid iſtud Portia? cui cùm illa,

quod in Luca viderat,ſignificâſſet;mox Andreas: Tu quidem, (inquit) quod tibi nouum ac inſolitum eſt,miraris:at,cùm hæc ſæpe in Viro Dei à nobis conſpecta fuerint, haud ſanè tantá rei admiratione capimur. In eodem Saluæ Oppido Dæmonum caſtra Virginum Monaſterium impugnantia cernit; atque Petro à Martinâ Laico oſtendit, nihil autem effectura prædicit. Magiſtri Nouitiorum cùm aliquando munere fungitur, Nouitij cuiuſdam, qui apud Fratres magnum ſibi ſanctimonię nomen comparauerat,hypochriſim reuelat,qui breui ad ſęculum remeans,dùm aleam ludit,à colludente pugione confoſſus perimitur. Vt Nouitij alterius obedientiæ periculum faceret, braſſicas illi radice ad Cœlum conuerſâ, conſerendas imperat:cuius cùm ille imperio promptè obtemperaret,braſſicæ,naturæ ordine immutato, ita terræ coaluêre, vt in admirabilem foliorum tùm vbertatem,tùm condenſationem excreuerint.Mira Lucas, erga ægrotos potiſſimum Charitate pręditus erat, quos omni pietatis officio proſequebatur; ita vt tametſi Guardianus, ac Viſitator Generalis eſſet, eorum matulas extergere, aliaq; quantumlibet vilia ijs miniſteria exhibere omni ſtudio contenderet. Hinc tanta illius orationi vis indita erat, vt facilè vniuerſa à Deo poſtulata impetraret. Scipionis Ariminenſis, qui ob copioſi ſanguinis vomitum ad Medicorum deſperationem ægrotabat, occultum odij peccatum aperit; vt odia deponat, monet, preces & incolumitatem pollicetur. Annuit mox æger; Antonium filium ſedatis odijs paternâ beneuolentiâ complectitur;Lucas verò ad Monaſterium reuerſus, cùm pro ægro ſuas Deo preces obtuliſſet, breui illum ſuâ oratione tùm animo,tùm corpore incolumem reddit.Poſthęc in Galliam miſſus,tam admirabili in S. Ludouici Prouinciâ, morum & vitæ ſanctimoniâ effulſit,vt tanquam Vir Sanctus ab omnibus prędicaretur. Eo Maſſilienſem Conuentum moderante, cùm Turcarum Claſſis, quæ ſub Algerij Rege Tyrrhenum mare infeſtabat, mutuo cum Gallis freta fœdere, in Portu Maſſilienſi, per aliquot tempus conſediſſet, Chriſtianus quidam Chriſti Fide abnegatâ, palam ad Mahometicam ſectam ſe tranſtulit; quod ita Lucæ animum exulcerauit, vt Dei zelo,Matathiæ inſtar,accenſus, pro animarum ſalute pugnans,Viri facinus exaggerans iramq; Dei comminans, ab Vrbis Dominatore legẽ ſanciri curauerit; ne cuipiam Chriſtiano in eâ Vrbe ad Mahometicam Sectam migrare fas eſſet. Alteri quoq; Equitum Magiſtro,qui apud Gallos duorum Epiſcopatuum fructibus potiebatur.perſuaſit, vt ijs renunciatis, ſolo patrimonio, & Regio ſtipendio contentus

eſſet. Generalis Viſitatoris in Pariſienſi, ac S. Ludouici Prouinciâ officio functus, maximam ſibi apud omnes prudentiæ ac ſanctimoniæ laudem comparauit: hoc verò in Viſitationis itinere, cum Solonienſio digreſſus, ieiunus ac diuturno itinere fatigatus, aliquando conſediſſet; nihilq; de more Socius, quo defatigatas Senis vires recrearet, ſecum haberet, ab Angelo, ſub Minoris Conuentualis Fratris ſpecie, panem, gracilisq; vuæ racemos, ac poma, potumq; ex lagenâ accipit; repenteq; ex eorum oculis eripitur, ac nullibi in totâ illâ planicie, quæ ad leucæ ſpatium extendebatur, conſpicitur. Porrò, cùm multis pro Religione, tam in educandis Nouitijs, quàm in Prouincijs adminiſtrandis, piè laboribus perfunctus eſſet; tandem in Auenionenſi Conuentu, cui Guardianus præerat, extremâ ægritudine correptus, quo propiùs ad vitæ metam accedebat, eò ardentiùs Diuinæ Charitatis flammis incaleſcere videbatur; ita vt ſæpe è lecto exiliens Angelicum Hymnum; *Gloria in excelſis Deo*, maximâ ſpiritus vi raptus, altiùs perſonaret. Cumqúe, ne toties eo cantu repetito, morbi vis excreſceret, ab eo abſtinere rogaretur, hæc Fratribus reſpondebat: Sinite, Fratres, ſinite, vt quandoquidem hæc breui carnis ora claudenda ſunt, quamdiu mihi integra manent, in Dei laudes aperiam. Cùm autem à Medico certum ſibi vitæ occaſum imminere accepiſſet, poſt immenſas gratiarum actiones, totis medullis exultare cœpit; moxque in hæc verba ardenti ex pectore hauſta erupit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Ab eo porrò tempore, cùm Eccleſiæ Sacramentis ſe muniri curâſſet, animum prorsùs ad cœleſtia transfert; confluentesque ad eum Fratres cœleſtibus monitis vberiores ad virtutes prouocat. Triduò verò, antequam è vitâ excederet, maximis corporis doloribus excruciari cœpit; in quibus, cùm ea tantùm vox audiretur: *Sit nomen Domini benedictum.* Primâ illius tridui die elapsâ, Fratrem Abundium Nouocomenſem accerſiri iubet; atque vbi ſub Secreti ſigillo ſe eatenus Purgatorias pœnas, Deo ita iudicante, luiſſe aperuit, ter ab eo in gratiarum actionem Deo, qui ſecum benigniùs egerat, Miſſæ Sacrificium offerri poſtulat; ſolemnemq; in Cœlo ab eo tempore Proceſſionem inchoari monet, quæ breui abſolui deberet: at hanc Beatorum Capucinorum, qui illum, poſtquam hinc commigraſſet, in Cœlum ſecum perducturi eſſent, ſupplicationem fuiſſe, omnibus perſuaſum fuit. Obijt tandem Auenione Vir egregius, apud omnes ſanctimonæ opinione celebris Anno 1598.

Fr. ARCHANGELI ALARCONII, PROVINCIÆ CATHALONIÆ COMMISSARII GENERALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER ARCHANGELVS ALARCONIVS, Concionator, in Turri Siltanâ, Hiſpaniæ Tarraconenſis Oppido, Nobiliſſimo genere ortus, cùm in Italiam profectus eſſet; ibi generis nobilitatem meliori Dei ſeruitute apud Capucinos accumulauit: quam & alij duo vterini deinde ſecuti ſunt, Ioannes videlicet, & Franciſcus. Archangelus igitur in Mediolanenſi Prouinciâ, Seraphicæ primùm militiæ inſcriptus, cùm ex eâ paulò poſt, in Neapolitanam translatus eſſet; in vtrâque Prouinciâ tantâ cum Regularis diſciplinæ, ac virtutum laude verſatus eſt, vt Neapoli Nouitiorum Magiſter creatus fuerit: quo tempore Nouitium quendam à graui carnis tentatione, triduanâ oratione, nec non panis & aquæ inediâ liberat. Veruntamen cùm libidinis ſpiritu effugato, grauior Nouitium oculorum cœcitas occupaſſet, ieiunia Archangelus, & orationes congeminat, quibus tandem Nouitium ab vtrâque tentatione liberum præſtat: Vir enim tantæ orationis erat, vt maiorem noctis partem in eâ tam immobilis expenderet, vt ſenſibus excedere videretur. Hoc ipſo tempore in Neapolitanâ Vrbe, cùm Marchionis S. Crucis Filium grauiſſimo morbo laborantem, inuocato IESV nomine, cui deuotiſſimus erat, Crucis ſigno communijſſet, incolumem reddidit. Hic quoque libet aduertere, quod Franciſcus, Archangeli germanus, cùm Neapoli ante ipſius diſceſſum, diem extremum obijſſet, eâdem ſui obitus horâ, cuidam ex noſtris Sacerdoti, qui in Conuentu Apici, ſeſe ad incruenti Sacrificij oblationem parabat, apparens, ab eo, vt illius Sacrificij virtutem pro ſuâ è pœnis Purgatorijs liberatione Deo offerat, impenſius efflagitat. Quod cùm ille ſummâ charitate præſtitiſſet, Franciſcus à Purgatoriâ pœna liber in Cœlum euolat. Archangelus verò cùm multos in Coſſettinæ Prouinciæ fundatione labores exantlaſſet, plurimiſque virtutum, & Euangelicæ perfectionis exemplis nouam Prouinciam exantlaſſet, Barcinonæ in Conuentu Montis Caluariæ vitam cum morte commutat Anno 1598. Cuius corpus communi ſepulchro cum cæteris conditum, tertio, vel quarto poſt ipſius obitum anno, incorruptum, omniq; ex parte integrum cernitur.



FRATER MARIVS A PICELEONE FRATRVM CAPVCINORVM
COMMISSARIVS GENERALIS.

Fr. MARII A PICELEONE, S. LVDOVICI PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS NEC NON PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER MARIVS à PICELEONE, honeſtis ac pijs parentibus ortus, cœleſtique rore irrigatus, præcoces in ætate, quæ virtuti immatura eſt, Deo pietatis fructus reddidit: Diuinis namqúe rebus ita animum addixerat, vt paſſim genu flexo ante Beatiſs. Virg. Imaginem orare, ac Sabbatho præſertim die cæteros quoque pueros, ante quandam Beatiſſimæ Virg. Iconem, quæ in paternæ domus fronte depicta erat, colligere, & cum ijs ſacras Litanias Cœlorum Reginæ decantare ſoleret. Adoleſcens verò ſtudia Pietatis augens, ſæpius mente Pœnitentiæ Sacramento expiatâ, ad ſacram Synaxin accedit, pijsque alijs operibus incumbit. Deniqúe, cùm vigeſimum ætatis annum attigiſſet, deuicto ſæculo Capucinorum Caſtris adiungitur. Vix Marius Religionis palæſtram ingreſſus, cùm occultis eum tentationum telis Dæmon proſternere non poſſet, palàm varias illi hominum & mulierum ſpecies viſibiles obijciens, à cœpto illum virtutum ſtudio reuocare conabatur: at inuictus, licet nouus Religionis Athleta, quem nullâ humanâ vi, & conatu repellere poterat, oratione ac patientiâ deuincebat: ab his tandem poſt emiſſa Religionis vota liber, tantâ cœpit Regularis obſeruantiæ, ac totius Euangelicæ perfectionis luce ſplendere, vt in eum, velut nouum Religionis prodigium, Fratres oculos conuerterent: Corpus namqúe quotidiano ieiunio extenuans, ſacras B. P. Franciſci Quadragenas, ſolâ pulte contentus, quoad vixit, obſeruauit. Rerum omnium paupertate diuitem, ſimplex habitus multis præſegminibus interpolus; cella rebus omnibus, præterquam Breuiario, ac Chriſti Domini Cruce vacua; anguſtus lectulus, leui paleâ ſtratus; animus deniq; ab omni rerum cupiditate alienus teſtabantur. Pudicitiæ tam diligens ac ſeuerus cuſtos fuit, vt quam à Matris gremio acceperat, Deo in morte virginitatem reddiderit; cum Sorore,

rarò,cum cæteris mulieribus nunquam collocutus fuerit. Nihil eo aut obedientius, aut humilius extitiſſe, parata ſemper ad obediendũ mens,animusq́; parua de ſeipſo ſentiens indicabat. Cæteras quoque Euangelici hominis virtutes, ac præſertim orationem, Diuinarumq́ue rerum contemplationem tanto ſtudio proſecutus eſt, vt cùm in eâ maiorem diei,& noctis partem impenderet, nunquam tamen ab eâ vel ſatur,vel defeſſus recederet.Potiſſima tamen in Beatiſſimam Cœlorum Reginam deuotione ferebatur. Hoc virtutum ſplendore cùm Marius in Religione clarius eluceret,Generalis Commiſſarius in S.Ludouici Prouinciam miſſus,in eâ etiam Prouincialis Vicarij munus tantâ cum prudentiâ, & præclaris vitæ exemplis adminiſtrat, vt magnam ſibi in eo apud omnes gloriam comparauerit. Cùm verò eam aliquando Prouinciam inſpectans, inter noctis tenebras deprehenſus, per ſyluam quandam cum Socio incederet,atrâ tenebrarum caligine immerſi,quò tenderent,ignorabant. Quapropter ad Beatiſs.Virg. opem confugiens, ſacras B.V. cum eo Litanias perſoluit: moxq́ue affulgentem procul lucem percipit; cuius ductu, cùm ad tugurium quoddam in ipſo nemore conſtructum, cum Socio perueniſſet, ſolum in eo lumen offendunt,nemine prorſus, qui in eo habitaret, conſpecto. Maximæ tunc ab eo Deiparæ Virgini,quæ illud ijs hoſpitium parauerat, gratiæ redduntur; neque immeritò: cùm enim nocte ibi in quiete tranſactâ, manè cœptum iter cum Socio proſequeretur, nunquam deinceps tugurium illud, licet diligentiſſimè conquiſitum reperire potuerunt. Cum Herbæ Guardiani officio fungeretur, Beatiſſimæ Virginis interceſſione Familiæ ſuæ annonam è Cœlo Angelico miniſterio impetrat. Piceleoni quoque, dum Conuentus extruitur, Marius ædificationi præerat: quo tempore igne fornaci calcariæ admoto, cùm ligna ad illum ad plenam vſque cocturam fouendum defeciſſent, fornacarium opus peſſum ire neceſſe erat: quapropter Marius fornacarios omnes genuflectere iubet, atque à Deo, Beatoque P. N. Franciſco opem quamprimùm efflagitare. Res profectò mira! Vix abſoluta oratio fuit, cùm vndiqúe plauſtra lignis onuſta, quorum nulla aut ſpes, aut prior notitia erat, ad fornacem confluunt, ſummâqúe omnes admiratione complent. Rurſus operarijs annonam à Deo ſuâ oratione, haud ſine miraculo exorat. Prophetiæ ſpiritu clarus, nec non miraculis venerabundus exiſtit. Dum enim Vir Dei Mariniani Conuentum moderatur, Caroli Tiruultij filius, ſeptem annorum puer, ægrotans, Medicorum ſententiâ iam morti

adiudicatus fuerat;cùm ad eum Marius accedens, Sanctiſſimo IESV nomine ad collum appenſo, Beatiſſimæ Virg. Litanias ſimul cum Socio genuflexus perſoluit; ac demum illum ſigno ſanctæ Crucis benedicit. Hæc cùm veſperi præſtitiſſet, manè puer lætus, atque incolumis è lecto ſurgit, Medicosque ſtupore replet. Idem, in mulierem quandam incidens, quæ morbo correpta, velut exanimis humi iacebat: eam cùm manu ſubleuaret, ea protinus valetudine recuperatâ, iter ſuum proſequitur. Piceleonem, hoc anno, cùm Guardiani authoritate profectus, graui capitis abſceſſu corripitur: quo cum 7. vel 8. menſium ſpatio grauiſſimè afflictatus fuiſſet; quo tempore ſuauiſſimus ex eo odor diffundebatur, eo cruciatu maximâ cum animi patientiâ tolerato, tandem conſumptus, iuſtitiæ à Deo coronam tulit Anno 1603.

Fr. FOELICIS à PETRA HONORII, PARISIENSIS PROVINCIÆ COMMISSARII GENERALIS

VITA, ET GESTA.

IN Bononienſi Prouinciâ Fr. FOELIX à PETRA HONORII, Concionator, plurimùm prudentiæ, ac virtutis commendatur; qui cùm in turbulentiſſimo illo rerum ſtatu, quo Gallia, Henrico III. Rege interfecto, ſub Hæreticorum armis gemebat, in Pariſienſem Prouinciam, cum Generalis Commiſſarij poteſtate, ab Hieronymo à Politio, Generali, miſſus eſſet, ſtrenuè, ac præclarè ſuo Officio functus eſt. Marfiſæ Eſtenſis filium ægrotantem Crucis ſigno incolumitati reſtituit. Demùm in patrio Conuentu maximo multorum luctu, diem ſupremum obijt Anno 1596.

Fr. APOLLONII BRIXIENSIS
COMMISSARII GENERALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER APPOLLONIVS BRIXIENSIS, Sacerdos, ex illuſtri Porcellagorum progenie ortus. Hic maiores ſuâ virtute in Ordine dignitates, ac munera aſſecutus, Guardiani, Definitoris, & Generalis Capituli Definitoris ſæpe Officia, magnâ cum prudentiæ, ac virtutis laude ſubijt: ac tandem ob Iacobi à Forozarſinio mortem, Generalis totius Ordinis Commiſſarij munere functus; tantum abeſt, vt his ſibi gloriam auxerit, quin potius his ſuâ virtute gloriam contulit. Plurimis tandem pro Religione laboribus perfunctus, Brixiæ res humanas deſerit: carne poſt obitum præter morem in eo tenerâ, & palpabili renitente. Obijt 1603.

Fr. BONAVENTVRÆ A MONTE
REGALI, COMMISSARII,
NEC NON PROCVRATORIS GENERALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER BONAVENTVRA à MONTE REGALI, Oppido Samnitum, Concionator, Vir fuit omni prudentiæ, doctrinæ, ac virtutum genere inſtructus, atque adeò Caſtitatis amator, vt cùm à Patre ad Coniugium compelleretur, nuptias quidem, vt Patri morem gereret, inierit: at alterius Alexij inſtar, intactâ ſponsâ, domo relictâ ad Capucinos aufugerit. Inter quos, virtute clarus, S. Franciſci Prouinciam, ſex annorum ſpatio prudentiſſimè adminiſtrauit. Prælectoris Generalis Neapoli onus ſuſtinuit. Generalis Commiſſarij ſæpe officio functus, Procuratoris tandem Generalis Romæ munus magnâ cum prudentiæ laude obiuit: quo tempore Sixto V. Pontifici Maximo ægrotanti, vitæ occaſum, quem alij aperire metuebant, conſtantor annunciat, atque opportunè animam agenti ſuprema exoluit. Deniqúe multis pro Religione piè laboribus perfunctus, Regulari obſeruantiâ clarus Fulgentij extremum diem claudit Anno 1604.



FRATER SEBASTIANVS ARGYRENSIS SYRACVSANÆ PROÆ VICARIVS PROLIS.

Fr. SEBASTIANI ARGYRENSIS,
SYRACVSANÆ PROVINCIÆ
Vicarii Provincialis
VITA, ET GESTA.

FRATER Sebastianvs Argyrensis, ſeu à S. Philippo, Siculus, ſacri verbi Concionator, ex honeſtâ illius Vrbis familiâ natus; vix octauum ætatis annum attigerat, cùm cœleſti gratiâ illius animum præueniente, virtuteq; ætatem pręcurrente, alterius Baptiſtæ inſtar, corpuſculum inediâ extenuare; puerilia membra, duris necdum aſſueta, ciliciolo contegere; carnem necdum petulantem, ac ſpiritui reluctantem flagellis domare; rebus Diuinis maximâ religione intereſſe; ſolitaria orationis loca, velut amica ſibi quærere; linguam denique, quæ vix animæ ſenſus exprimere nouerat, ad pietatis verba, ac pręedicationis formam, quaſi nouus Eccleſiaſtes explicare cœpit. In hac puer dum maiori virtutum palæſtrâ ſeipſum exercet, & antequam bellum intentent, hoſtes Tartareos vincit, fremit in eum Satan, & minis ſæpe, ac terroribus, verberibuſque interdum aggredi feſtinat. At generoſus puer nihil ducens Inferorum impetum maiora indies de hoſte trophæa refert. Cùm primùm ad 16. annum peruenit, bonis omnibus, quæ ſibi ex matris hæreditate obtigerant, in pauperes diſtributis, in Religionis Capucinorum arenam deſcendit. Sebaſtianus igitur, inter Seraphica B. P. N. Franciſci Caſtra conſcriptus, bello omnibus vitijs indicto, tantarum virtutum Vir fuit, vt nihil in eo vitioſum, nihil vel Ariſtarchi cenſurâ carpendum deprehenderetur. Perpetuam illum Virginitatem coluiſſe, inuiolata à teneris annis cuſtodia, tantaque illius animo indita honeſtas, ruborque ille virtutis color, & honeſtatis nuncius, qui vultum eius perfundebat, cùm verbum aliquod minus caſtum prolatum audiret, non obſcurè teſtantur. Verùm ad Concionatorium munus à Deo vocatus, mirum planè, quàm feruido & Apoſtolico ſpiritu, Euangelicum opus exantlaret. Quò fiebat, vt nunquam abſque ſpolijs opimis, atque ingenti animarum lucro à pręedicatione rediret. Paſſionis verò Dominicæ cultu ita afficiebatur, vt in die Paraſceues Concionem de eâ ad octauam

horam protraheret. Dum autem in Nettinâ Vrbe verbum Dei diſſeminat, ita Ciuium animos ad ipſius venerationem accendit, vt eo authore, Vrbis decreto inſtitutum fuerit, vt quâlibet Veneris die, ſub meridiem, quâ horâ Chriſtus Dominus in Cruce Deo Patri ſpiritum reddidit, publico omnium Vrbis Campanarum ſonitu ſignum daretur, quo vniuerſi admonerentur, genuflexo Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam, ad Chriſti Domini Paſſionem, ac Mortis memoriam recolendam, quinquies ſibi perſoluendam eſſe. Quàm verò pia huiuſmodi inſtitutio grata fuerit, Diuino paulò poſt miraculo confirmatum fuit. Cùm enim cæterarum Eccleſiarum Campanis ſignum in meridie perſonantibus, ſola ſancti Crucifixi Eccleſia ob æditui abſentiam, à conſueto ſigno abſtineret; mox Dei virtute factum eſt, vt illius quoque Eccleſiæ Campanæ, nullo pręterquam Angelo pulſante, ſignum ederent. Quæ res adeò Nettini Populi erga Dominicæ Paſſionis cultum animos permouit, vt piam hanc Sebaſtiani inſtitutionem in hanc vſque diem, integram eſſe voluerit. Vir hic, vt pietate, ita & prudentiâ & Regularis obſeruantiæ zelo illuſtris fuit. Quo factum eſt, vt in Syracuſanâ Prouinciâ non modò inferiores, Guardiani, Cuſtodis, ac Definitoris Dignitates paſſim obtinuerit: verùm & primam ſedem, ac totius Prouinciæ gubernacula ſuâ virtute aſſecutus fuerit. Id ille munus tametſi inuitus ſuſceperit, in eo tamen adminiſtrando, tantâ prudentiæ, & Regularis obſeruantiæ laude excelluit, vt magnam ex eo, tum apud Deum, tum etiam apud Fratres gloriam adeptus fuerit. Verùm cùm Martyrij deſiderio flagrans, id Hieronymo à Monte florum Vicario Generali expoſuiſſet, ac repulſam paſſus fuiſſet, domeſticum Martyrium, ne Martyrij palmâ fruſtraretur, precibus à Deo obtinuit: Etenim poſt hæc Elephantiæ morbo à Domino affectus ad duodevigeſimum vſque menſem grauiſſimas, ac diuturnas illius ægritudinis moleſtias patientiſſimè tulit; & cùm inter acerbiſſimos illius dolores, quibus à plantâ pedis, vſque ad ſummum verticem tenebatur, nulla ipſius vox, pręterquam Diuinæ laudis audiretur; quid in eo pręter antiquas illas Martyrum coronas conſpicere licebat, qui inter equuleos & cataſtas Diuinum nomen perſonabant? Ne quis autem hanc Dei correptionem ob culpæ alicuius labem illi inuſtam eſſe exiſtimaret, id paſſim pręſtabat Diuina virtus, vt lepræ illius ſquamulę, quibus totum ipſius corpus ſcatebat, inde auulſę, atque à pijs Viris, qui Sebaſtiani ſanctitatem probè nouerant, varijs languoribus applicatę, febres curarent, capitis

dolores depellerent, parturientes ad fœtum prouocarent, Dæmones ab obſeſſis corporibus eijcerent, totqúe miracula perpetrarent, vel ſola aqua, in quâ illæ demerſæ fuerant, epota; vt ad Viri Dei languentis ſquamulas iam vniuerſi confluerent, Diuinamqúe in his virtutem experirentur. Poſt hæc è Platienſi Conuentu, Phyſicorum conſilio, Argyram in Capulo vectus, nubem ad Solis temperiem ſuâ oratione impetrat. Argyram cùm primùm peruenit, totâ Vrbe, cui Viri ſanctitas iam perſpecta erat, ei obuiam procedente, in Eccleſiam ſe deferri poſcit; vbi ſermonem tanto, Spiritus feruore conceptum è Capulo ad populum habet, vt omnes in lachrymas diſſoluerentur. Mox inde ad Fratrum Noſocomium, quod in Vrbe erat, perductus D.O.M. pluribus Serui ſui ſanctitatem ſignis non obſcurè teſtatam eſſe voluit: nam cùm languens ad quandam Tertij Ordinis Sororem, quæ Tutia appellabatur, literas dediſſet, dum illa epiſtolam legit, ipſius Neptis, quæ Paralytica diu in lecto iacuerat, cùm primùm illam ſancti Viri epiſtolam eſſe audit, Amitam, vt Epiſtolæ illius ſibi copiam faciat, obnixè rogat; fore enim ſperat, vt Sancti illius merito membrorum à Deo incolumitatem aſſequatur. Annuit Tutia; Epiſtolam brachio illius dextero alligat: hac ſpe cùm Paralytica, quæ Ioſaphella voca. .tur, nocte illâ obdormiſſet, manè ſurgens tàm integrè à paralyſis morbo conualeſcit, perinde ac ſi nunquam eo laboraſſet. Miraculo hoc per Vrbem euulgato, Ioanna honeſti cuiuſdam Viri vxor, morboſi Coniugis tibiæ, qui formiculari morbo diuexabatur, eandem Sebaſtiani Epiſtolam adhibet, ac morbo expulſo poſtero die fidei pręmium aſſequitur. Moleſtiſſimo igitur Sebaſtianus Elephantiæ morbo, ac tot membrorum Martyrio, duodeviginti menſium ſpatio, ſummâ animi patientiâ tolerato, poſtquam Fratri Illuminato Argyrenſi diem obitus ſui prædixiſſet, vniuerſaſqúe mentis, & corporis vires ad Diuina tranſtuliſſet, poſtridie morbis omnibus, ac vitæ huius ærumnis valedicens, mortalem cum immortali vitam commutat. Sebaſtiani obitu in Vrbe euulgato, tam ingens Populi vtriuſq; ſexus ad Noſocomium frequentia confluxit, vt Vrbs incolis penè orbata videretur. Vniuerſi, Viri Dei manus & pedes exoſculari, ac piâ deuotione in eum irruere, barbæ pilos tondere, capillos, vngueſqúe obtruncare, Habitum deniqúe ita in fruſta conſcindere, vt alterâ illum tunicâ contegere opus fuerit. Dies Beatiſs. Virginis Purificationi ſacer agebatur, quem is longè ante obitum ſibi ſupremum fore prędixerat, cùm Sebaſtiani corpus ex Vrbis Noſocomio ad Monaſterium, quod vnius milliaris &

amplius ſpatio ab vrbe aberat, Vrbis Magnatibus, ac toto populo funus proſequente, effertur, maximoque omnium mœrore tumulatur. Mox verò huius Viri apud Deum merita perſpecta eſſe cœperunt: cùm enim præter exigua quædam fruſtula in Conuentu nihil panis reliquum eſſet, quo Familia in prandio veſceretur, Vrbemque ad panes mendicandum adire, niue prę ſertim cadente, pręſens Fratrum neceſſitas haud ferret, liberaliſſimus Deus Sebaſtiani merito Eſurientes Angelico miniſterio pauit. Poſthæc, cùm Frater Humilis à Noto, Sacerdos, linteolum, quo Sebaſtianus lepræ vlcera ſibi viuens extergere ſolebat, ſecum ex deuotione ferret, accidit, vt Tertiariam quandam ſibi conſanguineam, Caſſandram nomine, viſu ex nimio fletu orbatam, inuiſeret: quæ cùm ab eo quicquam, quod Sebaſtiani vſui aliquando miniſtratum eſſet, expoſceret, is linteolum profert; quod illa, inuocato Dei & Sebaſtiani nomine, cùm ſibi oculis admouiſſet, eo ipſo tempore oculorum lumen recipit. Paucis inde elapſis diebus, cùm Antonia Caſſandræ famula graui ſtomachi dolore laboraret, Sebaſtiani linteolum ab Herâ poſtulat, eoqúe ſtomachum refouens, mox ab eâ moleſtiâ liberatur. Squamulæ verò, quæ ex huius Serui Dei adhuc viuentis leprâ ſcatebant, à Virgine quadam Tertij Ordinis Sorore, apud ſe religiosè aſſeruatæ, plerîſqúe quartanâ ac tertianâ laborantibus, alijsqúe ægrotis poſt illius mortem, incolumitatem contulêre. Conſtans quoque fama eſt, Dæmonem ab obſeſſo mulieris corpore earum virtute expulſum: quamobrem ſpiritus illi nequam adeò illius memoriam exhorrebant, vt cùm illius Caputium aliquando arreptitio cuidam impoſitum fuiſſet, eo Dęmon tam acerbè diſcruciaretur, vt clamores, ac eiulatus in Cœlum vſque efferret. Hinc ſemel Dæmon in obſeſſo corpore interrogatus, num Sebaſtianum agnoſceret; & quonam is loco tunc degeret; reſpondit: De Vlcerato illo quæris? Heu! Heu! noſtras ille rapuit ſedes.

Obijt autem Vir Sanctus

Anno 1583.

***

Fr. Ia-

Fr. IACOBI MEDIOLANENSIS,
EIVSDEM PROVINCIÆ
VICARII PROVINCIALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER IACOBVS MEDIOLANENSIS SACERDOS, è Nobili Tuſſanorum familiâ Mediolani natus, è Scantiorum genere matrem habuit. Puer ſub piâ matris educatione, optimis moribus ac literis inſtructus, vbi vigeſimum ætatis annum attigit, fallaces mundi illecebras fugiens, Diuino afflatu ad Capucinos ſe contulit, floreſcentemq; ætatem Deo maturè conſecrauit. Hic igitur omnes animi neruos in Regulæ obſeruantiam intendens, eam tàm integrè aſſecutus eſt, vt illi omnium opinione in Regularis obſeruantiæ diſciplinâ ſecundus nemo, hanc inter Fratres laudem adeptus fuerit, vt nemo illo humilior, nemo pauperior, honeſtior nullus haberetur. Tanta in eo morum honeſtas, tanta ſenſuum mortificatio, tamq; Religioſa in omnibus diſciplina elucebat, vt vniuerſos ſuo aſpectu, ac conuerſatione ad virtutem alliceret. Atq; inde factum eſt, vt cum maximis his virtutibus amplior quoq; prudentia reſponderet, maiores in Mediolanenſi Prouinciâ dignitates conſecutus, haud rarò quoque ſupremum in eâ Miniſtri Prouincialis munus obtinuerit. Vir hic pretioſi temporis iacturam, ac vanas Fratrum confabulationes ita exhorruit, vt nihil ex illius ore minus graue, aut virtute dignum vnquam auditum fuerit. Horas Canonicas, quæ in Choro perſoluuntur, ſummâ religione proſequebatur, eâ inter alias ratione, quia ex Nicephori, Caliſti, & Socratis teſtimonio didicerat; ſanctum Ignatium Martyrem (qui tertius in Eccleſiâ Antiochenâ à Petro Apoſtolo Hierarcha fuit, & cum Apoſtolis omnibus plurimo tempore vixit) Hymnos, quos ab Angelis alternatim in Cœlo decantari audierat, in Antiochenâ Eccleſiâ primùm eo modo concini iuſſiſſe. Res ſacras, ac præſertim Auguſtiſſimum Euchariſtię Sacramentum maximâ Veneratione complectebatur; & nunquam abſque longâ oratione ad ſacra Altaris Myſteria peragenda accedebat. Adhæc paupertatis altiſſimæ ſtudioſiſſimus, nihil in Monaſterij, cùm Superior eſſet, ſuperfluum, & abundans ferebat: nihil etiam quantumlibet tenue, & exiguum deperire patiebatur. Huius Viri integerrima vitę probitas, morum grauitas, ac prudentiæ magnitudo, cùm primùm S. Carolo Borromæo,

S.R.E. Cardinali, ac glorioſo Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtite perſpecta fuit, mox tantum illi apud ſanctum Virum gratiæ, ac beneuolentiæ conciliauit, vt is ſæpe illius operâ, ac conſilio in grauiſſimis Eccleſiæ ſuæ rebus vſus, vix eo carere poſſe videretur. Celebre in Mediolanenſi Vrbe Virginum Monaſterium B. Agneti dicatum, in quo Regularis obſeruantiæ vigor, ſecularium cupiditatum æſtu incaleſcente, ita aruerat, vt vix Religioſæ Congregationis faciem præ ſe ferret: Iamq; fermè de earũ Reformatione S. Carolus Borromeus deſperauerat, cum Iacobi illius prudẽtiâ, pietate, patientiâ, ac præſertim precibus ad perfectã Regulæ obſeruantiam illas reuocat. Hinc tantam Iacobus apud S. Antiſtitem prudentiæ, ac pietatis exiſtimationem ſibi comparauit, vt quo tempore lues illa grauiſſima Vrbem, ac totum Mediolanenſem agrum occupauerat; Sanctus idem Cardinalis, tanti Viri prudentiâ, ac virtute perſpectâ, illius in curandis Vrbis ægrotis opportunè conſilio vſus, eundem, ac pleroſque noſtræ Familiæ Fratres in partem ſollicitudinis, ac laboris vocauerit: quorum magna pars, in eo Charitatis miniſterio, vltrò libentiſſimè pro Chriſto vitam profudit. Illud autem Iacobus hoc tempore inſigne pietatis teſtimonium præbuit, quod S. Caroli, tum in eum, tum in Capucinorum Ordinem maximè beneuolentiam auxit. Mediolanenſi tunc is Conuentui præerat, cùm frigore inualeſcente ægrotorum domus, quæ Lazaretum nuncupatur, ob magnam ægrotantium copiam, ſtragulorum penuriâ laborabat; ex quo graue infirmis, qui frigore cruciabantur, incommodum exoriebatur: quod vbi Iacobo renunciatum fuit, is plauſtrum lodicibus, quæ familiæ neceſſitati inſeruiebant, onuſtum, ad piam domum vehendum curat; ſuorum potius ſibi incommodum eligens; quàm ægrotis piâ charitate deeſſe. Quo facto, totam ita Vrbem permouit, vt pleriquè eo exemplo adducti, deinceps abundè quæ ægrotis neceſſaria erant, miniſtrarent. His maximis pietatis Officijs cùm Iacobus ſedulò animum intenderet, eam ſibi in Vrbe ſanctimoniæ famam comparauerat, vt ab omnibus vir Sanctus haberetur: tantique à ſancto Carolo, qui illius ſæpè prudentiam expertus fuerat, exiſtimaretur, vt abſque illius conſilio nihil ſibi arduum, ac difficile aggrediendum putaret. Atque communi huic de illo opinioni apud omnes conceptæ diuina è Cœlo confirmatio defuit: nam ſemel cùm inter plauſtri rotas maximo, ac certo vitæ periculo dilaberetur, Diuinâ virtute bobus præter morem immotis ſtantibus, à mortis periculo liberatur. Dum igitur Vir hic præclarus Mediolanenſem Prouin-

ciam,

ciam, quam rurſus adminiſtrandam ſuſceperat, omni ſtudio ac diligentiâ curat; in Mediolanenſi Conuentu laboribus atque itineribus confectus, in ægritudinem incidit; quæ cùm indies grauior fieret, à S. Carolo humaniſſimè inuiſitur: qui per duarum horarum ſpatia cum eo familiariter collocutus, ab eo digrediens aſtantibus ait: Doleo magnopere; quandoquidem magnus Dei Seruus morte nobis eripitur. Ab eo verò tempore Iacobus, cùm extremam ſibi vitæ metam imminere intelligeret; toto ſtudio in ſupremum ſeſe diem parat, quam æquâ ſanctimoniæ famâ tandem abſolutam claudit, cuius cum primùm obitum ſanctus Antiſtes perſenſit, nullâ interpoſitâ morâ pro eo Domino Miſſæ Sacrificium obtulit, vt ſua defuncto apud Deum officia redderet, quem apud homines fideliſſimum ſibi cooperatorem habuerat. Obijt Vir præclarus Anno 1584.

Fr. ZACHARIÆ A TREBIANO, GENVENSIS PROVINCIÆ Vicarii Provincialis

VITA, ET GESTA.

FRater Zacharias à Trebiano, Prouinciæ Genuenſis Sacerdos*, Vir ad omnem Regularis diſciplinæ normam compoſitus, Paupeſtatis cultor eximius; abſtinentiâ inſignis; charitate in cunctos, pręſertim infirmos ſingularis; vitæ auſteritate clarus; prudentiâ admirabilis, diuturnoque rerum vſu exercitatiſſimus. Hic cùm honores, ac dignitates omni ſtudio refugeret, eò magis ad honorum culmina rapiebatur. Quo factum eſt, vt ſępe Guardiani, Definitoris, ac Prouincialis Miniſtri in Genuenſi Prouinciâ munere magnâ cum admirationis laude functus fuerit. Cùm tamen eo munere fungeretur, quantumlibet ex itinere defatigatus, ad Matutinas Horas, communes Orationes, flagellationes, ac cętera Eccleſiæ munera cum alijs conueniebat; ac pręter communes cibos, nullum ſibi miniſtrari permittebat. Cùm verò depoſito Pręlationis onere, graui ſenectute varijſque morbis, ac præſertim quartanâ febre premeretur, aliquando illi ab Infirmorum Pręfecto perſuaſum fuit, vt ad leuandas morbi moleſtias, hyemali tempore crepidis vteretur; vel ſaltem laneo panno ſandaliorum aream communiri pateretur. Vtrumque præclarus hic Dei Seruus reſpuit, his verbis vſus: Ne me, Frater, quæſo,

iam ſenem, & ad occaſum properantem, nunc primùm, quæ priùs multo labore conſtructa ſunt, euertere cogas. Haud equidem ignoro, ob infirmum, ac imbecillum corporis mei ſtatum, quæ perſuades, neceſſaria fore: at quale Iunioribus exemplum relinquam, cùm Zachariam Senem à vitæ auſteritate ad laxiorem deflexiſſe, ac mollioribus ſandalijs vſum eſſe intellexerint? An non & ipſi, quod in Seniore perſpexerint, id quoque ſibi licere exiſtimabunt? Abſit, Frater; vt hæc vitæ mihi macula irrogetur. Plurima huius ſancti Viri geſta, ac virtutes à noſtris ſilentio prçteritas fuiſſe, noſtra M. S. teſtantur: quibus eam apud Deum gratiam conſecutus fuerat, vt pleraqúe futura prçnoſceret: abdita quoque quamplurima, quæ nulla prçterquam Dei luce agnoſci poterant, pro rerum, ac perſonarum exigentiâ manifeſtaret. Nouitium ad Phyſicorum deſperationem ægrotantem, ac Dæmonis tentatione de Dei miſericordiâ deſperare incipientem, impoſito Profeſſionis Caputio à tentatione penitus liberat; ac tandem Nouitius Eccleſiæ Sacramentis munitus ſpiritum in Dei miſericordiæ ſinum exhalat. Poſtremò Vir hic prçclarus, cùm multis pro Genuenſi Prouinciâ pijs laboribus functus eſſet, Septuagenario maior in Conuentu Genuenſi, haud exiguâ ſanctimoniæ famâ poſt ſe relictâ Anno 1585. cum pietate quietem in Domino accipit. Biennio verò poſt mortem expleto, corpus ipſius ita integrum, & incorruptum in ſepulchro reperitur, vt anima incorruptibili gloriâ donata crederetur.

Fr. IOANNIS BAPTISTÆ PRATTENSIS, BONONIENSIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES BAPTISTA PRATTENSIS, Bononienſis Prouinciæ Prçdicator; Hic cum Bononiæ inter ſçculares Iuuenes, Ciuilium ac Sacrarum Legum ſtudijs operam nauaret, ſæculi vitia ſtudioſè fugiens, dignam Religioſo homine in ſçculo vitam degebat, ita vt quartam, & ſextam feriam cuiuslibet hebdomadç arcto panis & vino ieiunio coleret. Hinc ad prçſtantiora Religionis ſtudia à Domino euocatus, cùm libros vniuerſamq; domus ſuppellectilem, ne veſtimentis quidem ſibi relictis, in pauperes

erogâſ-

erogâſſet;tantâ morum honeſtate,actuum moderatione, oculorum modeſtiâ, animi humilitate, totiuſque interioris, atque exterioris hominis compoſitione vitam inſtituit; vt qui perfectum, ac numeris omnibus abſolutum Religioſi hominis ſimulacrum expeterent, ijs vnus Ioannes Baptiſta ſatis eſſet: Etenim in eo vniuerſa virtutum genera tam præclarè elucebant, vt eum, velut Cœleſtem hominem, omnes tum Fratres, tum Sæculares homines admirarentur. Inerat ei quædam naturæ grauitas, cum animi humilitate, & affabilitate coniuncta, quæ vniuerſos ad ſui beneuolentiam, ac reuerentiam attrahebat; grauitati, prudentia coniuncta erat. Hinc poſtquam ad Nouitiorum curam vocatus fuit, ad Miniſtri Prouincialis dignitatem euectus,tanto conſilio ac prudentiâ, totque virtutum exemplis munus illud adminiſtrauit,vt Bononienſis Prouincia,eo moderatore, tum in Regulari diſciplinâ, tum in omni virtutum genere incrementa dederit. Nihil ex illius ore vanum, aut inane defluebat: tanta in puniendo ei manſuetudo inerat, vt cùm aliquando flagellationem iniunxiſſet, eiuſdem ſe flagellationis Socium adhiberet; ita vt qui aliquam ab eo correptionem tuliſſent, non ſolum meliores fierent,verùm etiam ſingulari illum amore complecterentur;adeoq; vt nullus (quod perrarum ac inſolitum eſt) quamdiu is Prouincialis munus geſſit; neque poſt illius è vitâ diſceſſum, de eo vnquam conqueſtus fuerit. Tantâ inimicos Charitate proſequebatur,vt aliquando, qui ſibi necem machinatus fuerat, amplexatus, rem perpetuo ſilentio inuoluerit. Hac Cœleſti Prudentiâ Nouitium quoque Antonium nomine Fauentiæ à graui quadam Satanæ tentatione liberat. Regularem obſeruantiam, ac præſertim Euangelicam Paupertatem,antiquamq; Ordinis ſimplicitatem à Patribus traditam,quamdiu Bononienſem Prouinciam rexit, illæſam ſeruauit. Animum verò ab omni honorum ambitu tam alienum gerebat, vt non niſi inuitus ad dignitates raperetur. Inter eas autem tantâ humilitate infima quæque domus obſequia præſtare viſus eſt, vt coquinaria vaſa abluere, domus pauimenta verrere, Fratrum pedes lauare, aliorum tunicas reſarcire, legumina cum Fratribus Laicis mundare familiare illius ſtudium eſſet. Ad quendam Agricolam odijs ſæuientem pranſurus aliquando accedens, pluribus verbis, ac rationibus reconciliationem perſuadere nititur; quo tamen Ioannis Baptiſtæ verba nihili faciente, ne quicquam cum eo commune haberet, ſed neque cibos tanquam Dei amore dignos acciperet, Pallio, ac Sandalijs in prandij pretium proiectis, confeſtim ad Conuentum viam

carpit: quo egreſſo, à mulieribus, quæ Viri ſanctimoniam nouerant, tot gemitus, tot eiulatus funduntur, vt Agricolæ animus molleſcere cœperit, ac in mutuam cum hoſtibus pacem conſenſerit. Perditum quoque Virum, qui in ipſo ſummo vitæ diſcrimine, nihil præter in Deum blaſphemias, ac Diabolica verba eructare audiebatur, fuſis pro eo obſecrationibus, ac communi Fratrum flagellatione inſtitutâ, Eccleſiâque proprio ſanguine conſperſâ, ita eum ad pœnitentiam commouit; vt cùm animam, quam ſeptimo abhinc anno inexpiatam geſſerat, Sacramento à peccatis expiaſſet, ac Dominico Corpore multis lachrymis, ac veræ pœnitentiæ gemitibus recreaſſet, ſacro tandem Oleo inunctus obierit. Occultas quoque animi cogitationes Ioannes Baptiſta penetrans, Clericum aliquando Mercurialem nomine, ex itinere defeſſum; qui cùm vuas rubentes in vineis conſpexerat, ſed propter Patris rigidum ieiunium triſtis ijs recreari deſperaret, accitum his verbis affatur: Quid tu, Mercurialis, intus in animo cogitatione volutas? Age; citò ad Vindemiatores illos accede; ab ijsque vtriqúe vuam poſtula. Quâ allatâ, ne pudorem Clerico excitaret, ex eâ paululum deguſtans, reliquam illi edendam tradit. Pari quoque modo in veſpere, cùm apud Ordinis Benefactorem lautiori menſâ, varijs carnibus inſtructâ, excepti fuiſſent, Charitati magis conſentaneum exiſtimauit, ſpontaneum ieiunium ipſo etiam carnium eſu violare, quàm neceſſariæ alijs refectionis confidentiam adimere. Quapropter, cùm ciborum, qui appoſiti erant, nonnihil leuiter deguſtâſſet, non ieiunium ſoluit, ſed Charitatem ieiunio prętulit, ieiuniumque fraternâ Charitate accumulauit. Tandem præclarus hic Vir, cùm Bononienſem Prouinciam multis virtutum exemplis illuſtraſſet, Fauentiæ graui morbo diſcruciari cœpit; in quo, cùm admirabilis patientiæ, ac pietatis documenta cęteris præbuiſſet; morti tandem proximus, Regulæ codicem manu tenens, oculoſque lachrymis perfuſos ad Cœlum attollens, eorum, quæ in promiſſam Regulam fortè deliquerat, à Deo veniam poſtulat: Virginemque Deiparam, ac B.P. Franciſcum ſibi propitios inuocans, ſic tandem letho oculos claudit, immortaleque poſt mortem apud ſuos nomen reliquit. Obijt Anno 1586.



FRATER IACOBVS A PETRA RVBIA FF.^um CAPVC.^um
PICENÆ PROÆ VICARIVS PROLIS.

Fr. IACOBI A PETRA RVBIA, PICENÆ PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER Iacobvs à Petra Rvbia, Picenæ Prouinciæ Sacerdos, tametſi genere ignobilis; virtute tamen, ac rerum geſtarum ſplendore illuſtriſſimus, cùm primùm Religionis ſpiritum hauſit, cum vitæ auſteritate exactiſſimam Regularis obſeruantiæ diſciplinam complexus, id ſuâ virtute aſſecutus eſt; vt poſt inferiores illius Prouinciæ dignitates præclarè adminiſtratas, ad ſupremum Prouincialis Miniſtri munus, Electorum omnium conſenſu aſſumptus fuerit. Quo in munere virtutes, quas ante ſuſceptum onus ſibi comparauerat, plurimis nouis virtutibus auxit. Exteriorem namque hominem primùm ornabat Abſtinentiæ virtus, quâ tam ſeuerâ guſtus ſenſum lege coërcere conſueuerat; vt cùm pleraqúe, præter ea, quæ ab Eccleſiâ, vel Regulâ præſcribuntur, ieiunia obſeruaret, in his ſæpiſſimè nullum, præterquam panis, & aquæ edulium ac potum guſtaret. Verùm alteram huic ſeueriorem abſtinentiæ legem copulans, ipſam quoque panis ſaturitatem ſibi prohibuerat: quo fiebat, vt perpetuâ ferè inediâ vexaretur. Porrò id ſibi Iacobus fixum in animo ſtatuerat, eo tantummodò cibo vti, qui ad vitæ alimentum illi ſatis eſſet: quare ab ijs omni diligentiâ cauebat, quæ vel gulæ appetitum irritarent, vel ex naturæ propenſione peculiarem illi oblectationem afferrent. Hinc cùm naturali quodam appetitu ad fructuum eſum traheretur; vt ſenſus voluptatem iugularet, per 40. annorum ſpatium, vltrò à cunctis fructibus ſeſe continuit. Quadrageſimale Epiphaniæ ieiunium quadraginta annorum ſpatio abſque vllâ intermiſſione poſſedit, neque itinere, vel infirmitate, ac virium imbecillitate confectus, ab eo arceri potuit. Illuſtrabat præterea morum honeſtas; quâ Vir hic ita præditus fuit; vt cùm trium annorum ſpatio Nobilis cuiuſdam Matronæ, cui ex Miniſtri Generalis indulto, Anconæ Confeſſiones excepiſſet, eam nunquam ex vultu, ſed ex voce tantummodò loquentem agnouerit. Exornabat denique altiſſimæ Paupertatis cultus, cuius ſic amore afficiebatur, vt nec quicquam penitus illius

animum

animum oblectaret, niſi in eo paupertatis veſtigia intueretur. Admirabilem vitæ ipſius auſteritatem, carnis macerationes, corporis caſtigationes, cæteraſqúe ſenſuum mortificationes pretereo; quibus exteriorem hominem ita ad virtutem compoſuerat; vt ab eo quiſque ad benè, beateque viuendum documenta haurire valeret. Cæterum interiorem illius animi faciem tot preclaræ virtutes honeſtabant, vt quænam illarum potiorem in eo locum ſibi vendicaret, haud facilè dignoſci poſſet. Fulgebat Humilitas, quæ hominem, licet dignitate conſpicuum, ad vilia quæqúe, ac infima domus officia abſqúe vllo diſcrimine obeunda prouocaret. Elucebat Manſuetudo, quâ illatas iniurias, ac contumelias tam bellè excipiebat, vt contumelioſos ipſos beneficijs oneraret, ac maiori beneuolentiâ complecteretur. Ardebat Charitas, quæ illum ad vniuerſas gregis ſui oues tanto ſtudio curandas pelleret; vt pro ijs ſeipſum impendere non dubitaret. Neque enim ob grauioris morbi, ex quo ſæpè ſanguinem ex ore euomere compellebatur, afflictationem, aut alterius ægritudinis incommoda, viſitationem vnquam omittebat. Flagrabat deniqúe frequens, ac feruens orationis ſtudium, quod cùm hominem ab hominum, quoad fieri poterat, conſuetudine abſtractum, ad ſolitaria vt plurimum loca orationis amica propelleret, Diuinarum rerum contemplationi vbiqúe tam aptum, atque aſſiduum præſtare conſueuerat, vt maiorem in eâ nocturni temporis partem inſumeret. Hinc plerumqúe Dæmonum, qui pias illius vigilias, ac orationis ſtudium interturbare conabantur, infeſtationes tulit, technas detexit, ac de eo glorioſas victorias obtinuit. Cæterum aſſiduum hoc feruentioris orationis ſtudium, pleraqúe illi à Deo dona conciliauerat, quæ Cœleſtem potiùs quàm communem hominem indicarent. In his fuit Prophetiæ ſpiritus, quo imbutus multarum rerum, quæ deinde acciderunt, futurum euentum prædixit. Huius orationi adſcriptum fuit, vt cùm Romam Anno 1584. ad Generalia Comitia cum alijs quatuor pergeret, quinque panes illis è Cœlo miniſtrati fuerint. Aſculi quoque ſancti Viri merito vas vino vacuum ſemiplenum redditur. Plurimæ verò Beati huius Viri reuelationes, ac geſta deſiderantur, quæ ſuo tempore minimè conſcripta, hominum nunc memoriam effugiunt. Hic tandem in Aſculano Conuentu morbo oppreſſus, cùm iam ad vitæ finem perueniſſet, à Paulo Sarnanenſi, quota hora noctis ſit, percunctatur. Cui cùm Paulus quintam imminere dixiſſet: Bene, (inquit,) duæ duntaxat mihi adhuc vitæ horæ ſuperſunt. Neque eum hora præterijt:

ſeptimâ

ſeptimâ namque noctis horâ, ſenſibus integris, animoque optimè cum Deo compoſito, inter Dei laudes ex hoc mortali domicilio migrat. Cuius poſt mortem gloria cuidam Fratri diuinitùs declarata fuit; qui cùm in Eccleſiâ ſolitarius oraret, magnam Fratrum Capucinorum turbam, conſuetæ Proceſſionis more, Eccleſiam ingredientem conſpicit. Hi cùm albas veſtes induti præcederent, Iacobus & ipſe albis indutus, ac inſuper magnificâ quadam ſtolâ auro texta, ex qua pretioſiſſimæ fimbriæ pendebant, amictus, atque in ſellâ geſtatoriâ à pluribus in teſtimonium honoris delatus ſequebatur: qui cùm ad orantem Fratrem perueniſſet, primùm culpæ illum cuiuſdam arguit; tùm poſt colloquij longioris moram, tandem in Cœlum conceſſit. Frater verò, qui hac viſione fruitus eſt, quæ ſibi dicta fuerant, ſilentio celans, Iacobi duntaxat gloriam velut certam cunctis prædicauit. Obijt Vir Sanctus Anno 1586.

Fr. AMBROSII A CIVITATE DVCALI,

VMBRIÆ ET S. FRANCISCI PROVINCIÆ

VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER AMBROSIVS à Ciuitate Ducali Concionator prudentiâ ac virtutibus clarus, cùm ſummâ vitæ integritate, morum diſciplinâ, Regularis obſeruantiæ zelo, ac conſilio antecelleret, S. Franciſci Prouinciam tàm præclarè per aliquot annos adminiſtrauit; vt & auſterioris vitæ exemplis, & ſuâ virtutum luce maximè Seraphicam huius Prouinciæ Familiam illuſtrauerit, ac Regulari obſeruantiâ auxerit. Hic Vmbriæ Prouinciam nudis pedibus, abſque Sandalijs, toto triennij ſpatio colluſtrans, ardentioribus verbis filios ſuos ad virtutum perfectionem alliciebat. Feruentiſſimus quoque ſuæ tempeſtatis Concionator fuit; Dominicæ potiſſimùm Paſſionis inculcator. Virginitatem perpetuò coluit: cui cùm Dæmon mulieris cuiuſdam procacitate inſidias tendit, fugatâ muliere illius technas euadit. Tantæ deniquè virtutis fuit, vt ad mulierem moribundam, Adrianam nomine, vocatus, quæ tum auditus, tum linguæ iam ſenſu carebat, cùm eam nomine ſuo appellâſſet, illa protinus ad ſenſus rediens, ac rediuiua reſponderit, breuiq; incolumitatem aſſecuta fuerit. Hic tandem cùm ad 60. ætatis annum,

cœleſti-

cœleſtibus opibus diues, pertigiſſet, Spoleti graui morbo corripitur. Obijt verò Vir præclarus ſanctimoniæ famá apud omnes relictâ; Anno 1587. Cuius illud poſt mortem argumentum fuit, quod ipſius caro tam mollis, ac tractabilis, facieſque tam decora extitit, perinde ac ſi viuentem, non defunctum oſtenderet: quem præterea, hac ipſa ſui obitus die, Fr. Valentinus Interamnenſis, Vir virtute clarus, ad Cœleſtem gloriam aſcendentem conſpexit.





FRATER PETRVS A MVRRO FF.[um] CAPVC.[ur] PICENÆ

PRŌÆ VICARIVS PRŌLIS.

Fr. PETRI A MVRRO, PICENTIS PROVINCIÆ

Vicarii Provincialis

VITA, ET GESTA.

FRATER PETRVS à MVRRO, Sacerdos & Concionator, Vir præclarus, cùm apud ſęculum Iuriſperitiâ, clarus, Prætoris aliquando officio, haud ſine integritatis laude functus eſſet, muneris illius periculo territus, ad tutiorem vitæ ſtatum apud Capucinos ſe contulit. Vbi admirabilem vitæ rationem inſtituit, tot maximarum virtutum ſplendore illuſtrem; vt cùm primùm hæc, velut in theatrum prodiêre, is protinus tum ad mediocres, tum ad ſummos in Piceni Prouinciâ dignitatum honores euectus fuerit. Picentem Prouinciam Vir hic aliquamdiu tantâ prudentiâ, conſilio, Regularis obſeruantiæ rigore, virtutum exemplis, ac ſanctimoniæ laude adminiſtrauit; vt nihil in eo, quod ad optimum Religioſi Gregis Paſtorem ſpectaret, deſideraretur. Tantâ Vir hic illuſtris in vultu, in geſtu, in verbis, ac totius corporis compoſitione, pudicitiæ venuſtate fulgebat; vt qui in eum oculos conijceret, protinus illius virtutis amore caperetur. Quo fiebat, vt non niſi ægrè cum mulieribus colloqueretur: raro etiam, niſi id neceſſitas interdum poſtularet, cum Fratribus conuerſaretur: diutius enim in ſolitudine orare, ac diuinæ contemplationi vacare ſolitus erat. Hinc Diuinæ pręedicationi inſiſtens, cùm Dei verbum priùs cum oratione maritaret, haud mirum, quod vberes ſemper animarum fœtus produceret, & copioſos Chriſto filios generaret. Cùm ſemel prędicaturus per Montis S. Martini Oppidum iter faceret, cuiuſdam nobilis tot vulneribus ſaucij, vt illius à Medicis ſalus iam deſperata eſſet, cùm poſt orationem ter vulnera ſigno Crucis obſignâſſet, ſtatim morbo miteſcente æger ad priſtinam incolumitatem redijt. Poſt hæc, cùm in Conuentu Vrbini Guardiani munus ageret, mulier quędam Nobilis hydropiſi laborans, Crucis ſignum inſtantiſſimè ab eo ad morbi curationem quęrebat. Cui Petrus, importunis mulieris precibus victus: Ego quidem, mulier, quo fungor Sacerdotis officio, Crucis ſignum exhibebo: tu ne malum Sacerdotem conſideres; ſed plenam in Deum fidem erige, qui

potenti hoc Crucis ſigno incolumitatem conferre valet. Tum Crucis ſigno ſuper ægram formato, abijt. Poſtridie illa incolumis è lecto ſurgit, ad Capucinorum Eccleſiam ſe confert, Deo, & Petro Dei Seruo gratias actura. His & alijs Dei donis cohoneſtatus Vir illuſtris, cùm ſuum iam vitæ finem ſibi imminere intelligeret, Amendulam proficiſcitur; vbi, vt extremum diem clauderet, iam pridem à Domino petierat: ibiqúe viſitationis curriculo interrupto, aduerſâ valetudine correptus, ad vitæ coronam euolat Anno 1588. Poſt ipſius obitum Fr. Gabriel à Monte Nouo, & Vincentius à Porciâ, qui Viri ſanctimoniam venerabantur, inter ſe condicunt, vt quid Petro poſt mortem in Dei iudicio acciderit, impenſius in oratione à Deo poſtulent. Haud diu ab ijs oratum, cùm vterque ſuâ Petri viſione potitur. Prior Gabriel, cùm Petrum, velut in Capitulo Fratribus prædicantem, ac valedicentem perſpexit; ad ſe tandem conuerſum, hiſque verbis compellantem audit: Eia, Gabriel, meas ego partes egi: iam verò tuæ partes incipiunt. Hiſque dictis euanuit. Quibus, cùm illum in Prouincialis munere ſibi ſucceſſurum prænunciaſſet, res, vti prædixerat, euenit. Alter verò Vincentius Petrum hilari vultu inter ſplendidos quoſdam Miniſtros conſiſtentem cernit: qui cùm Sacra Myſteria celebraturus eſſet Pontificalibus illum veſtibus niue candidioribus ornabant: ex quo illum in cœleſti gloriâ inter optimos Eccleſiæ Paſtores collocatum didicit.

⁂



FRATER BERNARDVS AVXIMENSIS FF.ᵘᵐ CAPVCINORVM
PROÆ. PARISIENSIS VIC. PROLIS

Fr. BERNARDI AVXIMENSIS,
PROVINCIÆ PARISIENSIS
VICARII PROVINCIALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER BERNARDVS AVXIMENSIS, Concionator, tenui ex familiâ ortus, natalium obſcuritatem maiori virtutum luce illuſtrauit: Cùm enim maturâ iam ætate inter Capucinos adſcriptus eſſet, maiori cum prudentiâ Euangelicæ perfectionis ſtudium aggreſſus, breui illud virtutum culmen attigit; vt inter illuſtriores illius Prouinciæ Viros locum, & nomen ſibi compararet. Regulæ, & Conſtitutionum Generalium obſeruantiſſimus, tam ingenti paupertatis abſtinentiæ, atque auſteritatis rigore excellebat; vt cum carne fœdus pepigiſſe videretur, ne vllâ vnquam ſenſus voluptate frueretur. Pauli Apoſtoli conſilium ſecutus, ab omnibus ſe abſtinens, ipſa quoque naturæ neceſſaria interdum exuebat. Cæterùm perpetua illi erat cum ciborum ſatietate luĉta: Sextas quaſque Ferias, ac reliqua Domini Sabaoth, & Beatiſſimæ Virg. atque aliorum plurimorum feſtorum peruigilia, perpetuo panis & aquæ ieiunio celebrare conſueuerat. Hyemis verò tempore, in frigore, & nuditate Domino famulabatur. Porrò quàm Deo id gratum eſſet, Cœleſti aliquando teſtimonio manifeſtum fuit: Cùm enim brumali tempore è Galliâ Romam proficiſcens, inter Auenionem & Maſſiliam cum Socio iter faceret, frigidiſſimâ aëris temperie penè gelu conſtringerentur; eo tempore puer quidam egregius teſtam prunis ardentibus plenam gerens, à tergo accedit; hiſque illos gratiosè verbis affatur: Patres mei; ſi vos frigus cruciat, ad ignem accedite. Illi verò cùm facie ad Puerum verſâ, à tergo reſpicerent, maximam ignis pyram in planitie mox ardentem conſpiciunt: quo dum pergunt puerum cum teſtâ inde euaſiſſe animaduertunt. Quapropter ad rogum accedentes, dum frigus depellunt, Diuinam Clementiam pijs laudibus extollunt. Tantâ ſui ipſius deſpeĉtus cupiditate flagrabat, vt tametſi dignitate ſuperior eſſet, vilia tamen quæque domus miniſteria iucundiſſimè ſubiret: Sæpe etiam in Capitulo ſeipſum genuflexus coram

Fratribus accuſaret, ac flagellis cæderet. Præter hæc prudentiâ, & conſilio ita excelluit, vt Secundus in Pariſienſi Prouinciâ Vicarius electus fuerit: quo in munere tanto virtutum ſplendore coruſcauit; vt non modò gregarios homines, verùm & ipſos Reges ad ſui admirationem, atque amorem alliceret. Quadam Natalis Domini die, cùm Henricus III. & Ludouica Regina Coniunx ad Eccleſiam noſtram conueniſſent; accidit, vt Vir quidam à Dæmone obſeſſus nimium ſtrepitum ederet: at Bernardus vix primo Dæmonem pręcepto ad exeundum compulit; cùm is præcepto obediens, hominem liberum reliquit: ex quo maiorem ſibi ſanctimoniæ famam comparauit. Pariſienſem Prouinciam bis Vicarij Prouincialis in eâ munere functus, plurimùm in Regularis obſeruantiæ perfectione, verbis, & pręclaris vitæ exemplis confirmauit. Ita Orationis ſtudio tenebatur, vt aliquando in quædam ſolitaria Conuentus Meudonenſis Oratoria ſecedens, ab omni conſortio remotus, priùs quindenos, poſtea quadragenos in Oratione, & rerum Diuinarum contemplatione dies inſumeret. Porrò, ex frequenti Orationis ſtudio, & diligenti ſui ipſius cuſtodiâ, cui ſedulò inuigilabat; tanta in eum mentis puritas emanauerat; vt non ſemel, cùm ad Pœnitentiæ Sacramentum accederet, è vultu lucis radios fulgurare viſus fuerit; qui Cœleſtis interni candoris teſtes eſſent. Haud rarò quoque à Nobilium pediſſequis, per Capucium huc, illucque raptatus, ſuâ patientiâ vniuerſa hominum ludibria ſuperabat. Vir fuit omnium opinione ad miraculum pius. Cùm in Galliæ Regno aliquando bellici tumultus ebullire cœpiſſent; numeroſo Fratrum agmine Pariſijs conuocato, ſolemnem ex his ad publicam Regni quietem à Domino impetrandam à Pariſienſi Conuentu ad Carnutenſem vſque, duodeviginti leucarum Gallicarum ſpatio, Supplicationem inſtituit: in qua Fr. Angelus Ioioſæus, qui ſuperiori anno de ſæculi delicijs, atque è ſublimiori Ducalis Dignitatis gradu, ad Capucinos euaſerat, grauiori Cruce onuſtus, ac ſpineâ Coronâ redimitus; vtpote Diuinam Chriſti Domini perſonam referens, cæteros pręcedebat. Porrò res noua, & pietatis plena, populos maximè permouit, vt Viri pietatem maximè commendarent. Bernardus igitur, cùm ad ſextum vſque annum Pariſienſem Prouinciam magnâ cum prudentiæ, & ſanctimoniæ laude adminiſtraſſet, in Picenum redit: vbi dum ardentius verbum Dei diſſeminat, Euangelicamque prædicationem præclarioribus virtutum exemplis exornat, nonnullis à Deo ſignis

illuſtra-

illuſtratur. Quidam enim ex noſtris Sacerdos, Ioannes Baptiſta nomine Anconitanus, qui à pluribus annis grauiſſimâ cephalalgiâ detinebatur, cùm à Bernardo Crucis ſignum poſtulaſſet, eo accepto, tam perfectè à morbo conualuit, vt nunquam deinceps eo cruciatus fuerit. Alterum quoque à Dæmone vexatum curat. Poſtremò, cùm ad ſexageſimum quartum ætatis annum perueniſſet, vitæ curſum magnâ cum virtute expeditum, fine haud abſimili abſoluit

Anno 1591.



FRATER BARTHOLOMAEVS CAESENAS FRATRVM
CAPVC.^{rum} PICENTIS PROÆ. VICARIVS PROLIS.

Fr. BARTHOLOMÆI CÆSENATIS, QVI EREMITA NVNCVPATVR, PICENTIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER BARTHOLOMÆVS CÆSENAS, Sacerdos, ex Nobili Cacciaguerræ familiâ ortus, cùm primum Iuuentutis florem varijs ſimultatibus intricatus traduceret, per quendam aliquando Cæſenę vicum ſolus deambulare ſibi in animo proponens; vix primum in vicum pedem intulerat, cùm vocem ſibi audire viſus, quaſi alicuius eum, ne per vicum illum incederet, monentis. At vocem ille contemnens, pedem iterum in vicum profert; rurſumque ſe ab eâdem voce abſterreri percipit. Tertiò quoqúe, cùm voci reluctans, greſſum in vicum dirigeret, vi maiori ſe detineri, & à voce durius ſe increpari audiens, eidem tandem ſibi parendum ſtatuit. Quare domum rediens, certo mox nuncio, necem ſibi ab hoſtibus, quam effugere non valeret, eo in vico paratam fuiſſe accipit. Quare Dei beneficium, variaqúe mundi pericula agnoſcens, ſæculo valedicit, & in Capucinorum Familiam ſeſe transfert. Vix Bartholomæus annum probationis exegerat, cùm aliquando in Eccleſiâ oranti IESVS CHRISTVS, vnà cum Matre Virgine, glorioſi apparent, eumque his Beatiſſima Virgo verbis compellat: Bartholomæe, quandoquidem hac te Filius meus gratiâ cumulare voluit, vt è Cœlo ad te veniret, æquum planè eſt, vt aliquo eum dono excipias. Cui Bartholomæus: Æquiſſimum ſanè, ô Angelorum Domina, ſed vnde illud mihi comparare queam, ignoro. Dum hæc ita fatur, diſcum fructibus plenum in Choro poſitum animaduertit: quem vberiori lætitiâ perfuſus accipiens, illum Chriſto Domino ſummâ cum animi reuerentiâ offert. At Chriſtus fructibus, qui in diſco erant, inſpectis, hæc Bartholomæo reſpondet: Fructus hi, quandoquidem maturitatem nondum ſunt adepti, nec grati, nec guſtui meo ſuaues eſſe poſſunt. His cùm Chriſtus Bartholomæum dictis mœſtum dimiſiſſet; adfuit extemplò Beatiſſima Virgo, quæ eun-

dem his verbis conſolatur: Ne animo concidas, Bartholomæe; altera poſt hæc tempeſtas adueniet, cùm fructus matureſcent, atque iucundi Filio meo erunt. His cùm dictis Viſio terminata eſſet, Bartholomæus diuinitùs ſe edoctum intelligit; vt per Pœnitentiæ, & cæterarum virtutum fructus quos in Probationis anno necdum maturos protulerat; eo nunc expleto ad perfectam maturitatem prouocet. Quapropter hac nouus Tyro doctrinâ imbutus, tam impigrè à principio carnis concupiſcentias proſecutus eſt, vt cùm parùm illi videretur, eam quotidianis ieiunijs edomare, vniuerſas Quadragenas B. P. N. Franciſci ieiunio conſecratas (quibus ſi alias, quæ à Regulâ pręſcribuntur, coniungas, totum ferè annum abſorbent) legitimo ſempiterno ieiunaret. Dies ita diſpenſare ſolitus erat, vt vnâ quidem die leuem tantùm cibum ſumeret; alterâ omninò à cibo abſtineret: hacque dierum alternatione, atque ieiunij formâ totum anni circulum perageret. Ieiunio haud cætera diſſentanea: flagellationes namqúe ſanguine redundabant: Somnus ad ſeſqui horam, vel ad tertiam ad ſummum extendebatur: & cùm procero & gracili corpore eſſet; tam anguſtum nihilominùs ex viminibus, in quo iaceret, in cellâ ſibi pręſepe leui paleâ ſtratum confecerat, vt vix illud corpus caperet; tamqúe breue, vt in eo iacens tibias extendere minimè valeret. Euangelico denique in ſe odio excandeſcens, Prouincialatum fugiendo declinat. Orationis verò ſtudium Viro Dei tam aſſiduum erat, vt præter diei horas, quas poſt exoluta ſui officij munera (ſæpe enim tum Guardiani, tùm Magiſtri Nouitiorum, tùm etiam Prouincialis Vicarij munere functus fuit) quotidie orationi dedicaret, vniuerſas noctis horas, tribus exceptis, in orationem, ac rerum diuinarum contemplationem inſumeret. In eâ verò tantâ interdum ſpiritus voluptate fruebatur; vt Fr. quidam Franciſcus nomine, qui clam orantem obſeruabat, illum tam diuino ſpiritu ebrium animaduerteret; vt vultu cœleſtibus flammis ardenti Crucem quandam, quæ in horto eminebat, amplexaretur; hæcque tantùm verba promentem audiret: *Sat eſt, Domine, ſat eſt.* Mentis quoque haud ſemel exceſſus patiebatur; in quibus pleraqúe illi Diuina pandebantur. Ex hoc Diuinæ charitatis æſtu, inexplebilis quædam Diuini honoris fames in eo exoriebatur. Tanta quoque erga quoſcunqúe, ſiue pauperes, ſiue ægrotos, ſiue moleſtiâ aliquâ affectos Charitatis flammâ ardere viſus eſt; vt nihil Bartholomæus tam ſibi neceſſarium eſſe putaret, quin ad alterius inopiam ſubleuandam

libentiſſimè non conferret. Hinc mulieri pauperculæ brumali tempore, pallium, ac præterea ampliora quædam panni præſegmina, quibus habitum conſarcinauerat, diſſuens, abſque mora largitur. Nouitium acrius à frigore vexatum, ſuo ſe habitu ſpolians induit. Alteri etiam Fratri, qui Sandalijs indigebat, propria tribuit. Tertio quoque, cui pallio opus erat, proprium erogat. Per id tempus tàm alta in Camerinenſi agro nix è Cœlo ceciderat; vt egeni maximâ neceſſitate premerentur. Quapropter mox binos Fratres, pane ac leguminibus onuſtos, in proximum pagum deſtinat, qui in pauperes annonam diſpertiantur. Homini, qui ſyluam ingreſſus; caſtaneas furto ſurripiebat, in flagranti crimine deprehenſo, ei cibos parari, caſtaneasque liberè ſecum ferre iubet. Alteri, qui braſſicam furtiuè ex horto ſurripuerat, braſſicarum illi numerum addere; ligna inſuper, quæ ad braſſicam coquendam ſufficiant, miniſtrare imperat; ſicque ſemper eodem Charitatis ſpiritu, pauperes tametſi damnum inferentes, proſequebatur. At cùm vera Charitas à Deo tentatione, & patientiâ probari ſoleat; haud mirum, quod illum D. O. M. tot Diaboli tentationibus exagitari voluerit; vt planè incredibile ſit, quo pacto hominis imbecillitas tot Tartarei huius malleatoris tunſionibus, ac moleſtijs par eſſe poſſet. Tot enim nequiſſimi illi Spiritus diu, noctuque in eum artes, arma, ac bella parare; tot leonum, tigridum, luporum, ac ſæuiſſimarum ferarum velut in eum irruentium paſſim formas obijcere; tot demum minis, terroribus, & conatibus aggredi, & oppugnare viſi; vt in eo Dominus perfectum conſtantiæ, ac tolerantiæ ſimulacrum poſteris admirandum, exhibuiſſe videatur. His itaque tentationibus diu probatus Dei ſeruus, ad eum tandem diuinæ amicitiæ gradum conſcendit; vt & Prophetiæ ſpiritu futura prædiceret, ac Diuinis reuelationibus ſæpè frueretur. Baſilio enim à Mondauio, ex noſtris Sacerdote, Frater erat in ſæculo adoleſcens; cui Bartholomæus futurum aliquando prædixit, vt Deo in Caſtris Capucinorum militaret. Hieronymæ, Antoniæ Pellicanæ Maceratenſis filiæ, grauiter ægrotanti incolumitatem pollicetur, eâ conditione; vt Ordinis S. Hieronymi habitum per annum induat: Votum incolumitas mox ſecuta. Alteri verò eiuſdem Sorori morbo correptæ, mortem prædicit. Iuuenculæ præterea, quæ nuptura erat, infauſtas nuptias, re ſuccedente, prænunciat. Alteri futuram claudicationem, ex morbo contrahendam præſignificat: ſibi verò febrim, quæ iter ſuum ad Capitulum interciperet, Fr. Franciſco à

Ma-

Matelicâ prædicit, ac tandem quo loco, ac tempore ſupremu[illegible] ſibi futurus eſſet, Ioanni Baptiſtæ à Mercatello per litteras aperi[illegible]. Cùm autem Nouitiorum educationi præeſſet, à Chriſto aliquando, ac B.P.N. Franciſco ſibi aſtantibus admonitus, Nouitium è Religione extrudere cogitur. Rurſus, cum Æſiſij Guardiani, & Magiſtri Nouitiorum officio fungitur, orans mente excedit; ac in exceſſu Nouitij cuiuſdam è Religione egreſſum diuinitùs accipit. Aduenis Fratribus aduentantibus, cùm ne quidem buccella in penu reſidua eſſet; in Eccleſiam ad orationem ſecedit, in quâ ex Diuinâ reuelatione cognoſcit vberem quandam volatilium, atque aliarum carnium annonam, ſub ſecundam noctis horam à Nobili quodam mittendam fore. Cumque ſecunda noctis hora immineret; necdum ianuæ tintinnabulum pulſatum fuerat; cum Vir Dei ad popinæ Præfectum: Feſtina, inquit, ad Conuentus fores: te namque præ foribus expectant, qui nobis cibaria deferunt. Ad fores feſtinat Præfectus, ac pleroſque famulos aſſis volatilibus, & vitulinis carnibus, alijsque edulijs onuſtos eò aduentâſſe offendit; quibus Diuinæ illius reuelationis veritas comprobata fuit. His quoque nonnulla Miracula ab eo Diuinâ virtute patrata accedunt; quorum aliqua enarrare libet. Fani Petrus Angelus Borgogninus, Ciuis Faniſtris grauiter ægrotans, cùm Viri Dei ſuffragia apud Deum implorâſſet, is per integram noctem in Crucifixi Eccleſiâ orans, incolumitatem ægroto impetrat, eamque manè Fauſtinæ Vxori certò futuram pollicetur. Poſt hæc puella quædam Ioſephi Maceratenſis filia, iam deſperatâ valetudine, extremo cum morte agone colluctabatur; quam Vir Sanctus poſt breuem orationem ſigno Crucis conſignans, protinus abſcedit. Vix autem domus limen egreſſus fuerat, cùm puella reuiuiſcens certa incolumitatis ſigna prodit. Poſt hæc cùm Vir quidam in Ordinem beneuolus, vindemiarum tempore Fratres ad vindemiam vocauiſſet; quò cùm & is conceſſiſſet, Cœlùm nubibus obductum copioſos imbres minitabatur: quo tempore dum Fratres, & vindemiatores, vt imbrem fugiant, tectum ſibi conſulere parant, is cunctos ſtare, nec imbres timere iubet: fore etenim pollicetur, vt ne gutta quidem imbrium in eâ vineâ cadat. Res profectò tunc omnibus mira: cùm enim loca omnia circùm, nubes aquam effunderent, in eâ tantùm vineâ, iuxta Viri Dei verbum, ne quidem imbris gutta defluxit. Nouanæ præterea, Fratris cuiuſdam Didaci ex noſtris Sacerdotis Matrem à Dæmone obſeſſam ſolo vocis imperio liberat.

 In

In Camerinenſi Conuentu cùm paululum panis, quod familiæ reſiduum erat, pauperi cuidam erogari iuſſiſſet, à Deiparâ, vel ab Angelo ſub mulieris ſpecie, caniſtrum albo, ac recenti pane refertum accipit, quæ mox ex oculis Ianitoris euanuit. Rurſus in eodem Conuentu, cùm Familia pane ad refectionem careret, Vir Dei Fratres ſecum ad orationem impellit; ijſque vnà ante Sacrum Euchariſtiæ Altare orantibus, ingens ſtrepitus in cellâ panaria auditur: ad quem cùm Fratres accurriſſent, neminem quidem in eâ offendunt; at arcam panariam ad os vſque refertam conſpicientes, Angelorum miniſterium eo ſtrepitu declaratum agnoſcunt. Præter hæc, alia quoque miracula ab eo patrata referuntur, quæ indicare magis, quam explicare libet. Maceratæ Iacobæ Fornariæ, Nobilis Maceratenſis Nepotem ſigno Crucis à febre curat. Mulierem Nouanenſem hactenus ſterilem ſigno Crucis fœcundam reddit. Bernardinam Pellicaniam Maceratenſem, à graui capitis dolore, quo diu laborauerat, eodem ſigno Crucis adhibito liberat. Alteram quoque Oppidi ſanctæ Luciæ mulierem, eodem Capitis languore correptam ſigno Crucis obſignatam ſanat. Ioſephum à Monte Sancto, & Bonauenturam Marinenſem, Capucinos Sacerdotes, ſanguinis profluuio laborantes, fluxu Crucis ſigno exſiccato, mox ad incolumitatem prouocat. His & alijs illuſtrioris ſanctimoniæ teſtimonijs cum D. O. M. fidelem Seruum ſuum, ad ſexageſimum quintum vſque ætatis ſuæ annum, inter infinita pæne Dæmonum certamina proſecutus fuiſſet; tandem è Conuentu Murriuallis Anno 1592. ad cœleſtem Coronam vocat, clarioribuſque poſt mortem ſignis illuſtrat. Vix enim per Oppidum ipſius obitus rumor diffuſus eſt, cùm turba ad Conuenuentum properat; corpuſque in feretro iacens tot honoribus proſequitur, vt Sanctum vniuerſi acclamantes, illius pedes oſcularentur; alij veſtem, alij capillos, alij barbam præſcinderent, ac velut ſancti Viri reliquias venerarentur. In his Venia quædam Lazarena, quæ diu quartanâ febre laborans, vniuerſa ad curationem remedia experta fuerat; cùm illius corpus plenâ fide exoſculata fuiſſet, eodem temporis momento à febre curatur. Poſt hæc quidam Nicolai Colatruni, Ciuis Maceratenſis famulus, caſu vtroq; lumine orbatus fuerat; qui ad Bartholomæi ſuffragia confugiens, perfectæ vtriuſque oculi luci reſtituitur. Anno verò 1602. poſt ſancti Viri obitum decimo, Antonius Brocolius cùm deſperatâ valetudine grauiſſimè ad mortem ægrotaret, imploráto S. Viri patrocinio,

ſtatim

ſtatim ab Inuocatione incolumitatem conſequitur. Anno verò poſt ipſius mortem elapſo, B.Vir cuidam Fratri, quem Iacobum Aſculitanum eſſe ferunt, oranti glorioſus apparens, his eum verbis affatur: Iacobe Frater, te ſuprema dies celeriùs tollet, & Cœleſti ſede Beatis aſſociabit.

Fr. BERNARDINI ARAGONENSIS,

CATHALONIÆ PROVINCIÆ

VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER BERNARDINVS ARAGONENSIS, Sacerdos, cùm in Prouinciâ Romanâ Capucinorum militiæ adſcriptus eſſet, eorum Religione in Hiſpaniâ propagatâ, Barcinonem proficiſcitur. Cum autem multis virtutibus, ac mirâ vitæ ſanctimoniâ inter cæteros floreret, primus ſanctæ Eulaliæ Guardianus creatur, atque ad Nouitiorum educationem electûs, id munus planè Cœleſti ſapientiâ adminiſtrat. Vir ſiquidem erat omni morum diſciplinâ ornatus, modeſtus affabilis, manſuetus, abſtinentiâ, & vitæ auſteritate clarus, tantâque animi prudentiâ prędirus, vt ſæpè ad Miniſtri Prouincialis munus in eâ Prouinciâ aſſumptus fuerit. Nudis ſemper pedibus abſque ſandalijs cùm Prouinciam inſpectaret, incedens, tametſi itinere fatigatus, nullum ſibi præter communem cęteris cibum miniſtrari patiebatur; neque tamen ob vllos itineris labores nocturno tempore à Matutinis vnquam Horis aberat. Nudas perpetuò tabulas ſibi ad quietem ſubſtrauit, parco ſomno vſus, vt longiores in oratione moras traheret. Charitate atque ardentiori pro Chriſto patiendi æſtu tantopere flagrabat, vitamque pro Charitate profundere maximè ſibi optabat. Prophetico ſpiritu clarus Adoleſcenti cuidam Gerundenſi in Seraphicam noſtrorum militiam adſcribi ab eo poſtulanti, re prius in oratione cum Domino communicatâ, eundem mox in Nouitiorum numerum cooptans, futurum illi, vt in Prouincialis munere ſibi ſuccedat, prędicit; cuius vaticínij veritatem rei euentus comprobauit. Pleroſque igitur cum Bernardus annos in eâ Prouinciâ tum inſtituenda, tum virtutibus illuſtrandâ con-

ſumpſiſſet, Cuſtos ad Generalia Comitia Romam profectus, extremum in Romano Conuentu cum pietate diem clauſit. Poſt venerabilis Viri obitum ſeptem menſium ſpatio, Seraphina quædam Capucinarum in Barcinonenſi Vrbe Fundatrix, quæ pietate atque oratione apud Deum plurimum valebat, Bernardinum Cœlum conſcendentem cernit.

***





FRATER BERNARDINVS A COLLE-PETRACIO FF^{rum} CAPVCINORVM PROVINCIALIS.

Fr. BERNARDINI à COLLEPETRACIO, VMBRIÆ PROVINCIÆ Vicarii Provincialis

VITA, ET GESTA.

FRATER BERNARDINVS à COLLEPETRACIO, Sacerdos, à primo Natiuitatis ſuæ exordio cùm ſtola in Crucis modum tranſuersâ contectus è matris vtero apparuiſſet, quam Chriſti Crux illi affinis, & conſanguinea futura erat, quamque cœleſti dono iam ab ipſo ortu ad illud Religionis genus à Deo vocaretur, qui ſub Patre Crucis ſigna geſtante Crucis filios colligeret, velut pręſagio demonſtratum fuit. Duodecimum vix annum Bernardinus attigerat, cùm apud Minores Fratres, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, Religionis ingreſſum tentat: Verùm ab his vſque ad ſextumdecimum ætatis annum repulſam paſſus, tandem Sacro habitu donatur. Paruo tamen poſt ſolemnem votorum emiſſionem tempore elapſo, arctioris Obſeruantiæ ſtudio ad Capucinos migrat. Tot Vir hic, cùm primum Religioni ſtabili voto affixus fuit, virtutibus floruit; vt illuſtriora Dei dona, quæ non niſi probatiſſimis, & maioris ſanctimoniæ Viris conferri ſolent, diuinitus aſſecutus fuerit. Ac primùm tantâ carnem abſtinentiâ macerat, vt triginta annorum ſpatio, nullum pręterquam panis & aquæ cibum aut potum deguſtauerit. Vmbriæ Prouinciam aſperâ, vt plurimum, & niuosâ hyeme horrere nemo ignorat; quâ tamen Bernardinus haud ita terreri vnquam potuit, quin abiectis ſandalijs, nudis pedibus niuem & glaciem premeret, vnicâque contentus tunicâ, & ſępè lacerâ, membra frigoris rigore, cilicio ac dirâ verberum caſtigatione edomaret. Quinimò etiam ſæpè, cùm ad immoderatos libidinum æſtus extinguendos, tum etiam ad Dominicæ Paſſionis dolores in ſeipſo excitandos, inter vepres & dumeta, nudum corpus volutabat. Hinc in eo vitæ innocentia, & pura quædam ſimplicitas effloreſcebat: inde Continentia, & morum honeſtas pullulabat; inde & paupertatis amor, mentis humilitas & manſuetudo erumpebat; hinc mira illius patientia, & in aduerſis fortitudo exoriebatur; hinc cum Bernardinus in Spoletano S. Annæ Conuentu graui quadam tribulatione preſſus, per ſyluam incederet, grauesque animi ſui anguſtias Domino aperiret, Senem quendam aſpectu decorum

extemplò ſibi obuiam venientem conſpicit; qui his eum verbis alloquitur: Cur, Bernardine gemis? nihil tam durum, quod humilitate & patientiâ leue non fiat. Porrò eâ voce confirmatus, cùm poſt hæc in Conuentu Carcerellarum, in quo Guardiani munus gerebat, graues à quibuſdam alterius Ordinis Regularibus perſecutiones ferret, in his tam animo immotus perſtitit; vt cum Peruſiæ Guardianus, Thadæus nomine, pro eo ad Dominum preces funderet, orans Angelum aſpectu pulcherrimum, tripodem manu geſtantem conſpexerit; qui, vt Bernardini conſtantiam commendaret, eo ſuper Altari ſtatuto, Thadæo ait: Vides hunc tripodem, Thadæe; ita Guardiani Carcerellarum patientia, & fortitudo eſt planè immobilis. Eadem ferè Viſio Iuſtino quoque à Pamgalio Guardiano, prout in præcedenti Florum Seraphicorum Tomo explicatum fuit, eſt exhibita. Cùm enim Iuſtinus pro Bernardino in oratione pernoctans ad Deum preces funderet, ei Dominus ſcamnum tripes manu geſtans apparet; qui Iuſtinum his verbis compellat: Vides hoc tripes ſcamnum, Iuſtine, ſcito, quod in eo Guardianus Carcerellarum ſedet; quo fit, vt ab omni periculo vacet. Ex quibus inuicta Viri huius patientia cunctis explorata fuit. Hanc iugis quædam, & lachrymoſa Oratio fouebat, alebat, vegetabat; cuius propterea tanto ſtudio afficiebatur, vt cùm in eâ ad quintam vſque & ſextam horam immobilis perſeueraret, ſibi tempus orationi ſemper deeſſe quereretur. Quo fiebat, vt quo diutiùs rerum diuinarum contemplationi vacare poſſet, Fratrum conſortia fugiens, quotidiana fere ieiunia coleret. Haud mirum igitur, quod in eâ ſæpè raptus, ecſtaſes, ac pleraq; alia dona aſſequeretur. Hinc frequenter illum Fratres toto corpore in aëra ſublatum cernebant. Cùm autem ob aſſiduum Orationis ſtudium id à Deo muneris tuliſſet, vt duobus ante Matutinum Horis, quod mediâ apud Capucinos nocte perſoluitur, Cœleſti quâdam voce ad orationem prouocaretur. Accidit aliquando, vt intempeſtâ noctis horâ cum Cœleſtis illa vox ad ſurgendum compelleret; at is grauiori ſomno oppreſſus tardius ſurgeret; rurſus eandem vocem his eum verbis compellantem audit: Surge velociter, Bernardine, feſtina; lupus enim tuam rapit ouem. Magiſtri Nouitiorum munus agebat tunc Bernardinus. Quare confeſtim è ſtrato exiliens in Eccleſiam properat; vbi Nouitium, qui Diaboli tentatione victus ad ſuos reditum parabat, in ipſis Eccleſiæ foribus offendit. Cui tam Cœleſti eloquentiâ, quâ à Deo præditus erat, animum à diſceſſu reuocat, vt ſtabilis vſque ad mortem in Religione perſeuerauerit.

Cœleſti quoque ſapientiâ Aquæſpartæ Clericum falſis viſionibus deluſum,à Dæmonis fraudibus liberat. Oratione magis quam ſtudio ad Prædicationem accedens, Apoſtolico ſpiritu Dei verbum populis proponit. Acerrimus is quoque Regularis obſeruantiæ propugnator fuit; quare ad Prouincialis Vicarij munus aſſumptus, totam vmbriæ Prouinciam nudis pedibus abſque ſandalijs perluſtrat. Tot virtutes, ac pręſertim aſſiduum Orationis ſtudium cùm Satanas ferre non poſſet, tàmdiu, ac tàm dirè Dei Seruum perſequitur; vt cum quinque menſium ſpatio ſomnum illi intercepiſſet, facilè ad amentiam eum compuliſſet; niſi ſingularis Dei clementia illi è Cœlo opem tuliſſet. Poſt has verò immaniſſimas tentationes, Clementiſſimus Dominus Cœleſtium ei donorum theſaurum aperiens, & futuros rerum euentus Cœleſti lumine dedit prænunciare, & pleraqúe in Dei nomine miracula perpetrare. Diabolicos impetus quaſi magnæ equitum turmæ in Nouitiorum perniciem armatâ manu in Monaſterium irruentis ſuâ oratione irritos reddit. Ioanne quodam Albezino Nobili Tifernate grauiter ægrotante, cùm Vir Dei pro eo Deo orationem fundens, eum ob varia ſcelera ad Tartarum damnandum Diuinâ reuelatione accepiſſet; impenſiùs pro ipſius ſalute rogans, & vitæ illi prorogationem, & in melius commutationem impetrat. Rurſus, dum aliquando orationi vacat, via recta, ac ſpatioſa illi diuinitus ante oculos obijcitur, in quâ Religioſus quidam, qui illi haud ignotus erat, inoffenſo per aliquod tempus pede gradientem ſpectat. Verùm cùm idem poſtea per quaſdam fallaces ſemitas greſſum dirigeret, illius ex ſui Ordinis gremio dilapſum prænunciat. Fr. Bonauenturam à Spoleto, cùm quatuordecim annorum Adoleſcens nullum adhuc in Religionem ſtudium habuiſſet; idoneum Religioni Virum à ſancto P. N. Franciſco deſtinatum prædicit. Cum Bernardino Venantio Phyſico Fulginate aliquando confabulans, his illum verbis affatur: Cum primùm Franciſco Mariæ Ruuereo, Vrbinatum Duci, filium natum audieris, Fr. Sylueſter Aſſiſias ex S. Franciſci Prouincia, Generalis in Religione exurget. atque ita res ad amuſſim vndecimo poſt huius ſancti Viri obitum anno contigit. Vrbano VII. Pont. è viuis erepto, dum Cardinales in Conclaui de nouo Pontifice aliquamdiu inter ſe diſceptant, Aquæſpartę Duci Vir Dei Nicolaum Sfondratum Cardinalem Pontificię Sedi deſtinatum affirmat; aliaque quamplurima ſpiritu Prophetico prædicit. Alerij cuiuſdam Aquaſpartani filio lethali morbo laborante, cùm Medici breui eum moriturum affirmaſſent, Patri eius

opem

opem imploranti, filij ſanitatem his verbis pollicetur: Vade, inquit; filius tuus viuet. Atque eodem tempore æger conualeſcere, & in vitam reſpirare cœpit. Mulieri verò Tifernati perpetuam vſque ad occaſum illi ægritudinem prænunciat. Fridericum Cæſium, Aquæſpartæ Ducem, Romæ peſtilenti febre correptum, atque ad Medicorum deſperationem ægrotantem abſens ſuâ oratione perſanat. Eodem quoque Duci fratris obitum, ac tandem ſalutem conſecutum diuinitus reuelat. Solo etiam ſui nominis imperio abſens febrim putridam, nec non pleuritidem in momento ab eiuſdem Ducis primogenito moribundo fugat. His accedat, quod cum Iulius Proſper Sacerdos ad eum morbi ſtatum pertigiſſet, vt Medicorum omnium iudicio ad mortem properaret, Aquęſpartæ Dux ægrotantis amici periculum illi impenſiùs commendat. Porrò Seruo Dei diutius oranti futura ægri incolumitas reuelatur: quo tempore Vir Sanctus ad ægrum, nuncium deſtinat, qui de futurâ illum valetudine certiorem faciat. Necdum nuncius ad ægrotantem pertigerat, cùm Bernardinus illi in ſomnis apparet; vixque è ſomno expergiſcitur, cùm eò nuncius à ſancto Viro miſſus aduentat, qui futuræ illi incolumitatis opem certam pollicetur. Iſabellæ Lucianæ Cęſiæ, ſalutis certitudinem cum Deo reuelante accepiſſet; illaque ſupremâ ægritudine preſſa, nuncio ad ſanctum Virum miſſo, obnixè ab eo peteret, vt ſibi in extremo agone pręſens adeſſet; annuit Vir Dei, tametſi ſenio confectus: Cumque viam cum Matthia quodam Ducis Aquęſpartæ famulo aggreſſus, ad medium vſque iter proceſſiſſet, Iſabellæ animam ab Angelis ſubuectam Cœlum conſcendentem conſpicit. Quare Conuentum repetit; Matthias verò cùm Aquamſpartam perueniſſet, Iſabellam ex humanis migrâſſe comperit. Inter alias ſancti huius Viri viſiones, ea potiſſimùm celebris fuit; quod etſi alias ſępenumero Beatiſſimæ Virginis conſpectu, & colloquio illum potitum fuiſſe conſtet, tam ſingulari tamen aliquando honore ab eâ exceptus fuit; vt poſt familiare colloquium, coronam Cœleſtibus floribus contextam, ſibi in perpetuæ ſanctimoniæ ſignum, ab eâ capiti impoſitam acceperit. Cęterùm, quod ad eius miracula ſpectat, nonnulla hic recenſere haud importunum erit. Ac imprimis Hieronymum Amerienſem ex noſtris Sacerdotem, cùm adhuc ſæcularis eſſet, à ſtomachi languore Crucis ſigno curat. Mulier quædam à S. Geminiano graui cephalalgiâ tenebatur: quam cùm ſanctus Vir, capite manibus compreſſo, ſigno Crucis conſignaſſet, mox pulſo dolore conualeſcit. Hoc quoque modo

Victorio Montano Porcarienſi, qui ad vitæ occaſum, Medicorum iudicio feſtinabat, ſigno Crucis incolumitatem reſtituit. Petri Pauli Paceſordi, Viri Tifernatis ſex annorum filiâ, graui febre correptâ, Vir ſanctus febri imperans, eam ab ægrotante protinus depellit. His accedat Fr. Hilarius Trebienſis ex noſtris Sacerdos; qui cùm ad Religionis gremium receptus, iam iam Nouitiorum numero adſcribendus eſſet, callidâ Dæmonis tentatione à Religionis propoſito reuocabatur. Hunc cùm nihil ab arrepto mentis propoſito, dimouere vllo modo poſſet: Iam, Hilari, (inquit Bernardinus) quandoquidem te diutiùs detinere non poſſumus, vinum ſaltem ante diſceſſum deguſta. Cumque vini calix allatus eſſet; vbi illum Vir ſanctus ſigno Crucis benedixit, eidem ebibendum porrigit. Quo ille hauſto tam repentè animo mutatus eſt, vt omni Dæmonis tentatione fugatâ, Sacrum mox Religionis habitum ſibi cum lachrymis poſtulauerit. Montis Caſalis Conuentum aliquando Bernardinus moderabatur, cùm Fratres niue altâ obſeſſi, conſumpto pane à mendicatione prohiberentur. Quare Bernardinus vniuerſos Familiæ Fratres ad orandum conuocat. Interea tintinnabulum pulſatur; ſenexque vultu, ac barbâ decorus, viginti quinque panes candidos craſſiores, ac veluti tunc ex clibano hauſtos profert; moxque euaneſcit, nullo ſenis veſtigio in niue relicto. Idipſum & Spoleti, dum S. Annæ Conuentus ſtaret, eodem Guardiano contigit: eo duntaxat diſcrimine, quod poſt tintinnabuli ſonitum, ſaccus pane confertus ex alto ſuperliminari decidens, Ianitoris fores aperientis humeros conterit; nullius inter altas niues, qui illum attuliſſet, deprehenſo veſtigio. Plurima quoque alia ſuâ oratione impetrat, ac ſpiritu Prophetico prædicit. Tot itaque Bernardinus cœleſtibus à Deo donis illuſtratus, cùm ad extremam vſque ſenectam, pari vitæ ac virtutum curſu deueniſſet; diuinitùs ſui obitus horæ promonitus, Porcariæ, ſeu Aquæſpartæ in morbum incidit. Quapropter ſacrâ Confeſſione, diuino quoque Viatico munitus, cùm morbo ingraueſcente Fr. Nicolaus Meſſanenſis extremum illi Vnctionis Sacramentum ſuadet. Ei Bernardinus: Nondum eſt (inquit) Sacræ Vnctionis tempus: cùm maturuerit, aperiam. Interea ad Cœleſtem Patriam anhelans ardentiori animi ſtudio terrenorum omnium oblitus, ſacro ſe Oleo inungi poſtulat. Poſt hæc, cum totus Cœleſtium deſiderio exardeſceret, animum tam feruidis diuinæ Charitatis flammis accendere viſus eſt, vt illius ſplendore in faciem redundante, vultus Diuinâ quadam luce refulgeret, luminaq; ſtellarum

instar

inſtar coruſcarent: ita, vt cùm non mortalis, ſed Cœleſtis planè homo omnibus appareret. Hic vultus, & oculorum ſplendor tamdiu in eo ab adſtantibus conſpectus fuit, quoad ſenſibus integris ſpiritum in ijs Pſalmographi verbis exhalaret: *Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me; & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.* Poſt huius ſancti Viri diſceſſum, Caro eius mollis ac tenera, artus flexibiles apparuêre. Famâ verò de ipſius obitu diuulgatâ, tanta vndiqúe ex vicinis Oppidis hominum turba ad ipſius corpus confluit; tantoque Deuotionis impetu in cadauer irruit, vt cùm habitus ſibi quiſque particulas præſcinderet, altero indui opus fuerit. Aquæſpartæ Dux, qui multa à Viro Dei beneficia tulerat, cùm defuncti corpus aromatibus condiri iuſſiſſet; illud in ſuâ Montis Scopij Eccleſiâ ſarcophago incluſum ſepeliri impetrauit, vbi etiamnum ſepultum iacet; Spiritu (vt creditur) Cœleſti Coronâ donato apud Deum regnante. At quandoquidem, quo demortui corpus aromatibus curaretur, ventrem ſindi, viſcera extrahi, caput ſecari, & cerebrum tolli opus fuit; in eo lepidum ſancti Viri vaticinium expletum fuit; qui viuens aliquando prædixerat, ſe in morte Martyrem futurum. Hic vnus fuit ex Ordinis noſtri M. S. Author; cui ab Hieronymo à Monte florum Generali Miniſtro olim onus demandatum fuit, vt illuſtrium noſtri Ordinis Virorum, quos is ab initio notos habebat, geſta colligeret, ac ſcriptis mandaret; ex quo etiam plura, quæ tum in primo, tum in hoc ſecundo noſtro florum Manipulo conſcripta ſunt, acta decerpta fuerunt. Obijt Vir Sanctus Anno 1594.

***

Fr. Cle-

Fr. CLEMENTIS A GRAVINA,
BARIÆ PROVINCIÆ
VICARII PROVINCIALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER CLEMENS à GRAVINA, Sacerdos, Vir omnium Sæculorum memoriâ dignus; ex eo, quiſquis ad bonam, beatamque vitam animum intendebat, Cœleſtis vitæ lucem haurire, ac Euangelicarum virtutum ſibi igniculos comparare valebat. Etenim ſiue humilitatem optes; is omnium humillimus; etiam cùm Prouincialis munere fungeretur, viliſſimam ſui abiectionem quærebat: ſiue vtramque hominis compoſitionem expetas; tanta in eo morum honeſtas, tanta ſuauitas, tamque perfecta in omnibus animi moderatio, cernebatur, vt in eo omnes S. Bonauenturam velut rediuiuum aſpicerent: ſiue Charitatem expoſcas, eam tam abundè illi animo inditam reperias; vt ſi Fratrum quempiam, cùm Prouinciæ Rector eſſet, habitu indigere conſpiceret; is ſuo ſe habitu ſpolians eo indigentem contegeret, ægrotisque vilia quæque miniſteria exhiberet. Erat inſuper Clemens acerrimus Regularis obſeruantiæ, ac præſertim Seraphicæ paupertatis propugnator. Et ſi patientiam quæras, admirabilis in hoc Viro tum in duris, tum in aduerſis perferendis fortitudo enituit. Falsâ criminatione aliquando appetitus tantam patientiam exhibuit, vt nunquam ob illatas iniurias conquereretur; aut violati honoris ſibi damna reſarciri expoſceret: ſed ſolum in illatis contumelijs illud vindictæ genus ſibi relictum eſſe arbitraretur, contumelioſis parcere. Viri deniquè innocentia multis argumentis probata, ac perſpecta: quotquot ſcelerate in ipſius famam conſpirauerant, Deo vlciſcente, breui morbo conſumpti periêre. Admirabilem hanc Viri patientiam fouebat ardens quoddam orationis ſtudium, quo ſe ad Diuinæ vnionis complexum ita prouocabat, vt in Deum perpetuo animi motu ferri, eique perenniter adhærere videretur. Hinc tanta illius ſuffragijs vis diuinitus acceſſerat, vt cum pro Litæ Marchioniſſæ filia, quæ extremo morbo laborabat, aliquando ad Deum preces funderet eam poſtridie incolumitati reſtituerit. Animam quoq; Fratris cuiuſdam ſibi apparentis à Purgatorijs pœnis ſuâ oratione

liberauit. Deus verò, qui Electorum vias, ſummo conſilio adminiſtrat, admirabilem illius patientiam horribili carcinomatis morbo, qui priùs dextrum illius brachium, tum humeros occupat, declarare voluit. Hoc ille per plurium menſium ſpatia tam dirè, atque acerbè diuexatus fuit, vt qui illius curationem agebat, plura quotidie ab eo carnis fruſta præſcinderet; donec tandem morbus eò euaſit, vt coſtæ carne, quâ tegebantur, conſumptâ nudebantur: neque tamen alia in tam diro cruciatu ab eo vox penitùs audita, prætérquam: Adeſto, bone IESV; ô dulcis MARIA! atque interdum: O B. P. Franciſce propera. Hæcque tanto pietatis ac patientiæ ſpiritu proferebat, vt qui adſtabant, Fratres ad lachrymas prouocarentur. Quin & Chirurgus ipſe eâ Viri patientiâ exterritus, perinde ac ſi ſanctum Virum curaret, non niſi genuflexus illi operam ſuam impenderet. His itaque grauiſſimis morbi doloribus, cum Vir Dei per aliquot menſes afflictatus fuiſſet in illis verbis: *Maria, Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe*; purum Deo ſpiritum reddidit æterno patientiæ præmio coronandum Anno 1595. Cuius id primum argumentum fuit, quod ipſius facies poſt obitum ita effulgere cœpit, vt iam Claritatis dotem à Deo accepiſſe videretur. Præterea, hac ipsâ horâ Sacerdoti cuidam Grauinenſi ex noſtris, ſuo olim familiari, glorioſus amico riſu, ac luce circumfuſus apparet.



FRATER GABRIEL A MONTE NOVO FF. CAPVC.
PICENÆ PROÆ. VICARIVS PROLIS

Fr. GABRIELIS A MONTE NOVO, PICENTIS PROVINCIÆ

VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER GABRIEL à MONTE NOVO, Concionator, Vir prudentiâ, conſilio, atque omni virtute ornatiſſimus, cùm ab ipſo Adoleſcentiæ flore in Capucinorum Caſtra euolaſſet, tantâ pudicitiæ laude, tantâ morum diſciplinâ, tantâ ſuipſius abiectione, & humilitate, tanto Regularis obſeruantiæ ſtudio, tanto denique virtutum omnium ſplendore, Regularis vitæ curſum inſtituit; vt cùm his ſenilis animus, prudensque in omnibus conſilium accederet, celerrimè ad varia Prouinciæ munera, & dignitates, ac tandem ad totius Prouinciæ adminiſtrationem haud ſemel vocatus fuerit: quibus ita præclarè functus eſt, vt cùm præclaris vitam exemplis exornaret, ſummam quoque prudentiæ laudem adeptus fuerit. Virgineus candor, quem ad Religionis gremium attulerat, tantam illi morum honeſtatem oculisque pudorem conciliauerat; vt cùm ad nullius vnquam vultum intuendum lumina attolleret, hinc commune apud Fratres humi ſpectantis (Italicè Guardabaſſo) agnomen aſſecutus fuerit. Cæterùm ex aſſiduo Orationis ſtudio, cui noctu potiſſimùm, multo lachrymarum rore perfuſus vacabat, id ſibi Diuinæ lucis donum comparauerat, vt Diuinis viſionibus cohoneſtatus, quæ hominum conſilium, ac ſcientiam effugiebant, quæque euentura erant, Prophetico ſpiritu anteuerteret. Poſt biennium in Prouincialis munere exactum, Marini in lethalem morbum incidit. Medicis verò de illius vitâ deſperantibus, quo tempore eum Fratres Sacro Oleo inungere parant, eidem S. Bonauentura, & S. Ludoicus noctu apparent; qui illum à morbi ſomno excitantes, his illum verbis compellant: Heus, Gabriel, æquo animo eſto: Surge; iam Dei munere ſanus es: officium tuum cura. Atque his dictis euanuêre. Poſt hæc cùm Puerulum IESVM ad ſe accedentem cerneret, tantâ animi voluptate effundi cœpit, vt ab illius complexu nullo pacto diuelli poſſet: at poſt aliquod breue temporis ſpatium, cùm Diuinus Puerulus ſeſe ex illius oculis ſubripuiſſet, Gabriel incolumis è lecto ſurgit. Cum porrò

Fratres,eum ex graui morbo phreneſi correptum putarent,in lectum reducere parant; quibus ille: Quid me, Fratres, ad ſtratum cogitis? iam non lecto, ſed Eccleſia mihi opus eſt, in quâ Deo, ac SS. Ludouico & Bonauenturæ gratiæ agantur, qui me incolumem præſtitêre. Et ne veſtrum huius rei dubitatio animum pulſet; hoc vobis teſtimonium ſit, quod hac ipsâ die, ſecundâ poſt meridiem horâ, Hieronymus à Caſtroferretto, Guardianus, & alter Guardianus à Monte florum huc ad nos appellent: Quæ omnia, vt prædixerat, euenêre. Pleraque alia hoc tempore illi à B. Ludouico & Bonauenturâ, de ſtatu Religionis, de futurâ quorundam ſalute, ac nonnullis Fratribus, qui breui hinc emigraturi erant, reuelata fuiſſe, communi famâ traditum fuit. Nonnullis etiam miraculis eum ante obitum claruiſſe, omnium traditio eſt. Inter quæ illud refertur, quod mulierem faſcino alligatam in Faneſtri Vrbe ſigno Crucis à Dæmonis poteſtate liberauerit. Gabriel graui iam ab exordio herniâ laborauerat; quam cùm propter honeſtatis pudorem; nulli vnquam aut Medico, aut Fratri aperuiſſet, ita inſanabilis reddita fuit, vt eâ quamdiu vixit, afflictatus fuerit: illâ verò vnâ cum ætate ingraueſcente, ab eâ tandem in Conuentu Fabriani conſumptus, vitæ curſum omni cum virtutis, ac ſanctimoniæ laude peregit Anno 1598.

***



FRATER FRANCISCVS A VICO FF^rum CAPVC^rum PROAE
S. ANGELI VICARIVS PROLIS.

Fr. FRANCISCI A VICO, PROVINCIÆ S. ANGELI VICARII PROVINCIALIS *VITA, ET GESTA.*

FRATER FRANCISCVS à VICO, Sacerdos, Vir virtute illuſtris: cum matùrè Deo in Clericali habitu adoleſcentiæ annos, magnâ cum pietatis laude conſecrâſſet, ex eo ad Seraphicam B. P. Franciſci militiam apud Capucinos euocatur: vbi cùm vitæ auſteritate, rerum paupertate, animi humilitate, Regularis diſciplinæ præſtantiâ, orationis ſtudio, morum grauitate, ac mentis prudentiâ inter alios clariùs emicaret; breui in Nouitiorum Magiſterio conſtitutus fuit: quo in munere vigintiquinque annorum ſpatio tàm præclarè verſatus eſt, vt S. Angeli Prouinciam eximiâ Virorum virtute præſtantium ſobole exornauerit. Adhæc tam eximium à Deo donum conſecutus fuerat; vt internas animi tentationes, quibus Nouitij à Dæmone pulſabantur, non obſcurè penetraret: quibus ſtatim opportuna remedia adhibebat. Cuidam enim Nouitio graui Satanæ tentatione arrepto, ac de diſceſſu cogitanti, Franciſcus ſpiritualem librum, loco digito illi indicato, legendum offert; qui cùm totam ſuæ tentationis ſeriem in eâ explicatam, ac ratione propulſatam offendiſſet; à tentatione liber deinceps in Dei vocatione conſtans perſeuerat. Cùm autem in eo omnia grauia, omnia moderata, omnia tandem virtute digna apparerent; in ſuâ S. Angeli Prouinciâ ad Prouincialis munus electus, tale ab Hieronymo à Sorbo Generali ſibi elogium meruit; Illum, nimirum, Virum tam præclaris moribus inſtructum, tantâque prudentiâ præditum; vt ſub illius adminiſtratione Prouinciam magna in virtute incrementa ſuſcepturam non dubitaret. Cùm verò in Conuentu S. Ioannis Rotundi Magiſtri Nouitiorum munere fungeretur, igne in ſyluâ Conuentui proximâ ſuccenſo; cùm flamma vento flante ad Monaſterij ſepta raperetur, Nouitius Magiſtri ſuo præcepto obediens, flammam, quæ rectâ ad Monaſterium ferebatur, mox in alteram, & obliquam viam à Conuentu deflectit. Nullâ Franciſcus vnquam vitij carnalis labe pollutus; ſed perpetuâ à Deo virginitate donatus, id quoque à Deo meruit, vt funis, quo præcin-

gebatur, Ferrantis Bramantis Vxori, alijſque quamplurimis, quæ diu partus anguſtijs vexatæ fuerant, impoſitus, eas à partus dolore liberas redderet, & ad fœtum enitendum compelleret. Poſt hæc etiam Violanti Curitanæ, quæ Medicorum ope deſtitutâ, iam iam animam exhalatura erat, ſuâ oratione incolumitatem reddidit. Tribus quoque Nouitijs, qui vt Parentibus morem gererent, Diuinâ vocatione contemptâ, ad ſæculum remearant, ſecuturam Dei vindictam prænunciat: quam paulò poſt, duobus ex his vnâ cum Parentibus morte ſublatis, tertio ab hoſtibus trucidato, ſubiêre. Denique Vir hic præclarus, cùm ad vltimum ſuæ adminiſtrationis annum perueniſſet, ſui obitus diuinitùs præſcius, tribus ante mortem menſibus ſe officio abdicans, in Hiſtonij Conuentum Domino aduenturo viam paraturus ſecedit: quò cum primùm appulit, Monaſterij limen ingreſſus ait: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*: tribuſque ibi in oratione, ac rerum cœleſtium meditatione menſibus conſumptis, cum his & vitæ curſum magnâ cum pietate abſoluit Anno 1599.

FR. LAVRENTII A MONTE POLITIANO, APRVTIENSIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS *VITA, ET GESTA.*

FRATER LAVRENTIVS à MONTE POLITIANO, Concionator, inter illuſtres noſtræ Religionis Viros haud infimum ſibi locum vendicat. Huic à naturâ tanta animo benignitas, atque amabilitas indita fuit; vt quicunque in eum oculos conijceret, mox ad ipſius amorem alliceretur. Hanc verò optimam naturæ indolem, cùm maioribus animi virtutibus confociaſſet; factum eſt, vt breui tempore ad maximas quaſque res pertractandas, & maiora munera obeunda natus, nedum aptus videretur. Quapropter ad Nouitiorum priùs curam, & educationem vocatur: quo in munere tantam diuinitùs ſibi inditam lucem accepit, vt intimas Nouitiorum cogitationes, tentationes, & peccata penetraret. Nouitium quendam Nicolaum nomine, à Religionis inſtituto reſilire cogitantem, obuium habens, illi tentationem quamprimùm aperit, atque ab eâ protinus liberum dimittit. Alteri, Iuliano

nomine,

nomine, mortiferum quoddam crimen in animo fouenti, quod nec pœnitentiâ delebat, nec in Confeſſione manifeſtabat, aperit, atque ab Ordine dimittit. Ruffino quoque Nouitio, tentationes, quibus premebatur occultanti, omnes illi indicat, liberumque ab ijs reddit. Ab altero quoque herbæ cuiuſdam odore tentationem fugat. Hoc ipſo tempore, cùm plerisque, tum in S. Franciſci, tum in Aprutienſi Prouinciâ dignitatibus functus, in his tanto Regularis obſeruantiæ ſtudio, ac præclaris virtutum exemplis excelluit; vt cum Vir multæ orationis eſſet, & cum primum rerum diuinarum contemplationi addictus, eum ſæpè Nouitij in Cellâ orantem, velut à ſenſibus alienum offenderent. Quantâ vitæ innocentiâ, ac mentis puritate præditus eſſet, auiculæ factum declarat, quæ in Conuentu Pinnæ, dum Laurentius vnà cum Fratribus in mensâ diſcumbit, ſæpè Refectorium ingreſſa, rectâ ad eum volitabat: atque ex eâdem paropſide ſibi cibum carpens, ab eo quoque panis micas accipiebat. Cæterùm tam ſingularis erat in hoc homine ad quæcunque gerenda, agendaque lepos & ſuauitas, vt nullum diſſidij, aut inimicitiæ genus eſſet, quod is ſuâ prudentiâ, ac dicendi venuſtate non perimeret, & ad pacem componeret. Porrò hæc illi in dicendo vis ac ſuauitas, quamuis à naturâ ineſſet; plurimùm tamen ab oratione iuuabatur: quâ fiebat, vt non ab hominibus tantum, ſed & à Deo, quæ vellet, impetraret. Quod vel hoc aliquando exemplo perſpicuum fuit: Dum enim Cutiniani Monaſterium extruitur, fabricatores in ſupremâ tecti coronide ſuam operam pręſtabant: quo tempore contignatione, quæ illos ſuſtentabat, ſolutâ, omnes ex alto præcipites ruunt. Aderat ibi eo tempore Laurentius, qui cùm Cæmentarios Fabros è ſublimi cadentes cerneret, mox genibus flexis, Beatiſſimæ Virginis illis opem poſtulans exclamat: Sancta Maria, ſuccurre miſeris. quâ ſancti Viri oratione ita ſeruati fuêre, vt ex ijs nemo prorſus damnum tulerit. Prophetico tandem illum ſpiritu à Deo donatum, id inter alia factum indicat, quod Pinnæ aliquando accidit, dum ibi Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum officio fungitur: cum enim in extremâ illius diei cœnâ, quæ Quadrageſimale ieiunium pręcedit, Fratrum Familia tam tenui menſa excepta eſſet, vt nihil, quo recrearetur, in penu ſuppeteret: Laurentius vbi Nouitios ad deguſtandas ſanctæ Paupertatis iucunditates in mensâ cohortatus eſt, protinus addit: At, Filij, num Dei prouidentiam ab altiſſimâ rerum paupertate abeſſe exiſtimandum erit? Haud equidem: illa enim eſt, quę noſtram paupertatem nutrit, ac fouet. Hæc quam

larga, & copioſa eſt, quamprimùm ſpectabitis. Quid, quamprimùm? Modò, modò, nullâ interiectâ temporis morâ, ea vobis perſpecta erit. Hæc adhuc ille ore verba proferebat, cùm Monaſterij tintinnabulum pulſatur. Quapropter is ad Ianitorem: Feſtina, (inquit) Diuinæ nobis prouidentiæ, ac liberalitatis nuncius futurus. Porrò, qui tintinnabulum pulſauerant, quatuor Auguſtini Scorpri- ni eximij Fratrum Benefactoris famuli erant, varijs carnibus ac edulijs onuſti; quibus Nouitiorum, ac Profeſſorum Familia abundè recreata fuit. Poſtremò, cùm in Aprutienſi Prouinciâ Prouincialis Vicarij munere fungeretur, ſexto, antequam è viuis excederet, menſe, obitum Stephano Socio præſignificat. Cùm igitur Pinnam appuliſſet; ibi ſupremùm ægrotans, vitæ curſum magnâ cum virtutum famâ abſoluit Anno 1601. Poſt mortem verò Fratri Mario Sulmonenſi Laico, qui toreuticæ lignariæ operam dabat, glorioſus apparens; eum, quod quadratos iconum margines curioſiùs conſtrueret, ſeueriùs obiurgat; & vt ab his ſe abſtineat, feriò monet. Demùm vento velocior ad Cœleſtia migrat.





FRATER SPIRITVS BALMENSIS FFum CAPVCum
LVGDVNENSIS PROÆ. VICARIVS PRŌLIS

Fr. SPIRITVS BALMENSIS
LVGDVNENSIS PROVINCIÆ
Vicarii Provincialis
VITA, ET GESTA.

FRater Spiritvs Balmensis Gallolígvr, Concionator, Vir omni virtute, ac Euangelicâ Prædicatione excellens, vitæ auſteritate, abſtinentiâ, paupertate, oratione, ac totius Regularis obſeruantiæ ſtudio ita claruit; vt ſępiſſimè inter Prouinciæ Patres, ac Definitores cooptatus, eandem quoque ſub Vicarij Prouincialis titulo adminiſtrauerit. Nihil ad difficiliora quæque auſteritatis, atque virtutis opera exantlanda, præterquam corporis incolumitate opus erat: tantus enim in eo ſpiritus ardor efferueſcere videbatur; vt languidum etiam corpus ad arctiora ieiunia, & quotidianas ferè flagellationes, ac macerationes pertraheret. Dei Verbum tantâ Apoſtolici ſpiritus vehementiâ diſſeminabat, vt mirabiles vbique ad pœnitentiam commotiones excitaret. Perniciofa quædam eo tempore, propter frequentes bellorum tumultus, in Sabaudia morum libertas inualuerat, vt carnes diebus Veneris, & Sabbathi paſſim ederentur: Matrimonia abſque Parocho ſæpè contraherentur: Sacra Altaris Myſteria, tum à Sacerdotibus, tùm à populo ita negligerentur, vt iam rari eſſent, qui ad ea confluerent: furta, blaſphemiæ, periuria, fraudes, impunè vbique permeabant: vſuræ & concubinatus nullo prohibente regnabant; atque alia huiuſmodi in fidei perniciem paſſim vitia graſſabantur. In hæc Spiritus, tum publicis Concionibus, tum priuatis colloquijs tam acriter, tantaque Spiritus vehementiâ inuehi cœpit; vt breui tempore tota illa Sabaudiæ Regio ab eâ morum corruptione expurgata fuerit. Hęreticum quoque ibidem ad Catholicam Fidem perduxit. Quo tempore Spiritus Maurianenſem agrum Euangelicâ prędicatione percurrebat, accidit aliquando, vt eo prędicante, Puer in profluentem torrentem prolapſus rapido illius curſu ſtatim ad ima raperetur. Eo Populus caſu perterritus, cùm exorto tumultu, ſe quiſque ad opem Puero ferendam pararet; Spiritus hanc Dęmonis artem agnoſcens, quâ Populum à Dei verbo reuocare ſtudebat, protinus ad Populum: Ne vos, inquit, Pueri caſus perturbet:

Diaboli hic aſtus eſt, vt Diuini Verbi fructum impediat. Puero nihil mali continget. Subſtitit illicò Populus, Concionatoris conſilio acquieſcens. Cumque aliqui duntaxat ad Puerum concurriſſent, illum in quodam torrentis decliui, ex quo aqua alto quodam præcipitio ad ima prolabebatur, vndæ ita inſidentem offendunt; vt ſolâ Dei virtute, ac Serui Dei oratione retineretur; quo minus ad ima præceps dilaberetur. Rurſus, cùm Lugduni Dei Verbum in anguſtiori quadam Vrbis Eccleſiâ, quæ confluentem turbam capere non poſſet, prædicaturus eſſet; ſuggeſtum in Eccleſiæ aream, quæ ſpatioſior erat, deferri iubet. Eo porrò prædicante, cum pluuia inualeſceret, ac Cœlum atris nubibus obduceretur, mox Populus perturbari, ac diſceſſum parare. Cui Spiritus: Quid, inquit, pluuiam extimeſcitis? Ceſſabit pluuia, ſi ad Dei Verbum aurem & mentem intenderitis. Mirabile dictu! Dicto citius ſtat imber; donec abſoluto ſermone quiſque ad ſua ſe commodè reciperet. In Magos aliquando pro Concione inuectus, tantâ Diuini Spiritus vi, ac verborum luculentiâ artis illius vanitatem oſtendit; vt Magus quidam, qui diu Diabolicæ arti vacauerat, pœnitentiâ ductus, ſuos Magiæ libros ad eum detulerit: qui cùm in Nobilis cuiuſdam aulâ faſciculis impoſitos combureret; en vndique ex libris mures erumpunt, qui per aulam curſitantes inde effugere tentabant: at Spiritus eos Dæmones agnoſcens, ijs protinùs in Dei nomine imperat, vt ſimul in rogum ſe cum libris conijciant. Parent continuò illi, ſummâque omnium, qui adſtabant, admiratione cum libris comburuntur. Hoc pacto, cùm in Domini vineâ maximo cum animarum fructu ad ſenectam vſque labores ſuos continuaſſet, tandem Lugduni morte ſublatus, fidelis, ac ſtrenui à Deo Operarij mercedem aſſequitur Anno 1602. Poſt ipſius obitum, cùm Monachus quidam Cluniacenſis, Adamus nomine, ſummo in vitæ diſcrimine verſaretur, huius Serui Dei opem inuocans, volantis flammæ ſigno accepto, à periculo liberatur.

***

Fr.Do-



FRATER DOMINICVS A COSTA FRATRVM CAPVCINORVM PROVINCIALIS.

FR. DOMINICVS A COSTA, VENETÆ PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS VITA, ET GESTA.

FRATER DOMINICVS à COSTA, Prædicator, genere quidem obſcurior, ſed virtute ac morum ſanctimoniâ clarior: huius tanta fuit innocentia, tanta humilitas, tantus ſuiipſius contemptus, tanta vitæ auſteritas, tantus paupertatis zelus, tantus caſtitatis amor, tanta corporis compoſitio, tantum Regularis obſeruantiæ ſtudium, tantus denique, ac tam ingens virtutum ſplendor; vt eo non ſolùm maioribus ſuis præluxerit, verùm & totam S. Antonij Prouinciam illuſtrauerit. Hinc ad Prędicationis officium vocatus, cùm maiori Charitatis æſtu, quàm verborum lenocinio Populis Euangelium prędicaret, mirâ in hominum animis poteſtate imperitat; inueterata odia expellit, inimicitias propulſat, ac rebelles quaſque impiorum mentes ad lachrymas ac pœnitentiam inflectit. Quamobrem ad Prouinciæ gubernacula euehitur: quo in munere tantâ prudentiâ, vigilantiâ, Regularis obſeruantiæ zelo, ac præclaris potiſſimùm auſterioris vitæ exemplis Prouinciam adminiſtrat; vt in eâ plurimùm Regularis diſciplina ſuo tempore aucta, atque illuſtrata fuerit. Nouitiorum quoque aliquamdiu curæ pręfectus, id munus tam pręclarè geſſit; vt cum Nouitios aliquando in Refectorio Vicentini Conuentus ſpiritualiter erudiret, hirundines, quæ garritu lectionem impediebant, pręcepto à garritu cohibuerit: quæ tamdiu ſiluêre, quoad lectione abſolutâ, is benedictione impertitâ, illis garriendi facultatem redderet. Hoc modo, dum Nouitios prope ſtagnum inſtruit, coaxantes in eo ranas imperio compeſcit. Tantâ in Deum fiduciâ præditus erat, vt nulla vitæ pericula timeret, quo aliorum commodo, atque vtilitati conſuleret. Dum Prouincialis Vicarij munere fungitur, iter aliquando faciens, in lupum incidit; qui puellam ore geſtans, eam in ſyluam deuorandam aſportabat: quapropter curſu arrepto fugientem lupum inſequitur, puellamque ex illius ore erutam ſuis reſtituit. Nonnulla quoque futura quæ euenêre, Diuino ſpiritu prædixit. Inter hęc dum Gemonæ Dei Verbum diſſeminat, futurum cuidam pręnunciat; vt niſi Dei

iram in eum concitatam ſuâ pœnitentiâ placandam ſtudeat, peſtilentiæ morbo, qui à binis peregrinis eò aduentantibus in Oppido diſſeminabitur, ſit caſtigandus. Neque diſſentanea à dicto res euenit. Rurſus, dum Euangelium Montichij prædicaret, quorundam odia extinguere, eoſque ad concordiam reducere, ſummo ſtudio curabat: at ijs pertinaciter reluctantibus, futurum præſignificat; vt cunctis Carnificis gladio peremptis, eorum Familia radicitus extirpanda foret. Hæc illis accuratè accidiſſe, rei deinde euentus non obſcurè confirmauit. Veronæ aliquando commorabatur, quo tempore Nobilis quædam Fœmina grauiter à Diabolo tentata, ab eo fuſis lachrymis auxilium poſtulat. Cui oculis pauliſper in Cœlum ſublatis: Vade (inquit) deiectus eſt Satan: cras te tentatio deſeret; neque eâ deinceps vexaberis. Cumque eâdem nocte pro illâ Dominum rogâſſet, poſtridie à tentatione omninò libera fuit. Mantuam denique profectus, cùm iam ſeptuagenario maior in morbum incidiſſet, vitam plurimâ cum virtute, & ſanctimoniâ actam, fine haud abſimili concluſit: cuius illud inſigne ipſius poſt mortem gloriæ argumentum fuit, quod octauo ab ipſius obitu, anno elapſo, eius corpus integrum, atque omni ex parte incorruptum repertum fuit.

FR. FRANCISCI LVSITANI,
PROVINCIÆ S. ANGELI
VICARII PROVINCIALIS
VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS LVSITANVS, Concionator, cùm inter Minores Diſcalceatos in Hiſpaniâ verſaretur; Regularis obſeruantiæ, quam apud Capucinos puriorem vigere agnouerat, ſtudio ductus in Italiam proficiſcitur: vbi Fr. Alphonſo Lupo, cui is notus erat, pro eo rogante, à Generali Vicario Capucinorum numero adſcribitur; & in S. Angeli Prouinciam deſtinatur. Hic cùm ab omnibus, præterquam rerum Cœleſtium curis remotam, omniumque virtutum ſplendore illuſtrem aliquamdiu vitam duxiſſet; morum illius grauitate, animi prudentiâ, ac virtute perſpectâ, ad Prouinciæ honores ac munera vocatur: & Guardiani, Definitoris, ac Prouincialis Vicarij laboribus functus, in

his tantam apud Deum laudem conſecutus eſt; vt cùm Fratrum viſitationi incumbens, Eſerniæ aliquando Sacra perageret, eo Angelorum Hymnum, *Gloria in excelſis Deo*, inchoante, candida columba extemplò in ipſius humeros aduolauerit; quæ tamdiu ibi permanere viſa eſt, quoad Hymno perſoluto, repentè euaneſceret: quæ res tanto circumſtantem populum ſtupore perculit, vt deinceps Viri ſanctimoniam magis venerari cœperit. Hoc in Prouincialatus munere, eximium aliquando ſingularis Caſtimoniæ ſignum exhibuit, cùm in Prouinciæ Viſitatione, à Nobili quadam Matronâ hoſpitio exceptus, & ad Venerea pellectus, Matronam facti pœnitentem dimittens, duplex de ſordido hoſte trophęum retulit. Huic quoque aliquando id accidit, quod B.P.N. Franciſco contigiſſe, Ordinis noſtri monumenta ferunt: cùm enim Romam ad Generalia Comitia proficiſceretur, in quoſdam Nobiles incidit; qui cùm inſtante prandij horâ Franciſcum, vt ſecum refectionem ſumat, amicè compellunt; ſtatimque famulos ad Oppidum, quod proximum erat, mittentes, nihil illi vnquam, aut panis, aut vini, aut alterius obſonij, quocunque pecuniæ precio oblato ſibi comparare potuerunt: quo fit, vt vacui ad Dominos redirent. At his Franciſcus: Certè (inquit) Domini mei, veſtrum Oppidani pecuniæ genus non agnoſcunt; noſtrum fortè agnoſcent. Quare actutùm is cum Socio ad Oppidum profectus, cùm eleemoſynam propter Dei amorem, ab Oppidanis poſtulaſſent; inde tantùm panis, vini, caſei, ouorum atque aliarum rerum copiam referunt, vt ea non ſibi tantummodo; ſed & Dominis, & famulis abundè ſufficeret. Tutici nequam Spiritus hominem obſidebat, qui multis exorciſmis, ac pręceptis exagitatus; is fruſtrà omnia tentari aſſirmat, donec Capucinus quidam, Franciſcus nomine, à quo tantùm pelli debet, accedat. Franciſci Guardiani in eo tunc Oppido nomen clarum erat: quapropter is, cùm ad eum acceſſiſſet; mox Spiritum his verbis compellat: Quid hic agis cruenta beſtia? Chriſti, non tuus hic locus eſt. Hinc celeriùs apagè, ac Chriſto locum cedito. Vix hæc protulerat, cùm Spiritus ſpumas ex obſeſſi ore euomens, ab eo erumpit, ac liberum hominem relinquit. Hinc tandem multis pro ſancti Angeli Prouinciâ laboribus perfunctus, plurimâ virtutum laude clarus è viuis excedit, ac laborum à Deo præmia conſequitur

Anno 1607.

FR. COSMÆ CAVLONENSIS.

RHEGINÆ PROVINCIÆ

VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER COSMAS à CAVLONE, Sacerdos, ex ſancti Auguſtini Cœnobio ad Capucinorum S. Franciſci Familiam vocatus, magnâ in eâ cum ſanctimoniæ laude ad canos vſque vitam duxit; paupertatis cultor, ac propugnator acerrimus fuit: carnem duris abſtinentiæ legibus, ac macerationibus coërcens: Orationi verò, ac rerum diuinarum contemplationi ita addictus, vt totus ipſius vitæ curſus perpetua quædam oratio fuerit. Hic cùm triginta annorum ſpatio Nouitiorum educationi præfuiſſet, tot virtutum exemplis nouella illa Religionis germina aluit, excoluit, & ad omnia virtutum incrementa prouocauit; vt eo cultore diu Rheginæ Prouinciæ hortulus illuſtrium Virorum plantis floruerit. Guardiani quoque, Definitoris, ac Prouincialis in eâ Prouinciâ muneribus functus; in his tanto Regularis obſeruantiæ ſtudio, tanto Paupertatis zelo, tam ſingulari mentis pudicitiâ, tam denique præclaris vitæ exemplis effulſit; vt ſingulare ijs, qui cæteris authoritate præſunt, exemplar eſſe poſſet. Prophetico ſpiritu clarus, cùm aliquando à Franciſco Plutino, Viro Nobili, vt ſuas illi calamitates aperiret, inuiſeretur, quamprimum eas Coſmas percepit: Siſte (inquit) pauliſper, Franciſce, donec negotio quodam expleto, celeriùs ad te redeam. Protinusque in Eccleſiam ſecedens, cùm pauliſper ante Sacræ Euchariſtiæ Altare oràſſet, ad Franciſcum rediens, cuncta ad amuſſim, quæ illi poſt hæc euentura erant, & calamitatis exitum prædixit. Cum in Conuentu S. Eliæ Guardiani officio fungeretur, Agatio cuidam Laniæ, Nobili Caulonenſi grauiſſimè ægrotanti ſequentis diei incolumitatem prænunciat. Vix autem Coſmas abſcedit, cùm febri ſimul abſcedente, manè ſibi ſua veſtimenta poſcens, incolumis è lecto ſurgit. Idem cùm Ieracenſem Conuentum moderatur, Tertiariæ cuidam Capucinæ occultas animi cogitationes reuelans, ſubdit: Iam Deo gratias age Roſella: nam vt fideliùs illi obſequare, quæ extimueras, quæque malè te habebant, longiùs expulit. Lauræ Curſaræ, Nobilis Caulonenſis copioſum bombycem

faſcino alligatum, Crucis ſigno à faſcino ſoluit. Bombyx verò ab eo liber, ſancti Viri benedictione pingueſcens, conſueti operis duplum ſuæ nutrici reddit. Adhęc, huius Laurę Virum ſuâ oratione à graſſatoribus liberat. Eâdem quoque Carafinum Zoleam, hypochondriâ laborantem curat. Poſtremò, cùm prefatæ Lauræ canabaceum funem, quo pręcinctus erat, obnixè poſtulanti tribuiſſet; eo plures ægroti perſanati, & plereque mulieres à partus dolore liberatæ fuerunt. Plurimos igitur cùm hoc virtutum, ac cœleſtium donorum ſplendore Coſmas annos in Religione egiſſet; diù podagrę dolore cruciatus, ac varijs morbis affectus; in his & ipſe pręclaris eximiæ patientiæ exemplis relictis, Cauloni tandem animam exhalauit. Verumenimverò, cùm magna illius apud Populos ſanctimonię fama percrebuiſſet; vix illius obitus rumor Cauloni, ac per Oppida vicina diffunditur, cùm turbæ ad Conuentum confluunt, in corpus, quod de more in Eccleſiâ expoſitum fuerat, irruentes; habitum, barbam, capillos, vngues præſcindunt. Erat defuncti caro tenera, mollis, ac pueri inſtar palbabilis, ſudorque è toto corpore tàm abundè cœpit erumpere, vt plerique illum ſtrophiolis abſtergerent, ac ſtrophiola velut reliquias haberent. Mox Principis Rocellæ, ac Procerum conſilio, defuncto ſepultura vſque in tertium diem differtur. Dies erant æſtiui, quibus facilè defunctorum corpora corrumpuntur, ac tetrum odorem efflant. At tantùm abeſt, vt Coſmæ corpus putreſieret, aut fœteret; quin potius ab eo tempore ſuauiter olere cœpit. Denique, cùm necdum ſepulto corpore Cœleſtis quædam Angelorum harmonia in Eccleſiâ audita fuiſſet, re cùm Diœceſano Epiſcopo communicatâ; Coſmæ corpus ligneâ capſulâ incluſum, in Eccleſiæ pariete à Fratribus ſeorſim tumulatur. Obijt Anno 1607.



FRATER FRANCISCVS A CASTELLONE FRATRVM CAPVCINOR^{um}
PROVINCIALIS

FR. FRANCISCI A CASTELLONE, NEAPOLITANÆ PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS à CASTELLONE, Sacerdos, Vir inter Neapolitanæ Prouinciæ Patres zelo, prudentiâ, ac omni virtutum genere ornatiſſimus: qui cùm Neapolitanam Prouinciam nouem annorum ſpatio adminiſtraſſet; tot in eâ adminiſtratione virtutibus præluxit, vt nihil quod ad Euangelici Viri, ac veri Paſtoris officium ſpectat, vnquam pretermiſiſſe videatur. Charitate tamen, quæ potiſſima virtus eſt, quâ veri Paſtores probantur, ita precelluit; vt cùm in Beneuentano Conuentu, Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum onus ſuſtineret, magnâ annonæ egeſtate totum Beneuentanum agrum occupante, is fabarum ſextarium, qui domi aſſeruabatur, in pauperum alimoniam inſumi iuſſerit: ex quo cùm quotidie, quantum mediocris olla capere poteſt, vnius menſis ſpatio, pauperibus erogatum fuiſſet; haud tamen fabarum ſextariùs vnquam minui viſus. Appropinquante verò ſacro Dominici Natalis Die accidit, vt ſecundo, vel tertio ante ſolemnitatem die, tam frequens atque alta è nubibus nix deciderit, vt via ad mendicandum niue obſtrueretur. Quamobrem pane, ac reliquâ annonâ ad Fratrum refectionem deficiente, communi conſilio decretum fuit, vt in ſolemni Die Natiuitatis Dominice, Familia fabis, quarum ſextariùs adhuc integer domi ſupererat, ſuſtentaretur. At D.O.M. qui in eos liberalior eſſe ſolet, qui ſollicitam pauperum curam gerunt, fabas in Pauperes erogatas Seruis ſuis ſolemni conuiuio compenſare voluit. Matutinis namqúe Horis, dum in Choro, Hymnus *Te Deum laudamus*, decantatur, en Ianue tintinnabulum pulſatur. Ianitor verò cùm lentiùs ad fores feſtinaret, iterum illud validiùs perſonari audit. Quare Guardiani iuſſu ad fores accedens, amplam in foribus corbem, pane candido ac recenti, vino optimo, caſeo, ac pleriſqúe alijs dapibus confertam, ac lino candidiſſimo opertam reperit. Cumqúe ab eo lator quereretur, nullus vbiqúe conquiſitus conſpicitur, imò neque hominis, neque iumenti in niue veſtigia impreſſa apparent. Hoc Charitatis ſpiritu cum in Grumenſi noui Conuentu Lucanæ Prouinciæ, Guardiani ac Magiſtri Noui-

tiorum aliquando munus gereret; Catharinæ Maſtroiudicis Baroniſſæ Vigiani, quæ tunc in ſuo Vigiani Caſtro, nonnullis ab Grumeto milliaribus diſtante ægrotabat, Confeſſiones excipiebat; quæ cùm maximè illum ſibi conſolatorem expeteret; cum tamen ob itineris incommoda ad ſe accerſere verebatur: quo tempore, dum Franciſcus Sacra facturus, Sacerdotales veſtes induit, vocem ſibi intus loquentem, &, vt ad Catharinam ſe conferat, prouocantem audit. Cui cùm Franciſcus minus animum intenderet; eadem clarior, dum Viuorum apud Deum in Miſsâ Memoriam agit, ab eo percipitur: quâ permotus, Catharinæ, quam necdum ægrotantem nouerat, ſi quæ forent impenſiùs Deo neceſſitates commendat. At vbi peractâ Miſsâ Sacras veſtes exuit, clariſſima tandem ad eum vox defertur, his illum verbis excitans: Quid, Franciſce, moraris, quominùs ad Catharinam Baroniſſam grauiter ægrotantem pergas? Age, rumpe moras, ad eamqúe celeriùs te confer. Hac voce admonitus, iter ad Catharinam carpit: dumque eam verbis conſolatur, vocemqúe ter ſibi è Cœlo allatam narrat; illa Franciſci manum exoſculans, ſtatim à febre ſanatur. Hæc ipſa cùm litem quandam, in quâ de graui pecuniæ ſummâ agebatur, Franciſci orationi commendâſſet; is poſt orationem, litem non modò proſperè, & ad voluntatem, Iudicis ſententiâ definiendam pręnunciat, ſed & diem, qua ſententia pronuncianda eſſet, pręſignificat: quæ cùm Iudicio haud aſſignata eſſet, optatum rei exitum admirabiliorem tulit. Huic Catharinæ, quæ ob nauigij tritico onuſti periculum maximè afflictabatur, eiuſdem nauigij intra duos dies, vti reipſa euenit, aduentum pręd ixit: atq; alia futura, quæ accidêre, pręnunciat. Beatrici, huius Catharinæ Nurui, maſculi partum; ac filij, cuius ſalus deſperata erat, futuram incolumitatem, quæ, vti pręd ixerat, euenêre, indicat. Neapoli Dianę cuidam Moniali Capucinæ, altero oculo orbatæ, lucem Crucis ſigno reſtituit. Mulierem quoque, quæ partus periculo laborabat, eodem Crucis ſigno, fœtu prouocato, à periculo liberat. Plurimis denique in Nouitiorum curâ, ac Prouincię adminiſtratione piè laboribus perfunctus, cùm Neapoli in ſupremum morbum incidiſſet, ingenti omnium Fratrum luctu, mortalem ibidem corporis Sarcinam depoſuit, magnâ ſuæ ſanctimonię famâ poſt ſe relictâ: quâ factum eſt, vt cum Antonius à Neapoli, Laicus, diuturnâ hydropiſi laborans, poſt ipſius obitum, eius ſe habitu contexiſſet, pręter omnium ſpem, ac Phyſicorum opinionem ab eo morbo conualuerit. Obijt Vir Dei Anno 1608.



FRATER CHERVBINVS A QVILLIANO FRATRVM CAP.tum
GENVENSIS PROÆ. VIC.us PROLIS.

FR. CHERVBINI A QVILLIANO, GENVENSIS PROVINCIÆ VICARII PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER CHERVBINVS à QVILLIANO, Sacerdos, Saccarellorum Familiâ natus, Antonij è Sacro Baptiſmate nomen tulit: is tam egregiam indolem nactus fuerat, vt ab ipsâ ineunte ætate propenſum ad pietatem animum gerens, quę pro antecænijs acciperat, omnia pauperibus erogabat. Hac igitur pietate ſimul cum annis adoleſcente, cum duodeuiceſimum annum attigiſſet; accidit aliquando, vt quendam Ordinis noſtri Concionatorem Dei Verbum diſſeminantem audiret: cuius verbis (Deo intus operante) ita animo commotus fuit, vt paulo poſt vale ſeculo dicto ad Capucinos ſe contulerit; & Cherubini nomen conſecutus, in Monaſterio S. Barnabę Vrbis Genuenſis, Angelicum Religionis tyrocinium inſtituerit; breuiq; in perfectum, & Euangelicum Virum excreuerit: ita vt ſeptimum in Religione annum agens, propter eximiam Viri virtutem, primùm ad Guardiani; tum poſt aliquod tempus ad Definitoris; poſtremò ad Prouincialis Miniſtri munus aſſumptus fuerit: quod nouem annorum ſpatio, diſtinctâ temporum ſerie, tam pręclarè, totque virtutum, ac Regularis obſeruantiæ exemplis adminiſtrauit, vt perfectam, quæ B.P.N. Franciſco placet, adminiſtrationis formam aſſecutus videretur. Vnico Socio, eoque Laico contentus Viſitationem pręſtat: Cumq; puſilli gregis forma ad omnem virtutem factus, omnia, duce Charitate perageret; eo fiebat, vt nemo in tot annorum ſpatio, quo Genuenſem Prouinciam adminiſtrauit, de eo vnquam conqueſtus fuerit. Nouitiorum quoq; curæ pręfectus, diù tantâ cum virtutum laude eo munere functus fuit; vt humilitatis, paupertatis, honeſtatis, patientiæ, charitatis, atq; omnium virtutum exemplar, velut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, ijs Seraphicæ Perfectionis viam, tùm verbis tum exemplis aperiret. Orationi verò ita ab exordio animum adiecit; vt eam vbiq; tam domi, quàm foris ſibi amicam concilians; in eâ ſuas ſpiritus delicias collocaret. Principiò quidem, non altas, ac ſublimes rerum Diuinarum contemplationes aggredi, ſed Dominicę

Paſſionis meditatione contentus, columbæ inſtar inter Chriſti Crucifixi vulnera gemere ſolebat. Hinc eum illo attrahente, qui in Cruce exaltatus, omnia ad ſeipſum traxit; ad illud diuinæ Charitatis faſtigium conſcendit, vt ecſtaticâ illum amoris vi complecteretur. Huius rei exempla haud pauca adferri poſſent; verùm vnum aut alterum ſufficiat. In S. Barnabæ Conuentu Cherubinus Nouitiorum educationi vacabat, cùm Fr. Franciſcus à Ripâ Nouitius, circa tertiam noctis horam, ab eo nonnihil poſtulaturus, Cellam ipſius adit; apertoque Cellæ oſtio, eam tanto lucis ſplendore perfuſam offendit, perinde ac ſi multæ in eâ faces collucerent; Magiſtrumque in aëra vſque ad Cellæ tabulatum toto corpore ſubleuatum, tamque cœleſti luce fulgentem cernit; vt terrore correptus ſtatim pedem è Cellâ retraxerit. Iterum cum Angelicæ Seruareciæ vir, grauiter in lecto ægrotaret; Cherubinus ad illius viſitationem accerſitus, cùm ægrum conſolatus eſſet, inde paululum digreſſus, per viridarium deambulans, in quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem, quæ Puerum IESVM in ſinu geſtabat, incidiſſet; mox tanto ex illius aſpectu Diuini amoris incendio inflammari cœpit; vt brachijs in Crucis modum extenſis, tamdiu animo, & corpore in aëra ſublatus ſteterit; quoad Angelica illius colloquio frui cupiens ad eum accederet. Cæterùm, quanta illius orationi à Deo vis indita eſſet, hoc aliquando exemplo manifeſtum fuit. In Sexti Monaſterio apud Ligures die quâdam contigit, vt mare fluctibus iactatum inſaniret: quo tempore Andreas quidam Caſtella; qui nauigium mercibus onuſtum pelago commiſerat, cum eo in cellâ colloquebatur; cuius Cherubinus verba intercipiens: Andrea (inquit) an non tumentes maris fluctus intueris, qui mercium tuarum nauigio naufragium moliri queunt? Age: opportunas ad Deum preces fundamus, vt illud tandem ſaluum recipias. Statimque ad Eccleſiam prodiens, Deum pro nauigij proſperitate deprecatur. Andreas verò Viri Dei ſermone permotus, cùm diem, ac horam obſeruaſſet; nauigio poſt hæc ad littus appulſo, nautas, quid nauigio die illâ accidèrit, ſollicitè interrogat: qui ſe tunc iam aduerſis ventis iactatos affirmant, vt vix naufragium euaſerint; ac ſolâ Dei virtute ſeruati fuerint. Sacrum Miſſæ ſacrificium celebraturus, mentem ſemper longâ Dominicæ Paſſionis, ac Diuinæ charitatis meditatione inflammare conſueuerat: quo fiebat, vt ferè nunquam abſque lachrymis Sacra illa Myſteria Deo offerret: in hiſq; interdum tanto internæ charitatis æſtu flagraret, vt cum ſe ad populum illis cum (Dominus vobiſcum) verbis ſaluta-

turus conuerteret, ignei ac ſplendentes radij ex ipſius ore emicarent. Vnde nec mirum, quod Deus varijs eum etiam ſignis, ac miraculis illuſtrauerit: quorum nonnulla exempla adferre lubet. Bartholomeus Nulanus Saltatorius Magiſter, è præcipiti quodam loco ruens, humerum ſibi ex lapſu confregerat; qui cum Cherubino familiæ anguſtias, quas ob ſuam ægritudinem patiebatur, triſtis aperiſſet; is vbi oculis in Cœlum ſublatis Deum pauliſper orauit, confractum humerum Crucis ſigno obſignans, ait: Bartholomæe, æquo animo eſto, ac Deo confide: quamprimum è lecto incolumis ſurges. Cumq; his dictis abſceſſiſſet, vix Cherubinus domus fores egreſſus fuerat, cùm Bartholomeus humero conſolidato, ac priſtinæ incolumitati reſtitutus è ſtratō exilijt. Petrus Reſſonus Tirolenſis, grauiin genâ cancro laborans, morbi ſui ærumnam grauiter deflebat: quo tempore Cherubinus, Andreâ Gandulpho Presbytero comite, ex Beatiſſimæ Virginis quæ Coronata appellabatur, Ædibus rediens, cùm eum plorantem vidiſſet, miſeratione commotus, inſtitis, quibus gena alligebatur, ſolutis, Vir Dei, genam ſigno Crucis petens, cancrum tribus digitis apprehenſum, abſq; vllo ægri dolore, radicitus à genâ auulſit, atq; eidem tradens ait: Iam ad B. Virginis Coronatæ Ædes pergens, eidem gratias age: ea enim eſt, quæ te à morbo liberum preſtitit. Margarita Benſa Cherienſis, ob frequentes partus tam grauem oculorum morbum contraxerat, vt omni penè luce careret; cumque poſt multa Medicæ artis remedia fruſtrà tentata, incolumitatis ſpem abieciſſet; Cherubinus pro eâ preces fundens, paruo poſt tempore elapſo, perfectâ oculorum luce potitur. Theodorina Gandulfa Sextenſis, tam graui oculorum dolore cruciabatur, vt nullâ diù noctuq; quiete frui poſſet: cui cùm Vir Dei ſignum Crucis impendiſſet; protinus fugatur dolor, mulierque priſtinæ ſanitati reſtituitur. Hoc modo Maria, Ioannis Baptiſtæ Peroſæ Sextenſis filia, quæ ob pituitę fluxum iam per aliquot annos obcæcata fuerat, cùm à Viro Dei benedictionem poſtulâſſet, is poſt indictam eidem ante Sacroſanctę Euchariſtiæ Altare, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam quinquies recitandam; dum aliquantiſper orâſſet, ſigno Crucis ipſius oculis impreſſo, ita illi oculorum lucem reſtituit; vt obſcura protinus diſcerneret, ac breui poſt tempore perfectum lumen adepta fuerit. Eodem quoque Crucis ſigno Theodoram Quillionenſem, quæ tam infirmâ oculorum valetudine vtebatur, vt domeſtica negotia agere non poſſet: alteram quoque Mariam, Philippi Saccarelli filiam, eodem morbo laboran-

tem, poſt vnum, aut alterum diem reddit incolumes. His & Camilla Carazana accedat; quæ cùm in Nouenſi Oppido diu incurabili morbo languens in lécto iacuiſſet, Cherubini ſe precibus commendat. Cui Pater: Camilla, te diu nimis hic lectus detinuit: inde tibi quam primum emergendum eſt. Cumque his eam dictis, ac benedictione conſolatus fuiſſet; ægra poſt vnum aut alterum diem paulatim è lecto ſurgens incolumis euaſit. Præter enumeratos bini Leonoræ Spinolæ filij, quorum alter continuâ, alter vehementi febre tenebatur: Maria Hieronymi Germani Sextenſis filia, ab aurium tumore: Andreas Iacobi del Bono Quillianenſis filius, à gutturis morbo: Eliſabetha quoque Andreę Soror, à Diabolico faſcino; iterumque à graui cephalalgiâ: Philippus Saccarellus, à continuâ febri: tres Bernardini Garauagni filię, à boę morbo: Catharina Auguſtini Peroſi Vxor, à graui capitis dolore: Maria Andreę Caſellæ Vxor, ab inteſtino dolore, quo curua incedere cogebatur: Magdalena Euſtachij Miconi vxor, à grauiſſimo vberum dolore: Argentina Burota Quillianenſis ab eryſipilate, & febri: Nouella Oberti Peſcreti vxor, à mentis delirio: Martina Peſſia, à manus luxatione: Iunipera Chriſtophori Prunionis vxor, à pleuritide, quâ ad vitæ occaſum properabat. Poſtremò, Fr. Franciſcus Polupicenſis Capucinus calculis grauiſſimè laborans; ac pleriqúe alij, ab eo oratione, & benedictione curantur. Diuinæ huic ſignorum operationi, Diuinarum quoque reuelationum, ac Prophetici ſpiritus dona accedebant: quibus & res futuras, & occultas hominum cogitationes illi penetrare datum fuerat. Cuius rei nonnulla extant exempla. Inter hæc, cum quatuor Triremes Genuenſes è Barcinonenſi portu ſoluentes Genuam adnauigarent: vix medium iter confecerant, cùm pelago intumeſcente, tam graui repentè procellâ iactari cœpere; vt ex tribus à fluctibus abſorptis, quarta, quæ magnam Nobilium Genuenſium copiam vehebat, naufragium quoque paſſa crederetur. Huius naufragij famâ per Genuenſem Vrbem diffuſâ, cùm magnus luctus fieret; Cherubinus non cunctas Triremes, atq; eam preſertim, quæ Nobiles vehebat, ab vndis abſorptas eſſe, ſpiritu Prophetico annunciat. Poſt hæc Iacobus Ragius, Nobilis Genuenſis, domeſtica quædam negotia Madriti gerebat: quæ dum ſe facilè expedire exiſtimat, ad Hieronymam Vxorem ſcribit, tot nouis quotidie ſalebris negotia obuolui; vt ad ea explicanda diuturno illi tempore opus ſit: Quapropter Hieronyma Virum Dei, vt pro celeriori Viri negotiorum expeditione ſuas ad Deum preces fundat,

impen-

impenſiùs rogat; qui protinus ad eam: Hieronyma (inquit) ne dubites; Iacobus ſua citiùs, quàm putat, negotia abſoluet: proximus enim hic October menſis eum tibi huc incolumem reducet. Res exitum ſortita Propheticam hanc Viri vocem fuiſſe haud obſcurè manifeſtauit. Per id tempus Ioannes Baptiſta, Alerami Parauicini filius, inconſultis Parentibus è Genuenſi portu ſoluens, Occidentem versùs adnauigauerat: cuius cum decem & ſeptem annorum ſpatio ne nuncius, aut litteræ quidem Parentibus allatæ fuiſſent; eum cuncti vel vndis ſubmerſum, vel caſu aliquo extinctum exiſtimabant; cùm Cherubinus Matri: Ne filium, inquit, Fauſtina, velut mortuum lugeas; is enim & ſuperſtes, & lætus viuit, ſplendidâ domo, & rei familiaris copiâ illuſtris: atque vt id tibi faciliùs perſuadeas, breui ab eo litteras accipies. Nec diu illam rei expectatio ſuſpenſam tenuit: nam vix duorum, vel trium menſium morâ interiectâ, à filio litteras accipit, qui eam prædictorum certiorem reddit. Quo tempore Ioan. Maria Caualerius, eximius in Capucinos beneficus Genuæ ad mortem ægrotabat; Viro Dei ante lucem oranti ipſius obitus à Deo reuelatur. Magdalenæ Miconę Sextenſi filius erat boâ laborans; quem cum Viro Dei benedicendum obtuliſſet, vt ex ipſius benedictione incolumitatem conſequeretur; ſimul atque Seruus Dei puerum conſpexit: Sine, inquit, Magdalena, ſine, vt puer cum Angelis ad Cæleſtia migret. Vixq; pedem abſcedens extra domum protulerat, cum infans morte ſolutus ad Angelorum ſedes conſcendit. Auguſtinus Penſus Sextenſis, cùm in Piratę manus deueniſſet; Catharina Vxor, eum quem mortuum ſuſpicabatur, ſancti Viri precibus commendat. Cui ille: Auguſtinus, ait, ſoſpes eſt: breuique de illo nuncium accipies. Nec diu cunctatum eſt, cùm mulier ab eo litteras accipit, quibus ſe captiuum ſignificans, quadringentos aureos nummos ad ſui liberationem neceſſarios indicabat. Quod cùm mulier Viro Dei indicaſſet: Suſtine (inquit illi) pauliſper: Vir enim abſque pretio liberabitur. Quod Viri Dei magis oratione à Deo impetratum, quàm humano conſilio actum putatur; cum illum Pirata ne quidem cogitantem ſponte libertate donauerit. Cattaneus de Marinis, Nobilis Genuenſis, ſeptuagenario maior, deſperatâ à Medicis valetudine ægrotabat; quo tempore ad eum Cherubinus accedens, cùm illum Crucis ſigno muniſſet, futuram illius incolumitatem ſignificat, quæ magnâ Medicorum omnium admiratione ſubſecuta fuit. Stephanũ quoq; Arſiliæ Centurionis filium grauiſſimè ægrotantem,

breui incolumem futurum: eodemque tempore alterum eiuſdem filium morbo laborantem moriturum,rei euentu vtrumque dictum comprobante, prænunciat. Idem quoque Ioanninam, Octauij del Bon Quillianenſis filiam, quæ extremo cum morte agone colluctabatur,cùm poſt orationem à morbo curandam affirmâſſet, incolumitas ſecuta fuit. Chriſtophoro Prunoni ægrotanti incolumitatem; rurſus morbo laboranti mortem prædicit. Ioanni Baptiſtæ Garauagno, qui dolia ad futuram vindemiam parabat, futuram vini corruptionem præſignificat. Anno 1611. cùm rumor de bello à Gallorum Rege Italis inferendo percrebuiſſet, rumorem inanem futurum, bellumque ante ortum iugulandum prænunciat. Præter hæc Mariam Prunonam, quæ animum à Monachali ſtatu alienum gerebat, Monialem futuram ſuis prædicit. Helenæ Paueſiæ ad Medicorum deſperationem ægrotanti incolumitatem pollicetur. Ioanni Baptiſtæ Gauoto Saonenſi febricitanti certam febris curationem: atque eidem futuram ante octauum diem Pauli V. Pontificis creationem prænunciat. Hac igitur tùm futurorum prædictione, tùm virtutum operatione, eam apud omnes ſibi ſanctimoniæ famam comparauerat; vt eum Liguriæ populi vbique Sanctum prædicarent. Cum igitur octogeſimum quartum ætatis annum attingeret, illuſtrioribus Saonenſis Vrbis Viris id obnixè à Prouinciali Miniſtro poſtulantibus, Saonem deſtinatur. Eò cùm primùm nauigio appulit,ſe vitæ ſuæ occaſum haud longè abeſſe, iam Deo reuelante accepiſſe, Socio manifeſtat. Poſt hæc, vbi primùm Sacram Beatiſs. Virginis ædem in totâ Liguriâ celebrem deuotiſſimè veneratus eſt; domum rediens leui febre laborare cœpit: quâ ſenſim ingraueſcente, omnibus Eccleſiæ Sacramentis deuotiſſimè ſuſceptis, pridie quàm è vitâ excederet, ſuam omnibus, præſertim Saonenſis Vrbis Ordinis Benefactoribus, benedictionem ſcripto exaratam relinquens, quaſi leui ſopore detentus, Deo ſpiritum reddit, cùm ſexageſimum in Religione annum ageret. Poſt animæ diſceſſum, caro illius tam mollis, ac tenera attrectata fuit, vt dormientis potius quam mortui eſſe videretur. Statim verò vbi illius per Vrbem obitus fama diuulgata fuit, tanta populi frequentia ad Monaſterium confluit, Viri Dei cadauer veneratura, vt iuſta ei perſolui non poſſent: certatim enim omnes habitum,quo tegebatur, præſcindere, barbam, vnguesque obtruncare viſi; ita vt corpus ab eorum manibus eripi, atque inter Eccleſiæ cancellos vſque ad ſepulturam collocari opus fuerit. Cęterùm Cherubini anima è corpore ſoluta, Viduæ cuidam

Sexten-

Sextenſi, Catharina nomine, quæ omni virtutum genere in Oppido Sexti florebat; intempeſtâ illius diei nocte apparens, his eam verbis affatur: Catharina, en in Cœlum abeo, tuus apud Deum interceſſor futurus. Rurſus, cùm eadem poſt hæc in lecto ægrotans, Sancti Viri è Cœlo opem imploraret, habituſque illius particulâ ſibi admotâ, incolumitatem mox adepta eſſet; dum illi pro accepto beneficio gratias reddit; en Cherubinus claro vndique lumine coruſcans oranti adeſt; qui cùm oculos Solis inſtar emicantes gereret, ſe illi apud Deum perpetuum Patronum pollicetur. Alias eiuſdem apparitiones cuidam Luchinetæ Sextenſi pietate celebri factas pretereo; quibus Deus Serui ſui poſt mortem gloriam cunctis teſtatam eſſe voluit. At ea minimè ſilentio pretereunda, quæ de perpetuâ ſancti huius Viri virginitate, Catharinæ, cuius ſupra memini, diuino teſtimonio comprobata fuêre. Hæc igitur, cùm de Serui Dei gloriâ certior, nonnihil de illius virginitate, cùm in ſæculo verſabatur, apud ſe dubitaret; Deum ob id triduo orans, in mentis exceſſum rapta, Angelum candidâ veſte contectum, vitreamque ampullam clariſſimo liquore plenam, manu geſtantem ſibi præſentem cernit, qui his eam dictis affatur: Poſtulas, Catharina, num Cherubinus hinc purus, ac Virgo migrauerit, agnoſcere: iam id apud te certum habe, Cherubinum ab omni carnis labe, ampullæ huius ſplendentis inſtar, purum, ac Virginem è viuis exceſſiſſe. Cum id illi ter eodem modo confirmatum fuiſſet, rem apud ſe deinceps certiſſimam habuit. Necdum autem illius corpus ſepulchro conditum fuerat, cùm Aurelia Raineria, quinque annorum puella, altero crure capta, ipſius habitus particulam à matre cruri eius admotam attigiſſet, crus integritati eſt redditum. Eadem quoque die Hieronyma Polleria, quæ grauiſſimo genuum dolore tenebatur, habitus eius particulam ſibi adhibens, mox à dolore curatur. Bartholomea Beſſina, Quillianenſis alterum oculum tam tumidum gerebat, vt illius prorſus lumine careret: quo tempore habitus Cherubini particulâ ſibi oculum contingens, protinus arefacto tumore, oculi lumen recipit. Hoc modo Peragrius Carpeninus, ab Odontalgiâ, quâ octo dierum ſpatio grauiſſimè laborauerat: Fullinia Ferraria à genarum dolore: Minetta Barbetta à febri continuâ: Ludouica Ioannis Baptiſtæ Saccarelli Vxor diutinâ febri laborans: Hieronyma Auguſtini del Bono Vxor, & Catharina Leonardi Caſtelli Sextenſis filia, à graui cordis paſſione: Lucanus puer quinquennis, à boæ morbo, ex quo moriturus putabatur: Peregrina Saonenſis, Auguſtini Magij filia dextri oculi lumine

 carens:

carens: Hieronymus puer, Baptiſtæ Pinziboni filius ad mortem ægrotans: Ambroſius Sauinionus ab alteriùs pedis tumore: Lælia de Nigris, Nobilis Genuenſis ab oris apoſtemate: Pueri duo moribundi in Oppido S. Margaritæ: Auguſtinus Parauicinus à gutta arthetica: Iulia Seraualia Genuenſis à fluxu catarrhi: Georgia Belmoſta ab odontalgiâ: Nicolaus Sextenſis à mentis delirio: Stephanus Brianus Sextenſis ab acutâ febri: huius ſancti Viri habitus contactu liberantur. His accedat Fr. Ioſephus Genuenſis, Ordinis Capucinorum, tam graui iſchiade laborans, vt alterâ corporis parte mutilus eſſet; qui cùm ſancti Viri habitus particulâ læſa membra contigiſſet, tam integram incolumitatem aſſecutus eſt, vt eo deinceps morbo nunquam laborauerit. Atque idem rurſus eodem habitus ſegmine genæ dolorem fugat. Hoc eodem habitus contactu, Fr. Mauritius Genuenſis, Clericus, eiuſdem Ordinis, à febre continuâ: Maria Eliſabeth Grilla, Syluia Hiacyntha, & Pacifica, Moniales S. Syluestri Piſani, à graui molarium dolore: Vincentia Alphonſa & Maria Paraclita eiuſdem Monaſterij Moniales à laterum preſſurâ: Margarita eiuſdem Monaſterij Conuerſa ab oris abſceſſu, ſancti Viri merito perſanantur. Obijt Vir Sanctus Anno 1612.

Fr. BERNARDINVM à CILENTO, Virum virtute præſtantem, Neapolitana Prouincia ad cæterorum exemplar in medium profert. Qui, cùm Vir ſingulari prudentiâ ornatus eſſet, Neapolitanam Prouinciam magno cùm Regularis obſeruantiæ zelo adminiſtrauit; cuius illud Apophthegma legitur; Tria eſſe Religionis propugnacula. Primùm, cultus Diuinus ritè perſolutus. Secundùm, ſilentium Euangelicum, ac Regulare. Tertium, orationis ſtudium. Multarum lachrymarum Vir extitit, quas præſertim in Sacrorum Myſteriorum celebratione fundebat. Cumquè multarum virtutum odore eam Prouinciam reſperſiſſet, in Conuentu tandem S. Euphebij Corporis ſarcinam deponit, Anno 1586.

Fr. HIERONYMVS PICENS, Sacerdos, cum omni tum prudentiæ, tum virtutum laude Aquitaniæ Prouinciam adminiſtrâſſet; abſtinentiâ, & orationis ſtudio eximius quieſcit, Anno 1593.

Conſentina Prouincia ſuum HIERONYMVM AQVARIENSEM, Concionatorem, ac Paſtorem celebrat. Qui cùm magnâ cum virtutis, ac Regularis obſeruantiæ laude aliquot annos eam adminiſtraſſet, quibuſdam poſt mortem ſanctimoniæ ſignis emicat; in quibus illud commemoratur, quod ſexto ab ipſius obitu menſe elapſo, cum ipſius corpus in ſepulchro conquireretur, non modò integrum &

incorruptum repertum fuerit; verùm, & dum facies ipſius Caputio inhærens ab eo vi aliquâ auellitur, ex eâ copioſus ſanguis effunditur. Quod cum ipſa corporis demortui natura, calore omni, quo ſanguis efferuet, deſtituta præſtare nequeat, Diuinæ in eo virtutis opus agnoſcitur; quæ viuentis animæ ſigna in exangui corpore declarare voluit. Obijt 1595.

Fr. ANTONIVM à PETRA MOLARIA, Sacerdotem & Concionatorem Neapolitana Prouincia encomijs extollit: qui cùm doctrinâ, prudentiâ, ac præclarioribus vitæ exemplis eam Prouinciam adminiſtraſſet; atque in eximiæ Sanctitatis teſtimonium Alexandri Vetij filium, deſperatâ à Medicis valetudine ægrotantem, ſigno Crucis incolumitati reſtituiſſet, ſummo apud omnes ſui deſiderio relicto, Neapoli in Conuentu Immaculatæ Conceptionis vitæ curſum pari virtutum laude abſoluit, Anno 1603.

Fr. ANGLICVS PANORMITANVS, Sacerdos & Concionator in Panormitana Prouinciâ, magnæ virtutis ac prudentiæ commendatur; qui cùm eam Prouinciam præclarè aliquamdiu moderatus fuiſſet, magnâ cum ſanctimoniæ famâ in eo munere diem ſuum Licatæ obit, toto Vrbis populo ad corpus confluente. Poſt obitum ipſius Caputij particula Mulierem partus doloribus oppreſſam, ad fœtum prouocat: ipſius quoque capilli alteri, quæ ob partus difficultatem magno in vitæ diſcrimine verſabatur, impoſiti, eam prouocato fœtu incolumem reddunt. Obijt Anno 1605.

Fr. PAVLVS ALETINVS, Sacerdos, Hydruntinam Prouinciam magnâ prudentiâ ac conſilio; magis tamen virtute ac ſanctimoniâ aliquot annis adminiſtrauit. Moribundi Pueri futuram incolumitatem; alteriùs verò, qui necdum ægrotabat, mortem Diuinitus præſignificat. Poſtremò proprio obitus die præſignificato in Domino obdormit Anno 1608.

***



FRATER SERAPHINVS A NEAPOLI FRATRVM CAPVC^{ORUM} PROÆ COSSETANÆ DEF^R PROÆLIS

Fr. SERAPHINI A NEAPOLI, COSSETANÆ PROVINCIÆ DEFINITORIS

VITA, ET GESTA.

FRATER SERAPHINVS NEAPOLITANVS, Sacerdos. Hic Sacris initiatus, cùm Barcinonem cum Alarconio appuliſſet; ibi tantâ humilitate, tantâ ſenſuum mortificatione, tantâ vitæ auſteritate; deniq; tam admirabili virtutum luce coruſcare cœpit; vt qui pudicitiæ germen, honeſtatis formam, morum exemplar, pietatis normam, & deuotionis ſimulachrum ſibi propoſitum vellent, in eum oculos defigerent. Poſt hæc Sacerdotio inunctus, tam ardenti, ac pio mentis affectu ſacra Myſteria peragere cœpit; vt haud ſemel puerum IESVM, dum Sactis incumbit, ſub Euchariſtiæ accidentibus, humanâ formâ præditum conſpexerit. Ad Nouitiorum educationem vocatus, mirum quantâ illis virtutum luce anteiret, quantâq; ſollicitudine munus illud gereret. Tabulis pro ſtrato vtebatur: nudis abſque ſandalijs pedibus incedebat: corpus inediâ afficiebat: nocturnis ſæpè vigilijs incumbebat: aſſiduæ orationi inſiſtebat: arcta ſilentia ſeruabat; alijsque vitæ auſteritatibus carne caſtigatâ animum ad ſuperiora ducebat. Cùm autem Seraphinus quartanâ aliquando febre laborans, iter faceret, Feriâ ſextâ hoſpitio exceptus, is Quadrageſimalibus cibis ſolis admiſſis, cùm oua reſpueret; nec tamen piſcium, nec Quadrageſimalium aliorum ferculorum copia eſſet: En Iuuenis quidam, qui piſcator videbatur, protinus in ianuâ conſpicitur, qui nonnullos in fiſcellâ venales piſces gerens, eos hoſpitæ pretio comparandos offert. Cui dum ea pretium ſoluere parat, Iuuenis, piſcibus cum fiſcellâ relictis, euaneſcit. Hunc Deus Cœleſti luce, qua occulta penetraret, aliquando colluſtrare voluit. Etenim dum Nouitiorum Magiſterio incumbit, Nouitius quidam Bartholomæus nomine, tam ad omnia ineptus, ac Religioni inhabilis videbatur, vt eum Fratres ab Ordine dimittere omnium calculis ſtatuiſſent: quo tempore, dum Nouitij communi oratione vacant, Seraphinus, Bartholomæum orantem conſpiciens, candidam columbam ipſius capiti inſidentem animaduertit;

quam tametſi is manu effugare ſtuderet, columba tamen circumuolans ſtatim ad caput redire cernebatur. Quo viſu Seraphinus columbinum mentis candorem Nouitio ineſſe edoctus, Religionis gremio ſolemni votorum emiſſione confirmatur. Qui tandem virtutibus, ac ſanctimoniâ clarus poſt 26. annorum curriculum ad Cœlos migrauit. Poſt hæc contigit, vt Gerundenſis Conuentus putei aquis putrefactis, Seraphinus Nouitios conuocans, eos vt in Beatiſſimæ Virginis honorem Roſarium recitent, obedientiæ merito prouocat: quod cum ij omni pietate præſtitiſſent, mox aqua, quæ omnino corrupta erat, ad priſtinam integritatem ac ſaporem redijt. Plurimis tandem tam in Nouitijs inſtituendis, quàm in adminiſtrandâ Prouinciâ (ſæpe enim inter Prouinciæ Patres connumeratus, Guardiani & Definitoris officio functus fuit) piè laboribus exantlatis; cùm Cuſtos electus ad Generalia Comitia pergeret, Genuam nauigio reductus, poſt aliquot ægritudinis dies, quibus ipſius virtus ac patientia enituit, eò tandem nauigio appulit, vbi nullum deinceps naufragium timere queat, Anno 1593.



Fr. ANDREÆ A GANDESA,

PROVINCIÆ CATHALONIÆ

DEFINITORIS PROVINCIALIS

VITA, ET GESTA.

FRATER ANDREAS à GANDESA, Sacerdos, anno 1583. ex Obſeruantium gremio ad Capucinos aduolans præclarum virtutum curſum, quem in priori Ordine conſtituerat, tanto ſtudio apud noſtros proſecutus eſt; vt vitæ auſteritate, abſtinentiâ, paupertate, humilitate, manſuetudine, oratione, ac demum Regularis obſeruantiæ perfectione inſignis fuerit. Virginitatem, quam à naturâ tulit, hanc tantâ morum honeſtate coluit, vt mulierum omnium ſtudioſè aſpectum & conſortia fugiens, perpetui cuiuſdam pudoris, qui virginitatis color eſſe ſolet, in vultu inſignia geſtauerit. Maiores in eâ Prouinciâ dignitates ſuâ virtute aſſecutus, in his tantâ prudentiâ, moderatione, ac humilitate verſatus eſt; vt neque eum dignitas extolleret, neque humilitas dignitatis grauitatem minueret. Tyronum quoque cùm per aliquot annos educationem ſibi commiſſam ſuſcepiſſet, ijs ita verbo, & exemplo præluxit, vt Cathalonienſem Prouinciam bono Virorum ſemine fœcundauerit. Perpetuâ, ac ſingulari Beatiſſimam Cœlorum Reginam cùm Religione proſequeretur; eo factum eſt, vt plerumqúe etiam illius aſpectu ac colloquio potiretur. Poſtremò, meritis ac virtutibus diues, cùm in Conuentu Montis Caluariæ Barcinonæ ad immortales conceſſiſſet; ipſius anima à Seraphinâ quadam inſigni muliere, quæ Monialium Capucinarum apud Barcinonenſes fundatrix fuit, rectà, abſque vllâ Purgatorij pœnâ in Cœlum ferri viſa fuit.

Obijt Anno 1605.

***



FRATER ARCHANGELVS SCOTVS FRATRVM CAPVCINORVM
DIFFINITOR PROVINCIALIS.

Fr. ARCHANGELI SCOTI, BELGICÆ PROVINCIÆ DEFINITORIS *VITA, ET GESTA.*

FRATER ARCHANGELVS SCOTVS, Concionator, claro natali, àt præclarioribus virtutibus exornatus; Hic materno ex genere Regiâ ſtirpe oriundus (vtpote Margaritâ Gordoniâ progenitus, quæ cùm Marchionis de Huncle filia eſſet; cuius anteceſſor Regis Scotiæ filiam in vxorem duxerat, Regiæ Stuartorum Familiæ ſanguine coniuncta fuit;) Paterno quoque Nobiliſſimus extitit. Patre namque Comite de Forbes, ditione & opibus potente ortus;ex vtroque parente præclaram generis Nobilitatem tulit. Diſpar erat parentum cultus, ac diuerſa Religio: cùm enim Margarita Mater Catholicam Religionem ac Fidem, quam Gordonirum ſtirps ſemper coluerat, omni ſtudio amplecteretur; Forbeſius Pater contrà ita in Caluinianam ſectam iurauerat; vt cùm Margaritæ animum à Catholicâ Religione,nullis aut minis,aut terroribus auocare poſſet, primogenito filio ab eâ ſuſcepto, eidem repudij libellum obtulerit;alteramq; eiuſdem ſectę puellam duxerit. Alterum tunc Margarita in vtero fœtum gerebat: quapropter accepto repudij libello, pro fide profuga, hinc inde inter notos & propinquos aliquamdiu latuit;donec euoluto pariendi tempore puerum peperit,cui Ioannis nomen impoſuit. Hic verò Archangelus noſter fuit,qui necdum natus,pro fide fugas,exilia ac perſecutiones perpeti, ac pro iuſtitiâ agonizare cœpit. Cum primùm verò Hæreticus Pater Margaritam puerum enixam fuiſſe percipit, vim ac dolos omnes tentat,vt vel puerum Matri abripiat, vel Matrem ſimul cum puero è medio tollat. Id ille tandem poſt biennium aſſequitur, vt ablactatum puerum vi à Matre abſtractum, ad ſe deferri curet. Margarita verò, vbi puer rationis, ac iudicij compos eſſe potuit, frequenter per ſecretos monitores, & fideles nuncios ad Catholicam Religionem hortabatur. Idem quoque ſtudium, ac ſollicitudinem in maiori natu ab paternâ hæreſi abducendo, & in Catholicâ Fide inſtruendo conferebat. Neque intempeſtiuum, aut inane hoc illius ſtudium fuit: etenim maior natu his piæ Matris monitis

magis in Fide confirmatus, in Belgium proficiſci cogitat; vbi Nobilium menſâ, ac ſtipendiariâ penſione, quæ illi à Rege Catholico protinus collata fuit, à Farneſio Principe honorificè exceptus, ſub eo nonnullo tempore militat. Verùm ad præſtantiorem militiam à Deo vocatus, ad Capucinorum Caſtra ſe confert; ac ſub Archangeli nomine Deo militare cœpit. At breue illius militiæ tempus fuit: paucis enim, magnâ cum vitæ auſteritate, abſtinentiâ, oratione, ac cæteris Euangelici Viri virtutibus, annis in Religione exactis; necdum Sacerdotio inunctus, Gandaui in Choro, dum Diuinas laudes perſonat, animam efflat, à Choro pſallentium ad Angelorum Choros migraturus; quod cœleſtis lucis candore, quæ tunc ſupra Chori tecta refulſit, teſtimonio comprobatum fuit. Verſabatur hoc tempore etiamnum in Scotiâ Ioannes Archangeli frater, iam adoleſcens; qui cùm ex Patris, ac Sororum hæreticarum conſuetudine, ac perſuaſione Circæum iam hæreſis poculum deguſtâſſet; hunc Archangelus ex Belgio, Margarita quoque Mater frequentioribus litteris ſalutis periculum edocentes, ad Catholicam Fidem prouocabant. Erat in Scotiâ præclarus quidam Dominicæ vineæ operarius, Iacobus Gordonius nomine, Presbyter Societatis IESV, horum germanorum patruus, Vir doctrinâ ac virtute præſtans, qui ſedulam in profligenda hæreſi, & Catholicâ Fide clam diſſeminandâ operam nauabat. Hunc Archangelus adire, atque ab eo viam veritatis explorare Ioannem Fratrem tam ſæpè per litteras admonet, vt his Adoleſcentis animus excitatus, ad Iacobum Patruum ſe contulerit, animumque aperuerit. At pius Sacerdos nepotem chariſſimè amplexatus, ſollicitè in Catholicâ Fide inſtruit, roborat, confirmat; atque à peſtiferâ hæreſeos labe abſolutionis Sacramento expurgatum dimittit. Hinc melior Ioannes quàm venerat, ad Patrem redit: qui cum filium à priori immutatum; ac ſacra amuleta, quæ ille à Patruo acceperat, collo appenſa aliquando geſtantem vidiſſet, Catholicum ſuſpicatus; rem tamen diſſimulat: protinusque nobiliſſimam puellam, facie decoram, & hæreſi imbutam, qualisque ad filij animum à Catholicâ Religione auertendum expeti poterat, mox illi matrimonio iungere parat. Haud repugnat Ioannes, animum diſſimulat, ſimulat procum, choreis vacat, venationi incumbit; atque vt omnem ſui propoſiti ſuſpicionem Patri adimat, nuptias vrget. Interea, vt Catholicam Fidem, quam profundè animo hauſerat, incolumem ſeruet, fugam à paternâ domo atque à toto regno meditatur. At ne ea aliquando in diſcrimen vocetur, Sponſam ſibi

deferen-

deferendam ſtatuit. Contigit verò, vt dum fugæ modum ſecum animo verſat, Nobilium aliquando turbâ ſtipatus feras inſectaretur: quo tempore longo equi curſu defatigatus, dum ab alijs diſiunctus parumper quieſcit;en in viſu pauperum quorundam Religioſorum, quorum ſe nunquam aut habitum, aut formam vidiſſe meminerat, in ſupplicationis modum ordinatè incedētium agmen cernit. Eo ille aſpectu ſtupere;& quò irent,quidve portenderent,ignorare. Interea ſe paulatim erga illos affici, & ad eorum imitationem Diuino quodam impulſu pertrahi animaduertit. Ignorabat Adoleſcens Diuinæ adhuc vocationis arcanum;quod illum tamdiù latuit,quoad in Capucinorum numerum cooptatus, quid ea viſio præſe ferret, tunc primum agnouit. Ioannes igitur poſt huius viſionis aſpectum,magis animo ad fugam accenſus, re iam apud ſe deliberatâ, puellam,quæ ſibi deſponſanda erat, opportunè adit, idque ſibi in votis eſſe, aperit; antequam cum eo Coniugij iugum ſubeat, exteras, vt Nobilem decet, Regiones perluſtrare; poſtremò ſe Catholicam Fidem colere, vt in eandem ea quoque Religionem conſentiat, blandis verbis ſuadet. His illa auditis obſtupeſcens, paucis Ioanni reſpondet; quod ad primum attinet, profectionis conſilium non omninò improbare: quod verò ad alterum Catholicæ Fidei caput ſpectat, illud maiori conſilio indigere. Hoc cum ſe pacto Ioannes à Sponsâ expediſſet, domum reuerſus haud procraſtinat: ſed cùm in Belgium proficiſci cogitaret,ludo poſtridie ſimulato,longiùs à Caſtro procedit. Cumq; in Adoleſcentem Ouium Paſtorem incidiſſet, cum eo luſum ſimulans, ſuas cum illo veſtes commutat, paſtoritioque ſago contectus, paulatim ſe ab illius oculis abripit; ac velociori dein curſu in fugam ſe dat; donec nauigio conſcenſo Antwerpiam adnauigat. Hoc modo Generoſus Adoleſcens duodevigeſimum circiter annum agens, ac floreſcente ætate, paternâ domo, parentibus, ſororibus, propinquis, ampliſſimâ hæreditate, primogeniturâ; omnibus denique pro Catholicâ Fide tuendâ contemptis; cum his & Sponsâ, ſummâ animi conſtantiâ relictâ, alterius Alexij inſtar, ad ignotas ſibi terras pergit. Hoc igitur Opilionis habitu, cùm Noordam, Belgij munitiunculam appuliſſet, à Regio milite Catholico, ob id potiſſimùm eum exploratorem ſuſpicante, quod tibialia ſerico intexta, quæ fugæ feſtinatione non exuerat, ſub opilionis habitu aduerteret, comprehenditur; & captiuus ad Mondragonium, tunc Antwerpienſis Arcis Gubernatorem mittitur; à quo cùm fugitiuus miles crederetur, in carcerem conijcitur. At D. O. M. tantam illi inter hæc vincula

vultus hilaritatem, animo ſolatium, intrepidamque pectori fortitudinem contulit, vt nec vincula horrere, neque ex carcere mœrorem contrahere videretur. At cùm diutius in eo detineretur, Carceris Cuſtos præclaram illius indolem, morum honeſtatem, patientiam, laborum tolerantiam, liberalemque agendi modum; ac præſertim animi pietatem, quâ ſæpe interdiu, ac nocturno tempore orationi vacabat; demum tot probitatis ſigna, quæ nec vagabundum, nec fugitiuum, neque exploratorem comitari ſolent, inſpectans, Gubernatori perſuaſit, vt Adoleſcentem omni ſuſpicione vacuum, liberum dimitteret. Eâ porrò animi conſtantiâ in hoc vitæ periculo Ioannes à Deo præditus fuit; vt poſt hæc interrogatus, quid ſibi in his vinculis, ac comminati patibuli periculo animi eſſet, reſponderit intrepidus, ſe neque carcerem, neque mortem exhorruiſſe: cum ex quo Catholicus eſſe cœperat pro Chriſto tum viuere, tum mori lucrum putaret. Liber itaque à vinculis, rectà ad Beatiſſimæ Virginis, cui deuotiſſimus erat, Vrbis Antwerpienſis Ædem fertur; vbi genuflexus immenſas pro impensâ cuſtodiâ gratias agit; aſſiduiſque in eâ tamdiu ſe ieiunijs & orationibus exercet, quoad quidam illius Templi Sacerdos, tam egregiam in Adoleſcente pietatem admirans ab eo, cuius patriæ ſit, & quorſum eò venerit, inquireret. Cui cùm ſe natione Scotum, eoque conſilio eò acceſſiſſe indicaret, vt inter bonos Catholicos vitam ageret; hoc ipſo tempore duo Capucini Fratres Templum ingreſſi, conſuetâ Ordini proſtratione, Diuinum Sacramentum adorant: quos vt ille attentius conſpexit, à Sacerdote, cuius inſtituti ſint interrogat. His, ait ille, Capucinorum nomen, ac inſtitutum eſt, in toto Orbe Chriſtiano celeberrimum, qui B. P. Franciſci ſpiritu geniti, Apoſtolicam in Dei Eccleſiâ vitam referunt. Statimque viſionis, quam nuper in Scotiâ venationi vacans, acceperat, recordatus, mox in hæc verba erumpit: Vtinam & ego Capucinus eſſem! Sacerdos verò, vt Adoleſcentis animum ad Capucinos propendere animaduertit, illum ad eximium quendam Capucinorum Benefactorem Ludoicum Claris nomine adducit; qui peregrinum domo, ac mensâ benignè acceptum, vno aut altero die ieiunijs confectum recreat; ac tandem ad Capucinos adducens, ijs Adoleſcentis animum ad Religionis amplexum anhelantem exponit. Fratres verò, cùm nec Latinam, nec Belgicam linguam tenere animaduerterent, Ioanni perſuadent, vt ſtudijs aliquamdiu vacet. At ille Laicum ſe fieri optare reſpondet. Fratribus verò litterarum illi ſtudia inculcantibus, paret ille, atque inter Vrbis pauperes con-

numeratur;

numeratur;præſtantique ingenio fretus, haud mediocriter in litteris proficit. Interea, cum nec pecunia ad res vitæ neceſſarias comparandas, nec domicilium illi ad habitandum ſuppeteret; mirum ſanè, quanta corporis incommoda delicatus Adoleſcens pertulerit. Etenim aliquamdiu in ligneâ quâdam excubitoriâ caſulâ, humi cubans ſomnum carpſit; emendicataque ſtipe quotidie victitans, vix pane, aut frugibus famem hoc tempore ſedare potuit. Hæc verò facilè euitare potuiſſet, ſi genus tantùm & ſanguinem, quo præditus erat, indicâſſet. At tantus in tenui Adoleſcentis animo Chriſti amor efferbuit, vt cuncta corporis incommoda pro illo ferre non horreret. Ludouici tandem Claris, Viri ad miraculum pij ope adiutus, cùm breui & Latinam & Flandricam linguam didiciſſet; inter Capucinos adnumeratus, tunc primùm genus & ſtirpem, voluntarijque exilij cauſam Patribus aperit; atque Archangeli Fratris, qui nuper Gandaui diem obierat, nomen ſortitur. Vigeſimum tertium ætatis annum agebat nouus Archangelus, cùm in ipſâ S. Mariæ Angelorum die, quæ Portiuncula nuncupatur, Anno 1593. Probationis annum auſpicatur. Mirum profectò, quantâ animi voluptate perfuſus, in omnem ſe tum obedientiam, tum patientiam, tum ſuiipſius deſpectum, tum ſimplicitatem, tum paupertatem, atque aliarum virtutum formam componeret. At Satan, cum priùs vinculis ac carceribus illius propoſitum mutare non potuiſſet, nunc illius in Religione conſtantiam aggreditur. Rumore namque de Archangeli ſtirpe in Belgio diffuſo, Nobiles quidam Scoti pro fide profugi, cùm breui eum ſolemnia Religionis vota nuncupaturum intelligerent, quæſtionem apud Duacenſis Facultatis Doctores ſub hac propoſitione agitant: Vtrum liceat Nobili Primogenito ſuæ ſtirpis Familiam deſerere, in Patriæ propriæ, & Catholicæ Religionis præiudicium. Quibus cùm ij reſpondiſſent, non licere; hac Facultatis ſententiâ armati, Tornacum conuolant; Archangelum petunt; & à votorum obligatione deterrent. At Capucini Patres, quanquam iuſtis de cauſis diuerſa ſentirent: attamen, vt Archangeli conſtantiam probarent, rei deliberationem eius arbitrio committunt. Cóntrouerſiæ illi ſtatus proponitur: Facultatis ſententia aperitur: vrgent Scoti Nobiles commune bonum, & ad ſuos reditum. Quibus ille paucis verbis reſpondit, ſuum à paternâ domo diſceſſum, non ſuo, ſed diuino conſilio diſpoſitum. Commune porrò tunc ſalutis bonum curandum eſſe addit, cùm proprium in diſcrimen non vocatur. Poſtre-

mò, firmum illud, ac fixum in animo ſibi propoſitum eſſe aſſeuerat, Religionis vocationem conſtanter proſequi: quod ſi eam hac in Vrbe, aut Prouinciâ interceperint, in alterâ inſtauraturum; neque inter alios, quàm inter Capucinos extremum Spiritum exhalaturum. Hanc illi animi conſtantiam in nouo Religionis tyrone admirantes, mox Diuino ſpiritu perciti conclamant: Dei hæc vocatio eſt; in eâ permane. Hoc itaque certamine deuicto, cùm Archangelus ſolemnia vota emiſiſſet, mox tantâ cœpit virtutum vbertate florere, vt inter humiles humillimus, inter pauperes pauperrimus; honeſtiſſimus inter honeſtos haberetur: atque adeò ad omnium virtutum ſtudia Cœleſti quâdam animi cupiditate raperetur, vt indicto carni, ſenſibus, ac vitijs omnibus bello, breui ita omnium victor euaſerit; vt præter virtutum omnium exemplar nihil in oculis, in habitu, in inceſſu, in actibus, in moribus præ ſe ferret. Vilia domus officia, tam auidè amplectebatur, vt in ijs omnem voluptatem collocaſſe videretur. Tanta illius erat in exteriori homine compoſitio, tanta oculorum demiſſio, tanta vultus modeſtia, tanta morum venuſtas, tanta denique actuum morigeratio, vt eâ quemcunque ad ſe allliceret, deprauatosque aliorum mores tacitè ſugillaret. Singularem Viri abſtinentiam; frequentia præter conſueta ieiunia; carnis macerationes; vitæ denique auſteritatem taceo: quæ ita exeſum atque exſuccum præſtiterant, vt caro præmortua viuentem ſpiritum teſtaretur. Atque hæc quidem interiorem animi compoſitionem indicabant: cùm enim in quotidiano domus miniſterio Martham referret; in oratione, ac rerum Diuinarum contemplatione Mariam: in Choro, ac Diuinis laudibus Angelum, in Dei amore Archangelum ac Seraphinum ſeſe oſtendebat. Peractis verò Theologicæ diſciplinæ ſtudijs ad Prædicationis munus aſſumptus, tanto æſtu in Catholicæ Religionis propagationem ferebatur; quod niſi celerius morte interceptus fuiſſet, in Scotiam redire decreuerat, vt Patris, & Patriæ ſalutem, vel etiam profuſo ſanguine curaret. Interim cùm Teneramundæ Guardiani officio fungeretur, audiens non paruam Scotorum militum manum, ex quibus non pauci Hæreſi infecti eſſent, Dixmundæ præſidiariam collocatam fuiſſe, eò quamprimùm aduolat: Hæreticos milites tot Scripturarum, ac inditæ eloquentiæ telis adoritur; vt ex his trecentos, & amplius, ad Catholicam Fidem pertraxerit: quos tantâ vitæ, ac morum diſciplinâ conuerſos continuit, vt qui anteà ob deprauatam vitæ rationem Vrbi graues erant, ijs abſcedentibus, tam morigerato deinde

milite

milite Ciues deſtitui ægrè ferrent. Alterum quoque in eodem itinere Scotorum Hæreticorum agmen Mennenis ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum perduxit. Eâdem poſt hæc Charitate vrgente; cùm & Cynatum Comitem hæretico errore imbutum, ad Hæreſim abiurandam impuliſſet; miſſis ad Matrem litteris, quibus illam ſui ſtatus, ac Religioſæ Profeſſionis certiorem reddit, Belgicam illi profectionem ſuadet, quo ſuorum tandem hìc laborum metam, ac finem accipiat. His pia Mater litteris plurimùm lætata, ad Filium pergit: At cùm primùm, quem nunquam poſt incunabula viderat, ex internâ potiſſimùm viſcerum commotione agnouit; quantâ exultatione ac lachrymarum effuſione in filij amplexus ruerit, vix explicari poteſt. Archangelus autem Matrem conſolatus, aduentum gratulatur, Amantiſſimique Filij officia eidem perpetua pollicetur. Cùm igitur Archangelus omnibus, quibus poterat, Matrem charitatis officijs proſequitur; haud interea Sponſæ ſuæ, quam in Scotiâ reliquerat, & ad Catholicæ Fidei amplexum cohortatus fuerat, obliuiſcitur. Cùm enim quotidianas pro eâ ad Deum preces funderet, eo factum eſt, vt poſt Archangeli ab eâ diſceſſum, ſuprema illa Sponſi verba ſæpè animo reuoluens, Diuinam ſibi lucem affulgere, ac Cœleſti quodam impulſu excitari ſenſerit; quo Gordonij illius Patris è Societate IESV, qui Archangelo Dux ad fidem fuerat, ſibi colloquium quæreret: quo tandem potita, ita Fidei Catholicæ veritatem hauſit, vt ab eo in Eccleſiæ gremio collocata fuerit; ac poſt biennium à Sponſi diſceſſu in Fide conſtans ad Cœleſtem Sponſum fœlix migrauerit. Poſt hæc Archangelus Teneramundam cum Guardiani poteſtate profectus, Margaritam Matrem Antwerpiæ diuinis rebus feriò incumbentem relinquit: quæ cùm poſt Filij ſui diſceſſum aduersâ valetudine laborare cœpiſſet; & obitus ſui diem ante ſex hebdomadas familiari cuidam ſuo prædixiſſet; obnixeque ſe à Deo petituram diceret, vt & Archangelus breui ſecum eſſet, maturiusq́; vitæ curſum abſolueret, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munita, die, quam prædixerat, piè ad Dominum migrat. Quod vbi Archangelus per nuncium accepit, imperturbato animo, ac vultu ad pietatem compoſito immenſas Deo gratias agit, quod chariſſimæ genitricis laboribus tandem finem impoſuerit. Poſt hæc Archangelus Waëſtmonſterium, Oppidum duas vix leucas Teneremundâ diſtans, in quo lues graſſabatur, piæ cuiuſdam cauſæ gratia profectus, peſtilenti morbo corripitur. Quare celeriùs Teneramundam rediens, ne Conuentus Familia eâ tabe inficeretur, poſt Sacramenta

omni cum Charitatis ardore, ac pietate ſuſcepta, in hortum ſe deferri iubet: ex quo tandem ad amœna Paradiſi vireta, Deo animam exulis ſui, dum languidum corpus aſportatur, ad præmia vocante, euolat, ſexto poſt obitum Matris menſe: Anno verò ætatis ſuæ trigeſimo ſexto; à Natiuitate Chriſti 1606.

Fr. CLEMENTIS APRICINENSIS, PROVINCIÆ S. ANGELI DEFINITORIS

VITA, ET GESTA.

FRATER CLEMENS APRICINENSIS, Concionator, cùm orationis ſtudio potiſſimum incumberet, omnium virtutum ſupellectili ita animi domicilium exornauerat, vt inhabitantem Dei ſpiritum conſecutus, cùm ad Euangelicam Prædicationem accederet, eo per ipſius os proloquente, vberes ſemper animarum fructus referret. Hinc ad Prouinciæ dignitates euectus, quo tempore Manfredoniæ verſabatur, accidit, vt Frater Dionyſius à ſancto Ioanne, Concionator, qui plurimo illi amicitiæ vinculo coniunctus erat, in altero Conuentu longè à Manfredoniâ diſtante, diem extremum clauderet: qui eâdem, quâ obierat horâ, Clementi oranti apparens, illum amicis verbis ſalutat; ſeque eâ horâ ex humanis exceſſiſſe, atque ex Dei miſericordiâ ſalutem adeptum fuiſſe indicat. Clemens porrò amici tum aſpectu, tum nuncio lætus, ab eo quærit, num Dei in morte iudicium (vti vulgò circumfertur) tam rigidum ac formidandum ſit. Cui Dionyſius: Ne dubites Clemens (ait) quin formidabilius, quàm exiſtimari ab hominibus ſolet, hoc Dei iudicium ſit, rigidaque omnium diſcuſſio fiat. Cumque amicum nonnullis ſalutaribus conſilijs proſecutus eſſet, euanuit. Ea verò defuncti amici conſilia Clementis animo ita inſculpta fuêre; tantumque his ad perfectiorem vitæ rationem ineundam excitatus fuit, vt ab eo tempore miris cœperit virtutibus coruſcare; ac viſionibus cœleſtibus, præſertim ſacræ Deiparæ, quam ſingulari ſemper veneratione eſt proſecutus, aſpectu frui: quæ cum eidem ad mortem poſthæc ægrotanti apparuiſſet, de futurâ illum incolumitate admonet, quam paulò poſt aſſequitur. Hic cùm in Cæſaris Natalis, Regij Aduocati domo aliquando verſaretur, ipſius filium

adhuc puerum intuitus, imminens illi mortis periculum prænuntiat; quod is deinde equi calcitratione ſubijt. Idem in Villam quandam cum Nouitio profectus, Moloſſorum rabiem contra eos excitatam ſigno Crucis coërcuit; ac tandem B. Virginis laudes decantans Luceriæ vitæ curſum abſoluit Anno 1608. Hic poſt mortem Fratrem quendam ab acediæ Spiritu tentatum à tentatione liberat, nonnullaque ei monita ſalutis tribuit.

***





FRATER HIERONYMVS NOVARIENSIS FRATRVM
CAPVCINORVM SACERDOS.

Fr. HIERONYMI NOVARIENSIS, FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

Frater Hieronymvs Novariensis, Prouinciæ Mediolanenſis Sacerdos, ex illuſtri Auogadrorum Familiâ ortus, maturè Deo famulari cœpit; atque in ipſo iuuentutis flore iugo Domini aſſueſcens, in Seraphicam Fratrum, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, militiam conſcribi voluit: in quâ, magnâ cum Regularis obſeruantiæ, tum cæterarum virtutum laude cùm per aliquot annos verſatus fuiſſet, Diuino ſpiritu excitatus, ſimul cum Ioſepho Fernenſi, ac tribus alijs Familiæ Fratribus ad Capucinorum gremium ſe recipit. Vir ætate prouectus, ac moribus grauis erat Hieronymus, cùm ad Capucinos migrauit. Tanta in eo Temperantiæ virtus, & abſtinentiæ rigor elucebat; vt cùm primùm menſæ aſſideret, eam tum panis, tum obſonij partem, quæ melior eſſet, quamque magis ſenſus appeteret, à cæteris præſcinderet; ac ſeorſim, quaſi eam Chriſto pauperi, ab eo Eleemoſynam petenti erogaturus eſſet, reponeret, vt nullo vnquam tempore ſatur à menſâ recederet. Hinc cùm lepidè quoſdam ad eduliorum vilitatem, ac paupertatem hortari vellet: Cauete (aiebat) Fratres mei, à B.P.N. Franciſco: is enim cùm ſuprema dies nos ante Dei tribunal iudicandos ſtatuet, gladio armatus apparebit; eoque vniuſcuiuſque ventrem findens, quid in eo lateat, explorabit. Si quos optimis carnibus, grandioribus piſcibus, ac lautioribus epulis infartos offenderit, eos inter diuites, non inter Chriſti pauperes computaturus eſt. Quos verò præter olera, fabas, legumina, piſciculos, ac pauperum cibos nihil in ventre gerere conſpexerit, hos velut Chriſti pauperes, ac paupertatis altiſſimæ filios eſt complexurus. Cum autem Hieronymus alimenti quippiam corpori indulgeret, animum ita in Cœleſtium rerum contemplatione imbuere aſſueuerat; vt ciborum ſapor vix ad guſtum pertingeret; ita vt qui eum refectioni incumbentem cernerent, alia, altioraque præter cibos animo cogitantem animaduerterent. Paupertatis altiſſimæ

ſeuerus cultor, nihil præter ea, quæ à Regulâ conceduntur, admittebat, rerumq́ue penuriâ potiùs, quàm copiâ oblectabatur. Humilitatem, voluntatis abnegationem, patientiam, manſuetudinem, ſilentium, carnis mortificationem, puriſſimam caſtitatem, ſibi familiares conciliabat: quinimò ad eam mentis ſimplicitatem peruenerat, vt ne malum quidem de altero ſuſpicari poſſe videretur. Atque hoc aſſiduo virtutum ſtudio illud mentis, ac ſenſuum omnium dominium aſſecutus eſt; vt nec linguam in otioſum verbum prolabi, nec animum præter inditæ rationis leges voluptate aliquâ capi permitteret. Animi verò puritati tanto ſtudio vacabat, vt minimas quaſque mentis labes, quibus vix hominum vita propter naturæ corruptionem carere poteſt, quotidianâ confeſſione deleret. Orationi, ac rerum Diuinarum contemplationi ita deditus erat, vt ſiue cum alijs ageret, ac negotia pertractaret, (ſæpe enim Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum munere functus fuit) ſiue in menſâ recumberet, ſiue proprio muneri ſatisfaceret; tam indefeſſo, atque interturbato ipſius mens in Deum motu ferebatur; vt cùm facie in altum erectâ Cœlum ferè ſemper aſpiceret, eò quoque animus meliori ſuâ actione tenderet: quo fiebat, vt velut ſenſibus exutus, atque ab humanis auulſus, ſæpè immobilis conſiſteret. Dominicæ verò Paſſionis meditationem velut præcipuam ac familiarem ſibi adſciuerat: in quâ cùm diu noctuq́ue verſaretur, eam tot lachrymarum imbribus aſpergebat, vt vix de illâ cum alijs colloqui poſſet, quin in lachrymoſos ſeſe gemitus effunderet. Ex hac aſſiduâ Dominicæ Paſſionis memoriâ Hieronymus tantam erga Diuiniſſimum illud Altaris Myſterium, quod viuum & incruentum eſt Dominici ſacrificij ſimulachrum, animo venerationem hauſerat; vt nunquam niſi poſt prolixam orationem, ac diuturni temporis præparationem ad illud accederet; in quo ex diuinæ Charitatis contemplatione, tam cœleſti, & copioſâ ſuauitate perfundebatur, vt ea quoque in alios redundaret. Id exemplo aliquando manifeſtum fuit: nam cùm Clericus quidam Theodorus nomine, eidem ſacra peragenti miniſtraret; tam vbere ac cœleſti voluptate frui cœpit, vt ſibi inter Choros Angelorum verſari videretur. Quo tempore res planè mira illi aſpectanda ſe offert: dum enim ſanctum Virum poſt Panis conſecrationem Corpus Chriſti attrectantem, ac diuidentem cernit; quatuòr priores ipſius manuum digitos repentè Domini Sanguine aſperſos animaduertit: quod cùm is factum admiraretur, ſecum hæſitabat, num caſu aliquo illos ipſe ſibi digitos ſauciaſſet. At verò cùm poſt

Sacra-

Sacratiſſimi Sanguinis ſumptionem,ad manum purificationem ventum eſt, digitis aquâ prolutis, ac cruore, quo eouſque illius digitos commaculatos conſpexerat, abſterſo, ſani digiti atque incolumes apparuêre, Diuinumque duntaxat in eo opus peractum fuiſſe animaduertit. Tam Angelicâ mentis puritate, ac Seraphicæ charitatis ardore ſanctus hic Vir adhæc ſacra Altaris Myſteria ferebatur;vt nonnunquam, dum Sacris incumberet, igneus quidam ſplendor ex illius capite ſurſum erumpere viſum fuerit: quod in Cremonenſi Conuentu illi aliquando contigiſſe certa fide teſtatum fuit. Chori religionem ſummo ſtudio proſequebatur. Beatiſſimam Virg. præcipuâ deuotione colebat; ſolitudine plurimum delectabatur. Denique cùm tam ingens in hoc Viro morum Sanctimonia eluceret,tantuſque virtutum ſplendor effulgeret; vt omnium exiſtimatione Sanctus haberetur, haud hominum opinioni Diuina teſtimonia defuêre. Etenim in nitidiſſimæ illius puritatis ac virginitatis argumentum,auiculæ,ac cicadæ ad eum, velut domeſticum conuolare, ac cum eo colludere viſæ fuêre. Dum Nouitiorum curæ præfectus eſſet, Nouitius quidam, Theodorus nomine, crebris à Dæmone tentationibus pulſabatur; qui cùm ad Hieronymum confugiens ab eo opem poſtularet,vix ab illo audiebat: Vade, Fili, iam recedet tent[illegible]; cum mox liber à tentatione reuerteretur. Alterum quoque Nouitium, quem Satanas ſuo aſtu circumuenerat, Cœleſti prudentiâ ab illius inſidijs liberat. Huius quoque Viri quam pretioſa, & efficax apud Deum oratio eſſet, plurimis argumentis manifeſtum fuit: potiſſimùm verò id Anno 1578.cunctis innotuit, in quo toto Cremonenſi agro ob ſummam ſiccitatem pallente, frugibusq; ob humoris inopiam dilabentibus,Hieronymus Guardiano iubente ad Eccleſiam aduolàt; & ante Domini Altare proſtratus lachrymas fundit, pro populo obſecrat, pluuiam poſtulat. Iam meridiem Sol conſcenderat,cùm Vir Dei ad Dominum deprecator acceſſit; neque vlla prorſus in Cœlo nubes pluuiæ prænuncia apparebat. Porrò eo orante aër denſis nubium tenebris obducitur; ac tam copioſus ante Solis occaſum imber è Cœlo effunditur, vt eo Cremonenſis agri tellus,quæ penè aruerat, madefacta reuiruerit, lætaque ſegetes ac fruges protulerit: Poſtremò,cùm admirabili virtutum, atque Apoſtolicæ vitæ exemplo per 58. annorum curricula,quibus inter Capucinos verſatus eſt, omnibus in Religione præluxiſſet, perfectiſſimamque Regularis obſeruantiæ formam cæteris imitandam reliquiſſet; ad Brixienſem Conuentum ſe confert, in quo prima olim

Religionis tyrocinia poſuerat: ibique grauiori morbo, qui illi ſupremus fuit, correptus, eodem virtutis, ac Sanctimoniæ curſu, quo cœperat ad vitæ finem properat. Quapropter, cùm paulò ante Completorij Horam ab Infirmorum Præfecto mortem iam iam ſibi imminere intellexiſſet: Iam igitur, inquit, & nos hanc mortalem vitam in Dei laudibus abſoluamus. Totâq; Completorij Hora, quæ illi recitanda ſupererat, ſenſibus integris, ac ſummâ deuotione perſolutâ, cum eâ ſupremam quoque vitæ periodum clauſit, æternas Dei laudes inter ſuperos auſpicaturus. Obijt Hieronymus ſeptuagenarius, magnâ poſt ſe virtutis, ac ſanctimoniæ famâ apud omnes relictâ

Anno 1582.





FRATER IOANNES A FRENTANO FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. IOANNIS A FRENTANO, FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANI VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES à FRENTANO, Hidruntinæ Prouinciæ Sacerdos, ex Clero ad Religionem profugiens, quamdiu Frentani Clericalem inter Sacerdotes vitam duxit, tam pręclaris Religioſæ vitæ exemplis enituit; vt miſerorum patrem, afflictorum conſolatorem, peregrinorum hoſpitem, diffidentium conciliatorem, pauperum ac egenorum refugium, cùm primùm ad Capucinos ſe contulit, Frentanenſes ſibi ſublatum lugerent. In ipſo autem Religionis exordio, perfectam in ſeipſo Minoris Fratris imaginem efformare ſtudens, nulla virtutum ſtudia pretermittebat. Humilitatem tam profundè animo inſculpſit; vt ad ſtudia, Apoſtolicumque Pręedicationis munus promoueri recuſauerit. Ad Guardiani tandem Officium inuitus raptus, ligna nihilominus, ac tabulas per Vrbem raptabat, ac lapidibus onuſtus, operam ſuam, quo tempore Baruli Conuentus conſtruebatur, cæmentarijs præſtabat. Paupertatem verò S. P. N. Franciſci Sponſam arctiſſimo ſibi vinculo copulauerat. Patientiâ quoque illuſtris Charitatis tamen virtus in eo omnibus pręcellebat, ac principem locum tenebat; ita vt pro infirmis pręcipuè perquam lubentiſſimè ſanguinem, ac vitam profudiſſet. Quare haud mirum, quod pleraque quoque D.O.M. ſupernaturalia illi è Cœlo dona ad ægrotorum curationem contulerit. Modauij namque cùm Virum graui febre laborantem offendiſſet, ſolâ manuum impoſitione, cùm primùm verba illa Euangelica protulit: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Confeſtim incolumitati reſtituit. Peteliæ Viri cuiuſdam ouium grex, peſte correptus ad interitum rapiebatur; qui cùm nullo remedio tam graui damno occurrere valeret, ad Ioannem confugit: qui cùm pro gregis incolumitate Dominum rogâſſet, cerâ benedictâ ad caulam appenſâ, vniuerſas oues ſingillatim egredi iubet: quæ cùm ceram benedictam attingerent, quæ morbo laborabant, curabantur; quæ verò à morbo liberę erant, à peſte pręſeruabantur: atque hoc modo totum gregem incolumem reddidit. Meſapię cùm Guardiani Officio funge-

fungeretur, Virum quendam Agricolam prece conduxit, vt in ſyluâ ligna nonnulla ad Monaſterij vſum cæderet: qui, cùm excelſam arborem conſcendiſſet, vt ſuperiores ex eâ ramos preſcinderet: pede caſu è ramo prolabente ex alto arboris faſtigio ruit: quo ex caſu ita exanimis effectus eſt, vt mortuus ab omnibus crederetur. Hic cùm ad Monaſterium, quod à ſyluâ longiuſculè aberat, perlatus eſſet, Vir Dei protinùs accurrens, cùm hominem iacentem, ac vitali penè ſpiritu deſtitutum cerneret; paululum Deum oraturus ſeceſſit: tùm ad hominem reuerſus, Dei nomine inuocato, ac Beatiſſimæ Virg. nec non B. P. N. Franciſci ſuffragijs imploratis, illum ſurgere iubet: vixque verba compleuerat, cùm is, qui multarum horarum ſpatio, velut ſemimortuus iacuerat, repentè ſeſe in pedes erigit; adeoque valens ac incolumis cernitur; perinde ac ſi nullam illi prior ille ex arbore caſus moleſtiam intuliſſet. Eodem quoque modo cùm Matteolam Anno 1582. poſt Comitia pergeret, eoque in itinere ob diſruptas inguinis tuniculas ita illi inteſtina defluerent, vt ne greſſum quidem mouere poſſet, Fr. Andreas à Torrito, qui tunc illi Socius erat, oppidò iumentum parat, quò ad Conuentum, qui inde adhuc procul aberat, vehi poſſet. At is iumentum cernens, cùm idcircò illud conſcendere exhorreret, quod eouſque ſub Capucinorum habitu, nunquam equo vſus fuiſſet, ſupplex Dominum rogat, vt cui ab equo hactenus abſtinere dederat, iam ad finem vitæ properantem nullatenus equitare permittat. Annuit pijs ipſius votis Dominus: extemplò namque inteſtinis ad ſua loca remeantibus, inguinis membranulæ Diuinâ virtute tam perfectè inſtauratæ ſunt, vt velociùs Socio progredi cœperit; tamque celeriter totum illud iter confecerit, quaſi eo nunquam morbo affectus fuiſſet. Hoc porrò tempore Ioannes Andreæ Socio, ſui ipſius vitæ finem; quem hoc ipſo anno futurum Diuinâ (vt creditur) reuelatione acceperat, non obſcurè prænunciat. Necdum igitur is annum Matteolæ abſoluerat, cùm ægrâ valetudine affici cœpit: ex quâ cùm ſe à Deo vocari intelligeret, ſanctis Eccleſiæ Sacramentis munitus, ex humanis migrat. Pleraque ad illius inuocationem poſt mortem miracula à Deo patrata fuiſſe, communis olim fama fuit. Veruntamen vt formidabilia Dei iudicia nobis manifeſta fierent; accidit, vt octauo poſt illius obitum die Ioannes defunctus Fr. Thomæ Aletino, Sacri Verbi Concionatori, quem in Ædilis officio Collegam habuerat, cuique ſub Diuinæ voluntatis beneplacito de futuro ſui poſt mortem ſtatu, eum certiorem facturum promiſerat, clarâ luce apparet. Illum

Thomas cùm primùm ſibi præſentem conſpicit, de ſalute interrogat. Cui Ioannes: Optimè, inquit, nunc mecum de ſalute agitur. Verùm ſcito, Thoma, me in Dei iudicio maximum in ſalutis diſcrimen, haud aliam ſanè ob cauſam, quàm propter Conuentuum ædificia, adductum fuiſſe: in quibus, tametſi omne me ſtudium contuliſſe putarem, vt paupertati ædificatio reſponderet, pleraque tamen, tum in abundantiori cellarum, ac Officinarum copiâ, tum in ſtructuræ qualitate, ac ſimplicitate vitia, quæ ne quidem vitia putabam, me innuente irrepsère; quæ à Deo ſeueriùs iudicata ſunt: ac niſi maxima mea erga infirmos Charitas mihi in Dei iudicio ſuffragata fuiſſet, de meâ profectò ſalute actum erat. At miſericors Deus meâ illâ Charitate commotus, merita quidem Inferni ſupplicia condonauit: verùm ad octauum vſque diem Purgatorijs pœnis affici voluit; quibus hodie abſolutis in Cœlum concedo. Tu verò tibi meo periculo caueto; & ſi ſapis, ab ædificijs, quæ tibi minùs proſunt, abſtineto. Obijt Vir Sanctus Anno 1582.

Fr. BASILII SYRACVSANI, FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER BASILIVS SYRACVSANVS, Prouinciæ S. Angeli Sacerdos, vt Deo vocanti perfectiùs obtemperaret, Sæculum deſerens ad Capucinos conuolat. In Religionis verò ſinum admiſſus, tantâ cœpit Regularis obſeruantiæ, ac virtutum omnium laude florere, vt inter præſtantiores illius Prouinciæ Viros haud immeritò cenſeretur. Humilitate ita reſplenduit; vt cùm oblatos Guardianatus honores recuſaret; aliquando tamen Manfredoniæ Guardianus à Patribus electus; oneri quidem, cùm obedientiſſimus eſſet, humeros ſuppoſuit: ſed cùm illud inuitus ſuſcepiſſet, Deum precatus eſt, vt ipſum citiùs ab eo liberaret. Deus autem Serui ſui orationem haud irritam eſſe voluit. Nam paulò pòſt eidem inter orandum apparens, proximum, qui in die ſanctæ Crucis futurus erat, obitum prænunciat: quem ille his aliquando verbis Fratribus præſignificauit: Patres (inquit) indignum, atque

inuitum

inuitum me ad hanc honoris Sarcinam rapuerunt: verùm Dei Maieſtas, quæ impares humeros, ac ſpiritus imbecillitatem non ignorat, velocius me ab hoc onere liberaturus eſt: Dies enim Inuentionis S. Crucis, qui proximus eſt, hinc ereptum, atque ab hac Cruce dimiſſum, meo me principio reddet. Nec Diuina eum reuelatio fefellit: cùm enim Kalendis Maij leui quadam febri in eodem Manfredoniæ Conuentu correptus fuiſſet, ipsâ quam præſignauerat, S. Crucis die, præter omnium expectationem diuinis Sacramentis expiatus, lætus ex hac luce migrat. Communem verò de illius Sanctimoniâ ab omnibus opinionem animo hauſtam Deus poſt mortem miraculo confirmare voluit. Cùm enim, necdum extructo ſepulchro ipſius corpus humi conditum fuiſſet; poſt tertium annum inde effoſſum tam integrum, atque incorruptum, barbâ capillisque tenaciùs cuti inhærentibus repertum fuit, vt eâ die tumulo conditum eſſe videretur: ac præterea tam ſuauè olere cœpit, vt vniuerſi Cœleſti illâ odoris fragrantiâ recreati, ex eâ corporis incorruptione, ac odore colligerent, quàm incorruptâ & immarceſſibili apud Deum coronâ frueretur.

Obijt Anno 1582.

***

Fr. ATHANASII TYRACENIENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ATHANASIVS TYRACENIENSIS, Meſſanenſis Prouinciæ Sacerdos, Sanctimoniâ apud omnes celebris: eam ſibi tot virtutibus comparauit, vt nulla virtus, nullaq; virtutis lux ad perfectum mentis ſplendorem ei deeſſe putaretur. Paupertatem altiſſimam zelans, habitum, quem ſemel in anno Probationis aſſumpſit, nunquam ſubinde mutauit. Cùm quotidianum illi Ieiunium eſſet; in eo tamen duntaxat pane, ac herbis crudis veſcebatur, ſitimque aquâ extinguebat. Veruntamen cùm antiqua illa Anachoretarum ieiunia æmulari vellet, poſt aliquot annos ter tantummodò in hebdomadâ cibum ſumere eſt exorſus. Hoc abſtinentiæ genere, quod per multa annorum curricula vſque ad mortem proſecutus eſt, cùm carnem extenuaret, leuiorem ad Cœleſtia contemplanda, ac deguſtanda animum parabat. Quamobrem haud mirum, quod in Oratione frequentiores raptus, ac ecſtaſes pateretur. Sæpè ante Sanctiſs. Euchariſtiæ Altare orans, tam à Sæcularibus Viris, quàm à Fratribus viſus eſt altiùs in aëra extolli. Hinc verò, cùm totum ſuum ſtudium, animum, ac diligentiam ad Diuinæ charitatis incrementa, ac perfectionem contuliſſet; ſolitaria ſemper loca, ac noctis ſilentia ſibi ſollicitè quærere ſolitus erat; quibus Deo, ac rerum Diuinarum contemplationi vacaret. Quapropter breui ſomno contentus, ante Matutinas Horas geminâ ferè ſemper horâ, in Eccleſiam pergens, diuque in oratione pernoctans, Diuinis complexibus fruebatur. Quo tempore, cùm aliquando in Conuentu Tyraceni Fratres conſuetâ noctis horâ ad Matutinum decantandum conueniſſent; præeuntes nonnulli Athanaſium ante Euchariſtiæ Sacramentum orantem, luminibus in Cœlum erectis, ac manibus in Cœlum protenſis altiùs in aëra ſublatum cernunt. Id verò frequentiùs ei contingere ſolere, inter alios Fr. Andreas â Petraliâ Sacerdos inter primos virtutibus illuſtris aſſeruit, qui eundem Guardiani officio in Tyracenienſi Conuentu fungentem, ſæpiſſimè dum oraret, corpore in ſublimem aërem eleuatum conſpexiſſe teſtatus eſt; vt quâ vi is animo in Deum ageretur,

eo teſtimonio perſpicuum fieret. Sæpenumero vſque ad 5. & 6. horam Vir Dei tam immobilis in oratione genuflexus perſeuerabat; vt nec motum quiſquam illius perciperet; neque is vnquam ab vno, eodemque loco toto eo tempore oculorum aciem dimoueret. His Dei donis cùm pręclarus hic Dei Seruus abundè cumulatus eſſet, quàm plurimas à Tartareis hoſtibus moleſtias patiebatur, de quibus tandem glorioſè triumphabat. Nouitiorum curæ pręfectus, non paucos ſuæ Sanctimoniæ hæredes, ac æmulatores reliquit. Poſtremò virtutibus, & ſanctitate conſpicuus, rebus humanis valedicens, optatâ velut poſt tempeſtatem tranquillitate potitur. Quod ne quis in dubium reuocare poſſet, Cœleſti teſtimonio comprobatum fuit. Cùm enim poſt ſancti Viri obitum Fr. Conſtantinus à ſancto Saluatore pro illius animâ Deum rogaret; quidq; de eâ in Dei iudicio actum eſſet, impenſius ſibi ſignificari in oratione peteret; noctu in Eccleſiâ orans, ingentem à tergo ſtrepitum audit: quo perterrefactus, cùm eò vultum conuertiſſet, Athanaſium lucidiſſimâ nube, ac gloriâ circumſeptum intuetur, qui eum his verbis affatur: Quid, Conſtantine, de meâ gloriâ dubitas? en ego inter ſuperos habito, ac Cœleſti gloriâ ex Dei miſericordiâ donatus, Diuinâ viſione fruor. Cui Conſtantinus: Bene, inquit, ac fœliciter in æternum tibi ſit, Athanaſi. Verùm dic, obſecro: qualem ſibi ſtatum noſtra Capucinorum Religio apud Deum vendicat? His Athanaſius: Ne dubites, Conſtantine, (inquit) quin bonum hactenus Religio apud Altiſſimum nomen, ſtatumque ſortita ſit: tu verò ſatage, vt optimum, quod in te eſt, efficias. Quæ cùm dixiſſet, confeſtim ſe iterum ad Cœleſtia recepit. Obijt verò Vir Sanctus Anno 1582.

Fr. ELISÆI A MESSANA, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ELISÆVS à MESSANA, Meſſanenſis Prouinciæ Sacerdos, Deo, ac hominibus dilectus, cùm perfectâ Regularis obſeruantiæ, quæ omnium Euangelicarum virtutum chorum amplectitur, laude excelleret, virtutum omnibus ita ſe formam exhibuit, vt vniuerſi Seraphicum hominem admirarentur. Angelicam enim ipſius vitam, Angelicam con-

uerſationem, Angelica ſtudia, perennis, cui vacabat, Oratio facilè demonſtrabat. Super hæc autem ſingularis quædam, & eximia ergà Beatiſſimam Cœlorum Reginam in eo veneratio eminere videbatur: quo aliquando factum eſt, vt eo Caſtri Conuentum moderante, cùm Fratres tantâ aquæ penuriâ laborarent; vt eam è fonte, qui longiùs à Conuentu aberat, haurire, proprijsque humeris in Conuentum deferre compellerentur; poſtquam Fratres hortatus fuiſſet ad Virginis Matris Patrocinium implorandum; vniuerſique mox vnà procumbentes Angelicam Salutationem recitaſſent: Necdum Fratres ab oratione ſurrexerant, cùm Eliſæus ſcalptro humum perfodiens, illicò è collis ſilice aquæ vena ſcaturijt, quâ Conuentus illius Familia adhæc vſque tempora vſa fuit. Eliſæus verò, cùm Sanctimoniæ famâ vbique diffusâ, vitam pari virtutum curriculo conſummaſſet, Politij, magno ſui deſiderio relicto, terris eripitur, Cœleſtibus, vtì creditur, ſedibus donatus. Huius, quemadmodum & aliorum multorum geſta, Scriptorum negligentiâ, ac Patrum humilitate perierunt; quæ tamen digna apud Deum præmia conſecuta viuunt. Obijt Vir Beatus Anno 1582.

Fr. PACIFICI A SESTINO,

GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER PACIFICVS à SESTINO, Picentis Prouinciæ Sacerdos, cùm in ſæculo Regulam Tertij Ordinis B. P. N. Franciſci profiteretur, tandem inter Capucinos adſcriptus, duriſſimum ſub Auunculo Probationis genus patientiſſimè tulit. Poſt emiſſa verò vota, tam Cœleſte vitæ genus inſtituit; vt potiùs inter Angelos, quàm inter homines verſari videretur. His namque, quæ ad Obedientiæ, aut Charitatis opus ſpectant, exceptis, reliqua omnia temporis momenta Orationi, ac rerum Diuinarum ſtudio dicabat. Hinc nemo illum aut cum altero confabulantem, aut amico colludentem, aut ſermonem cum alijs miſcentem vnquam vidit. Temporis tantum ſomno eripiebat, vt ad tertiam duntaxat horam produceret. Orationis nocturnæ tempus, cui ſingulis noctibus vacabat, ad ſeptimam vſque non

minus horam extenderet, nemora lachrymoſis gemitibus compleret, ac ſæpiſſimè ad Cœleſtes raptus, & ecſtaſes compelleretur. Ita quod Fr. Angelus à Monteſano, plurimique alij eum ſæpiſſimè in cella orantem, ac ſenſu omni carentem deprehendiſſe teſtantur. Aſſiduum hoc Orationis ſtudium prudens quædam abſtinentia fouebat: quanquam enim is cibos communes non reſpueret eos tamen vix attingens, in alios præſertim Nouitios, quorum diu curam geſſit, diſpertiebatur; ita vt multos paſcens famelicus ipſe ſemper à menſâ recederet. Abſtinentiæ comites erant quotidianæ flagellationes, diuturni labores, voluntaria frigoris tolerantia, profundiſſima humilitas, ſummaque rerum omnium egeſtas: quibus cùm plurimæ carnis macerationes conjunctæ eſſent, pacificus omnibus, ſibi verò tantùm infeſtus erat. Ad Nouitiorum Magiſterium & educationem vocatus in eo munere tam præclaris Dei donis præfulſit, vt occultiſſimas Nouitiorum cogitationes Diuinâ virtute rimaretur, Diabolicasq; tentationes aperiret. Nouitios verò, quamprimùm ad Religionis gremium confluebant, attentius intuens; quinam in Religionis vocatione ſtabiles futuri; qui etiam palearum inſtar, ab eâ auolaturi eſſent, Prophetico ſpiritu omni dubio procul præſignificabat. Sub illius diſciplinâ militabat aliquando Nouitius quidam, Valerianus nomine, Clericus, qui cùm partim Dæmonis operâ, partim ob ingenij hebetudinem Diuini Officij Ordinem addiſcere non poſſet; ſæpiùs, ac opportunè à Pacifico efflagitabat à Clericorum Ordine in Laicorum numerum transferri: Cui poſt varias repulſas, Pacificus tandem manu capiti illius impoſitâ ait: Iam animo quieſce, Fili; non te Dominus ad Laicorum ſtatum vocat: Clericus, Sacerdos, ac Concionator eris. Nec dicto veritas defuit: poſt hanc enim manus impoſitionem tam facile ingenium ſortitus eſt, vt eximius tandem in Religione Diuini verbi Prædicator euaſerit. Valerianum Æſinum varijs Dæmonum moleſtijs agitatum Crucis ſigno ab ijſdem infeſtationibus liberat. Quapropter Dæmon, cùm nullum Nouitijs damnum ſe inferre poſſe cerneret, iras in ipſum Magiſtrum deſpumat, varijſque illum moleſtijs aggreditur; quas cùm patientiſſimè fert, multiplices de hoſte, patientiæ coronas refert. Cùm aliquando in Camerini Conuentu, quem tunc ipſe moderabatur, nihil præter pauca quædam legumina, ac bini panes Fratribus ad veſcendum ſupereſſent. Copioſa viginti & amplius Fratrum tunc Familia erat; tamque alta nix è Cœlo ceciderat,

vt omnes ad mendicationem vias obſtruxiſſet. Hac cum annonæ inopiâ dum menſæ accumbunt, en Peregrinus ad Monaſterij fores aduentat; panem poſtulat, quo ſe iam triduo caruiſſe affirmat. Re ad Pacificum delatâ, propriam leguminum pultem, cui geminas panis buccellas intinxerat, ad Peregrinum mittit, vniuerſoſque Fratres ad Eccleſiam compellit; vbi ante Chriſti crucifixi Imaginem omnes quinquies orationem Dominicam cum Angelicâ Salutatione perſoluunt. Vix orationem abſoluerant, cùm Fœmina quædam ter in ſomnis Cœleſti voce admonita, tintinnabulum pulſat, geminaſque grandiores placentas Ianitori offert. Cùm verò Ianitor ſtudioſius ex eâ quæreret, quo pacto tam horridâ tempeſtate, atque altâ niue eò cum placentis appuliſſet, ſubridens illa: Certè, Pater, (inquit) vt verum fatear, num niuem veſtigio meo preſſerim; an potius Angelicâ manu ſuffulta, huc perducta fuerim, ignoro: tam leuis enim mihi eſſe videbar, vt vix niuem attigerim. In eodem Conuentu Camerini, præſidente Pacifico, cùm iterum vberior nix effuſa eſſet; ita vt via mendicationi præcluſa exiſteret, omni, familia quæ copioſa erat, victus annonâ carebat: quare Pacificus, vbi omnium animos in Diuinæ Prouidentiæ ſpem erexit, vniuerſos ad Eccleſiam conuocat: vbi dum attentius orant, oſtij tintinnabulum pulſatur, muluſque pane, vino, carnibus, caſeo, ouiſque onuſtus cum agaſone, ante Conuentus fores apparet: quem cùm Ianitor cibariâ illa annonâ exoneraſſet, neque mulus, neque agaſo ampliùs viſi, neque eorum vlla in niue deprehenſa veſtigia. Sub eodem Pacifico Æſinum Conuentum moderante cùm Fratres eâdem inopiâ laborarent, eoſque in Diuinæ Prouidentiæ opem ſperare docuiſſet; En, Senex quidam Aſelli ductor præ Conuentus foribus adſtat, oſtium pulſat, Aſellum pane, vino, caſeo, ac pleriſque alijs cibarijs onuſtum Ianitor exonerat; dumque ignem, ac cætera neceſſaria parat, quibus Senem hoſpitem excipiat, Senem euaſiſſe comperit, nullaque hominis aut Aſelli poſt aliquot paſſus in niue veſtigia cernit; vt eo luculentius ijs Cœleſtis Prouidentiæ miraculum pateret. Rurſus, in Camerini Conuentu, quo tempore Pacificus illius habenas gerebat, niue exuberante Fratres duo ſupra viginti in ſummâ egeſtate verſabantur; at cùm Pacificus quinquies Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ indixiſſet, vix menſæ accumbere cœperant, cum tintinnabuli ſonitus Ianitorem ad fores vocat; amplumque caniſtrum duobus & viginti panibus craſſioribus, ac recentibus refertum, iuxta Fratrum numerum, nullo præterquam Cœleſti, ac inuiſibili latore,

ante Conuentus fores reperitur. Illud verò Diuinæ benignitatis teſtimonium haud ſilentio inuoluendum eſt, quo clementiſſimus Deus Camerinenſi Fratrum Familiæ, quæ à Pacifico adminiſtrabatur, paucos ante dies, quàm ab eo Ieiunium Quadrageſimale indicaretur, ex Diuinæ liberalitatis ſuæ penu abundè prouidere voluit. Cùm enim extremis his diebus, quibus Fratres tantiſper recreari ſolent, nihil in domo, aut carnium, aut ouorum, aut alteriùs obſonij prorſus adeſſet; porca quædam ſylueſtris catulorum agmine ſtipata, roſtro Conuentus oſtium pulſat: quæ cùm proprio in dorſo nefrendem geſtaret; vix Ianitor oſtium aperit, cùm illa longiùs intra Monaſterij fores porculum proijciens, ſtatim in tam celerem fugam ſe conuertit; vt breuiſſimo tempore ab omnium conſpectu ſe diuulſerit. Hoc pacto Dominus, honeſta quoque ſuis pauperibus ſolatia, quæ hominum prouidentia haud contulerat, brutorum operâ miniſtrare voluit. Cæterùm, cùm hæc tam illuſtria Viri huius Sanctitatis argumenta eſſent, vt in Picenti Prouinciâ, etiamnum viuus, ac ſuperſtes Viri ſancti nomen adeptus eſſet; illud tamen luculentiùs rem ipſam demonſtrat, quod eo Tipherni Metaurenſis aliquando Conuentum regente, dum cellâ incluſus orat, præfulgens quædam ſtella ex eâ erumpere viſa, quæ locum vndique ſuis radijs illuſtrat. Porrò Andreas Beneuentanus, Sacerdos, qui eam ſe proprijs oculis vidiſſe teſtatur, communem tunc inter Fratres famam diffuſam refert, Beatiſſimam illam Deiparam fuiſſe, quæ cùm Pacificum ſibi deuotiſſimum ſuâ preſentiâ conſolata eſſet, ab eo ſub lucidiſſimi ſyderis formâ diſceſſerit. Tipherno verò cùm Cingulum migraſſet, vitæ finem ſibi à Domino prænunciari audit: Quapropter diligentius, ac maiori ſtudio, atque orationis aſſiduitate ſe ad eius aduentum parat. Tandem morbo correptus, cùm leuem illum, atque omnis mortis periculo vacuum Medicus iudicaret; is verò certum ſibi vitæ occaſum imminere Fratribus indicaſſet, Eccleſiæ Sacramentis muniri poſtulat. Poſtridie verò cùm Fratres ad mutuam charitatem, ac Chriſti Domini imitationem pijs verbis cohortatus fuiſſet; Sexagenarius ad immortales migrat. Æſtiui tunc Caniculæ calores maximè feruebant; cùm ad illius funera concurrente magnâ hominum turbâ, ipſius corpus, quod ob pleraque cauteria eidem inuſta malè olere conſueuerat, tam ſuauem odoris fragrantiam cœpit effundere; vt Eccleſia, & Conuentus eo maximâ omnium admiratione, ac voluptate complerentur. Poſt ſextum verò ſepulturæ menſem, imò & poſt ſeſquiannum, cùm Fratres, ob conceptam de Viri ſanctitate

opinionem, ipſius corpus in ſepulchro exploraſſent; habitum quidem putrefactum reperiunt; corpus verò candidum, incorruptum, haud ſecùs quàm in ipſo ſepulturæ die odoriferum offendunt: vt qui præclarè illius geſta percepturi eſſent, in eorum odorem currentes, quod in Viro Dei virtutis admirantur, id operis imitatione proſequi ſtudeant. Obijt Vir Sanctus Anno 1584.

***





FRATER CYPRIANVS A MONTE CORVINO FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. CYPRIANI A MONTE CORVINO,

GVARDIANI.

VITA, ET GESTA.

FRATER CYPRIANVS à MONTE CORVINO, Sacerdos, virtutibus, ac ſignis celeberrimus, in ipſo Iuuentutis flore ad Capucinos euolans, nullum tam durum aſperitatis genus, nulla tam aſpera vitæ auſteritas, aut carnis mortificatio erat, quam ad Chriſti Paſſiones imitandas auidiſſimè non captaret. Quapropter memor ieiuniorum Chriſti, cùm totum ferè anni tempus quotidianâ inediâ, quam ex omnibus B.P.N. Franciſci ieiunijs collegerat, præſtitutâ ſibi lege abſumeret; Quadrageſimam tamen Chriſti ieiunio conſecratam, quam communi lege Eccleſia Chriſtianis omnibus obſeruandam indicit, ſolâ fabarum eſcâ, Dominicis tantùm diebus exceptis, quibus pane & aquâ tantùm veſcebatur, celebrare conſueuerat: Præter hæc illi quaſi legitimum ſempiternum fuit, qualibet ſextâ anni feriâ, nihil præter fabarum pugillum ad victum adhibere. Duriſſimum quoque Crucis lectulum, in quo Dominus in morte decubuit, animo reuoluens; quamquam ſomno parciſſimo vteretur; eum tamen, quem tanquam vitæ neceſſarium ſibi negare haud poterat, duabus tantùm ſtratis tabulis, aut ſedens, aut genuflexus potius irritare, quam ſibi conciliare videbatur. Nouitiorum curæ præfectus tot in eo fulgebant virtutum exempla; vt non modò inter Sæculares homines, ſed nec inter Fratres vllus de illius Sanctimoniâ dubitaret. Neque immeritò: tot namque, ac tam Cœleſtia à Deo ſibi teſtimonia vendicabat; vt omnem propemodùm de eâ dubitationem expellerent. Etenim inter plurima Dei dona, quibus Cyprianus abundè cumulatus fuerat, ecſtaſes, ac mentis exceſſus, quibus tum in cellâ, tùm in Eccleſiâ, ac paſſim ſurſum agebatur, adeò illi familiares erant; vt haud alio penè, præterquam Ecſtatici nomine appellaretur. Id verò, vt luculentiùs pateat, nonnulla huius rei exempla lubet percurrere. Nouitiorum is dum in Conuentu Marſici curam gerit, accidit, vt Abbas quidam Salernitanus, Ioannes Andreas nomine, qui Nouitiorum depoſitarius erat, quo tempore Cyprianus in Choro Orationi vacabat, ad Capucinorum

Eccleſiam accederet: qui cùm ex Altaris feneſtellâ, quæ Chorum penetrat, clariſſimam lucem erumpere animaduerteret; rem admirans, confeſtim ad Conuentus ianuam feſtinat, Monaſteriumque ingreſſus rectà in Chorum proficiſcitur: cuius vix oſtium aperuit, cùm Cyprianum in ſublime elatum, atque vndique clariſſimo ſplendore circumfuſum intuetur. Sancti Michaelis Ædem in Gargano Monte extructam Cyprianus aliquando viſitaturus, cùm per Manfredoniam iter faceret, viam, quæ ad Capucinorum Monaſterium duceret, ignorabat: quamobrem à nobilibus quibuſdam Viris eam percunctatus, illi ſimul atque oculos in Virum coniecêre, cùm micanti illum vndique ſplendore coruſcantem cernerent, obmuteſcentes, nullum præterquam admirationis illi reſponſum reddere potuerunt. Multa huius ſancti Viri geſta deſiderantur, quæ priorum Patrum humilitas ſilentio obtexit. Plurima tamen ſigna, ac miracula, quibus D. O. M. fidelem Seruum inter homines illuſtrem eſſe voluit; quàm præclara illius vita, ac virtutes fuerint, non obſcurè teſtantur. Ex quibus nonnulla hic recenſenda ſunt, quæ certâ fide probata, & fideliter tradita fuêre. Fungebatur aliquando Cyprianus Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum officio in Conuentu Grumenti noui, in quo familia ad 26. Fratrum numerum pertingeret; accidit aliquando, vt cœnæ horâ ingruente, ob Eleemoſynarij incuriam, tres tantummodo ad refectionem panes in domo ſupereſſent, quos Cyprianus in omnes æquè diſtribui iubet. Id cùm Eleemoſyrius præſtitiſſet, vix exigua cuique buccella obtigit. Porrò, dato refectionis ſigno vniuerſi in menſâ diſcumbunt; omnes ex buccellâ comedunt, famem ſedant, ſatiantur; nec tamen buccella minuitur: quodqúe miraculum auget, tot poſt cœnam panis fragmenta à menſâ tolluntur, quæ decuplo tres illos panes excederent. Eodem planè quoque miraculo, eodemque anno iterum eandem Familiam, cùm modicum tantùm panis in domo eſſet, ſaturam reddit. Sequenti verò anno, qui fuit 1577. cùm in eodem Conuentu Marſici hoc ipſo in munere verſaretur, contigit; vt exuberante niuium copiâ, iam vno atque altero die panis defeceret; ſolaque legumina victum Fratribus abſque pane præberent. Iam tertia dies ipſis quoque leguminibus abſumptis, omnis illis eſcæ penuriam adferebat, cùm Cyprianus Sacræ Deiparę Litanias decantari iubet: tùm quinquies Oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ Fratribus indictis, dum omnes ante Sacrę Euchariſtiæ Sacramentum preces fundunt, & pauperum eſcam à Domino poſtulant;

en Conuentus tintinnabulum quaſi validâ manu pulſatum auditur: aperiuntur fores, atque in ipſo veſtibulo bini ſacci recenti, ac calido pane ad os vſque referti, ſimulque vini cadus conſpiciuntur: quis lator, aut ductor fuerit, nemo cernitur, nulla in niue veſtigia deprehenduntur: quare è Cœlo hæc tranſmiſſa nemo dubitat. Hoc ipſo anno cùm Laura Nicolai Textoris filia, quæ Marſici ob partus dolores Medicorum ſententiâ in vitæ diſcrimine verſabatur, per internuncium Cypriani ſe precibus commendaſſet; is canabaceo cingulo, quo præcinctus erat, ad eam miſſo: Dic, ait, Sorori noſtræ Lauræ, vt hoc ſe fune præcingat: futurum etenim, vt ex Dei benignitate maſculum puerum vitâ comite pariat. Haud dubia res fuit; funem illa accipit, renes præcingit; moxque à partus periculo libera maſculum ſalua enititur. Potentiæ Dæmonem à muliere obſeſsâ verbo, ac ſignaculo Crucis expellit. Eodem modo etiam in Oppido Galæ hominem à Dæmone obſeſſum ab illius imperio vendicat. Nobilis quædam mulier; Veronica nomine, Langonerij diu ſanguinis fluxu laborauerat: quæ cùm Virum Dei ſingulari deuotione proſequeretur, ab eo benedictionis Chirographum manu ipſius exaratum impetrat: quod cùm primùm ſibi impoſuit, à fluxu liberata fuit. Sereno Cœlo copioſum imbrem Prophetico ſpiritu prædicit. Tanta quoque erat huius Viri puritas, ac Sanctimonia, vt cum auibus Cœli colluderet. Fr. Marcum Antonium Ferrandinenſem à Marſicano ad Vitri Conuentum mittens, cùm ei ne pallium in viâ deferret; præcepiſſet; Vitranus verò Conuentus quatuordecim millia paſſus Marſico diſtaret; eo factum fuit, vt cùm imbrem toto illo itineris ſpatio è Cœlo comitem habuiſſent, eo vndique madefacti Marſicum appulerint. Protinùs verò Nouitio de more à Magiſtro benedictionem petente, is ad Nouitium: Quid, Marce Antoni? num te pluuia venientem madefecit? Cumque velut explorans manu habitum contrectaret, is repentè tam ſiccus apparuit, perinde ac ſi nullo vnquam imbre perfuſus fuiſſet. Quo verò tempore Vir Dei Eboli Conuentui præerat, circa ſecundam noctis horam, cùm ſe in Eccleſiam oraturus contuliſſet, alterum in Presbyterij angulo Fratrem orantem deprehendit: quem vbi ſemel ac iterum admonuit, vt ſe in cellam ad quietem reciperet; is nullo reddito reſponſo, eodem ſemper in loco immobilis perſtabat. Hunc tandem tertio Cyprianus caputio apprehenſum his verbis affatur: Heus, dura ceruix, non audis, cùm te ſuperior ad cellam compellit? ſic iuſſa Patris contemnis? at Frater, qui hactenus orans videbatur, vix faciem ad Cyprianum

attol-

attollit; cùm is multo iam tempore illum defunctum agnoſcens, quid in eo loco agat, ſciſcitatur. Cui defunctus: Hic, ait, meorum delictorum pœnas luo. Etenim cùm viuens meridianâ Orationis horâ hunc in locum me conferens, ſomno potiùs, quàm orationi vacarem; neque Altiſſimam Chriſti præſentiam, quæ in Sacro hoc Euchariſtiæ Sacramento exhibetur, vererer; delictumque nunquam verâ pœnitentiâ eluerim; vbi ſcelus paratum fuit, hîc ſceleris plagas ſuſtinere cogor. Verùm ſi Sacroſanctum Altaris Myſterium, vbi pro Animabus ſuffragia, Apoſtolicâ authoritate, conceduntur, obtuleris, pœnarum ex Diuinâ miſericordiâ finem accipiam. Atque his dictis ex illius oculis euanuit. Quamobrem Vir Dei ſummo manè in Cathedrali Vrbis Eccleſiâ, in quâ Altare hoc priuilegio fruebatur, Deo pro defuncti animâ expiatorium Sacrificium offert; eamque à Purgatorij pœnis in Cœleſtem libertatem vendicat. Vir hic inſignis, cùm vitæ huius ſtadio magnâ cum Sanctitatis, ac iuſtitiæ laude decurſo ad Generalia Comitia Romam profectus fuiſſet; ibi corruptibili hac carnis ſarcinâ depoſitâ, incorruptibilem, vti credimus, gloriæ coronam adipiſcitur, quam Deus Cœleſti teſtimonio mox omnibus perſpicuam eſſe voluit: Dum enim defuncto in copioſâ Fratrum coronâ iuſta perſoluuntur; en duodecim Pueri albis ſtolis amicti, omnibus eatenus ignoti nullo ductore apparent, qui feretro circumfuſi, tamdiu ipſius funera exornant, illique velut innocentiæ coronam componunt, quoad Corpus ſepulchro conditum ab omnium oculis eriperetur: quo tempore & ipſa Puerorum turba tam repentè ſe ex omnium aſpectu diuulſit; vt Angelicum potius, quàm humanum adſpectantibus ſe ſpectaculum exhibuiſſe teſtaretur: quo Propheticum illud ad Cyprianum pertingere intelligerent. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco Sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.* Obijt Vir Sanctus Anno 1584.

Fr. ALBERTI BERGOMATIS GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ALBERTVS BERGOMAS, Prouinciæ Mediolanenſis Concionator, Vir Seraphicus, & Apoſtolico ſpiritu imbutus; eo acerrimum vbique ſe totius Regularis diſciplinæ, ac præſertim Altiſſimæ Paupertatis propugnatorem exhibuit: cuius ita cupiditate flagrabat, vt ne minimâ quidem, maximè cùm Guardiani officio fungeretur, eam maculâ labefactari æquo animo ferret. Cæterùm admirabilis ipſius in Dei verbo diſſeminandi vis, libertas, conſtantia, & efficacia, non obſcurè illum Apoſtolico ſpiritu præditum declarabat. Cùm Gardonij Dei verbum aliquando publicè proponeret, tam aſperè illius Oppidi homines maximis ſceleribus irretitos increpauit; vt facinoroſi quidam Iuuenes, quorum is vitia ſermone perſtrinxerat, illum è medio tollere decreuerint. Quapropter cùm peracto ſermone Dei Seruus iter ad fluminis aquam, quæ extra Oppidum defluebat, ſolus cœpiſſet; ibi nonnulla panis fruſtula, quæ ſibi ex Oppido mendicauerat, educens; aquâ intinctâ comedebat. Illi verò, qui in illius necem condixerant, viam ipſius obſeruantes, cùm primùm illum ad fluminis ripam ſedentem, ſoloque pane aquâ intincto famem depellentem conſpiciunt, animo compuncti, ac mente in melius commutatâ, animi feritatem deponunt; propiuſque ad eum accedentes, machinati ſceleris ab eo veniam petunt. Hoc modo Albertus, quos increpatione ad Deum pertrahere minimè poterat, meliores ſuo vitæ exemplo reddidit. Hæc porrò vitæ auſteritas Alberto tam familiaris erat; vt cùm Verbum Dei diſſeminaret, nihil poſt Concionem, præterquam panem & aquam, quæ ſibi mendicatione parabat, ad cibum adhiberet. Pleraque etiam Quadrageſimalia ieiunia, dum prædicat, ſolo pane, & vino, leguminibus tantùm additis, celebrat. In die Paraſceues, cùm in Oppido Mariani per quinque horarum ſpatia, in publicâ Oppidi plateâ (neque enim præ multitudine Eccleſia populum capere poterat) de Paſſione Domini verba feciſſet, concione abſolutâ, in aliud Oppidum, quod quarto inde milliari diſtat, ſe confert: vbi nouo de

Paſſione Domini ſermone per totidem horas inſtituto, hinc Marianianum ad Conuentum redit; ſoloque pane, & aquâ ſenile corpus poſt tot labores refocillat. Hæc huius Viri læta poſt Prædicationem conuiuia erant, quibus opiparè animum recreabat. Eam quoque in Prædicando ſecum rationem inierat, vt nunquam ad Prædicationem accederet, quin vnius ſaltem horæ oratio ad Deum effuſa præcurreret. Quare haud mirum, quod ipſius Prædicatio oratione, & ieiunio ſtipata, vitia perimeret; Dæmonesque ex hominum animis deturbaret. Hoc Apoſtolico ſpiritu imbutus, cùm Cocalij aliquando pro ſuggeſtu Albertus concionaretur, Nobilis quidam Octauius nomine, crateri luſtrali cubito innixus, fœminas Eccleſiam ingredientes inſolenti quâdam laſciuiâ, luſtrali aquâ aſpergebat; atque inde cachinnum efferens, cæteros quoque ad riſum mouebat. Hunc cùm Albertus primùm ſuauibus, tum acerbioribus verbis à ſcelere deterrere aggreſſus fuiſſet; is verò in crimine pertinax perſeueraret, infauſtum illi exitum ſpiritu Prophetico Albertus prænunciat: qui paucis elapſis diebus innumeris vulneribus confoſſus atrociter interijt. Rurſus Nouariæ, cum ad Sacrum Beatiſſimæ Virginis Fanum ſaltationes feſtis diebus inſtituerentur, Vir Dei in eas inuectus Populum ab hoc Sacrorum abuſu reuocare conabatur. At eo reluctante, & Prædicationis verba contemnente, is ſandalijs vtrâque manu apprehenſis, puluerem ſuper eos excutiens: Audite, inquit, qui ſaltatis, & Verbum Domini, quaſi anilis quædam fabula & cantilena eſſet, in canticum oris veſtri vertitis: cùm venerit tempeſtas ingruens, ac deuaſtans; & miſerit Dominus de Cœlo lapides prægrandes, elangueritque vinum, & triticum veſtrum; tunc deficiet tibia, & cithara, & ſaltatio. Hæc cùm ijs Prophetico ſpiritu comminatus eſſet, populo adhuc ſaltante, & choreas ducente, Cœlum, quod prius ſerenum erat, denſis nubibus obduci, totque è Cœlo fulgura coruſcare cœperunt, vt vniuerſi æthere mugiente, perterriti, huc illucque diffugerent: mox tam ſæua grando agros ſegete turgentes, ac vineta lapidat, vt meſſem omnem, ac plurium annorum vindemiam in ſaltationis pœnam depopulata fuerit. Idipſum quoque Herbæ Inſubriæ Oppido accidit; dum incolæ ſancti Viri monita ſpernentes ſaltationi incumbunt: agris enim & vineis grandine deuaſtatis, ab eâ tandem abſtinere addiſcunt. Præclara hæc Alberti geſta, vehementiorque in vitijs euellendis, atque animis ad pœnitentiam prouocandis ardor, paſſim in populis euulgata, tantam illi apud

omnem famam comparauerat, vt duodeviginti interdum Oppida, ſub vnius anni circulum, apud S. Carolum Borromæum, non ſine huius ſancti Antiſtitis admiratione, agerent, vt eum Quadrageſimali tempore Concionatorem obtinerent. Mulierem etiam aliquando libidinis furijs agitatam, quæ proſtratum ad peccatum propellere conabatur, ſtrenuus caſtitatis Athleta, ſe inter dumeta proripiens ſpinoſis ramis à ſe abſcedere cogit, nobileque de Tartareo tentatore trophęum reuehit. Poſt hæc in quartanam febrem incidit: cuius tamen languore haud impediri potuit, quin & conſueta ſemper ieiunia coleret, & cum cæteris ad Matutinas Horas nocturno tempore conueniret. Denique, etſi eo tempore acrioribus febris ardoribus corriperetur; communibus tamen orationibus, ac flagellationibus. perinde ac ſi nullâ febris moleſtiâ teneretur, intereſſe conſueuerat. At vbi ex eo morbo conualuit, dum Euangelicę Prędicationi ardentiori Charitatis æſtu inſiſtens, bis aliquando in Dominicâ die Dei verbum diſtinctis in Oppidis miniſtrâſſet, anginâ correptus in Conuentu Colonij agri Brixienſis, Deo deuotiſſimè depoſitum reddit, & à laboribus ad prémium euolat. Anno 1585.

Fr. IOANNIS NOVOCOMENSIS, GVARDIANI *VITA, ET GESTA.*

FRATER IOANNES à NOVOCOMO, Heruſcæ Prouinciæ Concionator, claris Natalibus ortus cum 16. annum attingeret, Nobili itidem Adoleſcentulæ Matrimonij vinculo coniunctus; alteriùs Alexij inſtar, primâ Nuptiarum die intactâ ſponsâ, ad Capucinorum Monaſterium aufugit; alterum caſtius cum Religione connubium initurus: vbi à Prouinciali Miniſtro, qui Deo ita rem diſponente eo tempore in eo Conuentu verſabatur, Religionis habitum obnixè poſtulans, eo præter morem donatur. In eo ſtabilis Ioannis animus, cùm vniuerſos mundi conatus ſæpiùs tentatos Diuinâ virtute ſuperâſſet, tranquillam tandem in Religione ſtationem adeptus, Virginitatis lilium, quod ad concluſum ſponſæ Religionis hortum purus attulerat, quamplurimis poſtea virtutum floribus

ſtipan-

ſtipandum curat. Cùm enim illius cuſtodiæ vitæ auſteritatem, & carnis macerationem cum primis neceſſariam eſſe intelligeret; corpus primùm abſtinentiâ, tùm laboribus, flagellis, vigilijs, atque omni aſperitatis genere aggreditur: atque adeò ſenſuum mortificationi, ac mentis puritati inuigilat; vt illud à D. O. M. donum retulerit, quo nullâ vnquam nocturnâ labe ſe contaminatum ſenſerit. Ad Prædicationis munus promotus, eam in dicendo vim à Domino aſſecutus fuerat, vt facilè audientes ad lachrymas, ac fletus compelleret: atque adeo vberes ipſe inter concionandum lachrymas fundebat; vt cùm eas minimè cohibere poſſet, à Prædicatione tandem abſtinere coactus fuerit. Mirâ quoque erga pauperes pietate afficiebatur, ac miſerorum calamitatibus mouebatur. Orationis prætereà, ac pſalmodiæ ſtudioſiſſimus, tantam in his animi voluptatem collocauerat, vt cùm altera ceſſaret, altera protinùs in ipſius locum ſuccederet. Quo factum eſt, vt eo Piſanum Conuentum moderante, cùm Horæ Matutinæ aliquando in Choro decantarentur, Acolythi is munus præ animi humilitate obibat: quo tempore lignea Crucifixi imago, quæ legili inſidet, brachium à Cruce auulſum ad illius amplexum inuiſibiliter extendit: ac tamdiu in illius amplexu perdurauit, quoad Matutinæ Horæ integrè abſoluerentur: ex quo tanto illius mens voluptatis torrente inebriata fuit, vt nullam eo tempore cantus vocem promere potuerit. Hic denique cùm ſingulari vitæ innocentiâ, mentis candore, ac plurimâ pietate clarus, vitam vſque ad ſexageſimum quintum annum traduxiſſet, ad Virginitatis Lauream, ac cæterarum virtutum coronam à Domino vocatus, Aretij mortalis Corporis exuuias deponit.

Anno 1585.



FRATER CONSTANTINVS A SALVATORE FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. CONSTANTINI A SALVATORE, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER CONSTANTINVS à SALVATORE, Meſſanenſis Prouinciæ Sacerdos, cùm primùm à ſæculi pelago ad Religionis littus nauigium appulit; ſolitudinem ita ſibi amicam conciliandam ſtatuit; vt rarò cum Fratribus, rariùs cum ſæcularibus, rariſſimè cum mulieribus colloquia haberet. Quod ſi nonnunquam cum his ſibi neceſſariò colloquendum eſſet, tantam oculorum demiſſionem, verborum circumſpectionem, & totius corporis compoſitionem præſe ferebat, quaſi cum ſeueriſſimo morum cenſore, aut inimico illi agendum eſſet. Admirabilem ipſius abſtinentiam declarabant ſeueriores panis & aquæ inediæ, quibus ter in qualibet hebdomadâ carnem extenuabat: quam ieiunij legem licet ſibi toto vitæ ſuæ curriculo, tametſi ætate grauis, ac varijs morbis afflictatus inuiolatam præſcripſiſſet; Nouitiosque, quorum curæ aliquamdiu præfuit, ad maiorem virtutis ſtimulum, obſeruare docuiſſet; in alijs tamen ſic prudentiâ & Charitate temperabat; vt indulgentiorem potius, quàm ſeuerum ſe erga cunctos exhiberet. Huius Viri tanta erat mentis humilitas; vt quanquam Guardiani munus, ac dignitatem gereret; quoties publica de more in Refectorio accuſatio fit, is poſt Fratrum correptiones, ſuam quoque genuflexus accuſationem inſtitueret, atque à Confeſſario pœnitentiam ſibi iniungi impetraret. Cæterùm, ſic ſenſus ab omni voluptate cohibebat; vt id cum oculis fœdus pepigiſſet, quo minimum ſomno, plurimum nocturnis vigilijs ac Orationi concederet. Quo fiebat, vt cum diu ante Matutinas Horas in Eccleſia Diuinæ contemplationi incumberet, illis peractis, nunquam ab oratione ad quietem rediret. Hinc velut ex conſortio ſermonis Domini ipſius facies aliquando tam ſplendida apparuit, vt Frater quidam Vincentius Calactenſis, qui ad ipſius cellam peccata ſua expiaturus acceſſerat, clariſſimum in eâ ſplendorem cernens, terrore correptus retroceſſerit. Verùm cùm à Conſtantino vocatus Cellam ingreſſus fuiſſet, Conſtantini vultum cœleſtis lucis fulgore ita emicantem intue-

tur;vt eo velut clariſſimo lumine tota cella illuſtraretur. Tyracenienſis Conuentus eo tempore Conſtantinus clauum tenebat, quo Fr. Athanaſius Tyracenienſis è viuis exceſſit. Porrò etſi Athanaſij vita,quæ clariſſimis virtutibus ornata fuerat, minimè illi ſuſpecta eſſet; grauiſſima tamen illa corporis ægritudo, quâ diu ante mortem afflictatus fuerat, leuem aliquam animo ſuſpicionem pepererat, num ab eo æquâ animi patientiâ & conſtantiâ tolerata fuiſſet. Quamobrem nonnullis ab ipſius obitus diebus elapſis Deum impenſius rogare cœpit; vt quo in ſtatu Athanaſij anima ſe haberet, ſibi pro ſuâ benignitate oſtenderet. Hac in oratione dum diu perſtat nocte quâdam ante Matutinas Horas,dum coram Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Altari preces fundit, ingentem ex alto ſtrepitum percepit,quo expaueſcens; cùm vultum poſt tergum, vnde fragor exoriebatur, conuerteret, Athanaſium ſplendidâ aduectum nubeculâ è Cœlo ad ſe venientem conſpicit: qui propius ad eum accedens his illum verbis alloquitur: Quid, Conſtantine, times? aut quid de meâ ſalute formidas? Iam metum depone. Ego enim iam Dei gloriâ inter Beatos, ac immortales fruor. Conſtantinus verò de amici gloriâ exultans, D.O.M. (inquit)gratias immortales ago. Verùm quæſo te, Athanaſi, vt quo in gratiæ ſtatu apud Deum Religio noſtra verſetur,indices. Cui Athanaſius: Bene, inquit,Conſtantine,Religionis res apud Deum ſe habent: vtinam ita ſemper. Neque vltrà ſermonem protrahens ex ipſius oculis mox euaſit. Poſthæc mons Ætna Catanæ coniunctus, cùm triginta quinque annorum ſpatio nullos è faucibus ignes euomuiſſet, Conſtantinus, qui in Conuentu Frentani, Oppido ad Ætnæ radices iacente, eo tempore præſidebat; quod in oratione Diuinâ ſibi luce impertitâ didicerat, Fratribus aperiens: Diu,inquit,à flammis abſtinuit Ætna, diu ſiluit: At in Sacro Deiparæ Virginis Natiuitatis die flammas parturiet, mugitibus loquetur, igneaque flumina vaſtitatis metum afferentia eructabit. Quod eo ipſo anno, die à Conſtantino prænunciatâ plurimo incolarum damno contigit. Plurima quoque alia prædicens, ſpiritu Prophetico illum ornatum fuiſſe veritas demonſtrauit. Præter hæc in Frentenenſi Conuentu, cùm lapis ingentis molis coquinæ locum ita occuparet, vt eius ædificationem impediret, duodecim eò robuſtiſſimi Viri conuenêre, vt illum vi è loco emouerent: ſed cùm tam immanis illa moles eſſet, vt nec omnium vi loco dimoueri poſſet, opus infectum relinquunt. Nonnullis verò diebus elapſis,Conſtantinus Philippo Catanenſi, ac Franciſco à Linguâ groſsâ ſecum ac-

citis: Agite, Fratres, (ait) lapidem illum, qui Coquinam occupat, vnâ inde efferentes, aliò transferamus. Cui Philippus: Quid Conſtantine, ludis? Duodecim robuſtiſſimi Viri illum nequidem concutere valuerunt; nos amouere poſſe putas? At Vir Dei Philippo: Quid te, Philippe, lapis ille tantopere terret? Macte animo, pergite; Obedientię enim virtus leuem illum vobis reddet. Verùm, cùm primùm ad lapidem acceſſeritis, antequam manum lapidi admoueatis, Iesv tantummodo nomen ſimul omnes omni pietate inclamate. Mira quidem; ſed vera, & certâ fide probata refero. Abeunt illi; Iesv nomen deuotè pronunciant: mox tam facilè prægrandem illam lapidis molem, quaſi leue quoddam pondus eſſet, indè amouent, ac longius ferunt. Quàm plurimos quoque Diuinâ virtute ab eo ægrotos curatos fuiſſe, nonnulla, quæ ſequuntur, exempla demonſtrant. Conſueuerat Vir Dei ſacra illa verba: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* In chartulâ conſcribere, ac Iesv nomine obſignata ægrotis, qui ad eum confluerent, diſtribuere. Cùm itaque cuidam quartanâ febre laboranti huiuſmodi chartulam tribuens, is protinus Diuinâ virtute à febre conualuiſſet: id cùm primùm alijs nonnullis quartanâ, tertianâ quotidianâ febre correptis innotuit; ij confeſtim ad Virum Dei confugientes ab eo chartulam impetrant; quâ in fruſta diſſectâ, cùm quilibet ſuam ſibi particulam vendicaſſet, eâ quiſque incolumitatem eſt aſſecutus. Virum quoque quondam Frentani diutinâ quartanâ febre vexatum, nullâ prorsùs interiectâ temporis morâ, ſigno Crucis ſanat. Hieronymum Cardum Frentanenſem, Chriſti verba pronuncians: *Si potes credere, omnia poßibilia ſunt credenti.* Inſuper & Crucis ſigno muniens, perfectâ apoſtematis curatione donat. Poſtremò Senex quidam pauperculus, qui moleſtiſſimâ febre quartanâ cruciabatur, ad Conuentum accedens, vix Serui Dei habitum contigit; cùm mox à febre dimiſſus, fidei ſuæ præmium tulit. Idem quoque puero, qui eodem morbo conflictabatur, contigit. Alter itidem grauiter ægrotans ſolo Conſtantini habitus contactu incolumis ab ægritudine ſurgit. Biennio igitur antequam corpore excederet, dùm Fr. Marianus Tyracenienſis in Frentani Conuentu Fratrum ſepulchrum conſtruit, obitum illi ſuum pronunciat. Is igitur, cùm ad extremam tandem vitæ metam perueniſſet; antequam animam ageret, oculis in Cœlum defixis in mentis exceſſum rapitur. Quidam verò Sacerdos, Maſſæus nomine, qui illi à Confeſſionibus erat, cùm mortuum ſuſpicaretur, vehementius concutit: quare is ab exceſſu rediens, oculis ad

Maſſæum conuerſis: Ignoſcat tibi Deus (inquit) Maſſæ: maiora enim mea ſolatia, importunâ tuâ concuſſione exturbaſti: ſplendidus enim quidam locus, ac delicijs plenus, in quem breui conceſſurus ſum, nunc mihi ab Angelo aperiebatur. Tum poſt hæc dicta, breui tempore elapſo, lumina ad mortis ſomnum occludit. Huius Viri obitu per Vrbem euulgato, tanta fuit erga illum populi deuotio; vt ipſius habitu à confluenti multitudine in fruſta conciſo, altero illum indui opus fuerit. Aqua verò, quâ illius corpus poſt mortem de more prolutum fuit, tantam, ob inclyta eius apud Deum merita, virtutem aſſecuta eſt; vt cùm eâ Frater Maſſæus Sacerdos, ad tibiæ, quamdiu languentem geſſerat, velut balneo vſus eſſet, illius protinus incolumitatem adeptus fuerit. Nonnullis ab ipſius obitu diebus Vir Dei cuidam apparuit, atque ſe ex Dei miſeratione ſalutem conſecutum; trium verò dierum Purgatorium luiſſe ſignificat; mox verò ad Cœleſtia remeat. Obijt Vir Sanctus Anno 1586.

Fr. IACOBI A BELFORTIO, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER IACOBVS à BELFORTIO, Picenæ Prouinciæ Sacerdos, cùm inter ipſa Religionis Capucinorum initia, ex Ordine Minorum, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, ob arctiorem Regularis obſeruantiæ diſciplinam ad Capucinos migraſſet, priſcorum illorum Patrum, quorum virtute ſata, ac propagata Religio fuit, vitam, ac mores tam egregiè imitatus eſt, vt inter eos meritò connumerari debeat. Hic durum ſibi ab exordio abſtinentiæ genus elegit. A carnibus namque, caſeo, ouis, herbis, leguminibus, omnique pulmentarij genere abſtinens, duris tantummodo panis fruſtulis, quæ feruenti aquâ madefaciebat, abſque oleo aut ſale veſcebatur. Cùm verò conſenuiſſet, fruſtulis duntaxat in contritum panem commutatis, nullo præter id vnquam cibi genere vſus fuit. Huius vitæ auſteritati veſtium aſperitas, corporis caſtigatio ſenſuum mortificatio, ſuiipſius neglectus, demum dura & aſpera omnia reſpondebant. At neque minores erant animi virtutes, quibus is præclaram Dei vocationem haud ſegniter, quoad vixit,

in ſeipſo proſecutus eſt:tanto enim Regularis obſeruantiæ ſtudio tenebatur;vt obedientiæ,humilitatis, manſuetudinis paupertatis, patientię,caſtitatis,ac reliquarum virtutum,quibns ea integra conſtat, cuſtos eſſet diligentiſſimus. Sæpè cùm Guardianus eſſet, de Regulæ obſeruantiâ diſſerens,tantâ in dicendo rerum abundantiâ affluebat;vt cùm in cœnâ aliquando, Fratribus in menſâ diſcumbentibus,de eâ verba faceret, magnâ tum ſui, tum aliorum voluptate ſermonem vſque ad Matutinas Horas produxerit. Ordinis Conſtitutiones ſibi,& alijs tam accuratè obſeruandas proponebat, vt nec apicem ex his præteriri pateretur. Quantâ verò mentis manſuetudine præcelleret,hoc aliquando exemplo manifeſtum fuit. Cùm enim furem quendam Altaris ſupellectilem ſubripientem in flagranti crimine deprehenderet,haud duris illum verbis excipit;ſed ſuaui duntaxat admonitione vſus cibos eidem miniſtrari iubet. Feruens quoq; ipſius Charitas illuſtri teſtimonio comprobatur. Auerardo namq; Camerinenſi Epiſcopo, cùm grauiſſimè ægrotanti, ac extremum iam ſpiritum agenti pia officia perſolueret; id inter alia Euangelicæ Charitatis impendit, vt impenſiùs Dominum rogauerit; vt ſi quis pœnæ reatus Epiſcopum in purgatorio maneret, hunc pro ſuâ Clementiâ in ipſum transferens, illum abſque Purgatoriâ pœnâ ad Cœleſtem gloriam abire permitteret. Neque Deo ingrata huiuſmodi poſtulatio fuit ex integrâ Charitate profecta: vix enim Epiſcopo vitâ functo Iacobus paralyſi corripitur: quæ cùm illi mediam corporis partem, eorumque membrorum vſum abſtuliſſet, perpetuis eum vſque ad mortem doloribus afflixit. Nihil eum æquè, ac Orationis ſtudium delectabat: quapropter Orationi ſedulò inuigilans nocturno præſertim tempore ante Matutinas Horas diu Domino vacare ſolebat. Eam verò diei partem,quæ illi à neceſſarijs curis, aut Charitatis officijs ſupererat;quandoq; in ſyluam, interdum in Eccleſiam ſecedens, cùm in rerum Diuinarum meditatione inſumeret; hinc pleriſque à Deo donis Cœleſtibus locupletatus, ſæpenumerò aliorum occultas animi cogitationes Diuinitus perſcrutabatur. Interdum etiam, quæ euentura eſſent, Prophetico ſpiritu illuſtratus præſignificabat. Cum in Conuentu Tipherni Metaurenſis Nouitiorum educationi præeſſet, Nouitium fictè confitentem, quem Dæmon præfocare ſtudebat, Crucis ſigno gutturi impreſſo, à Dęmonis imperio liberat. Poſtremò fidelis hic Domini Seruus, cùm primæuas illas Ordinis tempeſtates conſtantiſſimo animo pertuliſſet;maioribusq; virtutibus auctus, Diuinorum mandatorum, atq; conſiliorũ viam, perfectamq;

Seraphicæ legis Obſeruantiam omni ſtudio ad ſeptuageſimum quartum vſque annum percurriſſet; prænunciato ſui obitus tempore, Tolentini Anno 1586. ad metam peruenit: eamque ſui nominis poſt mortem gloriam reliquit, quæ nullo vnquam aut tempore ſeneſcere, aut obliuione deleri queat.

Fr. ISAIÆ MEDIOLANENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ISAIAS MEDIOLANENSIS, Sacerdos, Vir clarus, atque omni pretioſo virtutum lapide ornatus, cùm eâ integritate, morum diſciplinâ, paupertatis zelo, orationis ſtudio, animi candore, innocentiâ, charitate, vitæq; auſteritate inter alios floreret: vt ſe totius Regularis obſeruantiæ formam omnibus exhiberet, ad Nouitiorum educationem vocatus, id munus tam præclarè geſſit; vt quamplurimis Religionis Tyronibus ad ſpiritualis vitæ normam Dux & Magiſter extiterit. Nihil porrò hoc humilius, nihil mitiùs erat. Rarò hic cum Fratribus, ſæpiſſimè cum Deo in oratione colloquebatur: quo fiebat, vt nonnunquam etiam in mentis exceſſus raperetur. Nouitios Sacris Dominicæ Paſſionis myſterijs ſedulâ meditatione vacare docuit: ex quo id aliquando accidit; vt cùm cuiuſdam Nouitij Pater, qui filij inuiſendi gratiâ ad Conuentum acceſſerat, ab Iſaiâ communi Fratrum, ac Nouitiorum menſâ exceptus eſſet, dum Pater filium conuiuantem intuetur, ſpinas illum cibi loco manducare videbatur: quod cùm is maximè admiraretur, ſimul etiam ægrè ferret; refectione abſolutâ ab Iſaiâ Pater percunctatur: Cur reliquis Nouitijs panis, ac familiares cibi; ſuo tantum filio ſpinæ, quibus veſceretur, pro cibis appoſitæ fuerint. Cui Iſaias: Quid ais (inquit) bone Vir? falleris profectò: non ſpinas; ſed communes cum alijs cibos filius tuus accepit, ac comedit. Cumque accitum Nouitium Iſaias diligentius de cibo interrogaſſet, eadem quoque & ille Patri reſpondit. Cui Pater admirans: At ego (inquit) te ſpinas comedentem vidi. Porrò Iſaias Diuini hic nonnihil latere animaduertens, à Nouitio ſciſcitatur; quidnam inter edendum mente reuoluerit. Cui ille: Toto, ait, refectionis tempore, illud Saluatoris

noſtri

noſtri myſterium, quo is in Paſſione ſuâ ſpinis coronatus fuit, ita animo inhæſit; vt in eo meditando totam refectionem conſumpſerim. Tunc Patri Iſaias: En, quales ſpinæ ſunt, quibus filium tuum veſcentem vidiſti: Chriſti ſpineæ coronæ, ſpinæ ſunt, quibus mens, non corpus veſcebatur. Tibi mentis illius potius, quæ melior fuit quàm ventris refectio, Deo tecum benignè agente, oſtenſa fuit. Nouitiorum cogitationes ſi quando in oratione ad mundanas res diſtraherentur, tam certò penetrabat, vt ſæpè Orationis tempore ad eos pergens, ne ijs animum intenderent, admoneret. Poſtremò, cùm Mediolanenſem Prouinciam ſuauiſſimo virtutum, ac ſanctimoniæ odore reſperſiſſet, Mediolani in Conuentu S. Victoris poſt prolixæ ægritudinis probationem terreni corporis molem deponit. Anno 1586.

***





FRATER AVRELIVS MEDIOLANENSIS FRATRVM CAPVCINORVM
GVARDIANVS.

Fr. AVRELII MEDIOLANENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER AVRELIVS MEDIOLANENSIS, Sacerdos, Leone Canobio, & Ludouica Beſotiâ Parentibus, nobili genere ortus; præſtantiorem tamen ſibi ex virtute nobilitatem acquiſiuit: Puer namque Cæſar nomine tam prɇclara ſanctimoniæ fundamenta iecit; vt in ipsâ puerili ætate puerilia fugiens ſolitaria loca ad Orationem quæreret; Quâlibet ſextâ Feriâ ob Dominicæ Paſſionis memoriam, & Sabbatho in Deiparæ Virginis honorem ieiunium coleret; ciliciolum ſub veſte geſtaret; & cùm ſomno illi indulgendum eſſet, nuda arca nuda illius membra exciperet. Tanta quoque in ipſius vultu modeſtia, tanta in moribus venuſtas, tanta denique in verbis ſuauitas elucebat; vt cunctos ad ſui amorem, atque admirationem alliceret: Pietate verò cum ætate adoleſcente, non ſolum B. Mariæ Virg. ſed & Canonicarum Horarum penſum quotidie perſolueret: Coætaneos etiam, ſi quando turpia inter ſe colloquentes audiret, verbis increpans, tum ad Deiparæ Virginis venerationem, ac Diuinorum cultum; tum etiam ad piam Sacramentorum frequentiam exemplo prouocaret. Scortum aliquando reprimens, tot ad Pœnitentiam verbis impulit, vt mulierem ad meliorem vitæ frugem conuerſam, ac proprio ære dotatam honeſto matrimonio copulauerit: quo facto, tantam ſibi apud Deum gratiam conciliauit, vt bis Dominus IESVS ſub Pueri formâ ſe illi in Euchariſtiæ Sacramento conſpiciendum prɇbuerit; ſemelq; hoc tempore B. Mariæ V. conſpectu potitus fuerit. Iam vndetrigeſimum annum agens ad Capucinos accedit; vbi Aurelij nomen ſortitur. Porrò inter Seraphicos B. P. N. Franciſci Filios cooptatus, qui in ſæculo tot virtutibus præluxerat, in Religione Seraphicum planè animum induens, Angelici hominis formam præ ſe ferebat: tam enim ad omnem virtutem compoſitus erat; vt qui minorem Fratrem, ad B. P. Franciſci mentem numeris omnibus abſolutum delineare voluiſſet, omnium planè ſententiâ Aurelium ſibi exemplar ſtatuendum proponeret. Frater quoque Claudius Cremonenſis, qui diu illius Confeſſiones excepit, licet Angelicum planè Virum, in quo Adam

minimè peccaſſe videbatur, aſſerere non dubitaret: omnium tamen is ſe hominum ſceleſtiſſimum prædicabat. Tenuiſſimo victu contentus eam ſibi abſtinentiæ legem præſcripſerat, vt præter communia Ordinis,& B.Franciſci ieiunia,frequentiùs ab omni,prẹterquam panis & vini,aut aquæ alimento abſtinens, ſi quando communi pulte veſceretur, vt guſtus voluptatem falleret, hanc ipſam abſinthico puluere vel cinere conſpergeret. Ab hac præſtantioris vitæ ratione ad Nouitiorum educationem vocatus, in his inſtituendis omnium virtutum, ac totius Regularis obſeruantiæ luce anteibat. Hanc porrò Aurelius ob præclaram Nouitiorum educationem à Deo gratiam conſecutus fuerat;vt ſi quis ex his grauiter à Dæmone tentaretur, cum ſolâ manuum impoſitione à tentatione liberaret. Tanto Vir hic præclarus Orationis ſtudio tenebatur, vt cùm ab eâ ægrè diuelli poſſet, longas, noctu præſertim, in eâ vigilias duceret: in quâ ſæpè ecſtaſes, ac mentis exceſſus patiebatur. Neque id duntaxat, cùm ſolus oraret; ſed cùm vel ægrotos inuiſeret, vel peregrè iter faceret, illi contingere ſolebat. Dum Modetiæ Guardiani,& Magiſtri Nouitiorum munere fungitur, Vir quidam, qui omnem penè rem familiarem ſibi fœnore comparauerat, ad mortem ægrotans, peregrinum ignoto vultu diu noctuque ſibi aſtantem intuebatur: cuius cùm præſentiam ferre non poſſet, domeſticis, vt eum è domo expellerent, iteratis ſæpè clamoribus imperabat. At illi, cùm neque peregrinum, neque vllum ægri lecto aſtantem cernerent,infauſtum aliquid ſuſpicantes, Aurelium ad ægri viſitationem prouocant: Is verò poſt longam orationem cùm pluribus hominem ad Pœnitentiam,ac fœnoris reſtitutionem hortaretur;is, cùm primùm de reſtitutione ſecum agi percipit, terga Aurelio vertens, ne illius quidem nomen ſuſtinere poterat. Quo factum eſt, vt paulò poſt, ſceleris impœnitens inter horrendos mugitus, animam, prout Aurelius ei comminatus fuerat, in Tartarei peregrini manus æterno ſupplicio mancipandam exhalauerit. Hoc ipſo tempore Comiti cuidam Brembati tunc Nouitio ad ſæculum redeunti, infauſtum exitum prædicit; Neque perperam: poſt aliquòd enim tempus miſerè trucidatus abſque exomologeſi animam fudit. Plura huius Viri geſta deſiderantur; qui cùm eam tum in Sæculo, tum in Religione vitam duxiſſet, vt totus illius vitæ curſus perpetuum virtutis curriculum dici queat, haud diſſimilem vitæ occaſum eſt ſortitus: Cùm enim ſoſpes & incolumis Mediolano Modetiam tenderet,ſuæque diuinitùs propinquæ mortis admonitus, facie ad Vrbem

con-

conuersâ, eidem valedicens benedicit. Modętiam igitur appulſus vix ibi vnum atque alterum diem ſoſpitem duxit, cùm morbo correptus grauiter ægrotare cœpit: quo tempore Dęmonum multitudo, quæ ad duodena millia excreuerat, cùm alterius culpæ eum inſimulare non poſſet huius tantùm accuſant, quod fictilium paropſidum, ac patinarum fornacem inſtruendam curauerit, in quâ arctioris paupertatis metas exceſſerit. Neque eorum falſa accuſatio fuit: ſed cùm is culpam, ſi quæ facto inerat, ſæpè Pœnitentiæ Sacramento ſe diluiſſe reſponderet, Dęmones cum ſuâ accuſatione reiecti fuêre, Aureliusque Dei ſententiâ abſolutus, ſummâ cum animi pace Deo ſpiritum reddidit Anno 1588. Illud verò haud aſpernandum ipſius Sanctimoniæ poſt obitum argumentum fuit; quod ex illius corpore, quod in Cœmiterio conditum fuit, flores pulcherrimi ſpeciei hactenus ignotæ pullularunt. Dęmon quoque, qui mulierem obſidebat, ab eius corollâ mulieri impoſitâ ita cruciatus eſt, vt ingentes in clamores erumperet.

Fr. MICHAELIS A DENIA,

VVLGO A VALENTIA

GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER MICHAEL à DENIA, Sacerdos, cùm ab Adoleſcentiâ Domini iugum in Sacro Obſeruantium nuncupatorum Ordine ferre didiciſſet, ſimul cum germano Fratre eiuſdem Ordinis Profeſſo in Capucinorum Familiam migrat. Omnium fuit hic virtutum exemplar; Humilitate, Obedientiâ, vitæ innocentiâ, animi puritate, paupertate, honeſtate, ac pręſertim Charitate apud omnes præclarus: auſteriorisque vitæ formam complexus, victus parſimoniâ, vberioribus ieiunijs, aſſiduâ carnis maceratione, ſomni parcitate, nocturnis vigilijs, corporis aſperitate ita cæteris pręcellere viſus eſt; vt omnibus veram Fratris Minoris imaginem virtutum omnium coloribus depictam contemplandam, imitandamque referret. Orationem verò tanto ſtudio complexus eſt, vt vix ab illâ auelli poſſet; potiſſimùm verò in Dominicæ Paſſionis memoriam ita mentis aciem intendere, atque animo affici viſus eſt; vt cùm ſibi aliquandò ægrotanti vena ad ſanguinis emiſſionem inci-

deretur, Chirurgo in hæc eum verba compellante: O Michaël, quanto putas Charitatis æſtu feruebat illa Sanguinis vnda, quæ ex Redemptoris noſtri vulneribus ſcaturiebat? Vix hæc Chirurgus pio animi ſenſu protulerat, cùm Michaël mentis exceſſum præſentiens vniuerſos egredi iubet; ac diu extra ſenſus raptus diuinâ vulnerum Domini contemplatione fruitur. Hoc ſæpè aliàs ecſtaſis dono potitum, atque orando toto corpore in ſublime elatum fuiſſe, ex multorum teſtimonio conſtat. Blandæ, dum Guardiani munere fungitur, aliquando orans, cùm à ſecularibus quæreretur, minimè tamen quamuis præſens conſpicitur; vel diuinâ virtute inuiſibilis redditus, vel in aëra ſublatus vt eorum oculos effugeret. Tam præclara erat huius hominis virtus, tantaque in eo vitæ Sanctimonia elucebat, vt quicunque in eum oculos conijcerent, ad Pietatem abundè inſtruerentur; tantamque apud illius Oppidi incolas ſibi ſanctitatis famam comparauit; vt eum velut Cœleſtem hominem venerarentur. Cùm autem aliquando Michaël quoſdam Nautas, vt viuam calcem Conuentus ædificationi neceſſariam Blandam nauigio veherent, impuliſſet cum ijs Michaël quoque adnauigat. At verò cùm Cœlum nubibus obductum tempeſtatem minaretur, Nautæ Michaëlem à propoſito reuocare ſtudent, ne & ipſi cum calce commune periculum ſubeant. Quibus Michaël: Ne vos (inquit) imber ſollicitet: nauem onerate: Deus nauem, & calcem, noſque cum his tutos ſeruabit. Vix igitur medium iter confecerant, cùm ortâ repentè pluuiâ, & calcem, quæ nullis integumentis operta erat, & nautas, ac nauigium in diſcrimen adducit. At D.O.M. nec calcem ædificationi deeſſe, nec Nautas pio operi incumbentes periclitari, nec Serui ſui promiſſum inane eſſe voluit: cadentes enim imbres ita coërcuit, vt cùm circum circa nauigium ſeſe effunderent, ne gutta quidem calcem attigerit. Charitate denique ita excelluit, vt cùm duas ſpiritualium bonorum omnium, quæ, Deo adiuuante, præſtiterat, in morientes quoſdam partes erogâſſet, tertiam tandem, vt nihil perfectæ Charitati deeſſet, in Eliſabetham quandam Raphaëlis Rables Coniugem, quæ extremo agone cum morte colluctabatur, ſpontè contferret, atque alia Spiritualia Deo, ſi è viuis excedat, pollicetur: paucis verò poſt Eliſabethæ obitum elapſis diebus, dum Michaël pro eâ ad Deum preces fundit, defunctam mulierem ſibi aſtantem, atque his eum verbis alloquentem intuetur. Michaël, plurimas Charitati tuæ gratias ago: iam enim à pœnis ſoluta Cœlum ingredior. Verùm cùm ſæua lues hoc tempore Barcinonenſem Vrbem, agrumque

inuaderet, ſeipſum pro Charitate ſuperimpendens, diuinâ Charitate æſtuans, huic ſe miniſterio conſecrat; ac poſtpoſitis omnibus vitæ periculis, tam ingenti ſtudio & ſollicitudine ægrotos curare, infectis Sacramenta miniſtrare morientes conſolari, mortuos ſuis humeris aſportare, atque humo tegere viſus eſt; vt & ipſe eadem morbi tabe infectus voluntariam tandem pro Charitate mortem ſubierit; inter Charitatis Martyres non immeritò in Cœlo collocandus. Obijt iuuenis Michaël, cùm nonum in Religione duntaxat annum attigiſſet Anno 1589. Poſt aliquot verò ab ipſius ſepulturâ annos, aperto ſepulchro inter aliorum corpora, quæ in eo condita erant, putredine conſumpta, Michaëlis corpus agnoſcitur, integrumque, incorruptum ac ſuaueolens conſpicitur.

***





FRATER PETRVS BESSONIVS FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. PETRI BESSONII, GVARDIANI
VITA, ET GESTA.

FRATER PETRVS BESSONIVS, Sacerdos, Droci ſeu Druidis, ex honeſtâ progenie ortus cùm Virginem ſibi deſpondiſſet, meliori Dei luce perfuſus, intactam ſponſam deſerit, & ſanctiori connubio Capucinorum Religionem perpetuâ ſibi fide deſponſandam ſtatuit. Petrum igitur Probationis adhuc annum agentem cùm Dæmon à propoſita Religionis vocatione deterrere, ac ſæculo reddere plurimùm optaret; Virginis, quam in ſæculo deſponderat, formâ aſſumptâ, noctu poſt Matutinas Horas in Cellâ orantem adit; ac verbis ſuauibus atque amatorijs, vt ad ſæculum redeat,& cum eâ nuptias inſtauret, hortatur. Cùmque hæc dicens in Petri amplexus ruere vellet, ſtrenuus Chriſti pugil tam dirè abs ſe illam reijcit, vt in Cellæ parietem alliſerit. At Dęmon ſe contemptum ægrè ferens,tam rabido in eum impetu ruit;vt vi penè oppreſſum,ac robore deſtitutum relinquens protinùs euaſerit. Petrus itaque hac Diaboli tentatione ſuperatâ, cùm ex eâ fortior euaſiſſet, ad ſolemnem votorum nuncupationem admiſſus, tanto animi æſtu virtutum omnium ſtudia complectitur; vt in eâ prę ſertim priorum temporum anguſtiâ, omnibus prę clarum ſe totius patientiæ exemplar prębèret; non probra, non contumelias, non publicas ignominias extimeſceret: neque Caputio tenus ab infimæ plebis hominibus in Pariſienſi Vrbe circumagi, & circumvaſari exhorreret; ſed illuſtri patientiâ munitus vniuerſa non tam patienter quàm hilariter toleraret. Abſtinentiâ quoque tam inſignis fuit, vt cùm vniuerſa B. P. N. Franciſci ieiunia, tanquam lege latâ ſibi colenda prę ſcripſiſſet; omnium tamen Sanctorum, & communem Dominicæ Reſurrectionis Quadrageſimam tantâ victus auſteritate celebraret; vt ter tantum in hebdomadâ cibum ſumeret;eumque tam exilem,vt prę ter panem & aquam, ac nonnihil iuſculi, aut fabarum, nihil his ſibi diebus edulij adhiberet. Carnem verò tam ſeuerâ caſtigatione plectere ſolebat, vt cùm vel communem cum cęteris, vel priuatam ſeorſim flagellationem exerceret, humum, & circumcirca parietes ſanguine aſpergeret. Charitate deniq; ita in omnes, ac potiſſimùm

ægrotos effuſus videbatur; vt cùm Rothomagenſem Conuentum, in quo tunc Guardiani munus agebat, ſæua peſtis inuaſiſſet; is metu omni mortis depoſito, ægrotantibus Fratribus ſollicitè miniſtraret. Hoc pietatis, ac verę Charitatis officio, cùm pleroſque ex noſtris quos tunc morbus peſtilens abſumpſit, omni ſtudio proſecutus eſſet, is tamen ad ampliorem Iuſtitiæ Coronam à Domino ſeruatur. Hinc cùm ardentiori Martyrij pro Chriſto ſubeundi deſiderio incenſus emerſiſſet, haud optatis pia Dei Clementia defuit. Cùm enim aliquando per Vrbem Hęreticam iter agens ab Hęreticis comprehenſus, & ſuſpendio adiudicatus, cùm nullam ſibi excuſationem texeret, necis procul dubio ſententiam ſubijſſet, niſi à Nobili quodam Viro, qui caſu in eam Vrbem aduentauerat, cùm Petrus ad ſupplicium duceretur, agnitus, eodem agente liber dimiſſus fuiſſet: at is qui eo tempore Martyrij palmam diſtulit, non abſtulit. Nam cùm ſemel Aureliano poſt generalem admiſſorum Confeſſionem à puero initam, digreſſus, Lutetiam Pariſiorum proficiſceretur; & in quandam Beatiſſimæ Virginis Ædem ſibi obuiam oraturus diuertiſſet, ac in eâ aliquantiſper Beatiſs. V. ſibi præſidium imploraſſet, ab Hęreticorum copijs inuaditur; ij verò ſtrictis gladijs in Petrum irruentes, ex his alter ſublato enſe illius caput diffindit; alij corpus mucrone tranſverberant, & vulneribus confodiunt. Hoc pacto Petrus velut Chriſti Hoſtia, Hęreticorum manibus mactata, ſeſe gratum, ac voluntarium Deo Sacrificium obtulit, optatamque Martyrij palmam conſecutus eſt. Petri autem corpus Aurelianum delatum, cùm in Fratrum ſepulchro conditum eſſet, ſeptimum poſt annum conquiſitum, tam integrum atque incorruptum, vulneribusq; tam rubenti ſanguine conſperſis aſpicitur, perinde ac ſi pridie tumulatum fuiſſet. Trucidatus eſt

Anno 1589.



FRATER ANSELMVS BONONIENSIS FRAT
RVM CAPVCINORVM CVARDIANVS.

Fr. ANSELMI BONONIENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER Anselmvs Bononiensis, Concionator, virtutibus emicans; in eo admirabilis Dei Sapientia, quæ ſtultam huius mundi ſapientiam efficit, præclarè elucet. Hic enim de Humanis litteris benè meritus, cùm publicas Bononiæ de re Philoſophicâ theſes defendiſſet, perfectamque triginta annorum ætatem attigiſſet; cùm primùm ad Religionem acceſſit, tam ineptus, atque ad omnia agenda inutilis in ipſo Probationis anno redditur; vt cùm neque in Choro Lectiones recitare, neque in Refectorio pios libros recumbentibus abſque multo errore legere valeret, velut ignauus ab vtroque munere pulſus fuerit. His eadem quoque cùm in cæteris ſtupiditas ac hebetudo reſponderet, eò patientiâ, humilitate, obedientiâ, ſimplicitate, ſuiipſius deſpectu, & oratione clarior apparebat. Ab initio ita linguam cohibere didicerat; vt ne otioſum quidem verbum eam proferre pateretur. Tanta erat ipſius abſtinentia, vt aliquando cum ſenſus appetitu contentioſè decertans, ad quintum vſque diem omni cibo abſtinuerit. Poſtremò, in carne præter carnem viuens, cœleſtem ſibi cum Deo ac ſuperis aſſiduâ rerum diuinarum contemplatione conuerſationem eligebat. Non communis, aut vulgaris illius Oratio erat: tam enim in eâ ſemper defixus, atque immobilis verſabatur, vt præter humanum aliquid ſentire videretur. Cùm Foroliuienſem aliquando Conuentum moderaretur, poſt Matutinas Horas, vti ſolebat, in Choro orabat: quo tempore Angelus Capuanus Laicus, & ipſe in Eccleſiâ orationi incumbens, ingentem in Choro fragorem erumpentem percipit; quaſi alicuius, qui alteri ſonantem ibi colaphum impegiſſet. Quare ſtatim ab Oratione ſurgens, factum exploraturus in Chorum aduolat: vbi præclaram quandam mulierem candidâ veſte amictam, quam mox Sacram Dei Matrem eſſe agnouit, non obſcurè conſpicit; quæ Anſelmi Guardiani caput ſuo ſinu excipiens, ſimulatque ab eo viſa fuit, confeſtim euanuit. Hæc Diaboli inuidia fuit; qui cùm ardentes Anſelmi preces, quibus mirum in modum cruciabatur, ferre non poſſet, ingentem

oranti alapam impegerat; cui ſtatim Beatiſſima Virgo, quam ille ſingulari veneratione proſequebatur, opportunè adfuit, eidem ſuo ſinu ſolatium præſtans. Miſſæ Sacrificium operans vberes in eo lachrymas fundere ſolitus erat. Quamplurimas à Deo Cœleſtes viſiones, ac reuelationes accepit. Dum is Fratre Maximino Foroliuienſi Sacerdote comite iter facit, ad eum ait: Maximine, humana apud nos ſileant: de Diuinis ſemper loquendum, aut tacendum. Id me Dominus Iesvs orantem aliquando ore proprio docuit, dicens: Anſelme, ſi mihi placere optas, à mundanis, & humanis ſermonibus abſtineto ac de Diuinis ſemper rebus colloquitor. Orabat is noctu aliquando in cellâ, cùm à Bernardino Rhegienſi Sacerdote ad quædam agenda vocatus, his Bernardino verbis reſpondet: Ignoſcat tibi Dominus, Bernardine; quandoquidem optimam mihi animi voluptatem eripuiſti: cùm enim mei vtriuſque Parentis præſentiâ in Cœlo fruerer, & cum ijs de ineundo cum Deo colloquio agerem, intempeſtiuè me ad hæc humana reuocaſti. Eliſabethæ Tertij Ordinis S. P. N. Franciſci Sorori adhuc iuuenculæ mundano plus æquo luxui deditæ, breui mundo valedicturam, ac ſub cinericeâ veſte Domino famulaturam Prophetico ſpiritu prædicit. Hoc ipſo ſpiritu Stiliani Principiſſæ, quæ fœtum in vtero geſtabat, maſculum fore prænunciat. Fuit Anſelmus Euangelicâ Prædicatione clarus; atque adeò Apoſtolico ſpiritu præditus; vt liberrimè vitia increpans, obſtinatos quoſque poſt ſcelerum pœnitentiam, vitam in meliorem frugem commutare compelleret. Quamobrem Serui ſui Prædicationem ſignis, ac miraculis Deus confirmatam voluit. Etenim dum Saxolij Dei verbum prędicat, quoſdam, inter quos quidam ex Ferrariorum Familiâ enumeratur, Crucis ſigno adhibito à morbis curat. Helenam Orſellam Tertij Ordinis S.P.N. Franciſci Foroliuienſem à graui cephalalgiâ eodem ſigno priſtinæ ſtatim ſanitati reſtituit. Alia quoque eiuſdem Ordinis Soror, Franciſca nomine, ex Balduorum Familiâ in eâdem Vrbe viſu, auditu, ac cæteris ſenſibus iam deperditis, extremo cum morte agone colluctabatur; cùm ad eam Anſelmus accedens, validiori eam voce proprio nomine appellans: Heus, Franciſca, (inquit) heus: Cui illa, velut è graui ſomno expergefacta, reſpondens ait: Quis es tu, quem me appellantem audio? Necdum illa oculos aperuerat, proximo mortis horrore, ac languore obtenebratos. Quamobrem ad illam Anſelmus: Agedum (inquit) oculos aperi, & nos reſpice. Cumque illa apertis oculis Anſelmum intueretur, ex illius vultu emicantem

lucis ſplendorem cernens illius aſpectu adeò confirmata fuit, vt poſt aliqua conſolationis verba reuixerit, ac breui incolumitatem adepta fuerit. His & aliud accedat. Grauis annonæ tempore paupperculæ cuidam Familiæ Anſelmus exiguum panem è manticâ depromptum tradens, ita multiplicat, vt denis familiæ perſonis ad ſaturitatem abundè ſuffecerit. Denique cùm Dei Seruus pleroſque in omni ſanctitate & iuſtitiâ annos in Religione conſumpſiſſet; Anno 1590. dum Tuſſiniani Dei Verbum diſſeminat, febre corripitur: moxque obitum Socio ſuo præſignificans, maturè ad ForoCornelij Conuentum ſe confert, vbi Eccleſiæ Sacramentis munitus vitam auſpicatò initam, meliori ac fœliciori occaſu concludit.

Fr. IOANNIS A COLLEAMATO, GVARDIANI *VITA, ET GESTA.*

FRATER IOANNES à COLLEAMATO, Sacerdos, cùm primùm è ſæculi pelago ad Religionis portum euaſit, tam perfectam vitæ rationem inſtituit; vt omnium virtutum choros ad ſe vnum attraxiſſe videretur. Candidiſſimæ namq; mentis puritati, quam ſibi velut cæterarum ducem elegerat, pudicitia; pudicitiæ, morum honeſtas; morum honeſtati, exterioris hominis compoſitio; externæ compoſitioni, ſenſuum omnium mortificatio; huic ſingularis animi ſimplicitas, modeſtia, manſuetudo, patientia, humilitas, Regularis diſciplinæ vigor, paupertas, abſtinentia, ac perpetuæ orationis ſtudium ita coniuncta erant; vt cum his æquè ſtipatus incederet, quænam perfectiùs in eo virtus eluceret, haud facilè dignoſci poſſet. A mulierum conſpectu ſummoperè abhorrebat. Cùm enim is & facie decorus, & vultu verecundus eſſet, cui & ipſa morum elegantia venuſtatem addebat; bis à mulieribus incontinentiæ tentatus, tam ſtrenuè aduerſus illas pro Caſtitate pugnauit, vt victor tandem in vtroque certamine euaſerit. Tantâ præterea in Deum fiduciâ præcellebat, vt cùm in Mondauij Conuentu, in quo is Guardiani munus ſuſtinebat, ob magnam niuis copiam neceſſariâ Fratres annonâ laborarent; copioſa ipſius oratione à Deo miniſtrata fuerit. A Dæmone varijs infeſtationibus appe-

titus, dùm vehementiùs orationi incumbit, ipſius aſtum eludit. Neque illi in extremo mortis agone cum Tartareo Hoſte certamina defuêre; at inclyta Cœlorum Reginâ in ipſius opem accurrente, Dæmonum agmina effugata; isque læto rerum ſucceſſu exultans, dum ter Beatiſſimam Virginem, velut præſentem ſalutat, eâdem comite ex hac luce migrat Anno 1591.

***





FRATER LAVRENTIVS OSCENSIS FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. LAVRENTII OSCENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRater Lavrentivs Oscensis, Sacerdos, honeſtâ Parentum ſtirpe progenitus, Neapoli à ſæculi curis cum fratre ad Religionis quietem à Domino vocatur. Necdum is carnis vulnera ſenſerat, cùm Seraphicæ militiæ palæſtram eſt ingreſſus. In eâ verò tam nihili duriſſimas quaſque corporis aſperitates faciebat, vt non carneum, ſed vel ligneum vel lapideum corpus gerere videretur. Crebra ieiunia, parcus ſomnus, prolixæ orationes, pedum nuditas ſandalijs reiectis, cruentæ flagellationes, atque aliæ corporis caſtigationes, quæ cæteris horrorem atque admirationem adferebant, illi leues atque iucundæ videbantur. Poſt aliquot annos è Romanâ Prouinciâ in Cathaloniæ Prouinciam inter ipſa Fundationis initia miſſus, dum eo in itinere aliquando attentius orat; Beatiſſima Virgo duabus alijs Sanctis Virginibus ſtipata apparens, Seruum ſuum Cœleſtibus verbis recreat: vbi verò Barcinonem appulit, ita omnium maximarum virtutum ſtudia auxit, vt ad Nouitiorum educationem aſſumptus fuerit. Humilitas verò, ſui-ipſius contemptus, patientia, profuſa in alios Charitas, & reliquæ ipſius virtutes haud facilè enarrari poſſunt; ac præſertim ardens illius in Deum Charitas; quâ fiebat, vt nihil magis, quam vitam pro Chriſto profundere optaret. Hic tam multus in oratione erat, vt maiorem noctis partem in ſacris vigilijs, & lachrymis velut ſpiritu ebrius orando conſumeret; quo tempore à Deo viſiones, ac reuelationes accepit, quas obliuio, vnâ aut alterâ exceptâ, deleuit. Nocte quâdam aliquando oranti Beatiſſima Cœlorum Regina cœleſti vndique lumine refulgens apparet, dextrum illi tantummodò tam vultus, quam corporis latus protendens: quo aſpectu tanta ipſius animum voluptas inceſſit, vt ſi reliquam vultus, & corporis partem aſpectandam exhibuiſſet, præ voluptatis vbertate anima illi è corpore ſoluta fuiſſet. Antoninæ Iacobi Cors vxori, cum Barcinone fœtum in vtero geſtaret, maſculum pariturum prædixit, quem precibus Viri Dei adiuta incolumis in lucem edit. Cum in Conuentu ſanctæ Eulaliæ panis aliquando deficeret, Nouitium, cui Refectorij

cura commiſſa erat, panem à Beatiſſimâ Virgine, quæ mater noſtra eſt, petere iubet; mox eo orante copioſus in arcâ panariâ panis è Cœlo miniſtratus conſpicitur. Cùm idem rurſus in eodem Conuentu contigiſſet, Fr. Martinum Sardum Quæſtuarij munere fungentem, ante Beatiſſimæ Virginis imaginem Antiphonam *Salue Regina*, recitare iubet; eam vix abſoluerat, cum Vir pane, atque alijs edulijs onuſtus ante fores conſpicitur. Incredibili Laurentius Deiparam Virginem veneratione, ac cultu proſequebatur: quo fiebat, vt pictam ipſius Imaginem ſecum ferret: quam dum piè ægrotis atque alijs deoſculandam præbet, pleraque miracula patrat. Fabri cuiuſdam Vxor, de cuius vitâ Medicorum ſententiâ actum erat, cùm Laurentius ad implorandam Beatiſſimæ Virginis Clementiam cohortatus eſſet, vix pictam Deiparæ Imaginem, quam is è ſinu protulit, piè oſculata eſt; cum hoc ipſo tempore, morbo retrocedente, breuiſſimo temporis ſpatio perfectæ ſanitati reddita fuit. In Oppido Conſtantini, Martini cuiuſdam Oppidani filia oculorum prorſus luce carebat: cui vbi Laurentius hanc ipſam Beatiſſimæ Virginis imaginem deoſculandam tradidit, manuque eidem benedixit, integram protinus ei lucem reſtituit. In eodem Oppido, Bernardi Iudicis Vxor, cùm aliquando è gradibus excidiſſet, grauiter ob caſum affligebatur; quam Laurentius eodem modo mox à cruciatu liberam reddit. Huius quoque filiam, Eulaliam nomine, quæ ex ligni caſu graue in capite vulnus tulerat, eodem modo à vulnere curat. Rurſusque eandem paulò poſt, huius Sacræ Imaginis oſculo ab oculorum morbo, quo ad cæcitatem pertrahebatur, incolumem reddit. Hoc pacto Nobilis quoque cuiuſdam mulieris Barcinonenſis pediſſequam à Dæmone obſeſſam liberat. Nullum Laurentius pij cultus officium vnquam prætermittere viſus eſt, quo Beatiſſimæ Virginis venerationem proſequeretur. Imò tam ingenti erga Deiparam amore flagrabat; vt quæcunque ab eo ob Virginis amorem poſtularentur; protinùs erogaret; atque eiuſdem Feſtorum pervigilia nullo cibo tranſigeret. Denique in Virginem vota ſua omnia, & cogitationes intenderet. Hinc multis olim indubitatum fuit, eum ſæpius Beatiſſimæ Virginis aſpectu potitum fuiſſe. At neque minor illi erga ægrotos Charitas inerat: Quapropter cùm Nouitij cuiuſdam putridum aliquando vlcus ſuis manibus curaſſet, & ſaniem abſterſiſſet, ſimul cum ſanie vlcus abſtulit. Cùm autem is perpetuò à carnibus abſtineret; contigit aliquando, vt tam graui ciborum inappetentiâ teneretur, vt cùm cibaria omnia reſpueret, Fratres illi carnium

eſum

eſum multis argumentis perſuaderent: quem cùm ille recuſaret; en auicula feneſtram ingreſſa in ipſius ſinum aduolat: quam mox Fratres,tanquam à Deo miſſam apprehendentes,illi ad eſcam parant;qui dum Cœleſti facto compulſus eâ veſcitur, mox appetitum recuperat. At præter hactenus enarrata, pluribus eum miraculis claruiſſe, ex ordinario Proceſſu de illius vitâ & geſtis inſtituto, ſatis conſtat; ex quo hîc aliqua referenda ſunt. Ferrerium quendam Barcinonenſem,lethali morbo in ſupremum vitę finem adductum,Crucis ſignaculo communitum paulò poſt incolumem reddit. Mulieris quoque hoc ipſo tempore, quæ Carbonella appellabatur, filiam grauiter ægrotantem,eodem Crucis ſigno ſanat. Dum Vallenſem Conuentum moderatur,mulier quædam calcinomatis morbo ipſius vultum depaſcente laborabat: quam cum Dominicâ illi prius Oratione, ac Salutatione Angelicâ indictâ ſigno Crucis petijſſet, integra illa canceris plaga, perinde ac ſi nouaculâ abſciſſa eſſet, mox illi è pectore delabitur,eaque priſtinæ ſaluti reſtituitur. Barcinonæ Ioannem Bonauenturam Iacobi Cors filium, quinque menſium infantem animam agentem, cùm inter vlnas ſuſcepiſſet, ſigno Crucis mox ſoſpitem reddit. At longè maiori admiratione dignum fuit, cùm Franciſcus huius Iacobi & Antoninæ filius morbo correptus, inter Parentum manus tandem animam efflâſſet,in lecto collocatur,ac lineo panno contegitur. Intereà verò, dum eum tanquam mortuum Parentes lugent; en Laurentius adeſt, moxque adſtantibus ait: Quorſum gemitus? Haud infans interijt,ſed dormit; propiusque ad defuncti lectum accedens, poſitis genibus vbi per aliquot temporis ſpatium orauit, demum ab oratione ſurgens, Pueri facie detectâ, his eum verbis compellat: Franciſce, in nomine Domini Ieſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Matris eius expergiſcere. Cumque eâ voce necdum infans moueretur,ad adſtantes conuerſus: En (inquit) quàm profundo hic infans ſopore detinetur. Denique cùm ter altiùs Puerum ijſdem verbis inclamâſſet, defunctus à mortis ſomno excitatus prius oſcitare, tum membra mouere cœpit, Matriſque vbera mox incolumis petit. Laurentius autem poſt hæc cùm plurimâ virtutum, & Cœleſtium donorum ſegete diues tantam apud omnes ſibi ſanctimoniæ famam, nomenque comparâſſet; vt paſſim haud alio, quàm ſancti Viri nomine appellaretur; longè anteà prænunciato ſui obitus tempore Barcinonæ in Conuentu S. Eulaliæ tandem carnis ſarcinam deponens, meliorem apud Deum vitam adipiſcitur Anno 1591. æternâ apud homines dignus memoriâ.

Fr. ANDREÆ TAVRINENSIS. GVARDIANI
VITA, ET GESTA.

FRATER ANDREAS TAVRINENSIS, Sacerdos, huius potiſſimùm virtus in educandis, & ad omnem virtutem inſtruendis nouis Religionis Tyronibus enituit: Vir enim fuit tantâ Dei ſapientiâ præditus, vt cùm primùm ad eum Nouitij accederent, quinam in Religione ſtabiles; qui verò ab eâ euolaturi eſſent, certò præſagiret. Hic cùm acerrimus, tùm paupertatis, tùm etiam totius Regularis Obſeruantiæ æmulator, Euangelicæ Perfectionis virtutes ſibi ab exordio comparâſſet, pleroſque claros, ac virtute inſignes Religioni Viros peperit. Mirâ quoque erga Pauperes charitate præditus ad eorum inopiam ſubleuandam, ſibi neceſſaria vitæ alimenta ſubſtrahebat. In Genuenſi namque Prouinciâ, quo tempore ingens fames totam ferè Italiam inuaſerat, Andreas cum alijs iter agens, paucos panes, quibus in viâ veſcerentur, ij ſecum detulerant, quum nonnullos in eo itinere egenos offendunt: qui cùm fame ita confecti eſſent, vt animam propè exhalare viderentur, ijs vniuerſos panes iubet diſtribui. Paulò poſt cùm fame vrgente, nihil & ipſi quo veſcerentur, haberent: En peregrina Mulier, velut è longinquo veniens illis extemplò apparet; quæ tot ijs candidiſſimos panes, quot numero erant, è perâ profert, & continuò ex oculis eorum euaneſcit. Dum autem Andreas Taurinenſe Monaſterium S. Mariæ ad Aquas moderatur; accidit, vt inter Epiphaniæ Quadrageſimam, quæ Benedicta nuncupatur, & Quadrageſimale ieiunium, quod à totâ Eccleſiâ colitur, vnicus tantum dies, quo Fratribus carnibus veſci licet, eo anno interflueret. Suadebant Andreæ Fratres, vt rem Ordinis Benefactoribus aperiri permitteret, quo nonnihil ab ijs obſonij Familiæ prouideretur. At Vir ſeuerus tum Regulæ tum Conſtitutionum cultor Fratrum poſtulationem reijciens: Si Dei, inquit, voluntas fuerit, ipſe obſonium prouidebit. Necdum verò Cœnâ inſtante Andreas cum totâ domus Familiâ ad ignem collectâ, animum pijs ſermonibus recreabat. Interea Deo cum ijs liberaliùs agente, en Felis volucrem grandiorem ore geſtans apparet; quam ante omnium

oculos humi reliquit, ſtatim abſcedit, & poſt modicum tempus reuerſus alteram profert: denique tot ſucceſſiuè aues, quot in eâ familiâ Fratres enumerabantur, in medium adducit, quæ eorum eſui abundè ſufficere valerent. Tandem Vir hic præclarus cùm multos in perfectâ Dei viâ erudijſſet, ac totius vitæ ſuæ curſum ad omnem Euangelicæ legis iuſtitiam compoſuiſſet, Genuæ in Conuentu S. Barnabæ placidâ morte ſublatus Iuſtitiæ Coronam aſſequitur Anno 1593.

***





FRATER IUSTINUS A NURSIA FRATRUM CAPUCINORUM GUARDIAN⁹

Fr. IVSTINI A NVRSIA, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER IVSTINVS à NVRSIA, Sacerdos, cùm animi ingenuitate, morumque elegantiâ plurimùm in ſæculo præſtaret, hæc ſecum ad Religionem allata tam præclarâ virtute accumulauit, vt Deo, & hominibus amabilis redderetur. Hinc tam admirabili exterioris hominis apud omnes compoſitione fulgebat; vt nihil in eo incompoſitum, nihil non virtute venuſtum conſpiceretur. Oculorum præſertim demiſſione tam præclarus fuit, vt nemo illius vnquam oculos conſpexerit. His accedebant vultus honeſtas inceſſus grauitas, ſermonis ſuauitas, quædamque in rebus omnibus moderatio: quibus cùm interioris hominis compoſitio, quæ ex obedientiæ, humilitatis, patientiæ, paupertatis, caſtimoniæ, proprij contemptus, abſtinentiæ, & cæterarum virtutum gremio erumpebant, abundè reſponderet, perfectum in eo Minoris Fratris ſimulachrum cunctis admirandum elucebat. Quò factum eſt, vt ad Nouitiorum educationem vocatus, pleroſq; perfectos vtriuſq; hominis cultores Religioni pepererit. Linguam vel ſilentio, vel rerum Diuinarum colloquio ita ſacrauerat, vt nemo otioſum ex ipſius ore verbum vnquam audierit: Orationem verò ſtudio tam ſedulo coluit, vt ternâ, vel quaternâ quotidie orationis horâ, cui poſt Matutinas de more vacabat, non contentus, eam vbique ſibi comitem adhiberet. Quo tandem factum eſt, vt pleraſque à Domino reuelationes acceperit, ac miracula Diuinâ virtute patrârit: Ex quibus pauca, cæteris, quæ Scriptorum negligentiâ periêre, prçteritis, enarrare libet. Inprimis Andreæ cuidam ex noſtris Sacerdoti, de Sororis maximo periculo ſollicito, Sororis incolumitatem annunciat, celeriuſque ab eâ nuncium accepturum pollicetur. His cùm Andream conſolatus eſſet, paruâ interiectâ temporis morâ, de Sororis ſalute Andreas per nuncium fit certior. Poſt hæc Iuſtinus cùm in Conuentu Montis Regalis Guardiani officio fungeretur, Sacerdos Iuſtini nomine imperans, Erucarum agmen omnia depaſcens repentè ex horto fugat. Rursùs locuſtâ Fratrum hortulum deuaſtante, cùm Iuſtinus illi in Dei nomine diſceſſum imperaſſet, ita fugam confeſtim capeſſit,

vt ne quidem vna in horto remanſerit. Adhęc, cum in S. Annæ Conuentu Vrbis Spoletanæ, Guardiani aliquando munus ageret, tam ingens terram ſiccitas occupauerat; vt horti ſolo arente nulla Hortulano eo anno braſſicæ trânſplantandæ ſpes reliqua eſſet. At Iuſtinus Hortulanum acceſſit, vt braſſicam ſuis ſulcis pangat, iubet. Dicto cùm Hortulanus paruiſſet: Mirabile viſu! mox Serui Dei oratione fit, vt ſereno vbique Cœlo nubecula Conuentus duntaxat ſepta contegens, tam copioſum imbrem effunderet; vt eo braſſica terræ coaleſcere, ac pullulare cœperit. Huius quoque Viri Dei cùm Fridericus Pater, & Frater ob grauem cauſam carceri mancipati, in manifeſto vitæ periculo verſarentur. Iuſtino aſſiduè pro illis orante; en intempeſtâ nocte duo Capucini Fratres Friderico in carcere apparent, celerioriſque eum liberationis certiorem reddunt. Poſtremò, dum Montis ſancti Conuentus habenas moderatur, Sillanum profectus, vt quædam à Pharmacopolá pro Fratre ægrotante pharmaca quæreret, pro his Pharmacopola pretium ſibi exolui poſtulabat. Cui cùm Iuſtinus pretium à Deo exoluendum fore aſſereret, his haud aſſentiente Pharmacopolâ, Iuſtinus orationem: *Retribuere dignare &c.* cum Socio perſoluit; quam in chartulâ conſcriptam pretij loco Pharmacopolæ offert. At Pharmacopolâ etiamnum pecuniæ pretium depoſcente, pharmaca Iuſtinus in alteram lancem, quæ in Officinâ aromataria pendebat, afferri poſtulat: tum in alterâ, quæ eminebat, chartulam apponens, hæc illi tam præponderare viſa eſt, vt nullo aromatum pondere æquari valeret. Id cùm Pharmacopola oculis conſpexiſſet, eo miraculo commotus, pharmaca liberaliter dedit, ac perpetuò in poſterum ſe daturum repromiſit. Pleraque alia huius Viri miracula, quæ ſolâ famâ ſuperſtite vigent, conſcribenda eſſent; in quibus & mortuum ipſius oratione ſuſcitatum ferunt: Verùm his prętermiſſis, illud tantùm exploratum ſit, Iuſtinum, cum plurimos in Religione annos, virtute ac ſanctimoniâ plenos traduxiſſet, Ameriæ, carnis exuuijs depoſitis, iuſtitiæ à Deo Coronas accepiſſe Anno 1594.

***



FRATER ANDREAS CREMONENSIS FRATRVM
CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. ANDREÆ CREMONENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA

FRATER ANDREAS CREMONENSIS, Sacerdos, ex nobili Mullorum ſtirpe progenitus, cùm ſæculo in virili ætate valedixiſſet; auſterioris inter Capucinos vitæ genus exorſus, abſtinentiæ, ac paupertatis eximius cultor fuit. Fraternam verò erga cæteros Charitatem ſummo ſtudio proſecutus fuit: viliſſima quæque officia licet Guardianus, exercere ſolitus. Oratione quoque tantopere delectabatur, vt antelucanas preſertim horas, quæ poſt Matutinas ſuperſunt, in eam auidiùs inſumeret. Communi aliquando cùm poſt Completorium orationi vacaret, vultu ad Cœlum erecto, atque extenſis in Crucis modum brachijs, cubito tenus in ſublime elatus conſpicitur: ex quo alios quoque mentis exceſſus paſſum fuiſſe, facilè colligi poteſt. Aduenis Fratribus ex itinere feſſis, cùm nihil obſonij, quod illis in menſâ apponeretur, in Conuentu eſſet, iuuenem oua illi neceſſaria prębentem offendit, qui mox ex ipſius oculis euaneſcit. Cùm æſtiuo tempore, illi munus à Guardiano demandatum eſſet, vt grandiorem vini lagenam, refrigerationis causâ ad mediam putei regionem demitteret, putei rotam nullo clauo diſtentam obfirmare conſueuerat: quo fiebat, vt ſolâ Dei virtute, rotæ curſus lagenæ pondere excitatus retineretur. Pleriſque eum miraculis claruiſſe M.S. noſtra teſtantur. In his mulierem quandam nobilem Albiatenſem à peſtilenti febre ſuâ oratione liberat. Hoc modo Cremonæ cuiuſdam Ciuis Cremonenſis filium grauiter ægrotantem protinus incolumitati reſtituit. Clericus quoque quidam ex noſtris, qui maiores Hoſtias excoquens, nullâ ratione integras ex ferreo inſtrumento referre poterat, cùm Andreas depoſitam farinam ſigno Crucis benedixiſſet, integras deinceps, & nullâ labe aſperſas accepit. Denique cum virtutibus ac donis Cœleſtibus diues ad extremam vitæ metam perueniſſet; Diabolus Andream, ſub terribilis cuiuſdam Leonis formâ aggreditur: At Dæmone Beatiſsimæ Virginis, ac S. P. N. Franciſci præſentiâ effugato, mox ille vultu in iucundum commutato, lætus exclamare cœpit: En Virgo Deipara; en B. P. N. Franciſcus præſentes adſunt. Cumque pleraque tunc lætitię ſigna ederet, inter hæc ſpiritum ſuo Creatori æternâ gloriâ coronandum reddidit Anno 1594.

Fr. RAPHAEL A MONSERIA, GVARDIANVS.

FRATER RAPHAEL à MONSERIA, in Neapolitanâ Prouinciâ Concionator, Vir omnium virtutum laude præclarus fuit; qui dum Caſertæ Conuentum moderatur, quorundam, qui ab hoſtibus ad necem quærebantur, periculum Prophetico ſpiritu præſentiſcens, mox Fratres ad eos deſtinat; & in Conuentu receptos cum inimicis conciliat. Obijt Anno 1595.

Fr. ANDREÆ A SESTINO, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANDREAS à SESTINO, Sacerdos; huic præter quandam naturæ benignitatem, quæ illum omnibus amabilem redderet, nulla ei virtus deeſſe videbatur. Cùm enim omnium virtutum cultor, ac Magiſter eſſet, Nouitiorum educationi ſæpe præfectus, aſperrimo probationis genere nouos Religionis Tyrones excipiebat. Hæc porrò morum ſeueritas, tametſi partim illi à naturâ indita eſſet; nulli tamen dubium erat, quin ea ex ardenti potiſſimùm zelo proficiſcens in Religionis bonum ac commodum redundaret. Hinc Viri huius Sanctimoniam Deus Cœleſti aliquando teſtimonio conteſtatam voluit: magnâ enim annonæ penuriâ totam ferè Italiam occupante, cùm is Foroſemproniani Conuentus habenas regeret, in quodam Societatis S. Lucæ agro, fabas ad pauperum alimoniam ſerit: quibus maturitatem adeptis Præconis voce peruulgandum curat; vt quicunque fame premerentur eò ad agri fabas confugerent; fabasq; ſcaphis relictis ſibi ad alimenta reponerent. Intereà aſſiduè is orationi vacans, D. O. M. vt ſuam in pauperes liberalitatem è Cœlo extenderet, precibus pulſabat. Nec vana illius oratio fuit. tot enim in ſcaphis fabalibus fabę Diuinâ virtute germinarunt; vt pauperibus vndique ad fabas confluentibus quo plures ab his colligebantur, eò vberiores fierent. Quotidie colligentium turba in fabario conſpiciebatur, quæ cùm inde fabis onuſta recederet, vix fabarum ſcaphos integros remanſiſſe exiſti-

maſſes; cùm poſtera die tot in ſtipulis fabalibus exortæ cernebantur, vt nullæ inde vnquam fabæ euulſæ, ac collectæ viderentur. Porrò, hæc fabarum incrementa tam diu Diuinâ virtute producta ſunt, quoad pauperum frequentia ceſſaret; meſſiſque aduenien s pauperes ad ſegetum ſpicas colligendas è fabario auocaret. Quod dignum magis admiratione fuit, poſt tantam pauperum ad fabas frequentiam, cùm vix ſcaphi integri putarentur; his poſt hæc excuſſis, tanta ex ijs fabarum copia erupit, vt annuum fabarum fructum excederent. Alterum quoque huic teſtimonium acceſſit. Cum enim Frater quidam aduena, longo ex itinere feſſus, ac viribus imbecillis, tempeſtiuâ refectione indigeret; arcâque panariâ diligentiſſimè exploratâ, nihil panis in domo reliquum repertum eſſet; Andreas indigenti Fratri ſuccurrere volens, Diuinæque liberalitati confidens, ad panariam redire iubet, Diuinâque virtute, atque Andreæ oratione fit, vt tunc primùm in eâ octo candidiſſimi panes, & recens placenta appareat, quibus vberiùs Fratris neceſſitati ſubuentum fuit. Hic tandem cùm quinquageſimum in Religione annum omni cum pietate, ac vitæ ſanctimoniâ expléſſet; Septuagenarius Maceratæ mortalem cum immortali vitâ commutat Anno 1597.

Fr. STEPHANI TYRACENIENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER STEPHANVS TYRACENIENSIS, Sacerdos, è ſęculi tempeſtatibus ad Religionis portum, Deo flante; perductus; tantâ primùm abſtinentiâ vitam inſtituit, vt tres cuiuſque hebdomadę dies arcto ieiunio conſecraret: Quadrageſimali verò tempore totidem abſque cibo tranſigeret. Aduentus autem ieiunio, in quod peculiari deuotione ferebatur, quartum quoque diem ab omni eſcâ vacantem adderet. Abſtinentiæ, ceteræ quoque carnis caſtigationes, quales cruentæ flagellationes, corporis labores, ſomni parcitas, atque his ſimiles eſſe ſolent, accedebant. Neque id fruſtra: tanta enim mox animi humilitate, tanto aſperrimæ paupertatis ſtudio, tantâ morum diſciplinâ, tantâ orationis aſſiduitate florere, tamque incenſo Charitatis in omnes ſpiritu, ac pręſertim ægrotos effundi cœpit; vt in eum omnes, velut in Cœleſtem homi-

nem

nem oculos intenderent. Quamobrem ad Nouitiorum educationem vocatus, plurimos Euangelicos Viros perfectæ virtutis cultores Meſſanenſi Prouinciæ efformauit. Viri huius iam notam apud homines ſanctimoniam D.O.M. haud abſque multiplici ſignorum teſtimonio eſſe voluit. Accidit enim aliquando; vt hyemali tempeſtate, in quâ Aduentus ieiunia à noſtris celebrari ſolent, ciborum prouiſionem reſpuens, iter ex obedientiâ ſuſciperet; maiorique diei parte inter cœnoſas ac ſalebroſas vias conſumptâ, vires illi ad iter proſequendum deficerent. Via deſerta erat, nullis hominum habitationibus obuia. Quare oculis in Cœlum conuerſis à Deo Cœleſtem penum ſibi aperiri poſtulat: Vix autem ipſius apud Deum gemitus peruenerat, cùm repentè elegantioris formæ Iuuenem candido equo inſidentem cernit; qui cùm Stephani animum verbis auxiſſet, panem, vinumque è perâ profert; protinusque ex oculis euaneſcit. Rursùs, cùm eo tempore aliquando Politium verſus proficiſceretur, quo in S. Michaëlis honorem ipſe ieiunia Quadrageſimalia obſeruabat! præcedebat Stephanus, Socio intereà ad cuiuſdam pauperculi aſinum, qui ſub onere iacebat, ſubleuandum relicto; cùm Satanam ſub Socij formâ ante ſe gradientem conſpicit; nec tamen is, cùm animum diuinis rebus intentum gereret, quicquam de Socio poſt ſe relicto cogitabat. Præibat Satan, ſe viæ ducem præbens; Cùmque iter illud ad quoddam præcipitium duceret, S. Michaëlem Archangelum, ſub ſplendidi Iuuenis armati ſpecie ſibi occurrentem cernit, qui his illum verbis compellat: Quò pergis Stephane? Non hæc via eſt, quæ Politium ducit; ſed quæ ad præcipitium rapit: terga verte. Ac verum iter indigitans: Hac tibi (inquit) pergendum eſt. Vix hæc ille effatus erat, cùm eo repentè ex oculis ſublato, Socium poſt ſe inclamantem, & quâ viâ illi procedendum eſſet, aperientem audit: Satan verò ſuâ ſpe fruſtratus, ad veri Socij vocem aufugit. Prophetico ſpiritu clarus Homicidæ cuidam occultum crimen aperit, atque ad Pœnitentiam prouocat. Antoniæ cuidam Pauli à Rocha Vxori, duriùs, acerbiusque, quàm par eſt, à Viro ſuo exceptæ, breui à Pauli Coniugis moleſtijs liberandam prædicit. Quod & verè contigit; Paulo circa eiuſdem menſis finem è viuis erepto. Poſtremò, cùm Catharinæ Antoniæ propinquæ proximum ſibi ſui obitus diem imminere prædixiſſet, Meſſanæ apud omnes ſanctimoniâ clarus, diem ſupremum obijt Anno 1597.

***

Fr. AMBROSII VRBINATIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER AMBROSIVS VRBINAS, Concionator, ex Nobiliſſimâ Rodulphorum, vel Buſſorum ſtirpe ortus; cùm in pueritiâ admirabilem, velut in gemmâ præter ætatem pietatem præ ſe ferret, tam ſolidam in Adoleſcentiâ, quæ vt plurimùm ad vitia prona eſſe ſolet, virtutem animo ſibi inditam oſtendit: vt præter vitiorum omnium fugam, morum honeſtatem, animique ad omnia virtutum ſtudia propenſionem, carni, antequàm prouocaretur, prælia indicens, clam mollia ſibi omnia ſubtraheret, lectum delicatum fugeret, duriùs vel humi, vel ſuper ſtratis tabulis cubaret; longioresque noctu in oratione vigilias ducens, Tartareum hoſtem necdum pugnantem proſterneret. At cùm Iuuentutis florem attigit, cùm labile ſæculum, & periculis plenum animaduerteret; maturè ex eo erumpens, in Seraphicâ Capucinorum militiâ inſcribi feſtinat: Vbi tam præclarum vitæ Tyrocinium ponit, & humilitate, patientiâ, paupertate, abſtinentiâ, vitæ auſteritate, ac totius Regularis obſeruantiæ diſciplinâ omnibus planè ſe admirabilem redderet. Quare ad humanarum, ac diuinarum litterarum ſtudia promotus, in his diuinâ tantùm luce profecit, vt inter illuſtriores Ordinis Theologos recenſeretur. Hinc ad Prælectoris munus vocatus, cùm æquè ſpiritu, ac litterâ Auditores ſuos Philoſolphicâ, & Theologicâ diſciplinâ erudiendos curaret; eoſque non verbo tantummodò, ſed illuſtrioribus quoque vitæ exemplis anteiret; pleroſque Verbi Dei Præcones Religioni ac Dei Eccleſiæ vtiliſſimos peperit. Orationi præſertim ita deditus fuit, vt in eâ integros plerumq; dies, ac noctes viſus fuerit inſumere. Hinc tanta illius animo in Deum fiducia indita erat; vt omnia abſque vlla animi dubitatione à Dei prouidentiâ expectaret. Quò factum eſt, vt dum Camerini Guardiani officio fungitur, præaltâ niue è Cœlo delapsâ, panis mendicari non poſſet, ipſo orante, Vir maiori panis ſacco onuſtus in Conuentus foribus apparet; qui pane Ianitori tradito, dum illi ignis extruitur, ita ex omnium oculis euaneſcit; vt neque qui ſaccum repeteret, neque vllius, qui panem tulerit, in niue veſtigia depre-

deprehenderentur. Orans verò tam Cœleſti luce perfundebatur, vt cùm in Piſaurenſi Conuentu cum cæteris communi Orationi in Choro vacaret, mulierculam aliquando Sacra Altaris Ornamenta, quæ in Sacello aſſeruabantur, clam ſurripientem in ſpiritu conſpiceret. Quamobrem Sacriſtam monet, vt oppidò ſe in Sacellum conferens, mulierem à furto abſterreat. Fr. Laurentio à Brunduſio à Capituli Generalis Patribus Pragam deſtinato: is inter alios à Patribus eligitur, vt qui plurimum virtute, ac doctrinâ pollebat, Laurentio adiunctus, Catholicam Fidem vaſtis hiſce Regionibus, hæreſi vt plurimùm infectis inferret. In Bohemiam igitur proficiſcens, Syllæ Buſignano propinquo ſuo obitum ſuum prędicit. Poſt hæc Pragam cùm appuliſſet, plurima ibi ab Hęreticis mala patientiſſimè perpeſſus, extremùm tandem ibi magnâ cum vitæ ſanctimoniâ, ac populi admiratione diem claudit Anno 1600. ipſius enim caro poſt mortem, non cęterorum mortuorum inſtar dura ac rigida; ſed ita mollis ac delicata apparuit, vt compreſſa aſſurgeret, & in priſtinum ſtatum rediret.



FRATER MARCELLVS TRIFLVMINENSIS FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. MARCELLI TRIFLVMINENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA

FRATER Marcellvs Triflvminensis, Sacerdos, pijs parentibus ortus, Ioannis Baptiſtæ nomen in Baptiſmo ſortitur: cùm autem ab ijs prima pietatis ſemina hauſiſſet, haud mirum, quod adoleſcens ætas tantam deinde virtutum ſegetem pullularet; vt quod de altero Ioanne Baptiſtâ, olim per Montana Iudęæ diuulgabatur; id quoq; Trifluminenſes de noſtro Ioanne Baptiſtâ inſolita ipſius Pietatis præludia admirantes, dicerent: *Quis putas puer iſte erit*? Etenim vix è pueritiâ emerſerat, cùm tres hebdomadæ cuiuslibet dies ieiunio conſecrat: ex quibus duos, nimirum quartam Feriam, & Sabbathum in Beatiſs. V. honorem, panis & aquæ abſtinentiâ proſequitur; Carnem cilicio domat, oculis ſomnum eripit; ac nocte conſurgens diu orationi vacat: linguam ita fræno cohibet, vt ne in otioſum quidem verbum prorumperet: Cordis puritati inuigilat: honeſtatem fouet: quemlibet quoq; feſtum diem Sacrâ Confeſſione & Communione celebrat: Quotidianum Beatiſs. V. Horarum ac Roſarij penſum deuotè exoluit: Sacro Miſſę Sacrificio pio mentis affectu quotidie adſtat: omnia demum Adoleſcentię ſtudia ita in diuinam pietatem contulerat; vt nihil illi æquè iucundum eſſet, ac de diuinis rebus proloqui, Xenodochia inuiſere, ægrotos ſolari, Eccleſias orationis gratiâ adire, Sacris Officijs intereſſe; ita vt pius Adoleſcens ad Angelicam propiùs, quàm ad humanam vitam accederet. Verùm, cum nullâ adhuc à Deo vocatione dignatus, quodnam vitę inſtitutum ſibi eligendum eſſet, ignoraret, Diuino planè conſilio accidit, vt quodam Dominico die ad S. Michaelis ædes, quę Mediolani à Monialibus incoluntur, Veſpertinas Horas auditurus, ſe conferret: quo tempore, dum in ligneam Chriſti Crucifixi ſtatuam, quæ in Eccleſię ſigno eminebat, oculos defigit, flamma ex eâ erumpere ſibi viſa, quæ cordis ipſius intima penetrans, eum ad Diuinam ſeruitutem impelleret. Quapropter cùm Dei vocationi ſibi obtemperandum ſtatueret, illud ſibi Religioſorum inſtitutum amplectendum proponit, qui difficiliorem ſibi ad Religionem aditum præſtarent. Hoc ſecum inito conſilio, cùm ad quorundam Ordinum Religioſos acceſſiſſet, illique facilè Religionis ſinum aperirent, tandem ad Capucinos accedens, ab ijs repulſam paſſus, eò ſe vocatum iudicat. Quapropter, cùm per vnius anni ſpatium precibus ac lachrymis

pulſaſſet, tandem in Nouitiorum numerum cooptatus, Marcelli appellatione cohoneſtatus fuit. Marcellus igitur decimonono ſuæ ætatis anno, Religionis gremio exceptus, B. P. N. Franciſci mores, & vitam tam egregiè aſſecutus eſt; vt cum eo altiſſimam rerum paupertatem ſibi ſponſam eligens, nullâ non modò rerum cupiditate teneretur; verùm & in ipſo rerum neceſſariarum vſu ita parcus & auarus eſſet, vt & ipſa, quibus ob vitæ neceſſitatem vtebatur, ſibi deeſſe optaret. Nouo nunquam, aut habitu, aut pallio vſus eſt: pallium enim, quod ab exordio primum accepit, poſtremum quoque illi in morte fuit, tot panni ſegminibus conſarcinatum, vt vix quicquam in eo prioris reliquum eſſet. Eiuſdem quoque ſancti Patris cùm ieiunia & abſtinentiam ſibi imitanda propoſuiſſet, aquam eius exemplo liquidis cibarijs immiſcens, ea vt plurimùm reddebat inſipida. Hoc modo neque potu ad ſatietatem, ſed ad neceſſitatem vtebatur. Tanta prætereà in eo honeſtas elucebat; vt ad nullius vnquam mulieris vultum oculos attolleret. Verba, geſtus, facies, pudor; illius tandem omnia pudicitiam redolebant; vt Virginitatis lilium, quod è Matris vtero candidum acceperat, inuiolatumque in ſæculo ſeruauerat, illibatum ac nullâ prorſus labe inquinatum vſque ad obitum ſeruauerit. Cæterùm in ipſo Probationis anno, cùm orationi ardentiùs inſiſteret in mentis aliquando exceſſum raptus, Cœleſtem quandam lucem conſpexit: cuius aſpectu ita ad omnia virtutum ſtudia accenſus fuit; vt vniuerſa corporis incommoda pro Chriſto ferre deinceps ſibi iucundum fuerit. Tantâ obedientiâ, humilitate, ſimplicitate, patientiâ, ſuiipſius contemptu, charitate, omniumque virtutum ſuppellectile animum exornauit; vt ad Religionis Tyronum regimen vocatus, illuſtrioris vitæ exemplis cœperit emicare. Integras enim tunc plerumq; noctes in oratione inſomnes ducere; ſæpe ob Diuini amoris vehementiam in ſyluâ exclamare, ac dulce IESV nomen fortiùs eructare, arbores, ſtipites, ſaxa interdum ardentiùs, quaſi dilectum amplecti, ſæpiſſimè inter orandum ſenſibus excedere, Cœleſtes è vultu ſplendores effundere, in aëra toto corpore efferri viſus eſt. Ex iugi autem Dominicæ Paſſionis meditatione ingens Diuinæ Charitatis flamma in Marcelli animum irruperat; quâ fiebat, vt tametſi omnium; in ægrotorum tamen potiſſimùm, obſequia ſe totum effunderet. Pauperum quoque, Chriſti pauperis memor, ita miſerijs afficiebatur; vt cùm iter faciens pauperculum quendam lignis onuſtum offendiſſet; eo exonerato, lignorum ſibi humeris faſciculum impoſuerit, atque in deſtinatum vſque locum

compor-

comportauerit. Plura de huius ſancti Viri exceſſibus, quos ſæpiſſimè patiebatur, certâ fide probata traduntur. Fr. Franciſcus Mediolanenſis, Sacerdos, Vir omni exceptione maior, Marcellum, dum in Eccleſiâ orat, Cœleſti luce perfuſum, altiusque in ſublime elatum ſe vidiſſe iureiurando affirmat. Fr. Ioannes Albiatenſis Nouitius, dum ad Magiſtri Marcelli Cellam, culpas Sacramento Pœnitentiæ expiaturus, accedit, eum in aëra ſublatum, & luce circumfuſum conſpectans, expaueſcit. Fr. Sabinus à Baretio, Laicus, cum ante Matutinas Horas in Aaronæ Conuentu ſe in Eccleſiam contuliſſet, Dei Seruum orantem, Eccleſiamque illius ſplendore affulgentem intuetur. Fr. Nicolaus à Terrâ-Nouâ Laicus, ſecundâ noctis horâ Eccleſiam orationis causâ petens, Chorum mirâ luce ſplendentem cernens, ſolum Virum Dei in eo orantem offendit. Fr. Iſidorus Mediolanenſis, Sacriſta, Modoëtiæ dum primâ noctis horâ Chorum ingreditur, Marcellum orantem, ac lucis radios è vultu fulgurantem ſpectans perterritus retrocedit. Cæterùm tantâ hic Dei Seruus vitæ innocentiâ præditus erat; vt qui illi à Confeſſionibus fuêre, poſt illius mortem ſe in eo voluntariam culpam, ne quidem venialem vnquam deprehendiſſe teſtati fuerint: quanquam enim pleraque vel ex naturæ imbecillitate, vel ex mentis inaduertentiâ, vel tandem ex ſubreptione & ignorantiâ vitia in animum cadere valeant, quæ ob negligentiæ periculum expiatione indigent; ea tamen eò minùs voluntaria cenſentur, quo magis ab his animus abhorret. Quanta verò in eo vitæ innocentia eſſet; auium, quæ ſæpè in horto ad eum volitabant; & cum eo domeſticè verſabantur, familiaritas confirmat. Iter aliquando faciens cùm Perdice, quæ agrum excurrebat, frui optaret; ea protinus ad eum volitans inter manus incubat; neque ab eo, donec eam dimitteret, recedit. Eodem modo cum Coturnice colludit. Rurſùs, cùm Modoëtiæ res diuinas Nouitijs explicat, auis diſcolor, & pulcherrima cunctis ſpectantibus, inter illius manus aduolans, mirâ cum eo familiaritate verſabatur: quæ tandem ab eo dimiſſa, cùm in proximam arborem euolaſſet, dulces ibi modulos effingit, Cœleſtique volupta. te audientium animos inebriat. Tam præclara erant Diuinæ beneuolentiæ ſigna, quibus D. O. M. Seruum ſuum proſequebatur; vt iam nemo de illius vitæ ſanctimoniâ dubitaret. Mediolani cùm aliquando oraret, ardentiori in Deum Charitate flagrans ſignum aliquod ab eo poſtulat, quo ſe ipſius gratiâ, ac beneuolentiâ donatum agnoſcat; ſignumque mox cœcitatis accipit.

 Verùm

Verùm cum eâ à ſacro Miſſæ ſacrificio præpediri ſe cerneret, Diuinam rurſus Clementiam pro oculorum illuminatione exorans, iterum oculorum lumen recipit. Cùm aliquando Modoetiæ in Conuentu oleum in vrnâ defeciſſet, precesq; Marcellus pro oleo Domino offerret; eadem nocte B. P. N. Franciſcus Ioanni Stephano Littæ, Nobili Viro in ſomnis apparens, eidem, oleo Capucinos indigere, indicat; qui è ſomno euigilans cum ſomnium paruifaceret, iterum obdormiuit. Rurſus verò, cùm B.P.Franciſcus dormientem admoneret, vt oleum Capucinis Fratribus prouideat, Ioannes Stephanus iteratâ hac B. P. Franciſci voce permotus, primo diluculo famulum ad Conuentum deſtinat, num Fratres oleo indigeant exploraturum. Cui Marcellus, B.P.N. Franciſci apparitionem edoctus: Hæc Domino tuo (inquit) renuncia: opportunè illum à B. P. N. Franciſco olei admonitum, quando ſumma illius apud nos penuria viget. Id ille cùm primum accepit, non eo tantùm tempore, ſed & perpetuò, quoad vixit, Familiæ oleum miniſtrauit. Sed quoniam hi quibus liberalis Deus vberiùs dona ſua largitur, tentationibus haud rarò pulſari ſolent, vt ijs humiliores fiant; Marcello quædam ridendi tentatio à vanitatis ſpiritu profecta data fuit. Id verò cùm primùm ille ex occulto Dei iudicio pendere animaduertit; ne riſus in aliorum ſcandalum, aut Diuini honoris iacturam redundaret, à Domino impetrat; vt dum vel in Choro Diuinas laudes decantat, vel in Refectorio Sacræ lectionis auditioni incumbit, ab eâ riſus tentatione liber eſſet. Inter aliâs porrò huius ſancti Viri viſiones, quibus à Deo cohoneſtatus fuit, ea potiſſimùm refertur; in quâ illum aliquando in Eccleſiâ orantem Chriſtus Dominus clariſſimâ luce perfuſus, his verbis alloquitur: Marcelle, vt cœpiſti, perge: quæ agis, age; opus perfice: certa viriliter, apud me Electorum præmia conſecuturus. Pleraqúe alia à Deo Marcellus dona acceperat, quæ mirificè ipſius apud homines ſanctimoniam commendabant. In his Prophetici ſpiritus, & miraculorum chariſmata fuêre, quibus ita præcelluit, vt inde magna tum apud Fratres, tum apud ſæculares homines de eo fama percrebreſceret. Nouitiorum tum cogitationes tum tentationes, quamdiù eorum curam geſſit, tam illi diuinitus manifeſtæ erant; vt nihil in eorum animis, quod ipſum lateret, agi videretur. Inter alios Nouitius quidam Galdinus nomine, ſub ſpecie recti à Dæmone tentatus, ſecum animo decreuerat vniuerſa coquinæ vaſa confringere; quò à fratribus âmens, & furioſus crederetur: hoc enim pacto ſe, iuxta Apoſtoli conſilium, propter Chriſtum ſtultum

ab

ab hominibus habendum, ac propriæ exiſtimationis vitium faciliùs extinguendum ſibi perſuadebat. Hac animi deliberatione, quam hactenus nemini communicauerat, cùm à commmuni oratione erumpens, in coquinam vaſa perfracturus pergeret; Marcellus, qui iam Nouitij conſilium, ac diabolicam technam diuinitùs rimatus fuerat, oratione intermiſsâ eundem proſequitur: quem in Coquinæ limine deprehendit; integram tentationem aperit, atque ab eâ liberum reddit. Nobili cuidam, qui canum venaticorum multitudinem alebat; qui agros diſcurrentes vineta deuaſtabant, nec ſæpiùs à Viro Dei admonitus acquieſcebat; tandem iram Dei vehementius comminatus, vix octauo poſt hæc die agros ſuos, & vineta, circumſtantibus cæterorum agris prorſus immunibus, ſæuâ tempeſtate depaſta, ac penitùs deuaſtata cernit. Pleraque alia his addi poſſent, quæ is futura prænunciauit, ipſo rerum exitu veritatem conteſtante, quæ breuitatis gratia prætergo. Ad miracula venio. Margaritæ Antonij Centinelli Viri Dei germani Vxori ad mortem vſque ægrotanti, cùm eam cibis in nomine Domini Ieſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, ac B. P. N. Franciſci veſci coëgiſſet, ſimul vitam, & incolumitatem pollicetur: illa verò cùm paululùm obdormiſſet, poſt ſomnum à morbo libera ac valens conſurgit. E Conuentu Meratenſi Marcellus aliquando digreſſus, in pauperculum vlceribus plenum in viâ iacentem incidit; cuius aſpectu permotus in humeros ſublatum illum in Monaſterium tulit: vbi igne extructo, balneoque ex odoratis herbis compoſito, Nouitijs aquam, ac munda linteola miniſtrantibus, is languidum à plantâ pedis vſque ad verticem ſuis manibus lauat, abſtergit, in lecto collocat, & ſollicitam illius curam agit: Languidus verò poſt alterum diem, vlceribus Diuinâ potiùs quàm humanâ virtute curatis valens & incolumis è Monaſterio abſcedit. Modoëtiæ, tam horribiles aliquando in Cœlo nubium congreſſus, ac ſpurciſſima tempeſtas terris imminens conſpiciebatur; vt ſummum omnibus pauorem incuteret: quo tempore Marcellus Ioanne Albiatenſi Nouitio ſecum aſſumpto in hortum procedit: vbi poſitis genibus cùm Deum aliquantiſper oráſſet; nubes quædam rubens ac ignea à cæteris auulſa, fulguris inſtar, in eum dilabitur: quæ cùm Viro Dei proxima eſſet, in aëre conſiſtens, horribilem illi aſpectum præſeferebat. At Dei Seruus, nequaquam perterritus in eam ter ſignum Crucis vibrat; quæ velociſſimo curſu ad cæteras nubes rediens, tam ingentem in eis motum concitat, vt cùm tertio eas Crucis

ſigno appetijſſet, nubes vndiquaque diſſolutæ ſerenum Cœlum præſtiterint. Poſt hæc, cùm Vir Dei Luganenſem Lacum piſcatoris ſcaphâ traijceret, quendam honeſtæ magnitudinis piſcem à piſcatore obtinet, quem manibus apprehenſum iterum in lacum demergit, qui eam ſuo liberatori gratitudinem oſtendit, vt in omnium oculis aquis ſupernatans, ſcapham nunquam deſeruerit; donec Vir Dei ſcapham egreſſus eundem ſigno Crucis benediceret: quo accepto altis ſeſe condidit vndis. His &alijs pleriſq; beneuolentię ſignis Vir Dei à Deo accumulatus, cùm vigeſimum nonum in Religione; ætatis verò quadrageſimum octauum annum attigiſſet, ad vltimam vitæ lineam properans, pleriſque obitum ſuum longè antequam contingeret, prænunciat. Quo tempore verò is Cœnobium profectus, Diuinas aliquando laudes in agro multis præſentibus perſoluit, cùm auis quædam volitans in proximâ arbore conſediſſet, is ad propinquos conuerſus: An non, inquit, auiculam hanc cernitis? Hæc quoque Deum pro modulo ſuo laudat. Moxque auiculæ præcipit, vt ſuo cantu diuinam Maieſtatem celebret: quæ cùm ſuperioribus arboris ramis inſideret, ad inferiores deſcendens ſuauem protinus cantum inſtituit; quo audientes ſummâ tum pietate, tum admiratione afficit. Cardanum igitur profectus, cùm in morbum, quem ſibi ſupremum fore intellexerat, incidiſſet, omnibus Eccleſiæ Sacramentis, munitus, omni ſtudio ſe ad Domini aduentum parat. Pridie verò quàm è vitâ excederet, Guardianus vniuerſos ad eum Nouitios adductos, vt ſuâ benedictione fruantur, poſtulat: qui cùm ſingulos pro cuiuſque exigentiâ, peculiaribus monitis, ac benedictione proſecutus fuiſſet; vnum duntaxat excipit, quem abſque benedictione ac monitis præterijt. Is autem à Religione paulò poſt excedens, cùm ſe turpi vitæ dediſſet, à riualibus miſerè trucidatur. Marcellus igitur vitæ curſu magnâ cum ſanctimoniæ laude confecto, Cardani tandem Anno 1601. 21. Decembris diem extremum claudit; quem poſt obitum pleriſque ſignis Deus illuſtrem eſſe voluit: Annam etenim Petri Pauli Barbauaræ vxorem, à diuturnâ ægritudine ſuis meritis liberat. Hæc ipſa Anna, poſthæc cùm filiam altero crure breuiore, & maiori ex parte deformem genuiſſet, cùm primùm ad ſancti Viri merita confugit, votumque emiſit; res planè mira: fœtus, qui breuiſſimus erat, in iuſtam ſe longitudinem ac magnitudinem extendit; breuior tibia producitur, omniſque à filiâ deformitas tollitur. Thomas Barbauaria ſanguinis vomitu laborans, cùm nullo remedio curari potuiſſet, voto ad Marcellum

emiſſo,ac ſacro Agno cereo, qui ipſius olim fuerat, ſibi ad Collum appenſo,breui tempore perfectam curationem aſſequitur. Eodem quoque cereo Agno,Maria Angela,Thomæ Soror.Diabolico faſcino alligata; Franciſcus Antonius vtriuſque Germanus, tertianâ febre afflictatus;& Ruffeninus de Romanis, veneficio deuinctus ſibi adhibito liberantur. Poſtremò Matthæus Barbauaria Thomæ. Mariæ Angelæ, & Franciſci Antonij Pater, cùm equum ita ferocientem haberet,vt nullo fræno,aut arte domari poſſet; eodem Marcelli Agno Sacro mox ita edomitus fuit, vt ſe deinceps omnibus tractabilem præberet.





FRATER FRANCISCVS NOVARIENSIS FRATRVM CAPVCINORVM SACERDOS.

Fr. FRANCISCI NOVARIENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS NOVARIENSIS, Vir virtute ac miraculis clarus. Huius Viri vita tam perfectè vitijs, & omnibus ſenſus atque animi cupiditatibus mortua fuit; vt inter mortuos viuens, quorum ea vox eſt: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*; Gal. 2. rectè connumerari poſſet. Is enim ab omnibus carnis, & ſenſuum oblectamentis ita abhorruit; vt perpetuâ guſtus ſenſum abſtinentiâ, viſum oculorum demiſſione, auditum familiaritatum omnium fugâ, & ſolitudine coërcuerit; carnem crebris verberibus, corpus ſomni, & neceſſariorum multorum detractione; demum quicquid carnem ſapere videretur, acerbè vſque ad mortem proſecutus fuerit. Quod ſi inſanas animi cupiditates ſpectes, ſuperbiam omnem humillimâ ſuiipſius tùm exiſtimatione, tùm abiectione expulerat. Proprios animi motus, ac voluntatis electiones, Obedientiæ virtute perfectè contriuerat. Vniuerſos incontinentiæ appetitus acutâ honeſtatis ac pudicitiæ falce obtruncauerat. Rerum abundantiam adeò exhorruit, vt vix neceſſaria, eaque parciùs ſibi indulgeret; ita vt de eo Apoſtolicum illum pronunciari poſſet: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum Chriſto in gloriâ.* Coloſſ. 3. 3. & 4. Inde fiebat, quod cum Deo etiam tam aſſiduè orando conuerſaretur; vt nullum illi præter illud, quod ſomnus, licet breuis eidem ſubripiebat, vacuum ab oratione tempus eſſet. Sacroſancta Corporis, & Sanguinis Domini Myſteria tam ardenti Charitatis ſpiritu offerre conſueuerat; vt non ſemel inter ipſius manus, dum ſacram Hoſtiam attollit, Chriſtus Dominus ſub Infantuli formâ viſus fuerit. Hic ſuam poſt aliquod tempus in Nouitiorum curam & educationem operam contulit: quo in munere mira illius Charitas, prudentia, & vitæ ſanctimonia enituit. Poſtremò cum Auguſtæ Taurinorum in Conuentu S. Mariæ ad Agros Guardiani Officio fungeretur, vitæ auſteritatibus exeſus, & virtutibus obeſus cum his & vitæ finem accepit. At verò, cuius hactenus in Deo abſcondita vita fuerat, cùm primùm Chriſtus illius vita

apparuit; ſimul & cum eo Franciſci gloria ſignis & miraculis manifeſtata fuit. Etenim decimusquintus iam à Franciſci obitu menſis effluxerat, cùm Angelicæ, Ariani Comitiſſæ filiæ precibus lapideum ſepulchri operculum apertum fuiſſet; primumque Franciſci corpus integrum, atque incorruptum ſe illis ſpectandum exhibuiſſet, ex eo tam ſuauis odor diffundebatur, vt moſchi paſtilli, nec vlla ſuauiſſimi odoris thymiamata illi comparari poſſent; ea res cum Ducis, Principumque animos haud leuiter commouiſſet, ad Franciſci ſepulchrum conuolant, corpus explorant, ſolidas, candidasque illius carnes pertractant; barbam, capilloſque cuti tenaciter hærentes offendunt; Mutatoria femoralia, quæ à lumbis pendebant, alba atque integra, qualia poſt obitum illi conſtricta fuerant, ſpectant; corpus in pedes erectum ita per ſe ſtare conſpiciunt, vt nullo fulciente indigeat. Demùm in eo ita integra, atque incorrupta omnia ſummâ cum admiratione cernunt, perinde ac ſi corpus pridie tumulatum fuiſſet. Quod Paſchaſio Medico, qui eò à Duce miſſus fuerat, tam præter omnem naturæ ordinem accidiſſe viſum fuit; vt illud abſque vllâ dubitatione Dei miraculum aſſeruerit. Hinc huius rei famâ per Vrbem Taurinenſem diffusâ, plurima vtriuſque ſexus multitudo ad ſepulchrum confluere, ac corpus venerari: plerique etiam varijs languoribus preſſi, Franciſci nomen & merita inuocare, optatâque incolumitate frui: ſpiritus nefarij in obſeſſis corporibus cruciari, & cruciatus clamoribus atque eiulatibus indicare viſi: quodque perrarum eſt Cœleſtis gratiæ teſtimonium; quamplurimi ad Franciſci ſepulchrum accedentes tantâ ſcelerum ſuorum pœnitudine mouebantur, vt profuſis lachrymis à Deo veniam peterent, ac in meliorem frugem vitam commutarent. Id præſertim Michaëli cuidam Perinoto contigit; qui cùm nullis vnquam amicorum, aut Religioſorum hortationibus adduci potuiſſet, vt ſimultatem, quam cum inimico gerebat, deponeret; ad Franciſci ſepulchrum accedens, ita animo mutatus eſt, vt depoſitis odijs protinùs pacem cum eo componeret. Cæterùm inter eos, qui Franciſci ſuffragia implorantes ipſius è Cœlo opem tulêre, primus eſt Paſchaſius Medicus, cuius ſuperius memini: qui cùm in grauem febrem incidiſſet, quâ paulatim ad vitæ occaſum rapiebatur; Franciſci in graui illo vitæ diſcrimine opem implorans, en noctu vigilanti Franciſcus è Cœlo clariſſimâ luce perfuſus apparet: qui poſt aliqua conſolationis verba: Ne timeas (inquit) Paſchaſi: ex hac citò ægritudine conualeſces. His cùm ille dictis abſceſſiſſet, ægrotus inde conualeſcere cœpit;

perfectamque poſt aliquot dies incolumitatem aſſequitur. Vir quidam Nouocomenſis, Tribûnus militum, qui podagræ dolore cruciabatur; quo tempore cùm Fratres capſulam, in quâ Franciſci corpus ſeorſim condere decreuerant, componere ſtatuiſſent, ab eo tabulas poſtulant: qui eas non modò promptiſſimè erogat; verùm & Franciſci ipſius opem, quâ ab acerbo illo podagræ dolore ſubleuetur, è Cœlo ſibi efflagitat. Vix ex illius ore vox eruperat, cùm ſe repentè à dolore liberum ſentiens, equum hoc ipſo tempore conſcedit; & ad Franciſci ſepulchrum conuolans ſuo liberatori gratias agit. At quandoquidem nonnihil tumoris in pede relictum fuerat, cùm aperto ſepulchro is nudo pede Franciſci pedem contigiſſet, mox tumor euanuit, ac perfectâ deinceps incolumitate potitus fuit. Idem poſthæc, cùm tam graui brachij dolore correptus eſſet, vt eo minimè vti poſſet, Franciſci merita implorans perſanatur. Claudia à Seroſenaſco, Nobilis mulier, grauiſſimis doloribus cruciata, ſimul atque ad Franciſci ſuffragia confugit, ab ijs ſtatim incolumis euaſit. Franca Fœlix Taurinenſis, grauiſſimo brachij morbo laborans: Alia quoque Illuſtris fœmina, Fiani Comitis Soror, carcinomate, quod illi penè brachium abſumpſerat, ſauciata: Altera mulier, in Padi ſuburbio diuturno ſtomachi dolore languens: Ioannes Baptiſta Caſſola, ex oppido villæ Franchæ Aſtenſis, continuâ febre laborans: Idemq; rurſus graui dolore oppreſſus: Salitor Taurinenſis podagræ dolore afflictatus, voto ad Franciſcum emiſſo, ſtatim curantur. Vir quidam Ripolenſis repentino dolore correptus, ad Viri Dei ſepulchrum reptans, ibique ſancti Viri opem implorans, ab eo liberatur. Euſtachius Iauenus extremo cum morte agone conflictabatur; quo tempore voto ad Virum Dei ab vxore emiſſo, vitam aſſequitur. Nobilis quoque mulier Taurinenſis, cùm pleuritide, & febre continuâ periculosè laboraret, & ad ſancti huius Viri auxilium confugeret, incolumitate adeptâ à necis periculo liberatur. Huius Soror Blaca Maria nomine, Franciſci ſe interceſſioni commendans, à graui corporis dolore liberationem aſſequitur. Olympiæ Canelli Marchioniſſæ filius erat ita faſcino alligatus, vt cute vix oſſibus inhærente totus aruiſſe videretur. Hunc cùm illa Viro Dei deuouiſſet, mox incolumitatem recepit. Alphonſus Comes Neuillienſis criminis accuſatus, cùm funis torturæ ſecundò ſubijciendus eſſet, Franciſci ope imploratâ, atque illius Habitus particulâ ſibi inter tibialia collocatâ, ita ab omni cruciatu immunis fuit, vt nec dolorem ſenſerit.

Fr. Alexander à Cherio, & Conſtantinus à Monte Regali, ex noſtris Sacerdotes, ille laterum dolore affectus, hic febricitans, cùm ſancti Viri præſidium inuocaſſent, vterque optatâ ſoſpitate fruitur. Præter hæc plurima alia huius ſancti Viri interceſſione Miracula patrata fuêre, quæ cùm certiorem fidem exigant, ab his conſultò abſtineo; ne, quæ minus probata ſunt, probatiſſimorum fidem diminuant. Obijt Vir Sanctus Anno 1603.

Fr. ZACHARIÆ MEDIOLANENSIS, GVARDIANI VITA, ET GESTA.

FRATER ZACHARIAS MEDIOLANENSIS, Sacerdos, Vir ſimplex, rectus, & ad Miraculum pius, cùm eximium Religioſæ vocationis donum, quod à D.O.M. acceperat, tam ſedulò in animo verſaret, vt cum Bernardo ſeipſum interrogans, ſæpe diceret: Zacharia, ad quid veniſti? Ne minimam quidem temporis particulam abſque oratione, aut pio opere ſibi elabi patiebatur; ſeque ad communem cæterorum vitam componebat, vt his omnibus virtutibus precelleret, quæ communem vitam perfectam redderent. Mirum ſanè, quantâ in pauperes charitate ferueret; quos ſæpe ſubtractis ſibi cibarijs ſubleuabat. Nec minori in ægrotos Charitatis æſtu ferebatur; quibus vilia quæque miniſteria tantâ voluptate exhibere ſolitus erat, vt ab ijs nonniſi ægrè recederet. Mirum etiam, quàm ad Dei laudes in Choro diu noctuque perſoluendas aſſiduus; quamque tum communis, tum priuatæ Orationis ſtudioſus eſſet. Mirum denique, quàm ſe totius Regularis diſciplinæ, Regulæ ac Conſtitutionum obſeruantiſſimum preberet: quibus eum ſanctitatis gradum apud Deum conſecutus eſt, vt nonnulla per eum Deus miracula patrauerit: Nam in Conuentu Verani Anno 1596. cùm Fr. Seraphinus Mediolanenſis Sacerdos continuâ febri laboraret, optabat is Beatiſs. Virginis Natiuitatis diem, qui proximus erat, ſoſpes cum ceteris celebrare, Deoque eâ in ſolemnitate Miſſę ſacrificium offerre: quod cùm Zacharię, qui tunc ſuperior erat, aperuiſſet, ab eo Crucis ſignum, quo febris abſcedat, ſibi exhiberi poſtulat. Annuit ille, ſignum adhibet; atque eodem tempore effugata febris Seraphinum incolumem relinquit: qui hac ipsâ die cum ceteris

ad Dei laudes perſonandas conuenit. Præclarum quoque aliud accedat: Cum enim in Oppido Romanico Mediolanenſis Diœceſis Nobilis quædam Mulier ægrotaret, eò Zacharias ſe conferens, dum ægrotantem pijs verbis conſolatur; accidit, vt alterâ pallij extremitate, vitream ampullam, in quâ ægrotantis vrina vſque ad Medici aduentum aſſeruabatur, contingens, ad caſum impulerit: quâ perfractâ lotium ſtatim humi effuſum. Rem mox Zacharias, non tam ob ampullæ confractionem, quàm propter lotij effuſionem, quæ in ægrotantis damnum vergebat, ægrè ferre: quare breui ad Deum, qui ſolus damnum inſtaurare poterat, oratione confugiens, diſperſa ampullæ fragmenta colligit, ac in mensâ ſtatuit: quæ mox ita Diuinâ virtute ſimul coaluêre; vt ampullâ inſtauratâ in eâ & lotium clarum, nullâque ex parte corruptum inſtar prioris effuſi, conſpectum fuerit. Itaque cùm plurimos magnâ cùm vitæ innocentiâ, tùm perfectâ Regulæ obſeruantiâ annos in Religione conſumpſiſſet; Mediolani in Conuentu S. Victoris extremum Deo ſpiritum reddit, præclarâ ſuarum virtutum apud omnes, tum Fratres, tum etiam Sæculares homines memoriâ relictâ. Obijt Vir Dei Anno 1605.



FRATER HILARION VIBONENSIS FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

11

Fr. HILARIONIS VIBONENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER HILARION VIBONENSIS, Sacerdos, Vir omnium virtutum ſplendore illuſtris, ex carnali ad ſpirituale à Deo Religionis connubium vocatus, cùm mortuâ coniuge, ex quâ filium Coſmum nomine, ſuſceperat, ſeſe Capucinorum Religioni ſpirituali & indiſſolubili votorum vinculo copulâſſet; mox ab eo tanta vitæ auſteritas, quæ prioris vitæ delicias elideret, tamque aſperæ carnis macerationes exoriri viſæ, vt nulla abſtinentiæ ieiunijs, cilicijs, flagellationibus, vigilijs, quibus domeſticum hoſtem ſibi ſubderet, atque ad ſpiritus ſeruitutem compelleret, meta illi pręfixa videretur. Ex his tam pręclara in animo virtutum ſoboles procreari cœpit, vt nemo eo humilior eſſet, nemo obedientior, nemo pauperior, honeſtior nemo. Vitæ innocentiâ, mentis puritate, ſimplicitate, patientiâ, Charitate tum in pauperes, tum in ægrotos ita præcelluit, tamque ſingulari ſpiritus prudentiâ exornatus fuit, vt ſæpè Guardiani, ac Magiſtri Nouitiorum munere magnâ cum prudentiæ laude perfunctus fuerit. Summum verò illi orationis ſtudium fuit; in eâ tam aſſiduè diù noctuque verſabatur, vt vix ab eâ diuelli poſſe videretur. Ex aſſiduâ vulnerum Domini memoriâ, tam perennem ſibi lachrymarum fontem comparauerat; vt oculis illi ex fletu caligantibus, (quod olim B P. N. Franciſco accidiſſe hiſtoriâ compertum eſt) eorum fermè lumine careret: At ille corporeorum luminum iacturam paruipendens; quin etiam lucrum reputans, ea in Domini obſequium profudiſſe exultabat: Id verò tantùm lugere videbatur, quod ſacra Altaris Myſteria, ad quæ maximâ religione ferebatur, iam peragere non valeret. Quapropter ad Sacræ Deiparæ, quam præcipuâ veneratione proſequebatur, Patrocinium confugiens, id ipſius ſuffragio aſſequitur; vt eo tempore duntaxat, quo ſacris Myſterijs vacaret, claro oculorum lumine frueretur. Res planè admiranda erat, eum, qui nec homines, nec ipſos Eccleſiæ parietes diſcernere poterat, cùm primùm ad Altare accederet, tam perſpicuè literarum apices diſtinguere; ac

vniuerſa, quæ ad Miſſæ ſacrificium ſpectabant, intueri; vt ne quidem perſpicilijs ad videndum indigeret: mox verò, vt ſacra peregerat, oculos caligare, & ad priores tenebras redire. Denique tantus in hoc Viro virtutum ſplendor, ac morum ſanctimonia elucebat; vt quiſquis in eum vel oculos intenderet, vel eius colloquio frueretur, ab eo quendam ſanctitatis odorem efflari animaduerteret: quo fiebat, vt non modò apud Sæculares homines; ſed & apud Fratres magnam ſibi ſanctimoniæ famam compararet. Cœleſti igitur Prophetici ſpiritus, ac Miraculorum dono illuſtris, Viboni cùm Nobilis quidam Iuuenis eiuſdem Vrbis in eâ factiones aleret, inde ad tempus exulare iuſſus, dum in Conuentus noſtri areâ extra Vrbem cum alijs confabulabatur, Hilarion fores egreſſus, vt ad eum peruenit, his illum verbis affatur: Heu miſerande Iuuenis, ſi quæ te fata, manent, agnoſceres, haud profectò inter odia & ſimultates vitam duceres. Ludit nunc tecum iuuentus, colludunt amici, ridet incolumitas: At heu! quàm breues luſus, quamque fallax riſus, qui vix quindenum prouehetur in diem! Placeat tibi, amice, conſilium meum; odia deponito, ſimultates pellito, animum à ſceleribus quamprimum expiato; etſi quæ pro domus tuæ familiâ tibi diſponenda ſunt, curato; vt te dies illa imparatum non offendat. Ridere primùm ille dicto, mox horrere. Cumque ita nota Viri ſanctitas hæc haud fruſtrà ab eo illi dicta eſſe perſuaderet, conſilio acquieſcit; rebusque cum Deo, ac hominibus compoſitis, die ipsâ quintadecimâ, cunctis, qui id à ſancto Viro prædictum nouerant, admirantibus, vitam cum morte commutat. Poſthæc, cùm Hilarion in Angelicum Panormitanum Prouincialem Vicarium, qui Licatam proficiſcebatur, incidiſſet, eundem his verbis compellat: Quò properas, Pater? Licatamne? An non ſatiùs eſt, vt in Cœlum feſtines? Licatam quidem pertinges: at ibi viſitationis, ac mortalis vitæ curſu peracto, laborum finem capies. Vix Angelicus Licatam appulit, cùm in morbum incidit; quo tandem conſumptus, iuxta Hilarionis dictum, vitæ ac laborum finem accepit. Cæterùm, quo tempore Angelico vitæ occaſum prædicit, etiam Ioanni Mariæ à Caſtro veterano futuram Prouincialatus Dignitatem, quam poſt Angelici exceſſum aſſecuturus erat, & obitum inexpleto triennij munere præſignificat; vtrumque rei euentu conteſtante. Plurimis igitur ad extremum vſque ſenium annis in ſanctitate & iuſtitiâ in Religione peractis, Viboni dum noctu ad Matutinas Horas

proficiſcitur, è gradibus delapſus in morbum incidit; atque eodem tempore Coſmus ipſius filius ægrotare cœpit. Vtriuſque morbo ingraueſcente, cùm fratres Coſmi ægritudinem ſeni ægrotanti, ne morbo moleſtiam adderent, renunciare formidarent; paucis, antequam Hilarion è viuis excederet, diebus, Coſmus vitæ curſu abſoluto, Patri apparet, benedictionem poſcit, manus exoſculatur, immenſasque illi ob adeptam ipſius causâ à Deo ſalutem gratias refert. Hilarion verò, actis pro æternâ filij ſalute Deo gratijs, poſt vnam aut alteram diem, magnâ cum pietatis ac ſanctimoniæ laude vitæ curſum abſoluit. Poſt Hilarionis obitum, perſoluto, iuxta antiquum Religionis vſum, defuncto corpori lauacro, Ioannes à Calatanixceâ Laicus, qui grauiſſimo capitis languore diuexatus fuerat, vittam, quâ defuncti mentum alligatum fuerat, ſoluens eâ ſibi caput præcingit: quo facto, tam repentè ac perfectè à capitis morbo conualuit, vt eo deinceps nunquam conflictatus fuerit. Porrò hac vittâ, quæ nunc Panormi aſſeruatur, plurima circa ægros, ac præſertim vertigine oppreſſos, miracula patrari communi voce euulgatur. Huius ſancti Viri corpus etiamnum in Eccleſiâ expoſitum erat, cùm Antonia Scidita, Mulier Nobilis Vrbonenſis, quæ ita alterius cruris morbo laborabat, vt incedere minimè valeret, defuncti manu crus contingens, tam integrâ mox cruris incolumitate potitur, vt in perfectæ curationis teſtimonium pedeſter domum redire voluerit. Hac ipſa Antonia, cùm nonnulla Corollæ grana, quibus Vir Sanctus Virginem Deiparam venerari conſueuerat, à Fratribus accepiſſet; ijs tum ſtomacho, tum dentibus, quorum dolore grauiſſimè cruciabatur, admotis, mox liberationem aſſequitur. Ijſdem cùm prægnantem mulierem, quæ partus doloribus torquebatur, contigiſſet, ſtatim illam ad fœtum prouocans à cruciatu liberat. Ioannes Baptiſta Franchinus Vrbonenſis, & altera eiuſdem Vrbis mulier, qui renum dolore dirè prægrauari conſueuerant, cùm ſepulchri lapidem, vbi Hilarionis corpus conditum fuerat, renibus attigiſſent, confeſtim à dolore perſanantur. Antonini cuiuſdam Vxor, quę morbo inſanabili detinebatur, Hilarionis cingulo canabaceo ſibi collo impoſito, ab eo hoc tempore curatur. Alter quoque eiuſdem Vrbis ægrotus, cùm ad B. Viri ſepulchrum acceſſiſſet, ab eo incolumis redit. Quidam eiuſdem Vrbis Adoleſcens, qui calculorum morbo grauiter laborabat, vbi ad ſancti Viri ſepulchrum acceſſit, breui ſopore correptus, inde à morbo liber exurgit. Poſtremò, tot Miraculorum famâ per Vrbem diuulgatâ, tam communi Vrbonenſes in ſanctum

Virum

Virum veneratione ferebantur, vt qui tertianâ, quartanâ & continuâ febri laborarent, paſſim ad illius ſepulchrum orantes ab his curationem aſſequerentur. Obijt Vir Sanctus Anno 1605.

Fr. ANTONII MARIÆ ASTENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS MARIA ASTENSIS, Sacerdos, Genuenſem Prouinciam admirabili virtutum ſplendore exornat. Hic ab adoleſcentiâ iugo Domini aſſuetus Minorum Conuentualium militiæ primùm nomina dedit: in quâ cùm ad duodecimum vſque annum magnâ cum vitæ innocentiâ, quam antea amplexatus fuerat, ac indiuiduam ſibi comitem adſciuerat; nouâ virtutum prole ita accumulauit, vt humilitate, obedientiâ, morum honeſtate, paupertatis zelo, modeſtiâ, manſuetudine, patientiâ, charitate, oratione, totius Euangelicæ perfectiônis apicem conſcendiſſe videretur. Quamobrem ad Nouitiorum educationem euocatus, pleroſque Euangelicos Viros, perfectos Regulæ cultores Genuenſi Prouinciæ peperit. Orationis tam aſſiduus cultor fuit, vt cùm Niciæ Guardiani munus obiret, orantem in Choro aliquando Marcus Antonius Textor quidam Ordinis familiaris Chorum ingreſſus, à ſenſibus alienatum, ac duobus cubitis altius ab ſolo in aëra ſubuectum conſpexerit. Eius verò Orationis quanta vis fuerit, nonnullis Deus miraculis teſtatum voluit. Vultrij Antonius Maria aliquando morabatur; quo tempore Lauiniæ Hieronymi Cani vxori fœtum in vtero geſtanti, maſculum parituram prędicit. Poſt hæc infans vix nonum menſem attigerat, cùm graui herniâ laborare cœpit; quem cum Ioannes Maria Crucis ſigno benedixiſſet, is poſtridie ab herniâ liber perfectâ incolumitate potitur. Cùm Genuæ in Monaſterio S. Barnabæ, Nouitiorum curæ incumberet, Viri cuiuſdam Ordinis familiaris filius, ita veſicæ morbo laborabat, vt lotium effundere non valeret: pro quo cùm Ioannes Maria in oratione procumberet; necdum preces abſoluerat, cùm veſicæ vlcere perſanato à puero lotium liberè effunditur. Geminæ Viro Dei in Aſtenſi vrbe Sorores erant; quæ fratris aliquando prǫſentiam nactæ, aquæ venam ſibi in puteo aruiſſe ſecum conqueruntur. At Vir Sanctus ſubridens:

Quàm

Quàm parua (inquit) res vos ſollicitas reddit? vbinam puteus eſt? Mox ad puteum ductus, cùm ſuper os putei manu Crucis ſignum extendiſſet, tàm copioſè protinus aqua in eo ſcatere viſa, vt cæteris puteis arentibus, is aquâ deinceps nullo vnquam tempore caruerit. Is denique cùm plurimos in Religione annos, magnâ cum Regularis obſeruantiæ, ac ſanctimoniæ laude peregiſſet, in Aſtenſi Conuentu in morbum incidit; eximijſque admirabilis patientiæ exemplis clarus Anno 1605. extremum vitæ curſum ſimul cum virtute confecit. Huius ſancti Viri corpus cum cæteris in communi ſepulchro conditum, poſt 22. menſem tam integrum & incorruptum, nulloque tetro odore perfuſum conſpicitur, perinde ac ſi eâ die humatum fuiſſet. Poſt huius ſancti Viri obitum, cùm nonnulla IESV nomina; quæ ab eo adhuc ſuperſtite, chartulis impreſſa fuerant, in oppido ſancti Romuli apud ligures, nonnullis ægrotis, ac binis præſertim, quorum ſalus deſperata erat, impoſita fuiſſent, horum virtute incolumitatem aſſecuti fuêre. Coſtulæ quoque ipſius particula tam ſuaui erat odore fragrans, vt inde facilè quiſque colligere valeret, ſuauiori ipſius animam apud Deum gloriæ odore fragrare.

Fr. AVGVSTINI GENVENSIS, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER AVGVSTINVS GENVENSIS, Prædicator, inter priſcos illos huius Prouinciæ Fratres connumeratur; qui in eius exordio pleraque ab hominibus adhuc Capucinorum ignaris incommoda paſſi, ſuâ patientiâ & virtute Genuenſem Prouinciam maximè illnſtrarunt. Hic in Religionis Hortulo omni virtutum genere flotens, cùm necdum Sacerdotio inunctus, in ſancti Barnabæ Conuentu in febrem incidiſſet; nocte quâdam germanum Fratrem, quem in ſæculo reliquerat, vix adoleſcentiæ annos attingentem, lucidâ nube ſeptum conſpicit; qui his eum verbis affatur: Auguſtine Frater, ecce ad Cœleſtem gloriam conſcendo. Porrò Auguſtinus illum aſcendentem cernens, mox exclamare cœpit; Expecta, Frater, expecta. Eâ quippe innocentiâ ac animi puritate prȩcellebat, vt iam ab eo tempore Cœleſtibus ſe viſionibus aptum præberet. Poſt hæc ad Sacerdotium aſſumptus, cùm in

Taurinenſi Conuentu Guardiani officio fungeretur, Vrbe eo tempore à Gallis occupatâ; ex his plerique hæreſi infecti, quibus Capucinorum nomen odioſum erat, noctu in Conuentum irruere, ac Fratres trucidare inter ſe condicunt. Eorum conſilio Guardiano à quodam familiari patefacto, Auguſtinus re cum Familiâ communicatâ, cuncti animas expiant, Matutinas Horas perſoluunt, orationi incumbunt; atque ad Martyrium parati, Hæreticos trucidatores conſtanter expectant. Quo tempore lux quædam Cœleſtis per Eccleſiæ oculum refulgens, Eccleſiam, vbi Fratres orabant, ingenti lumine colluſtrat; atque hoc ipſo tempore Hæreticorum agmen, quod ad Eccleſiæ fores acceſſerat, eo ita perterritum fuit; vt catapultis, cæteriſque armis abiectis in fugam ſe dederit, manéque eorum arma per agros paſſim diſperſa viſa fuerint. Hinc ad Saonenſis Conuentus regimen vocatus, cùm publicæ ſupplicationi, quæ in die Apparitionis B. Virginis Antonio Bottæ, pio Viro Anno 1536. factæ, vſque ad Sacram eiuſdem Virginis Ædem, quæ per quatuor circiter millia paſſuum ab Vrbe diſtat; die duodeuigeſima Martij quotannis celebrari ſolet, cum ſuâ Conuentus Familiâ intereſſet, Sacram Deiparam Cœleſti luce perfuſam in proximo colle, Saonenſem populum, qui aderat, benigno vultu aſpectantem, ac Cœleſti dextrâ benedicentem intuetur. Nonnulla etiam Prophetico ſpiritu prædicit. Cùm Nicolaus Palmarius in ſancti Romuli Oppido ſanitatis officio Præfectus lethali morbo correptus, ad vitæ finem properaret, Auguſtinus aſſiduus ipſius conſolator erat: quo tempore Ioannem Baptiſtam filium, ſummo Patris obitum mœrore deflentem cernens; dum in alterum cubiculum ſeorſim ductum nonnullis conſolationis verbis illius dolorem lenire ſtudet; en extemplò Diuinâ (vt putatur) luce perfuſus, ait: Eia, Ioannes Baptiſta, iam nos Nicolaus deſerit: Nos quoque ad Deum proficiſcentem, noſtrâ oratione proſequamur. Mox verò ad eos nuncius accedit, qui Nicolaum ad Deum migrâſſe renunciat. Poſt hæc ad Conuentum reuerſus, dum longas eâ nocte in oratione, quam pro Nicolai animâ ad Deum fundebat, vigilias ducit; en Nicolai anima Auguſtino apparet; ac Purgatorijs pœnis ſe detentam aperiens, ipſius ampliora ſuffragia expoſcit: orat ille, ac pro Nicolao lachrymas ſimul cum Chriſti ſanguine Deo Patri offert; quibus eum à pœnis ſolui poſtulat. Vix autem preces ad vnius horæ quadrantem produxerat, cùm Nicolai animam feſtiuam, ac Cœleſti ſplendore ſeptam conſpicit. Quæ vbi gratias pro beneficio reddidit, in Cœlum conſcendit.

ſcendit. Huius Viri patientiam D. O. M. triginta circiter annorum ſpatio podagræ, & chiragræ morbo probare voluit; quo ita afflictatus fuit, vt toto hoc tempore in lecto decumbens, ob membrorum omnium mutilationem, ne naturæ quidem neceſſaria abſque alterius ope ſibi miniſtrare potuerit: quo tempore Dæmonum aliquando multitudo ab eo viſa; ex quibus qui inter eos maior videbatur, monſtri ſimilitudinem præſeferens, cùm propiùs accedens eum damnatum aſſereret; is cubitum (manum ſiquidem chiragrâ truncam gerebat) tantâ vi in eiuſdem roſtrum impegit, vt ad Cellæ vſque fores retrocedere compulerit; vbi riſu à cæteris Dæmonibus exceptus, cum ijs vnà ſtatim euanuit. Hoc podagræ morbo cùm diu vexatus fuiſſet, in quo perferendo ſingularis illius ſemper patientia eluxit; eo tandem conſumptus, octogenario maior, probatæ Patientiæ à Deo coronam tulit Anno 1606.

Fr. CONSTANTINI MVTILENSIS,

GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER Constantinvs à Mvtilo, Sacerdos, cùm vitam omni cum innocentiæ laude ad iuuentutem vſque deduxiſſet, purus è ſæculo ad Capucinorum Religionem accedit. Vbi tam ſtrenuè ac veraciter omnes ſenſus perſtringere cœpit, vt gulæ appetitum quotidianis ferè ieiunijs cohiberet. Aduentus & Quadrageſimæ ieiunia pane tantùm, ac fructibus; paucis videlicet nucibus, aut lupinis, aut oleis, vt plurimùm celebraret; atque interdum à pane abſtineret: carnem ſpiritus hoſtem aſpero cilicio contereret: lumbos cingulo clauorum acuminibus horrente præcingeret: cumque animum Iuſtitiæ loricâ indueret, corpus quoque ferreâ contegeret: membra verò, quæ necdum arma iniquitatis ad iniquitatem fuerant, tam diris verberibus cædere viſus eſt, vt copioſum vndique ſanguinem effuderent; quibus haud alium ad ſomnum, qui breuiſſimus erat, præterquam aut ſcamnum, aut breuem tabulam, lectum ſternere conſueuerat. Oculos animæ prædones tam ſeuerâ cuſtodiâ coërcuit, vt non

modò à fœminarum aſpectu,ſibi accuratiſſimè caueret; ſed quam à primo Religionis ingreſſu didicerat, eandem ſemper luminum demiſſionem ſeruaret. Linguam denique indomitum humanæ naturæ monſtrum ita edomare nouerat; vt vix vnquam cum alijs colloqueretur; vnde ita ex ſilentio loqui didicerat, vt ne vllum quidem inane verbum ex illius ore elaberetur. In Bononienſi Prouinciâ ad Nouitiorum educationem euocatus aſſiduo Orationis ſtudio id à Deo conſecutus fuerat, vt Diuinæ illi mentis conſilia patefierent: cùm enim ex ipſius Nouitijs quidam, Alexius nomine, qui anxijs animi ſcrupulis angebatur, ſuas apud eum animi anguſtias depoſiturus ad illum acceſſiſſet; necdum peccatorum Confeſſionem inchoauerat, cùm illi Conſtantinus: Vade,fili (inquit) tua tibi peccata à Deo condonata ſunt; eumquе inauditum dimiſit: qui ab eò digreſſus tantâ mox mentis ſerenitate potitus eſt, vt nullâ deinceps ſcrupulorum anxietate affectus fuerit. Quanta verò fuerit illius Orationis virtus, nonnullis exemplis manifeſtum fuit. Cæſenæ enim cùm Guardiani aliquando officio fungeretur, extremo cum morte agone colluctabatur Nobilis cuiuſdam Matronæ filius: quo tempore Mater,miſſo ad Conuentum nuncio, moribundum filium ſenſibus deſtitutum Fratrum orationibus commendat. Orabat in Eccleſiâ eo tempore Conſtantinus,cùm Ianitor ad eum accedens certum filij periculum, ac Matris Fratrum ſuffragia depoſcentis inſtantiam refert. Silet ille aliquantiſper, orat cum Ianitore: Dic nuncio (inquit) vt Matri renunciet,ne filij periculum extimeſcat: futurum enim eſt, vt ab ægritudine conualeſcat; quod & rei euentus comprobauit. Rurſus, cùm Vir Dei Parmenſem Familiam moderaretur, fluuius, qui per mediam Vrbem fluit, ita intumuerat, vt inundans alteram vrbis partem aquis operiret: quo tempore Conſtantinus ſupplicatione inſtitutâ ad pontem,ſub quo fluuius defluit, accedens; vbi aliquantiſper orat,ſacro Agno cereo in aquas immiſſo, ita tumentes aquas repreſſit,vt ijs mox detumeſcentibus, exundatio ceſſauerit. Cùm annonæ caritas Rauennatenſem agrum occupaſſet, Conſtantinus, qui Rauennæ Conuentui præerat, pane ſuâ manu quotidie in fruſta conciſo ſportulam complens,eam Ianitori tradere conſueuerat,vt egentibus diſtribueret: quo tempore accidit, vt quamuis multæ ſportulæ Pauperum multitudini haud ſufficere poſſent; Diuinâ tamen virtute ſportulæ vſque ad extremum diei occaſum panis nunquam deeſſet. Tanta denique huius Viri ſanctitas fuit, tamquе latè apud Bononienſes Fratres diffuſa, vt cùm aliquando ad Fratrem febrici-

tantem acceſſiſſet; is Viri ſanctitate permotus, ab eo habitum, quo induebatur, popoſcerit: quem vbi ægrotus induit, illicò à febre conualuit. Poſtremò varijs corporis morbis affectus, cùm admirabilis in his ſemper Patientiæ ſigna exhibuiſſet; his tandem probatus, & conſumptus, magnâ cùm ſanctimoniæ famâ Mutinæ diem extremum claudens, Patientiæ ac cęterarum virtutum coronam accepit Anno 1607.

Fr. VINCENTII A PETRAMELIA, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER VINCENTIVS à PETRAMELIA, Sacerdos, magnæ auſteritatis cultor, ac propriæ carnis oſor; Huic cùm communis Religionis aſperitas, communia ieiunia, communesque corporis caſtigationes haud ſufficerent, à carnibus, piſcibus, atque huiuſmodi obſonijs ſe abſtinens; ac ſolis herbis, ac leguminibus famem ſedans, biduum ſæpè abſque cibo tranſigere; duris corpus verberibus cædere; nunquam cubando, ſed ſedendo ſomnum capere; neque vnquam ipſo etiam hyemis tempore ſtragulo, quo calefieret, vti conſueuerat. At neque minori animi quoque virtutes humilitatem ſcilicet, obedientiam, paupertatem, patientiam ac pręſertim charitatem ſtudio proſequebatur. Quo factum eſt, vt cùm Fratris cuiuſdam vlcus, ex quo copioſa ſanies effluebat, cęteros horrentes cerneret, is ore vlceri admoto ſaniem ſuxerit, atque expuerit. Propter pręclaras hominis virtutes ad Magiſterium vocatus Nouitiorum, cùm in S. Mariæ Magdalenæ Conuentu, Nouitios, ac familiam moderaretur; accidit, vt Nouitius quidam Diabolicâ verſutiâ circumuentus, quo Martyrij palmâ frueretur, Dęmone ſub Domini formâ illi apparente; atque vt ſibi ipſi necem inferret, ſuadente, intempeſtâ nocte laqueum ſibi, quo ſeipſum perimeret, in Cellâ paráſſet: quo tempore Vincentius inſolito horrore percelli, ac repentino horrore ita agitari cœpit, vt è lecto exiliens ad Nouitij cellam vi quâdam impelleretur: quam ingreſſus Nouitium iam funem, quâ ſeipſum ſuſpendere decreuerat, collo alligatum gerentem conſpicit; Dæmonisque arte detectâ, Nouitium à Dæmonis laqueo liberat. Prophetico hic ſpiritu Per-

tuſæ cuiuſdam militis Vxori ſterili futuram prolem prædicit, quam vix anno elapſo ſuſcipit. In eodem S. Mariæ Magdalenæ Conuentu, Fratris Franciſci ab Illicitano Portu, ſuumque obitum Fratribus prænunciat. Emanuelem quoque Petri à Belluis Filium virulento corporis humore ad occaſum properantem, ſuâ oratione priſtinæ incolumitati reſtituit; ac demum virtute clarus Valentiæ in pace quieuit Anno 1608.

***





FRATER BENEDICTVS CANFELDENSIS FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

Fr. BENEDICTI CANFELDENSIS, ANGLI GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER BENEDICTVS CANFELDENSIS, Anglus, Concionator, Nobili Filchorum ſtirpe ortus, & Guillelmi nomen ſortitus, inter impuros Puritanæ Sectæ, quæ familiæ domeſtica erat, ſinus à teneris annis enutritus fuit. Qualis eius ad vigeſimum quartum vſque annum, quo ab hæreſi ad Catholicam Fidem & à ſæculo ad Capucinorum gremium à Deo vocatus fuit, vita & conuerſatio fuerit; quæque illius conuerſionis exordia extiterint; idemmet in Soliloquio, quod Capucinus conſcripſit, diſertè aperit: ad quod, ne breuitatis metas excedam, Lectorem mitto; aliqua tamen breuiter attingere libet. Guillelmus igitur per ſeptennij ſpatium Londini moratus, totus in vanitatibus volutabatur, totum ſe in ludicris contemplandis ponebat; donec poſt multos in his oblectamentis conſumptos dies, placuit D.O.M. cor eius cæcâ errorum caligine inuolutum lucenti veritatis radio ferire. Cum enim quodam æſtiuo die apud ſe conſtituiſſet rus proficiſci, animum cum amicis relaxaturus, incidit in manus eius paruus liber, in cuius capite hoc erat inſcriptum: Formula benè viuendi. Cumque optaret detegere argumenta, quibus virtutis ſemitam dirigere nitebatur, inuaſit Guillelmum ingens timor, vindicem animaduertens adeſſe Deum, qui peruicaces Legis ſuæ tranſgreſſores opprimat, oppreſſos æternis ignibus cruciandos condemnet. Moxque ad ſe conuerſus vitam emendare propoſuit. Sed heu! quot, & quantis interceptus fuit impedimentis! Quâ fraude, quo dolo, ille ſcelerum artifex non laborauit, vt vota, & conatus eius inanes redderet! At ſalutares inſpirationes auribus continuò inſonabant, copioſaſque ex oculis emulgebant lachrymas. Nec interim deſinebat antiquus hoſtis tentationum laqueos vbique prætendere. Apparuit illi (inquam) Diabolus in ſpecie Angeli lucis, vt ipſum ſeduceret; ſed Clementiſſimus Dominus inſultantem conturbauit & quodam ſupernæ ſuæ diſpenſationis moderamine tanto robuſtius repulſam paſſus eſt, quanto illum tentationis impulſu expugnare contenderat. Cumque tandem conſideraret, quot erroneæ opiniones hominum mentes inuaſiſſent,

perplexus

perplexus hærebat, quam ſibi eligere deberet; Londinum reuerti cogitabat, quò ſibi libros controuerſiarum compararet; ibique ſolitarius legere, & commodiùs orare, ieiunare, humi iacere, & cætera huiuſmodi deuotionis officia exercere valeret: quamuis enim Proteſtantes his omnibus actionibus ex intimo corde fluentibus aduerſentur, nihilominus fructus inde naſcentes videre cupiebat. Dum igitur quodam die prędicto libro finem impoſuiſſet, ſerò egreſſus rus deambulandi gratiâ & aliquid meditandi profectus eſt; vbi cùm per aliquod tempus permanſiſſet, domum reuerſus eſt; cui cùm ſatis eſſet proximus, & fortuito caſu ad latus reſpiciens, numerum equorum ſimul gradientium in prato vireſcente animaduertit: primo aſpectu id eſſe verum credebat, quod intuebatur; neque iter inceptum proſequebatur: vixque quatuor paſſibus peractis retrò aſpiciens, & eò iterùm conuertens oculos, non illi ampliùs equi videbantur, ſed ſpiritus; quare ad eos feſtinanter perrexit. Sed breui itineris ſpatio peracto, veri equi iterum ipſi viſi ſunt: tunc ſtetit Guillelmus & ſeipſum leuitatis arguens, vix inceptæ viæ ſe tradidit, cùm poſt terga reſpiciens, nihil eorum, quæ viderat, prorſus apparuit; ſed eorum loco turbam pauperum animaduertit, qui fuſco colore tenuiter induti, candidas peras humeris impoſitas ferebant, alij lagenas coriaceas in manibus. Hac nouâ, & repentinâ mutatione magis ſolito obſtupuit; quare ad eos conuerſus cum feſtinatione perrexit, vt facilius contemplaretur: Et ſatis longo itineris ſpatio peracto, eosque attentiùs conſiderans, farri meſſores eſſe credebat. Sed hæc omnia euoluens animo ad eos pergere contendit: At iterum in hunc locum conuerſus, hæc omnia euanuerunt; atque eorum loco elegantem hominum, & puerorum turbam vidit ſubalbido colore indutorum; ad quos confeſtim ire contendit. Nec ipſi licitum fuit propiùs accedere: quantò enim eos appellere contendebat, tantò longius recedebant; eos tamen facilè conſiderauit. Simili veſte erant omnes induti, oblongis ſcilicet togis leucophæi coloris, quibus inſutæ erant longæ manicæ, in vnâquaque eorum togâ aliquid à collo ad zonam dimiſſum, Hiſpanicæ chlamydi ſimile pendebat, vnuſquiſq; cinctus gradiebatur. Nonnulli verò ſub illâ primâ veſte togam candidam ſuperpelliceo ſimilem, cum magnis & latis manicis gerebant. In capitibus gerebant pileos eiuſdem coloris. Homines in medio ſimul congregati, pueri ab vtroque latere ordinatim incedebant. Venerando erant aſpectu, & quaſi ſaltantes, licet in ſignum exultationis manus extollentes. Libenter eos Guilielmus conueniſſet; ſed

quò eos appellere properabat, eò velociori gradu ad inſtar præcedentium recedebant. Quibus indicijs arbitrabatur eum ad ſe attrahere velle, vt eos imitaretur. Cùm igitur per longum temporis ſpatium eos inſecutus fuiſſet, ſtetit aliquantulum, clauſitque oculos, vt eos poſtea clariùs intueri poſſet: quo facto, eos vidit, qui, vt antea, fingebant, ipſum expectare: tum velociter properans, ad eos perrexit, credens ſi vlteriùs eſſent proceſſuri, ſaltem ad vicinam ſepem gradum ſiſterent, illiqúe res foret apertior. Quò cùm acceſſiſſet, nihil prorſus vidit; ſed eminus conuertens oculos, hominem ex maioribus candidâ veſte indutis vidit, qui ſolus illi apparebat. Moxque omnia euanuerunt, Deusque illi horum notitiam abſcondit, & in tempus opportunum manifeſtare reſeruauit. Interim vndique cogitationes, ſuggeſtiones, & mille nocendi artes tanto impetu in ipſum malignus hoſtis intorſit, vt penè exanimatum reddiderit; donec illi adfuit Spiritus ſancti virtus tantam gratiam, & copioſa chariſmatum dona cordi eius infundens; vt oblitus ſui, & mundi vanitatum, Deum ſuum toto mentis affectu quæreret; modoque mirabili claram, perfectam, certamque ſuæ Sanctiſſimæ Religionis cognitionem Deus illi reuelauerit. Hoc verò viſitationis tempore, amicum ad fores cubiculi pulſantem audiuit. Qui ingreſſus mirum in modum Religionem Catholicam extollens, eamque cum animi feruore commendans aiebat: Scito, nullam aliam eſſe indagandam veritatem. Et ipſe tantis attonitus conſentire cœpit. Tum quæſiuit Guilielmus, an eſſet reconciliatus Eccleſiæ. Reſpondit: Non ſum, ſed breui (Deo dante) ſpero fore. Sequenti igitur die, qui Dominicus erat, Sacerdotem aggrediuntur, qui ſanctæ Eccleſiæ conciliatos in portum ſperandæ ſalutis introduxit. Eo verò die ab errorum laqueis liber euaſit Guilelmus, quo ſoluta ſunt beati Petri Apoſtoli vincula. Cùm autem vereretur, ne cum peruerſis peruerteretur, honoribus, patriâ, amicis, ipsâque vitâ neglectis, in aliam regionem pergere inſtituit, in cuius Eccleſijs maiori cum fiduciâ publicas laudes Deo referret. In Galliam igitur iturus, nauem conſcendit, quæ tandem poſt plurimas tempeſtatum procellas integra optatum portum cœpit. In Patriâ itaque Catholicâ, & in Religione Chriſtianâ maiori quiete, & ſecuriori mente viuens, cùm ter iteratò Miſſæ ſacrificium in honorem Sanctiſsimæ Trinitatis Sacerdoti celebrandum commiſiſſet, vt Deus ipſi gratiam fugiendi ſæculi faciliùs impertiretur, ad perfectum Religioſæ vitæ ſtatum

tam clarâ & apertâ voce à Domino fuit vocatus, vt & corpore & animo fixus tam potenti & inſolitæ vocationi recalcitrare non potuerit. Cùm enim ſolus eſſet in cubiculo, ſub mediam noctem, mentem ad Deum eleuans ſupernaturali lumine ita obumbratus, & ardentibus Charitatis facula inflammatus fuit, vt ſui immemor, & in Deum penitus abſorptus, quaſi totiùs ſenſus expers, & ab omni mundanâ ſollicitudine liber permanſerit: in quo raptu, & ſenſuum alienatione Dei de ſua vocatione voluntatem tam ineffabili modo cognouit, ac ſi Angelus è Cœlo demiſſus ad eam illi indicandam viſibili ſpecie apparuiſſet. Cùm igitur apud ſe planè conſtituiſſet Ordinem ſancti Franciſci ſuſcipere; nihilominùs aliqua orta eſt difficultas; quem videlicet habitum, vel Cordigerorum, vel Capucinorum eſſet ſuſcepturus; vel quinam eſſent ſancti Franciſci veri æmulatores: Etſi enim ipſum non lateret, Capucinos vitam longè auſteriorem ducere, vt ſatis ex ſtatu conſtat exteriori; nihilominus ignorabat, an Regulam ſancti Franciſci in omnibus obſeruarent, aut verum illius habitum ferrent, quod minimè ſibi perſuadebat; præſertim quoad habitum. Quare Cordigerorum Ordinem ſuſcipiendum conſtituit. At videns eos à verâ & ſtrictâ Regulæ obſeruantiâ deflectere, & modum viuendi longè opulentiorem victu Capucinorum ſeruare, triſtis, & afflictus conſtitit, credens non poſſe verè, & perfectè S. P. Franciſcum imitari, vt ſibi paulò ante propoſuerat. Cùm igitur æſtuanti animo, quid facto opus ſit, excogitat, Lutetiam proficiſci conſtituit, vt quibuſdam ſermonibus habitis cum vtriuſque Religionis Patribus res illi clarius innoteſceret. Quo facto, nouit Capucinos, ſiue quoad Regulam, ſiue habitum eſſe acerrimos S. Franciſci imitatores; ita vt reiecto omni ſcrupulo habitum PP. Capucinorum penè ſuſceperit, P. Capucino perſuadente, qui olim Cordigerorum Ordinem profeſſus fuerat; quippe rigidioris vitæ zelo ductus aufugerat. Cuius conſilio licet parere conſtitueret; tamen nonnullos pios & deuotos homines conſulebat, qui illum certum reddiderunt; nihilominùs quantum poterant, diſſuadere conabantur ob nimiam victus penuriam, veſtitus rigiditatem, & in cohibendis motibus vigilantiam. Quare penè mœrore confectus, Lutetiâ egreditur, vt PP. Capucinos Conuentus Medonenſis inuiſeret, & prædictum Patrem alloqueretur. In itinere verò Deum ſinè intermiſſione deprecabatur, donec ſe Conuentui proximum ab omni curâ & ſollicitudine leuatum comperit; tantumque illi robur de

Cœlo largitum eſt, vt ea, quæ ex præcedenti viſione illi fuerant indita cognouerit. His enim equis, quos priùs conſpexerat, non ſolum anteactæ vitæ ſuæ peruerſitas; ſed & inanis in ipſis ſordibus lutoſis iactantia oſtendebatur: His omnibus interpolatis veſtibus indutis mundi contemptus, & ſumma rerum omnium paupertas ipſi colenda proponebatur: Colore fuſco, habitus formâ, lagenis coriaceis ad Ordinem Capucinorum amplectendum commouebatur. His verò pueris, & hominibus leucophæo colore, & ſuperpelliceo veſtitis Cordigeri illi verè exhibebantur: quoties enim eos in Choro ſimul laudes Diuinas decantare viderat, toties illius viſionis ſenſibus impreſſa ſpecies ipſi veniebat in mentem. Cùm autem eos ſemper proſequeretur, id quod deinceps erat futurum indicabat: Cordigeros, videlicet, illum vacillantem multoties excitare ad eorum Ordinem ſuſcipiendum; & quando ante ipſum gradum ſiſtebant, nihil aliud ſignificare volebat, niſi quod quando illi occurrebat de Regulæ obſeruantiâ difficultas, ſuum propoſitum ſtabilire conabantur, ſeque in extremo Dei iudicio pro eo reſponſuros promittebant, ſi in eorum inſtituto moreretur. Quod denique ad eum ſpectat, qui relictis cęteris longiùs ſeceſſerat, & illi vltimus apparuerat, Cordigerum ſignificabat, qui relictis Socijs, eos demum vitæ auſteritate antecellebat, & in aliam terræ partem pergebat, ſuſcepturus videlicet Ordinem Fratrum Capucinorum rectà, id eſt verſus rectum perfectionis tramitem, eumque poſt ſe videbatur attrahere, videlicet relictâ Cordigerorum Societate, in eam Capucinorum, quod (Deo dante) paulò poſt Lutetiæ eſt exequutus, die ſcil. 23. Martij, elapſis menſibus à ſuâ conuerſione ſexdecim; ipſum verò paulò poſt ſecuti ſunt alij duo Angli nobili orti genere, qui ob eam cauſam patriâ relictâ in Galliam ſecum venerant. Quæ ſupra ab ipſomet Patre deſcripta, & à me compendiosè tradita Lector accipiat. Hoc igitur pacto Guilielmus ab Hæreſum tenebris liber, cùm ad Religionis ſinum profugiſſet, Guilielmi in Benedictum nomine mutato, tanto animi æſtu in Religionis arenam deſcendit; vt ab eo tempore carni, ac cęteris ſpiritus hoſtibus mox bellum indicens, illuſtre virtutum Tyrocinium inſtituerit. At Satan tantam in eum tentationum aciem inſtruit, totque nouum Tyronem artibus, ac inſidijs aggreditur; vt foris beſtiarum impetus, hominum pugnas atque horrenda ſpectra obijceret, intus terroribus animum quateret: quo fiebat, vt ſæpe ingenti timore perculſus clamores edere compelle-

retur.

retur. Verùm is haud animum deſpondere , ſed inuictus in acie ſtare videbatur. Inter hæc contigit aliquando , vt communi orationi cum cæteris vacans ſibi inferorum loca patefieri cerneret; variasqúe ibi damnatorum animas,horrenda tormentorum genera, ac terrificos Dæmonum vultus conſpiciens tam ingenti timore corriperetur; vt exclamans ab Eccleſiâ aufugerit; ac trium vel quatuor dierum ſpatio hoc animi terrore exagitatus amens videretur. His accedat, quod ab eo tempore frequenter mente excedere, atque à ſenſibus aberrare cernebatur; ita vt biduo ſemel ita ecſtaticus perſeuerauerit, vt planè mórtuus crederetur: quo tempore cùm varia Medici remedia, quibus illum ad ſenſus reuocarent, fruſtrà experti fuiſſent; rem à Deo profectam ignorantes, naturæ defectui, ſeu apoplectico ſymptomati adſcribebant. Patres verò, quanquam rem altiùs perpenderent, atque ex Nouitij vitâ, quæ vndique virtutibus ſcatebat, Dei donum in eo ſuſpicari poſſent, haud tamen facilè in id omnes collimabant. Quamobrem alij Medicorum ſententiæ inhęrentes eum ab Ordine dimittendum ſentiebant. At verò cùm biduanus ille mentis exceſſus valdè omnium animos ſollicitaret, Guardianus accito Patrum Concilio Nouitium coràm præcepto interrogat; vt quid in eâ mentis alienatione cum eo actum fuit candidè aperiat. Erubuit ille; quæ ſibi tunc acciderant, ſilere potius, quàm eloqui optans: at pręcepto obſtrictus altiſſimas quaſdam Euangelicæ perfectionis vias, quæ ſibi eo tempore reuelatæ fuerant, diſtinctè explicat: plurima etiam de Diuinorum attributorum excellentiâ & perfectione in eo exceſſu ſibi exarata aperit: quæ cùm per omnia Fidei orthodoxæ, & Sanctorum Patrum doctrinæ conſentanea deprehenderent, omnem quidem ab animo ſuſpicionem abiecêre, quin ea vera, ac Diuina ecſtaſis eſſet; eâ præſertim ratione, quod Nouitij mens ijs inſtructa magis ſibi ſui cognitione vileſceret. Veruntamen, vt ſi quis fortè ex rerum tam Diuinarum reuelatione illi ſpiritus tumor irrepſerat, abſtergeretur, perfectiusque illius mentis conſtantia, ac ſpiritus virilitas probaretur; velut amentem, ac mente imbecillum intra cellulæ anguſtias præcepto compellunt; atque inde præterquam ad Sacrum audiendum illi egreſſum prohibent: cunctis etiam Magiſtro excepto, ne cum eodem colloquia miſceant edicto cauent. Hoc modo cùm ad quadrageſimum vſque diem non ſolùm conſtanter; verum & alacriter incluſus perſeueraſſet; quo tempore maiorem is diei, & noctis partem in oratione & vigilijs conſumpſit; inde liber dimiſſus,

& ad cæterorum Nouitiorum cœtum admiſſus, durâ is, ac ſeuerâ præ alijs probatione examinari cœpit: vt qui præ cæteris donis cœleſtibus fruebatur, maiora, amplioraque ad ea integra ſeruanda virtutum præſidia ſibi compararet. Quapropter tunc cuique illum verbis inſectari, correptionibus aggredi, conuitijs laceſſere, ac velut amenti illudere licuit; totque à ſuperiore tùm publicè, tùm priuatim vitia illi conficta inuri, tam acutis verborum aculeis pungi, ac verecundiâ ſuffundi cœptum; vt niſi ſolida illi animo virtus adfuiſſet, facilè vis eundem ad ea ferenda defeciſſet. Hæc itaque duriora probationis genera cùm Benedictus conſtantiſſimo animo ferret, eo tantùm illius animus mirum in modum angebatur, quo ſe ab Ordine dimittendum paſſim à Fratribus audiebat. Quapropter cùm Beatiſſimæ Virginis fuſis lachrymis ob id operu aliquando poſtulaſſet, in ecſtaſin raptus, ſibi funem, quo præcingebatur, diſſolui cernebat: vt eo ſublato etiam habitu expoliaretur: quod cùm is ſummo luctu proſequeretur, confeſtim adfuit Virgo Deipara, quæ fune iterum ſuis illum manibus præcingens, his eum verbis conſolatur: Ne extimeſcas, Benedicte; nemo te hoc habitu expoliabit; ſed in eo extremum ſpiritum duces. Id verò tantummodo cura, vt eo te dignum tuâ virtute præſtes. Hac igitur Beatiſſimæ Virginis pollicitatione confirmatus, & tanquam aurum igne examinatum probatus, ſolemnia Religionis vota ſummo omnium Fratrum conſenſu nuncupat. Redditâ itaque, poſt varias hominum, Dæmonumque conflictationes, animo pace; generoſus Chriſti pugil ad maiora, ac præſtantiora virtutum ſtudia animum prouocat, carnem durius macerat, ſenſum ſeueriori ſub lege cohibet, cunctas ex animo cupiditates expellit, voluptates domat, vniuerſoſque ſpiritus hoſtes ſuo cogit parere imperio. Hinc tot in Benedicto virtutum germina pullulare cœperunt, vt eum cuncti quaſi Domini hortulum vniuerſis virtutum floribus conſitum contemplarentur. Inter hos verò Cœleſtium virtutum flores, potiſſimùm oratio, ac Diuinarum rerum contemplatio eminebat: quam cùm ſummo ſtudio excoleret, inde raptus, inde ecſtaſes, ac mentis exceſſus frequentiſſimos, ac præſertim ardentiſſimi in Chriſtum amoris flammas colligebat. Quo fiebat, vt cùm poſt Philoſophica, ac Theologica ſtudia, eidem Prędicationis officium creditum eſſet, poſtulatâ, ac impetratâ à Generali Miniſtro facultate, nec non Apoſtolici Nuncij benedictione, An. 1599. Martyrij pro Chriſto obeundi deſiderio flagrans, Lutetiâ digreſſus in Angliam, comite Ioanne Chryſoſt. Scoto Concionatore,

tore,profectus fuerit. Benedictus igitur cum Dubrim Angliæ Portum cum Socio appuliſſet; rectâ ad Vrbem Santvich, quæ Londinum ducit,feruntur: vbi ex Breuiarij Codice deprehenſi, quod Catholici Sacerdotes eſſent, in carcerem detruduntur. Inde Londinum perducti coram Barone quodam de Coblam Carcerum Præfecto ſiſtuntur: à quo de genere, patriâ, Religione, ac profectionis causâ interrogati; Benedictus, vbi priora duo interrogationis capita opportunâ reſponſione excepit, liberè ſe cum Socio Catholicam,ac Romanam Religionem colere;Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes,Regularíq; Capucinorum inſtituto ſolemni votorum nuncupatione affixos eſſe profitetur. Quod verò ad profectionis ſuæ cauſam attinet, eam ſolam, ac potiſſimam eſſe aperit, vt Patriæ, ac populis cœcâ errorum caligine immerſis veræ Fidei lumen afferrent:Neque id ſe ignorare affirmat,ijs qui talia auderent, carceres equuleos, ſupplicia, ac varia mortis genera parata eſſe: at eos nihil horum vereri; quin etiam pro Fratribus, qui ſecundum carnem ſibi coniuncti erant,ſe libentiſſimè cruces, ignes, gladios, necemque acerbiſſimam ſubituros; dummodo & ipſi veram Chriſti fidem, ac ſalutem conſequerentur. Hæc Benedictus tam ſuauiter, tantâq; ſpiritus eloquentiâ Baronis illius animo inſtillauit, vt his ille haud leuiter commotus, humaniter eos tractari iuſſerit: atque ab eo tempore ita rebus Catholicorum fauerit, vt tandem Catholicus obierit. Nonnullis poſthæc diebus Regio Commentarienſi ſiſtuntur, Viro ſi quis alius, hæreſis propugnatore: Qui cùm à Benedicto multa ad Fidem Catholicam ſpectantia quæſijſſet; eo rationem reddente ita miteſcere viſus eſt; vt & carceris expenſas pro ijs exolui iuſſerit, melioremque in Catholicos animum induerit. Hinc Londinum reducti, cùm ex Reginæ mandato diſtinctis carceribus mancipandi eſſent; cùm nullam præterquam necis ſententiam expectarent,peccatorum Confeſſione animam expiantes, mutuam ſibi abſolutionem impendunt: tum, quaſi dies vltima eſſet, quâ ſe mutuo aſpectu ſolarentur, chariſſima pacis oſcula ſibi inuicem reddentes, tandem ſeparantur. Iam duodeviginti menſes Chriſti Pugiles in carceribus conſumpſerant, cùm Henricus Galliæ Rex litteris ad Eliſabetham Angliæ Reginam directis vtrumque in ſui gratiam à vinculis liberari poſtulat. Regina verò Epiſtolâ acceptâ, Chryſoſtomum quidem libertate donat, atque in Galliam remeare iubet; Benedictum verò, eo quod Anglicani Regni beneficiarius Cliens eſſet, in vinculis retinet, atque Londini carceribus diligentiùs cuſtodiri curat.

Id verò ſilentio haud prætereundum; vtrumque & Benedictum & Chryſoſtomum diſpenſatione ſibi à Pontifice factâ, Religionis habitum ſæculari veſte contectum geſtâſſe: at ſimul atque alter ab altero diſiunctus fuit, Benedictus ſæculari veſte abiectâ, Capucinorum habitum palàm detulit, calceos exuit, cunctaque Regulæ ieiunia, B.P. Franciſci Quadrageſimas, Religionis aſperitates, carnis macerationes, orationis tempora, quæ in Monaſterijs obſeruari ſolent, inter vincula exactiùs colere cœpit; ita vt cæteris concaptiuis, virtutum, ac totiùs pietatis norma eſſet. Deus autem ſeruum ſuum Benedictum, Diuino amore flagrantem, atque inter vincula exultantem, maiori eo tempore Cœleſtium conſolationum vbertate proſequitur; eumque à diuturno ſtomachi languore, quo per decem annorum ſpatium grauiter afflictatus fuerat, in momento curat. Trium igitur annorum curriculo à Benedicto inter vincula exacto, cùm Henricus Galliarum Rex nouas ad Eliſabetham Reginam ad Benedicti liberationem litteras dediſſet; is tandem perpetuo ab Angliæ regno exilio mulctatus, liberè è carcere dimittitur, & in Galliam deſtinatur. Itaque Lutetiam Pariſiorum reuerſus, ob eximias Viri virtutes iam cunctis perſpicuas, Nouitiorum curæ præficitur: quo in munere ita excelluit, vt integros de prçſtantiori Euangelicæ Perfectionis viâ Tractatus, qui prælo dati leguntur, tam altis Myſticæ Theologiæ ſenſibus reſperſos conſcripſerit, vt qui de ſpirituali animæ profectu profundiùs egerit, haud facilè Scriptorem inuenias. Hæc dum Religionis Tyrones ſibi creditos docet; quandoque etiam Diuinum ex illius vultu ſplendorem cernunt erumpere. Denique tam frequentes hoc tempore, ac familiares erant illi mentis ecſtaſes, & exceſſus, vt nunquam ferè abſque ijs orationi vacaret. Carnutenſis Conuentus cùm aliquando habenas moderaretur, in grauem morbum incidit, ex quo, vitâ comite, haud reſurrecturus ſperaretur: quo tempore Beatiſs. Virginis Deiparæ imaginem ſibi ad lectuli pedes collocari iuſſit; quam vbi tantiſper fixis oculis contemplatus eſt, mente excedens, per duodeuicenas horas ita à ſenſibus abalienatus fuit, vt nullâ attractione, ſtrepitu, vociferatione, aut aliâ ratione ad ſenſus reuocari potuerit. Porrò poſt decimamoctauam horam ſibi redditus, maximâ tum Fratrum, tum Medicorum admiratione, qui mortuum ſuſpicabantur, perfectè à morbo curatus fuit. Iterum, cùm diutino morbo correptus, eò maximè doleret, quod in Choro cum cæteris Pſalmodiæ vacare non poſſet; vocem protinùs ſibi dicentem audit: Benedicte, in die feſto S. Franciſci à morbo

cura-

curaberis. Cumque eo die conualuiſſet, illum panis, & aquæ ieiunio celebrauit. Rursùs, cùm in Aurelianenſis agri Oppidum hæreticâ tabe infectum Prædicationis causâ profectus eſſet, Prædicationem longâ oratione præcurrens, illum Socius clarâ luce perfuſum, atque altius ex humo ſublatum conſpicit. Neque id fruſtra: ipſius namque Prædicationem inſignis illius populi ad Catholicam Fidem conuerſio ſecuta eſt. Poſt hæc, dum Benedictus in Rothomagenſi Conuentu Guardiani munere fungitur, accidit, vt Concionator quidam Franciſcus nomine, ſupremum in eo Conuentu diem clauderet: qui tertio poſt obitum die, Dei Seruo ante & poſt Matutinas Horas oranti, vultu, qui mœſtitiam præſeferret, bis apparet, hanc ſemper edens vocem:

Multorum manibus grande leuatur onus.

Oppidò Vir ſanctus multo illi Fratrum ſuffragio opus eſſe intelligens, à Sacerdotibus omnia Miſſarum pro eo Sacrificia Deo offerri, ſacras Communiones, orationumque ſuffragia ad ipſius liberationem multiplicari mandat. His omni Charitate expletis, ſequenti nocte defunctus à Benedicto in Eccleſiâ, cum cæteris orante, iterum, ſed hilarior conſpicitur: qui ſe ipſius, ac Fratrum precibus à Purgatorijs pœnis liberum aſſerens, gratias egit, ac Cœlum conſcendit. Diuinarum quoque Benedictum reuelationum, ac Prophetici ſpiritus luce à Deo illuſtratum fuiſſe, pleraque huius rei exempla teſtantur. Cùm in Montisfortis Conuentu Guardiani munus ageret; quâ die Eliſabetha Angliæ Regina è medio ſublata fuit, ipſius obitum Diuinâ reuelatione acceptum cuidam ex ſuæ Familiæ Fratribus aperuit. Fr. Emanuelem à Pontearco adhuc in ſæculo verſantem in Capucinorum Album conſcribendum prędicit. Ambiani Adriana quædam obſeſſa à Dæmone cùm ſacris Exorciſmis oppeteretur; Dęmon per Obſeſſæ os ſe inde nunquam egreſſurum affirmat, donec eò Benedictus Anglus accedat. Quapropter Ambianenſis Epiſcopus datis ad Benedictum literis rogat; vt quamprimùm Ambianum ſe conferat. At verò Dei Seruus Diaboli artes agnoſcens, quibus illum in inanis gloriæ vitium pertrahere ſtudebat; atque eodem tempore Diuinâ intus luce illuſtratus, quid de Puellâ Diuino conſilio ſtatutum fuiſſet, Epiſcopo reſpondet: Dæmonem ſolito ſibi mendacio ludere, cùm Puella nulla vnquam Exorciſmorum vi (Deo ita diſponente) à Dæmone liberanda ſit; quare ab ijs abſtinendum perſuadet. Rei porrò euentus certam dictis fidem reddidit. Dilectus igitur Deo & hominibus Benedictus, cùm

his, alijsque à Deo donis cohoneſtatus extremum vitæ occaſum ſibi imminere diuinâ reuelatione accepiſſet, Pariſijs in morbum incidit: quo tempore ante omnia à peccatorum ſordibus Sacramento expiatus, ac ſacro Chriſti Corpore ſaginatus, dulcia cum Dilecto cœpit miſcere colloquia: quibus ita ſe iugiter occupatum præferebat, vt vix in aliud animum intenderet. Inter extremæ illius ægritudinis dolores, tot patientiæ, humilitatis, ac diuinæ Charitatis in eo exempla eluxêre; vt qui illius curam gerebant, Viri perfectionem ſuſpicientes facilè animaduerterent, maximas illum virtutum opes in animo congeſtas habere. Chriſti Crucifixi imaginem cùm ſibi in extremâ lectuli parte collocari iuſſiſſet, in eam oculos perpetuò intendens, lachrymarumque ex his imbres fundens, Dilectum ignitis orationum iaculis vulnerabat. Vitæ verò fine appropinquante, tantâ mentis humilitate, ac ſuiipſius abiectione, à Fratribus lecto circumfuſis, ſi quem verbis, aut prauo vitæ ſuperioris exemplo læſiſſet, veniam petit, vt vniuerſos ad lachrymas compellat; Fratresque his verbis obteſtatur: *Fratres mei, extrema iam interpellat hora: nihil mihi præter* IESVM & MARIAM *loquimini.* Cumque animum totum ad diuina collegiſſet, quodam ex Fratribus dicente, Diem illum Beatiſſimæ Virginis Præſentationi ſacrum eſſe, O Beata Virgo! exclamans, Deo paulò poſt ſpiritum reddit Anno 1620. Præclari huius Viri vitam, ac geſta, Hiſtoriâ Gallico ſermone conſcriptâ proſecutus eſt Iacobus Broſſius, Theologiæ Candidatus, libello Pariſijs impreſſo Anno 1621.

Fr. ROGERII A TIPHERNO, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER ROGERIVS TIPHERNAS, Sacerdos, circa annum 1575. ex antiqua Manaſſæorum familiâ ortus, Petri Rogerij nomen è ſacro Fonte tulit; & ad decimum vſque octauum ætatis annum eâ pietate vixit, vt mollem ſæpe lectum refugiens, ſibi ſarmenta ſubſterneret; inclitam Cœlorum Reginam ſingulari amore diligeret; eamque mentis & corporis pudicitiam ſeruaret, quæ mulierem ad Venerea propellentem à ſeſe longiùs propulſaret, & ab incœpto deſiſtere cogeret. Cumq; in ipſo Adoleſcentiæ flore præclarum huiuſcemodi futuræ Sanctitatis ſpecimen dediſſet; dum ſolida Cœleſtium bona in Capucinorum Ordine ſibi quærenda decernit, Rogerij ſibi nomine retento, Capucinorum albo inſcribitur. In quo haud facilè verbis referri poteſt, quàm ſingulari ſtudio Seraphici Patris veſtigia ſibi calcare propoſuerit. Super omnia autem tanto Seraphicæ paupertatis amore flagrauit, vt præter ea, quæ à Regulâ præſcribuntur, nihil ſuperfluum, aut nouum vnquam ſibi adeſſe pateretur. Vnicam tantum, eamqúe parcam in die comeſtionem citra ſaturitatem ita ſumebat, vt vel cœpas, vel allia ipſa ſcrupuloſus haberet in delicijs, neque auarus vnquam tam auri cupidus, quam Rogerius ſemper ſobrietatis fuerit ſtudioſus. Ieiunia Seraphico Patri familiaria tam arcta lege colebat; vt ſerotinam refectionem ſumere nunquam viſus fuerit. Quadrageſimam verò omnium Sanctorum tantâ deuotione celebrabat; vt interdum præter panem & aquam nihil omninò ſibi addere voluerit. Et licet in ſeipſum rigidiſſimus eſſet; tanta tamen veneratione proſequebatur vitam communem, vt ſæpe percunctantibus Fratribus: Quid ſibi, vt perfectionis culmen attingeret, eſſet agendum, hæc eadem ſemper repetere ſoleret: Vita communis, ſed feruens: & hoc vnum, ſi benè fiat, tantùm ſufficit. Linguæ tam ſeneram cuſtodiam adhibere ſolitus erat, vt otioſum nihil ex illius ore audiri vnquam potuerit: quod vt faciliùs præcaueret, omnium, quoad poterat, colloquia vitabat; & in Eccleſiam, aut in cubiculum ſe recipiens ſolitudini vacabat: ita tamen, vt corporalia exercitia non deſerens, vilioribus ſe Conuentus, & ægrotorum miniſterijs manciparet; tantoque in humilitatem æſtuabat

amore; vt ſi quempiam de illâ verba facientem audiret, quaſi calore liqueſceret, lachrymæ ſtatim ex ipſius oculis erumpere cernerentur. Tale & ſuum oculis frenum iniecit, vt eos ſemper in terram defixos tenens, nunquam mulieris vultum aſpectâſſe adhuc famâ vulgari feratur. Eo in rebus agendis conſilio, ac prudentiâ floruit, vt Guardiani munus ſæpe multis in locis obierit; totque præclariſſimarum virtutum ſplendoribus ſubditos anteceſſerit, vt maiorem ſemper, quâm ab eâ acceperit ſplendorem ſuæ Dignitati contulerit. Cùm primùm Vir Dei Superioris mandato Romano in Conuentu apparuit, tàm pręclaris virtutum omnium exemplis die noctuq; reſplenduit; vt nouum Conuentui ſidus omnibus ortum eſſe videretur: ibique cellulam ſibi elegit; quæ ita loci arctabatur anguſtiâ, vt nec tabulam ſcriptoriam capere vllo modo poſſet; in eâ verò B. Virginis, ac Sanctorum exemplis in vnum colligendis vacauit, quæ operibus maritabat. At ſuper hæc omnia Orationi potiſſimùm ita deditus fuit, vt plus illi, quàm ſomno tribuere ſoleret. Nam ante Matutinum ad trium, aut quatuor ad ſummum horarum ſpatium ſomnum extendebat: tùm è lecto exiliens in Eccleſiâ Deo, & orationi vacabat. Matutinis Horis poſtmodum perſolutis, reliquam noctis partem ad auroram vſq; in Cœleſtium rerum contemplatione tam indefeſſo ſtudio diſpenſabat; vt Rogerius ad Cœleſtia magis, quàm ad terreſtria meditanda natus videretur. In oratione verò, erectâ facie, genibus flexis, & immobilis perinde ac ſi è marmore ſtatua eſſet, ſuperna meditari, & lachrymas ſæpe fundere conſpiciebatur; ſuæque mentis in Deum aſcenſio, & recollectio adeò aſſidua illi ſemper erat, vt loca omnia, ac tempora ad orandum illi idonea miniſtraret. Miſſam tanto pietatis ardore, ac exterioris hominis compoſitione celebrabat; vt & audientes longiùs attraheret, & eorum animos vi quâdam ſurſum eleuaret. Ob cuius rei gratiam Viri, ac mulieres, Nobileſque imprimis & Dynaſtæ noſtram crebriùs frequentabant Eccleſiam; vt & Dei Viro Sacra facienti adſtarent, & Diuini amoris flammâ incaleſcerent. Iucundiùs nihil, nec chariùs quicquam Viro Dei eſſe poterat, quàm in ſolitudine Diuinis vacare amplexibus: at ſi interdum cum aliquo colloquendum eſſet, oculis in humum defixis, totoq; corpore maximo cum decore compoſito, tanta illi ex conſortio ſermonis Dei vis in colloquio indita erat, tantâq; ſuauitate res Diuinas eructabat; vt omnes ab illius ore penderet, & Angeli potiùs quàm hominis verba omnibus viderentur. Tanta quoque huic Seruo Dei ad quæcunque agenda lepos, ac ſuauitas inerat, vt nemo

anguſtiâ, aut tribulationis pondere preſſus ad eum accederet, quem eloquij ſuauitate recreatum non ſubleuaret, ipſiusque verba mentes hominum ignis inſtar adurerent: Nec mirum, cùm & ipſe loquendo adeo Diuino incaleſcebat amore, vt nonnunquam in ipſo ſermonis fluxu in ecſtaſim raptus, & à ſenſibus planè abalienatus remaneret. Nullum inimicitiæ genus erat, quod ſuâ prudentiâ, & dicendi venuſtate peremptum ad pacem non componeret, quod pluribus exemplis demonſtrari poſſet. Et licet Rogerius eorum familiaritatem minimè negligeret, quorum ſaluti conſulere verbo, aut vitæ exemplo poterat, à propinquorum tamen conuerſatione, ſimul atque ſe Deo in Religione conſecrauit, adeò ſemper abhorruit, vt omnem prorſus ab intimis præcordijs Conſanguineorum & Patriæ amorem exhauſiſſe videretur. Vir quoque tàm eximiæ charitatis fuit, vt nihil quod fraternæ Charitatis zelus expoſceret, omninò prætermitteret; tàm egregiæ Patientię, vt re nullâ vnquam aduersâ perturbari poſſe videretur. Denique cùm pręclariſſimis vitæ exemplis Poſteris omnibus præluxiſſet, & S. Franciſci Prouinciam, & Romanam plurimis virtutibus, ac vitæ ſanctimoniâ illuſtrâſſet; ſenio, & vitæ auſteritatibus conſumptus, cùm iam ſapientiſſimi negotiatoris inſtar, multos operum, ac virtutum theſauros pręmiſiſſet; eos & ipſe anno 1610. Romæ rebus valedicens humanis, inſecutus eſt. Nondum anima illa fœlix corporis exuuias depoſuerat, cùm Fratres ob ſingularem, quam de ipſius ſanctimoniâ opinionem conceperant, in ipſius cellam irruentes pallium, cingulum, ſandalia ſtrophiolum, & quæcunq; ſuo vnquam vſui deſeruierant, ſibi vendicarunt, ac certatim ſibi velut Reliquias repoſuerunt. Nec fruſtra: Nam cum D.O.M. quàm grata ſibi illius anima eſſet, apud omnes innoteſcere, ac nonnullis poſt mortem miraculis illuſtrare voluiſſet; accidit, vt inter alios nouiſſimus omnium in cubiculum Serui Dei accurriſſet. Fr. Claudius à Feſcennio; qui cùm ſpoliatum, ac vacuum offendiſſet, funiculum quendam, qui appenſus ibi remanſerat, accipit: Et dum plenâ fide ad manum (quam propter catharri deſcenſum pluribus iam diebus dolore affectam geſtauerat) circumligat, dolor, ac deſcenſus ſtatim abſcedit, & euaneſcit. Vir quidam Bononienſis Nobili genere natus, dum Viri huius habitus ſibi fruſtulum adhibet, à plagâ magna liber euadit, ac perfectè ſe curatum ſentit. Monialis Capucina, quæ Romano in Conuentu oculorum viſu orbata remanſerat, dum Serui Dei conſpicilia oculis admouet, viſum læta recipit.

Fr. BONAVENTVRÆ CALARITANI, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER BONAVENTVRA CALARITANVS, Sacerdos, ex ſæculi mercaturâ ad præſtantiorem Euangelicæ margaritæ negociationem in Capucinorum Ordine à Deo vocatus, multiplicata Deo talenta reddidit. Inter præclaras huius Viri virtutes, quibus abundè exornatus fuit, aſſiduum Orationis ſtudium refertur, quam lachrymarum vt plurimum imbribus irrigabat; vnde facilè omnium illi virtutum germina exoriebantur, ac Diuinarum reuelationum fores patefiebant, quibus haud rarò fratrum cogitationes aperuit. Fr. Hieronymo Barcinonenſi Nouitio, Dæmonis tentationem circa Fidem, alteri quoque Nouitio Bernardo, qui ad ſæculum reditum parabat, occultam tentationem aperit. Hieronymo Attanagienſi Nouitio, occultum peccatum, quod in ſæculo perpetrauerat, in memoriam reuocat, vt illud in Confeſſione aperiat: atque eidem cogitationes, quibus animo, dum in Choro pſallit, diſtrahebatur, haud ſemel indicauit. Huic in ſomnis aliquando apparuit Fr. Franciſcus Borgerrenſis, Sacerdos defunctus, magnæ triſtitiæ ſigna præſeferens, qui ab eo interrogatus, num ſuffragijs indigeret; eo annuente, pro illo Sacrificium, & carnis macerationes Deo offert. Quibus defuncti anima poſt aliquot dies eodem modo apparens, ac plurimùm ſe refrigeratam aſſerens, noua ab eo ſuffragia poſtulat: quibus à Bonauenturâ magnâ charitate exhibitis, illam tertiò hilarem, ac Cœleſti ſplendore fulgentem cernit; quæ cùm tunc ſe ad immortalium gloriam conſcendere affirmaret, ſummas illi pro collatis ſuffragijs gratias reddit. Obijt Bonauentura Anno 1611.



FRATER IOSEPHVS A LEONISSA FRATRVM CAPVCINORVM GVARDIANVS.

FR. IOSEPHI A LEONISSA, GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER IOSEPHVS à LEONISSA, Concionator, Anno 1556. Nobili ſtirpe, Ioanne videlicet Deſiderio, & Franciſcâ Paulinâ parentibus progenitus, cùm Eufranij in Baptiſmo nomen accepiſſet; ab incunabulis Diuinæ cœpit benedictionis ſemine perfundi: Mater enim cùm profundâ nocte puerum aliquando lactaret, ſomno correpta ita infantis ori cœpit incumbere, vt eum intercluſo halitu peremptura eſſet, niſi Diuino planè Miraculo infantis ſaluti proſpectum fuiſſet. Nam hoc ipſo tempore Mater ſopore oppreſſa, tam ingentem ab inuiſibili manu colaphum ſibi impingi ſenſit, vt eo à ſomno excitata, pauens exclamare cœperit. Quamobrem lucernâ à Viro, qui colaphi ſonum perceperat, confeſtim accenſâ, tunc primùm infantis periculum deprehenſum; Mater verò cùm liuidam ab inflicto colapho genam per aliquod tempus geſtaſſet, prudentior deinceps in puero lactando euaſit. Alterum quoque Diuinæ erga puerum prouidentiæ, ac ſollicitudinis teſtimonium eluxit: etenim ſæpè obſeruatum fuit, quod eo in cunis iacente, ac vagiente, cùm nemo eſſet, qui ſopiendo puero cunabula agitaret, illa dextrâ, & virtute duntaxat inuiſibili mouerentur, quo illi ſomnus conciliaretur: quod ſanè non modò Cœleſte; ſed & inter Cœleſtia perrarum fuit futuræ huius infantis excellentiæ argumentum. At cùm primùm Eufranius ab infantiâ ad pueritiam emerſit, pijs, ac optimis à parentibus moribus inſtructus, tantùm in virtutis, ac totius pietatis diſciplinâ profecit; vt puerilibus omnibus, ac ludicris, quæ illi ætati familiaria, & cognata eſſe ſolent, abiectis, animum ad ſeria tantummodò, ac ſolida virtutum ſtudia, quæ ætatis etiam humeros ſuperarent, ſollicitè conferret. Vix enim ſeptimum ætatis annum attigerat, (vt ex ipſius Proceſſibus conſtat) cùm ſextas cuiuslibet hebdomadæ Ferias, ob Dominicæ Paſſionis memoriam, panis & aquæ ieiunio celebraret; eandemque ieiunij legem in Beatiſſimæ Virginis, quam ab hac ſuæ ætatis aurorâ, piâ quadam veneratione proſequi cœpit, pervigilijs puerulus obſeruare. Altaria puerorum more in paternâ domo extruere;

ante illa diutius genuflexus orare; Sorores, & extraneos pueros eò ad orandum conuocare: Singulis diebus Veneris ſimul cum ſancti Saluatoris Confratribus flagris ſeipſum cędere: cæteris nocturnæ quieti indulgentibus intempeſtâ nocte ſurgere, & orationi vacare cœpit. Adoleſcens cùm nonnunquam in paternâ domo epulo inſtructo choreæ inſtituerentur; is in ſecretiorem domus locum ſecedens, vbi à nemine reperiri poſſet, ſolitarius ſedebat, orationi vacabat, meditabatur: tantam pudicitiæ cuſtodiam ab illius ætatis exordio adhibere exorſus, vt & ab mulierum aſpectu, haud ſecus quam ab aſpide, & baſiliſco ſibi caueret. Denique cùm ita modeſtiæ, humilitati, verecundiæ, pietati, ac cęteris virtutibus, quæ Adoleſcentiam exornare ſolent, ſtuderet, vt à cunctis, velut quoddam virtutis prodigium ſuſpiceretur; inde futura communi voce ipſius ſanctimonia pręſagiebatur. Necdum Eufranius adoleſcentem ætatem exceſſerat; cùm vtroque parente orbatus ſub Patrui curâ educatur; qui cum inter illius tempeſtatis Ludimagiſtros moribus, ac doctrinâ pręcelleret, Adoleſcentem qui præſtans à naturâ ingenium, ac dicendi facultatem ſortitus fuerat, Humanioribus litteris tàm perfectè inſtruit, vt etiam his reliquos ille facilè condiſcipulos ſuperaret. Interea Nobilis quidam Viterbienſis, qui in Adoleſcente tantam, & coaceruatam virtutem ſæpè animaduerterat, illius ſtudio allectus, pingui ſeptem millium aureorum dote conſtitutâ ſuam illi filiam coniugio copulare ſtatuit. Re cum patruo communicatâ, coniugium Eufranio perſuadet; qui cùm ſuam Deo Virginitatem vouere decreuiſſet, illud apertè recuſât. At Patruo rem vehementiùs vrgente ac ſummâ cum eo auſteritate agente, ad Dei opem ſupplex confugit. Deus verò, quem caſtæ cogitationes delectant, Patrui conſilium diſſipat; diuturnâq; Eufranium febri in lecto ægrum proſternit. Sextumdecimum tunc is annum agebat, cùm diuturna illa morbi ægritudo in dies grauior Medicos compellit, vt illi ad patrium ſolum, donec à morbo conualeſcat, migrare perſuadeant. Eufranius igitur Leoniſſam rediens, vix patrium Cœlum conſpexit, cùm incolumitati redditus ſimul & à patrui imperio, & à coniugij neceſſitate ſe liberum vidit: quo tempore Diuino intus numine agitante, anno ſuę ætatis decimoſeptimo fluctuantis mundi verticibus hactenus ſicco pede calcatis, ad Capucinorum ſe Religionis portum, propinquis omnibus inconſultis confert; ac Eufranij nomine mutato, Ioſephi non modò appellationem, ſed antiqui illius Ioſephi virtutem ac benedictionem ſortitur. Cùm primùm igitur ad Religionis ſinum exceptus fuit, non modò

propinquorum conſpirationem, qui vt eum à Religionis propoſito reuocarent, precibus, minis, pollicitationibus, omnibus denique artibus illius animum tentauerant; ac demum ſcalis admotis in Sacras Ædes inuadere parabant, ſuâ conſtantiá perfregit. Verùm inter Religionis Tyrones prçclariſſimas virtutum aſcenſiones in animo diſpoſuit. Ioſephus igitur à lachrymis exorſus, tot cœpit animum in oratione fletibus eluere, & anteactæ vitæ rationem, tametſi multâ cum virtute peractam lachrymis conſpergere; vt quemadmodum poſt multam imbrium copiam clarior in Cœlo ſerenitas exoriri ſolet; ita in Ioſephi animo maior poſt hæc quies, ac tranquillitas affulſerit. Triennio verò in Religione exacto, cùm primùm ad Philoſophica, ac Theologica ſtudia vocatus, tam admirabili carnem abſtinentiâ extenuare cœpit, vt ternos cuiuslibet hebdomadæ dies ſolo panis & aquæ victu, cultu ſempiterno tranſigeret; atque eâdem abſtinentiæ lege pleraſq; anni Quadragenas celebraret; quodq; vix credibile eſt, ternos plerumq; dies abſque cibo præteriret. Quid? quod eò tandem abſtinentiam contraxerat, vt æſtiuo aliquando tempore denos plerumq; dies, ſolâ panis per diem buccellâ guſtatâ, integros ageret. Denique cùm omnem guſtus voluptatem acri bello proſequeretur, eò fiebat, vt cùm communibus cum alijs cibis veſceretur, pulmentum vt plurimùm vel aquâ inſipidum, vel abſynthio puluere amarum redderet; tantâq; corpus victus tenuitate extenuaret, vt vix illi vitæ neceſſaria miniſtraret. Prioribus quidem ſuſceptæ Religionis temporibus aliorum conſilijs acquieſcens, mitiùs cum corpore agebat: quo tempore ſæpè ægritudine detentus cùm abſtinentię virtutem ſibi paulatim defluere animaduerteret, tantâ, ac tam rigidâ abſtinentiæ ratione in valetudinarium illum corporis ſtatum conſurrexit; vt eo breui tempore deuicto, ac mutato, nouâ abſtinentiâ firmum & incolumem deinceps adeptus fuerit. Hanc Ioſephus in victu perpetuam abſtinentiæ legem ſibi præſcripſerat; vt non quantum corpori; ſed quantum ſibi, qui corporis vitia nouerat, ſatis eſſe videretur, cibi ſumeret: quo fiebat, vt cùm primùm ad menſam accederet, panis portionem, quæ ad vitam alendam ſufficeret, ſeorſim ſegregaret. Annum 1599. qui Iubilæi annum anteceſſit, quotidiano ieiunio præuenit. Tam duris inſuper caſtigationibus carnem premere conſueuerat, vt pleriſque cilicijs, tum ex equinis crinibus, tum etiam ex ſuillis pilis contextis, quibus diu carnem afflixit, minimè contentus; alia quoque ex ſicco vaccæ corio, & fæno conſerta; vltimum denique (quod eatenus planè inauditum fuerat)

duriùs ex viminibus textum diutiùs geſſerit. Nemo vnquam tantâ animi fame aurum eſurijt, quantâ hic dura omnia pro Chriſto patiendi cupiditate flagrauit. Quapropter cum hæc illi nimis leuia viderentur; his aliquamdiu loricam ferream, quæ nudum corpus ad femora vſque contegeret, adhibuit: huic etiam ferream laminam, quâ lumbos conſtrinxit, per aliquot annorum ſpatia addidit: quâ tandem in ferream catenam commutatâ, cùm eâ diu noctuque arctiùs conſtringeretur, carne diutino illius vſu ſupercreſcente, ac tabeſcente; eam tandem, ne inde incurabile vlcus erumperet, forcipe obtruncari opus fuit. Verùm, ne ſeruo contumaci vincula deficerent, alteram catenam paulò laxiorem ſortitus, eâ ad obitum vſque vſus fuit. At cùm his animus, grauiora pro Chriſto perferendi famelicus, exſaturari minimè poſſet, ferreâ catenâ corpus quotidianis ferè verberibus cædebat; perexiguum oculis ſomnum indulgebat; vt noctis partem in ſacras vigilias, & orationem inſumeret. At ne breuem illam quietem mollem, aut iucundam corpori exhiberet, deſpectiſſimâ totius Conuentus cellâ, quæ vix illum caperet, ſibi electâ, ſæpè nudam humum; vel ſi corpus molliùs aliquando excipere vellet, tabulas feſſis membris, ac capiti ligneum puluillum ad quietem ſubſternere ſolebat: & haud rarò abſque cellâ in aliquo domus angulo leui ſtratâ paleâ iacere cernebatur. Nullum denique tam durum, tamque moleſtum auſteritatis genus erat, quod ſi illi per Superiores liceret, non auidiſſimè complecteretur. Quamobrem cùm peractis Theologicæ Diſciplinæ ſtudijs, & ad Euangelicum munus aſſumptum, Prouincialis Miniſter eum ſibi publicæ viſitationis comitem elegiſſet, nouâ mox vitæ auſteritate ita enitere cœpit; vt Prouincialis ipſe Miniſter, tametſi vitæ rigiditate conſpicuus id tandem fateri coactus fuerit, ſe nullatenus Ioſephi auſteritatem aſſequi poſſe. Quapropter in ſancti Franciſci Prouinciâ id tandem ſuâ vitæ auſteritate agnomen tulerat, vt à Fratribus propriæ carnis lanio communi voce appellaretur. Quàm perfecta autem in Ioſepho ſenſuum omnium mortificatio eluxerit, hinc haud obſcurè apparet; quod ori primùm tam ſeueram vbique cuſtodiam adhibuit, vt Chriſtiani Pythagorici inſtar, ne in otioſum, ac inutile, nedum pernicioſum verbum aliquando dilaberetur, taciturnitate pro ſermone, ſilenlentio pro linguâ vteretur: Ei ſiquidem familiare erat, omnium familiaritates fugere, ſolitudinem quærere; plura cum Deo, pauca cum hominibus proloqui, & quamlibet temporis iacturam, quam

mutua conſuetudo adferre ſolet, magni æſtimare. Linguæ frænum oculorum quoque cuſtodia comitabatur: perpetuus enim hic Virginitatis cuſtos non modo à mulierum aſpectu, verùm & ab ijs omnibus, quæ pudicum animum quoquo modo labefactare poſſent, ſollicitè cauebat. Cum primum verò in Religione virtutum tyrocinium poſuit, ad Humilitatis virtutem tanto ſtudio animum contulit; vt nihil iucundiùs putaret, quàm aliorum ſeſe obſequijs mancipare, viliſſimis domus miniſterijs incumbere, ac ſe omnium Seruum, ac captiuum exhibere. Hinc tam ingens in illius animo ſuiipſius contemptus pullulauerat; vt non modò illatas ſibi tum publicas tum priuatas correptiones æquo animo ſuſtineret, verùm ijs obuiam iret, ſuæque apud alios deſpicientiæ occaſiones venaretur; quoſque alij diligentius quærere ſolent, is honores metueret. Eo fiebat, vt quanquam euangelizandi Officio prçcelleret, oppidula tamen ſibi ad prædicandum eligeret, eaque illuſtrioribus Vrbibus anteferret. Oblatos Guardianatus honores, quoad fieri poterat, recuſare ſolitus erat. Huic itaque primo humilitatis gradui ſecundus ſuccedit; in quo ſe tantò profundiùs ante Dei oculos, atque hominum conſpectum deijciebat, quantò ſe ſolum impium, ac ſceleſtum, cæteros præ ſe iuſtos ſibi perſuadebat. Quo fiebat, vt eorum conſortio, ac ſocietate indignum ſeſe aſſerens, nullum tam profundum, qui ſe demitteret, locum inueniret, quin adhuc ſibi profundiorem expeteret: Cùm enim ea ſibi mala, & peccata adſcriberet, quæ excluſâ Dei gratiâ, perpetrare potuiſſet; ſe non modò peccatorem arguebat, ſed & inde omnium peccatorum maximum euincebat. Hæc verò profunda ſuiipſius cognitio, tam altas in Viro Dei veræ humilitatis radices infixerat; vt perpetuo quodam Diuinorum iudiciorum timore, quò magis in eâ conſtabiliretur, ipſius animum pulſaret. Hoc humilitatis ſenſu, cùm ſe vel ob prçdicationis fructum, vel ob ſanctitatis opinionem, commendari, aut aliquem ſibi honorem deferri animaduerteret; id tam indignè ferebat, vt ſæpè dicere ſoleret, ſe grauiſſimæ contumeliæ loco omnem collatum ab hominibus honorem ducere; libentiuſque omnem iniuriam & contumeliam accepturum, quam eo, qui Deo omnium bonorum auctori debetur, honore affici. Supereſt tertius humilitatis gradus, qui in altiſſimâ quadam Dei cognitione conſiſtit; qui cùm mirabiles in Ioſepho ad omnem ſui deſpicientiam motus cieret, tot etiam illum ad Chriſti humilitatem ſectandam ſtimulis prouocabat, vt eius opprobrijs exſaturari quàm maximè expeteret. Quamobrem cùm ſæpè à Generali Miniſtro,

Euan-

Euangelij inter Infideles prædicandi facultatem poſtulaſſet; anno tandem 1587. optata ab eo facultate potitur; & cum alijs noſtri Ordinis Concionatoribus Byzantium obedientialibus litteris præmunitus deſtinatur; vbi & contumelias, & verbera, varijque generis opprobria ab Infidelibus ab eo ſummo gaudio lata, quemadmodum infra fuſiùs enarrabimus. At quandoquidem vera ac perfectá humilitas patientiam parit; hanc Ioſephus tanto ſtudio proſequitur, vt ad probra & contumelias ardentiùs, quam quilibet ad honores ambitioſus anhelaret: ijsque laceſſitus non modò patientiam ſeruaret, verùm & eas cum gaudio ſuſciperet, in hisq; plurimâ cum voluptate verſaretur, quare nemo perfectiſſimum illum patientiæ gradum conſcendiſſe dubitabat. Verùm vt id nonnullis exemplis lucentius fiat, Vir quidam, cuius nomen & patria conſultò reticentur, aliena bona non minus violenter, quàm iniuſtè occupauerat; quem Ioſephus ad ea reſtituenda piè admodum, ac ſæpè admonebat. At ille pia ſancti Viri conſilia, ac monita ægrè primùm ferebat: quæ deinde tam indignè, refricata, tolerare cœpit; vt cùm eum Ioſephus in publico quodam vico obuium haberet, ac bonorum reſtitutionem illi de more perſuaderet; ille grauiori irâ percitus, ingens ei colaphum impegerit, & calce oppetierit. Cui Vir Dei, ne minimùm quidem animo conturbatus, mox alteram genam pacatè porrigens ait: Parum eſt, me vnam abs te alapam ſuſcepiſſe; alteram nec inuitam, nec prohibens, quin etiam libens accipiam: dummodò animum ab iniuſtâ hac bonorum vſurpatione reuoces, ac iram Dei effugias. Quo ille audito, cùm terga verteret, Ioſephus poſt tergum inclamans: Cur abis? (inquit) ac me velut inimicum fugis? ſi monentem audiſti, ſaltem ignoſcentem ne exhorreas: & ſi admonitionis odium colaphum extorſit, parcentis amor odium expellat. At cùm Vir ille auara bonorum cupiditate poſſeſſus, nec ſalubrioribus monitis acquieſcere, nec vllis conſcientiæ ſtimulis pungi videretur; Ioſephus iterum Virum domi conuenit, quem dum ad meliorem animi ſententiam verbis pertrahere conatur; is Diabolicis planè furijs actus, Ioſephi vtrâque manu Capucinum arripit, & collum perſtringens præfocare nititur: quo tempore Ioſephus agni inſtar, nihil prætèrquam preces ingeminat, quibus illum ad ſanæ mentis conſilium reuocet; dextrâque ligneâ Crucifixi imagine, quam ſecum gerebat, aſſumptâ, ad meliorem mentem reuocare conatur. His Ioſephus cùm non modò conſtantem animi in Viri contumelijs perferendis patientiam; verùm & inuictam in eo corripiendo pectoris fortitu-

dinem prætuliſſet, ex illius tandem manibus euadit. Tuderti præterea cum iuuenculam Religioſæ vitæ addictam ſuſpectæ cuiuſdam familiaritatis corripuiſſet, rem illa ad ſpiritualem Patrem, ac Ductorem detulit; qui eâ ſtomachatus, cum Virum Dei obuium in viâ haberet, Hypocritam appellans, pleriſque eum iniurijs onerat: quibus ille ne minimum commotus, riſu illum, ac profundâ capitis inclinatione excipit: At verò quàm iuſtè iuuenculam corripuerit, rei euentus non declarauit: ea namque paulò poſt in eam vitæ licentiam ſe præcipitem dedit, vt publica tandem meretrix euaſerit. Quot verò à Fratribus, qui illius patientiam probare decreuerant, duras, ac inopinatas correptiones, ac verborum aculeos tulerit, haud facilè referri poteſt: quas tam patienter, atque æquo animo pertulit, vt à ſuâ animi tranquillitate ijs nunquàm deijci potuerit. Colico dolore, ac varijs corporis ægritudinibus Vir Dei ſæpè premi conſueuerat; quas tantâ patientiæ virtute tolerare viſus, vt querulas in his nunquam voces depromere auditus fuerit. Id præſertim in graui carcinomatis morbo, qui circa finem vitæ in genitalibus partibus laborauit, perſpectum fuit: quem cùm ab exordio ob ſolam honeſtatis, ac pudicitiæ cauſam curari noluiſſet; eo tamen ingraueſcente, ſi quando carnis inciſiones à Chirurgo adhibendæ forent, tam admirabili in his tolerandis patientiæ vi pręcelluit, vt cùm de illo vinciendo à Chirurgo ageretur, is Chriſti Crucifixi imaginem manu arreptam oſtendens diceret: Quid alijs vinculis opus eſt? Hæc mea vincula ſunt: hic me fortiùs, quàm ferreæ catenæ ſuis charitatiş nexibus conſtringit. Neque alia in grauiſſimis illis carnis inciſuris illius vox audiebatur, præterquam: Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes. Cætera verò illius patientiæ exempla, quæ apud Infideles potiſſimùm in varijs illis contumelijs, flagris, verberibus, ac tormentis illatis enituêre, paulò infrà exaranda ſunt. Altiſſimam Paupertatem, Patientiæ amicam, à ſuæ conuerſionis exordio tam ardenti amore proſequi cœpit, vt non modò à ſuperfluis abhorreret, ac neceſſariarum duntaxat ſibi rerum vſum præſcriberet, ita vt pręter ea, quibus per Regulam vti liceret, quæ pauciſſima ſunt, nihil ſibi habendum vellet: ſed & neceſſaria ipſa ad breuem, ac pauperem rerum vſum ſibi arctabat. Eo factum eſt, vt nunquam nouam tunicam, aut pallium induerit; ſtrophiola, ac linteola, quibus ad emungendas nares, vel ad ſudorem ex prædicatione contractum extergendum vti ſolebat, vel cilicina,

vel ex ſacco rudi contexta erant. His & alia quamplurima paupertatis teſtimonia accedebant. Verùm non in ſolâ rerum penuriâ, aut in arcto rerum neceſſariarum vſu; ſed in voluntariâ rerum indigentiâ, ac penuriâ eam Ioſephus collocabat. Hinc cùm Verbum Dei proponeret, annonam, quæ ad neceſſariam vitæ rationem illi conſtituta erat, recuſans, ſolum panem, pauperum more, mendicare, eoqúe voluptuosè veſci ſolebat. Ligna quoque ab Oppidi, aut Vrbis vniuerſitate oblata renuebat; & vt ſummam paupertatem teſtaretur, cum Socio tenues quoſdam lignorum faſciculos quotidie colligere, atqueijs onuſtus ad hoſpitium redire conſueuerat. His, reliquus rerum vſus reſpondebat. Cùm in Oppido S. Iacobi, Dei Verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaret, quotidianâ annonâ, quæ illi ad victum deſtinata erat, partim in Socium, partim in pauperes diſtributâ, is dimidiâ tantùm panis parte ſibi ſeruatâ, ad cuiuſdam lacunæ oram deſcendens eâ veſcebatur: tum lacunæ aquam, quæ corrupta vermibus ſcatebat, attingens, ex eâ potum toto Quadrageſimali tempore maximâ cùm voluptate ſibi ſumpſit. Principio quidem eam carnis ſenſus refugere videbatur: At Ioſephus ita corporis ſenſum alloqui cœpit: Eia, frater Aſine, quid horres? quid nauſeas? vermeſne? At bibe, ne extimeſcas; & cum ijs, quorum eſca aliquando futurus es, iam nunc amicitias iunge. Inter paupertatis incommoda haud leue frigoris rigor exiſtimatur: At Ioſephus in maximâ niuium copiâ, extremiſque hyemis algoribus, licet vnicâ tantùm, & obſoletâ tunicâ vteretur, nunquam tamen, vel perrarò ad ignem, quo frigus depelleret, cum cæteris accedebat. Illam verò Ioſephi obedientiam fuiſſe indicâſſe tantum ſufficiat, quæ cùm illum ita perfectè Superioris voluntati ſubderet, vt nullam illi præterquam Superioris voluntatem integram relinqueret, eos omnes Obedientiæ gradus, qui à Patribus diſtingui ſolent, proculdubio aſſecuta fuit. Quanta verò in eo caſtitas floruerit, quàm pura, quàm candida, quàm perfecta, vel inde licet colligere, quod ea illi non communis, aut vulgaris; ſed virginea vſque ad obitum fuerit. Quod multis argumentis in eius proceſſu probatum eſt. Quid enim primum illud conſtans nuptiarum repudium, præterquam purum eum à Venereâ labe, è ſæculo emerſiſſe indicat? Religionis verò ſinu exceptum, ac nunquam intermiſſo virtutum ſtudio addictum, tot ieiunijs exeſum, tot cilicijs, tot ferreis laminis, tot catenis, tot flagellis contritum; tantâ denique morum, ac vitæ honeſtate præditum, vt vnumquemque ſuo aſpectu ad pudicitiam alliceret; quis tam turpi vitio fœdatum

ſuſpi-

ſuſpicari audeat? Accedat tertium Sacerdotis, qui generalem totius vitæ in morte peccatorum confeſſionem excepit; teſtimonium; qui eundem ab omni carnis inquinamento liberum fuiſſe affirmat. Denique, ſi Viro, cuius vita tot Cœleſtium miraculorum ſignis à Deo probata fuit; vti fuſiùs poſt explicabitur, fides adhibenda eſt, id aliquando ex Ioſephi ipſius ore elapſum confirmatur: qui cùm à cancro, qui genitales ipſius partes inuaſerat, à Medico curaretur, his aliquando Franciſcum à Leoniſsâ Guardianum, qui adſtabat, verbis affatus eſt: Ecce, Pater, quam iuſtus eſt Dominus: Quandoquidem eo mihi gloriari videbar, quod me Deus hac in parte ab omni labe purum ſeruaſſet: Cùm enim in die feſto Sanctorum Innocentium ſancta Dei Eccleſia ea verba decantaret: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* tacita mihi in animo cogitatio reſpondebat: Et ego non ſum coinquinatus; hanc mentis cogitationem haud Deus impunem eſſe voluit. Quapropter in hanc mihi partem morbum immiſit; vt dum grauiori hoc dolore corpus afficitur, minus in collato dono mens ſibi applaudat. Illud tandem accedat, quod id Cœleſtis gratiæ à Deo tuliſſe exploratum fuit, vt carnis ſorde coinquinatos ſingulari quodam huius vitij fœtore à reliquis diſcerneret. Ioſephum verò per Diuinæ Charitatis gradus ad ſupremum aſcendiſſe, nemo, qui illius geſta percurrit, ignorare poteſt: Si enim Hieronymo Ioannem Euangeliſtam ob relegationem in Pathmos, & feruentis olei dolium, in quod immiſſus fuit, abſque morte Martyrem appellare licuit: eâdem quoque ratione & Ioſephus inter Martyres collocari poſſet, cùm nec Martyrio voluntas, nec voluntati Martyrium defuerit; tametſi vitam Diuinâ illi virtute ſeruatam perſecutoris gladius non abſtulerit. Etenim cùm poſt aliquot maximis hiſce in virtutibus annos in Religione tranſactos, ardentiori aliquando Charitatis æſtu incenſus ipſos Mahometicæ legis Sectatores ad Chriſti Fidem pertrahere, ſanguinemque, ac vitam pro Chriſto profundere peroptaret; Conſtantinopolitanam profectionem, quam ſæpè antea à Generali Miniſtro fruſtrà poſtulauerat, anno 1587. ac ſuæ ætatis 33. quem is ſibi præſtituerat; vt eodem, quo Dominus Ieſus pro delendis hominum ſceleribus in Crucem actus, ſanguinem fuderat, & ipſe propter eum vitam funderet; ab Hieronymo à Politio, qui eo anno Generalis creatus fuerat, tandem obtinet, & cum alijs noſtri Ordinis Concionatoribus Byzantium deſtinatur. Soluens itaq; Ioſephus è portu Veneto cum Socijs, cùm aliquamdiu proſperâ nauigatione vſi eſſent, dum per Boſphorum Thracium nauigant, naui diutinâ

tem-

tempeſtate iactatâ, cùm omnis victus annona nautis cæteriſq; iam conſumpta fuiſſet; exigua quædam panis portio, quam ſecum Ioſephus tulerat; quæ tamen tam tenuis erat, vt vix vni ſufficeret; eo orante tam Diuinâ virtute multiplicata fuit, vt triginta dierum ſpatio omnibus, qui in naui erant, ſatis fuerit; donec tranquillitate mari redditâ ad portum appellerent. Nauis igitur, quâ Ioſephus cum Socijs vehebatur, cùm longiùs aliquantò ab Vrbe ad littus applicuiſſet; is pedeſter cum Socijs iter faciens, viam prorſus qua pergeret ignorabat. Quapropter Deum impenſiùs rogare cœpit, vt quo eos Diuina ipſius voluntas vocaret, eò greſſus eorum dirigeret: protinus ſibi puerulum Nepotem, qui pridie antequam Leoniſsâ diſcederet, è viuis exceſſerat, ſibi adſtantem cernit: qui cùm ei dextram dediſſet, illos rectà ad Conſtantinopolitanam B. Virginis Ædem perduxit; ijsq́ue ibi relictis euanuit. Poſt hæc illi domicilium ſibi in Conſtantinopolitanâ Vrbe quęrentes, antiquum quoddam ſancti Benedicti Cœnobium ſemidirutum ſibi inhabitandum eligunt; in quo cùm integrum adhuc Sacellum ſupereſſet, nonnullis circum ſibi cellulis conſtructis, in eo Sacra Myſteria celebrant. Porrò Turcæ ad nouam habitus formam confluentes, Sacellum explorare, cellas perſcrutari, nudamq́ue illis humum pro lecto ſterni, tenuemq́ue domus ſuppellectilem conſpicientes, ſummam eorum paupertatem eò magis admirari cœpêre, quo oblatam pecuniam ab ijs reſpui, & contemni cernebant. Hinc Ioſephus poſt ardentium orationum flammas, tanquam Leo ignem ſpirans, ac Diuinâ charitate exardeſcens, in Vrbem quotidie erumpere, vicos & plateas circumire, vt ſi quando magnum (vt vocant) Dominum obuiam haberet, eidem Chriſtianam Fidem prædicaret. Verùm cum id nunquam ſibi è voto obtigiſſet, ad Regiam die quâdam accedens, ab Excubitoribus ad Imperatoris conſpectum, quaſi cum eo grauia quædam negotia tractaturus introduci poſtulat: qui cùm ſordidum hominem, lacerum, deſpectum, Imperatoris aſpectu & colloquio indignum cenſerent, id ſibi contumeliæ loco inuſtum putantes; eum pugnis, calcibus, varijsq́ue verberibus exceptum è Regiâ expellunt. Mox ille Deo ex animo gratias agere, quod dignus fuerit pro nomine IESV contumeliam pati, nec tamen à cœpto deſiſtere. Cum enim idipſum ſæpè tentâſſet; ſæpè etiam flagris, & alapis cæſus ad ſuos redire cogitur. Hoc quoque modo, cùm Mahometarum delubra, vt Chriſti Fidem infidelibus inſtillet, ingredi contendit, quamplurimis contumelijs ab ijs affectus eijcitur: quæ omnia cùm is iucundè ferret,

haud tamen his animum vnquam exſaturare viſus; quin potius in-dies Diuinâ magis Charitate feruens, cùm aditum ſibi ad Turcicum Imperatorem, ac cæteros Turcas intercludi cerneret; ad Chriſtianos, qui in Triremibus captiui detinebantur, animum confert: Quibus dum Fidei conſtantiam, patientiam, ac Cœleſte regnum prædicat, haud ſemel in vitæ pericula incidit: quæ tamen paruipendens cum his hoc tempore pane nautico duntaxat putrefacto, ac vermibus ſcatente iucundè veſcitur: quin etiam ne & ij ipſius aliquando penuriâ laborarent, ſæpè oblatum recuſans, ſolos ſibi malos citrios ad cibum adhibet: quos etſi natura acerbos protulerit, eos tamen illi fames dulciores reddit. Inter hæc cùm Chryſoceram, quod eſt Bizantij ſuburbium, aliquando ſub veſperum pergeret; cùm nullum aliud ſibi hoſpitium eſſet, ad ænea tormenta, quæ ante Regiam Imperatoris domum inſtructa erant, ſecedens inter ea ſibi quieſcendum eâ nocte eligeret: quod cùm ex Regiæ ſpeculatoribus nonnulli animaduerterent, ad eum aduolantes, tot fuſtium ictibus onerant, vt velut exanimem humi iacentem reliquerint. At viuum poſt hæc conſpicientes, mox in carcerem conijciunt: vbi integri menſis ſpatio pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ paſcitur; ex eo tandem vix Veneti Procuratoris ſupplicatione liberatur. Bizantium eo tempore, ac præſertim Tryremum ſtationem lues inuaſerat; quapropter cùm Ioſephus feruentiori Charitatis ſpiritu ductus captiuis Chriſtianis nullis officijs, ac laboribus parceret, eodem & ipſe morbi contagio laborare cœpit; ex quo tamen Diuinâ potiùs quàm humanâ virtute conualeſcens, omnium ſaluti incumbebat, ac ſeipſum Deo pro ijs hoſtiam offerebat. His inter eos, qui Chriſtianam Fidem abnegauerant, cùm in Græcum quendam Archiepiſcopum, qui Baſſæ, ſeu Gubernatoris titulo fruebatur, aliquando incidiſſet, eum tandem rationibus conuictum ad Chriſtianæ Fidei amplexum reduxit. Diuinæ igitur Charitatis flammâ, quâ ad Martyrium pro Chriſto ſubeundum ferebatur, accenſus, extremam tandem aleam iacere in animum ſibi inducit. Quamobrem Diuinâ priùs orationis virtute armatus, ad Regiam ſe confert; intrepidus Aulam penetrat, primamque Excubitorum cuſtodiam dormientem offendens, ad ſecundam progreditur: in quâ cùm neminem adeſſe conſpiceret, ad tertiam atque intimam pergit. Colludebant eo tempore illius cubiculi cuſtodes; qui ſimul atque hominem pauperem, ignotum, & Chriſtia-

num

num ex verbis agnoſcunt, mox apprehenſum conſtringunt, è cubiculo expellunt, & carceri mancipant. Re intereà ad Iudicem delatâ, tanquam læſæ Maieſtatis reus ad extremum vnci ſupplicium damnatur. Eſt vnci ſupplicium quoddam tormenti genus, quo ad necem damnati hoc modo afficiuntur. Duo è patibulo vnci, velut harpagines, quorum alter breuiori, alter verò longiori catenâ affixi ſunt, pendent. Qui igitur ad necem damnatus, dextrâ priùs ipſius manu perforatâ, breuioris catenæ vnco ſuſpenditur: vnco verò, qui longiori è catenâ pendet, dextrum eiuſdem talum, inter poſticum neruum, & os tibiæ perfoditur, hocque modo appenſus, ac fame enecandus deſeritur. Ioſephus itaque cùm triduo abſq; cibo hoc modo vncis ſuſpenſus è patibulo pependiſſet; puer, vel potiùs cœleſtis Angelus ſub pueri ſpecie extemplò apparet, qui vncos arundine, quam manu geſtabat, attingens, protinùs ab eo diuellit; geminiſque panibus, ac vini lagunculâ recreatum, cùm in Italiam redire iuſſiſſet, mox ex illius oculis eripitur. In quo ſanè arcanum Dei conſilium admirari licet; qui cùm Ioſephum non ad ſanguinis, ſed ad Charitatis potiùs Martyrium delegiſſet; ita illius Martyrium æternâ illâ ſuæ mentis ſapientia temperauit; vt nec ſanguis illius Martyrio defuerit, quo Martyrij præmium aſſequeretur; neque tamen ſanguinis Martyrio, quo ardebat, conſumptus fuerit, vt ſuum Charitati Martyrium relinqueretur. Porrò hoc ipſo tempore alij quoque Ioſephi Socij ad palum damnantur: at quodam Medico, qui ex Chriſtiano Mahometanus, plurimâ apud Turcarum Imperatorem authoritate valebat, agente, ſententiâ reuocatâ à nece liberantur, & ad Chriſtianorum terras expelluntur. Ioſephus ergò Cœleſti præcepto redire compulſus, Archiepiſcopi, quem iterum Chriſto pepererat, obliuiſci non potuit: Quapropter eidem perſuadet, vt oblectationis animi ſimulatâ cauſâ ſecum nauigium conſcendere ne formidet. Acquieſcit Ioſephi conſilio Archiepiſcopus; & dum vnâ cum Ioſepho, & Socijs Italiam verſus adnauigat, en repentè tempaſtas oritur: quo tempore dum omni ſpe vitæ abiectâ, certum ſibi naufragium nautæ expectant; Ioſephus, qui eovſque Dominum rogare diſtulerat, poſitis genibus Deum precatur: Vixque orationem abſoluerat, cum auis diſcolor, ac pulcherrima, nauis malo inſidere conſpicitur; quæ dulci vocis modulamine proſtratos omnium animos recreans, in meliorem ſpem erigit: mox eâ auolante quieſcunt fluctus, æquora ad priſtinam tranquillitatem redeunt;

ac tandem læti Venetias appellunt; atque inde Archiepiſcopus Romam profectus, Sanctæ, ac Romanæ Eccleſiæ reconciliatur. Cęterum quæ Ioſephus duorum circiter annorum ſpatio, quibus inter Infideles verſatus eſt, corporis damna & incommoda pro Domino pertulerit, quoſque, vt Infidelium animas Chriſto lucraretur, mortis pericula euaſerit, quantaque perpeſſus fuerit, faciliùs ex illius ardentiſſimâ in Deum Charitate colligi, quàm verbis explicari poſſunt: quâ tandem factum eſt, vt quamuis decreto mortis ſupplicio perſecutor ei vitam non abſtulerit; is tamen Martyrij palmâ haud fruſtratus fuerit. Tantâ erga omnes, pręſertim inimicos, Charitate quoque ferebatur; vt qui eum vel iniurijs laceſſerent, vel probris oppeterent, vel contumelijs aut verberibus afficerent, hos Ioſephus poſt iniurias, probra, ac verbera, eo amore proſequeretur, vt pro iniurijs, ac contumelijs benefacta redderet. Admirabilis planè huius Viri in pauperes Charitas fuit, quos tam tenero amore matris inſtar complectebatur, vt neceſſaria ſibi ipſi vt plurimùm alimenta ſubtraheret, quo illorum neceſſitatibus ſubueniret. Vbicunq; Dei verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaret, primum illius ſtudium, ac ſollicitudo erat Hoſpitalem Domum inuiſere, pauperibus miniſtrare, ægrotos conſolari, & quæ ſibi ad quotidiani victus annonam mittebantur, ſuâ Socio portione ſeruatâ, exiguâque ſibi panis parte relictâ cætera in pauperes diſtribuere. Innumera exempla adferri poſſent, quibus pręſertim cùm Guardiani Officio fungeretur, Ioſephi in pauperes Charitas abundè cognoſci poteſt, quæ breuitatis ſtudioſus prætereo. Hoc vnum tamen ſilentio prætereundum non eſt; quod in Oppido Criptarum, agri Spoletani, Dei verbum Quadrageſimali tempore diſſeminaturus, cum certum tritici cumulum ab Oppidadanis ad ſuiipſius alimenta paratum audiſſet; is, vt in pauperum alimoniam paratum ſibi triticum commutaretur, quotidianam panis ſtipem oſtiatim ſibi toto eo tempore in Oppido emendicat; ex eoq; MontemPietatis, quo pauperes alerētur, inſtituit. Sępè etiam fiebat, vt cùm in ægrotos pręſertim pauperculos, incideret, quibus propter inopiam neceſſaria non ſuppeterent, ad Diuinæ mox virtutis penum confugiens, è Cœlo, quæ illis neceſſaria eſſent, miniſtraret. Cumprimùm vero Euangelizandi munus accēpit, ita in animarum lucra inhiare viſus, vt nullum vnquam Verbi diſſeminandi finem faceret. Haud illi vnum, aut alterum in die Sermonem ad populum habuiſſe ſat erat; ſed vicos & caſtella improbiſſimo labore peragrans, ſæpè ad ſextum, ac ſeptimum pertingit. In his verò tàm incredibili

ſpiri-

ſpiritus ardore agebatur, vt facilè quiſque animaduerteret non humanum, ſed Diuinum in eo ſpiritum proloqui. Quo fiebat, vt audientium animos nullo negotio ad pœnitentiam & lachrymas compelleret. Quid plurâ? Vſque adeò animarum ſalutem eſuriebat, vt ſæpe imbre madidus, vel cœno fœdatus, atque interdum itineris labore confectus, ac febricitans ſermones inſtitueret; cibique, ac potus haud rarò oblitus, ieiunus ad quietem accederet. Poſt ſuum è Conſtantinopolitanâ Vrbe reditum Ioſepho mos fuit, ad Dominicæ Crucis memoriam, prçſertim in paſſionibus excitandam, Cruces quaſdam prææltas in montibus erigere, quas humeris ſuis deferens eò conuenientes turbas ad Crucis venerationem, & Dominicæ Paſſionis memoriam ſermone prouocabat. Hoc modo cùm in Montem Leoniſſæ proximum, Crucem prægrandem, æſtiuo tempore ſuis aliquando humeris ferret; eo in itinere Socius ſiti æſtuare cœpit: cui protinùs montis locum is indigitat, vbi è fontis venâ ſitim ſedare queat: Nulla eovſque aquæ vena eo in loco ſcatere viſa fuerat. Quapropter ſimul atque Socius aquâ ſitis æſtum extinxit, fons protinus aruit, vt ea ſancti Viri oratione tunc exorta probaretur. Odia quoque & inimicitias ſicubi inter aliquos graſſari intelligeret, omni ſtudio iugulare & componere ſatagebat. Quod in Amatricis Oppido aliquando accidit: in quo cùm inter Piccarorum & Ficardorum Familias inteſtina odia vigerent, rixâ inter vtriuſque factionis homines haud longè à Capucinorum Conuentu exortâ, vtrimque catapultæ in aduerſam partem ſine numero explodebantur: quo tempore Ioſephus è Conuentu erumpens, vt cædem impediret, dextra æreâ Crucifixi imagine, quam ſecum gerere conſueuerat, armatâ, inter vtraque pugnantium agmina, vnde catapultariæ glandes hinc inde frequentiſſimè eiaculabantur, intrepidus proruit; pacemq; Chriſti nomine ab ijs poſtulans, hanc non priùs impetrat, quam ſex circiter horæ in eo conflictu dilaberentur. At quàm efficax, ac Deo grata hæc illius Charitas fuerit, Diuino planè miraculo tunc omnibus perſpectum fuit: cùm enim ſex horarum ſpatio ab ijs tam pertinaciter dimicatum eſſet, vt multi vtrimque cecidiſſe, ac plures, atque adeò Ioſephus ipſe, catapultarum ictibus ſaucij omnium opinione crederentur; Dei virtute factum eſt, vt nec Ioſephus, nec vllus omninò, vel leue vulnus tulerit; ſed (vt ex Proceſſu conſtat) Ioſepho media inter agmina conſiſtente, catapultarij globuli, qui ex vtrâque parte emittebantur, cùm ad Ioſephum pertingerent, velut perfractâ virtute, ante illius pedes cadebant. Hoc modo & diuturnum diſſi-

dium, quod inter Borbonium & Poſtam Aprutij Oppida; ex quo certa clades expectabatur, ſuâ oratione, ac Cœleſti eloquentiâ ita compoſuit, vt mutua deinceps inter eos neceſſitudo, ac beneuolentia ſucceſſerit. Aprutij Proregem in Amatricis Oppidanos tam graui irâ commotum vt in ipſorum excidium iuráſſet, eâdem quoq; eloquentiæ vi pacatum reddidit. At præclarum illud Chriſtianæ Charitatis, ac pietatis exemplum fuit: Cum enim vnicus cuiuſdam Viduæ filius tunc primùm miſerè ab inimicis trucidatus fuiſſet; adhuc corpus exanime in lecto iacebat cùm Ioſephus viduam conſolaturus adit: quę cùm nullam prorſus conſolationis vocem admitteret; omnibus conſolationis verbis prętermiſſis, Ioſephus cum illâ protinùs extinctum filium lugere, & eiulantem Charitatis fletu proſequi cœpit. Hoc verò cùm aliquandiu mœſtę Matri ſolatium exhibuiſſet, tandem Chriſti Crucifixi æream imaginem exerens, his eam verbis affari cœpit: ſi extinctum filium tuum, ô Mulier, qui vnicus tibi erat, tot hactenus lachrymis deplorauimus; an non æquum eſt, vt vnigenitum hunc Dei, & Mariæ Virginis Filium, qui crudeliſſimè olim à Iudæis necatus eſt, hunc inquam, amantiſſimum, ac dulciſſimum animarum noſtrarum Patrem, ac Redemptorem, qui pro nobis vitam cum ſanguine fudit, ſimul cum Virgine Matre, ſi non amplioribus, ſaltem æquis lachrymis proſequamur? Totq́ue Domini mortem, ac Páſſionem verbis illi inculcat, vt extincti filij lachrymis in meliores commutatis, vnà Domini mortem acerbiſſimam vehementius deplorare cœperint. Hinc Ioſephus occaſione captatâ, Sacræ Deiparæ exemplo, quæ Iudæos filij ſui interfectores ex animo diligebat, eam ad pacem cum filij ſui interfectoribus conciliandam prouocat; quam etiamnum filij cadauere inſepulto ab eâ facilè impetrat. Plura huiuſmodi fraternæ charitatis officia enarrari poſſent; quæ ne immenſum excedant, conſultò prætereo. At illud minimè ſilentio tegendum, quod Bizantij cùm inter Chriſtianos captiuos Virum quendam ſingulari prudentiâ & virtute ornatum animaduerteret, illius tantopere miſeratione ductus fuit; vt protinus cum Archipiratâ de illius liberatione agens eius loco ſeipſum captiuum obtulerit. Quantum verò orationis ſtudio addictus fuerit, mens ipſa, quam à terrenis ſuſpenſam perpetuò gerebat, ac nunquam intermiſſa oratio, cui diu, noctuq́ue, etiam inter ipſa negotia & Charitatis officia vacabat, facilè teſtantur. Vt autem mens & lingua ſe inuicem coadiuuantes Diuinis ſe laudibus occuparent, Chriſti Domini, ac Beatiſſimæ Virginis

Matris annos Corollis diſtinctos quotidie colere: quotidianas quoq; Sacræ Deiparæ Horas, ac Defunctorum Officia perſoluere omni ſtudio curabat. Canonicis verò Horis tantâ mentis attentione, & corporis compoſitione, quaſi qui non inter homines in Choro; ſed inter Cœleſtes Angelorum Choros in Cœlo verſaretur, incumbere videbatur. Tanto verò eo tempore plerumque Diuini amoris æſtu incaleſcebat; vt cùm is intra cordis ſepta contineri non poſſet, ſæpe orationem intermittere, atque in apertum aërem prodire cogeretur; vt incluſas in corde flammas quaſi per ſpiraculum exhalaret. Deniq; ex hac velut Diuinæ Charitatis fornace tam ardentes amoris flammas emittebat; vt ex earum ardore alios quoque, qui ad eum propiùs accederent, inflammaret: quod binis Fratribus aliquando contigit; qui cùm eum fortè obuiam haberent, ardentem illius faciem conſpicientes, ita ex illius aſpectu incaluêre animo, vt ſe nunquam tam Cœleſti voluptate potitos affirmarent. Vir etiam quidam Borbonienſis, Benignus nomine, cùm ipſius colloquio frui optaret, ad ipſius Cellam à Fratribus adductus, vultu illum tam ſplendido, atque ignis inſtar coruſcante conſpexit, vt ab eo maximâ tùm admiratione, tùm pietate commotus abierit. In hoc igitur ſupremo Diuinæ contemplationis gradu tantò altius Ioſephi mens ad Deum aſcendebat, quò ardentiori illi Charitate coniuncta perfectiori lumine fruebatur. In eâ autem tam aſſiduus conſpiciebatur, vt quotidiano vſu, quartâ tantummodo noctis parte neceſſario ſomno indultâ, reliquas Sacris vigilijs, ac Diuinæ contemplationi dicaret; & plerumque etiam integras noctes in oratione inſomnes tranſigeret. Hinc Cœleſti hoc lumine perfuſus, ita Diuinâ virtute ſurſum agebatur, vt velut immobilis petra, abſque motu & ſenſu conſiſteret; ac plerumque ecſtaticâ actione in Deum raperetur. Cùm enim aliquando ante quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem, quæ extra Leoniſſæ Oppidum in Ædiculâ publicæ viæ expoſitâ, depicta erat, ſtans oraret, à nonnullis, qui eò præteribant, toto corpore in aëra ferri viſum fuiſſe, ex ipſius Proceſſu conſtat. Hinc etiam ſumma ipſius in Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum religio exoriebatur; quâ fiebat, vt nunquam Sacrorum Myſteriorum celebrationem vel ægrotus intromitteret; tantâque mentis puritate ad Sacra hæc myſteria peragenda ferebatur; vt animum quotidie ante celebrationem Sacramento ab omni ſorde expiaret: tamque ſingulari ad ea mentem præparatione anteiret, vt ſemper B.P.N. Franciſcum ſibi in Diaconi, S. Antonium ad Subdiaconi miniſterium; Angelum

tandem ſui Cuſtodem, vnà cum cæteris ſibi adſiſtentem vocaret, quò maiori Dignitate Sacramenta perageret. Quæ res quàm Deo grata eſſet, quantâque apud eundem Ioſephus ſanctimoniâ præcelleret, Diuino aliquando teſtimonio declaratum fuit. Cùm enim in Oppido Montis Regalis, Sacra ſemel faceret, Miſsâ peractâ dum Ioſephus Sacerdotalia indumenta exuit, Eccleſiæ Rector ex illius humeris, velut è Sole emicantem ſplendorem animaduertens, Cœleſti teſtimonio, non vulgarem, ſed eximium Dei Seruum agnouit. Hinc denique ad Cœleſtes viſiones aſcenſio diuinitus aperta fuit. Paucos adhuc Ioſephus, ætate iunior, in Religione annos exegerat; cùm ex Fratribus quidam, illi admodum familiaris, ſoluto mortis debito, è viuis exceſſerat. Nonnullis verò poſt amici obitum diebus elapſis, cùm is poſt prandium in cellam ſeceſſiſſet, amicum, qui vitâ functus fuerat, eò ingredientem cernit. Cui ille: An non, Frater, (ait) iam ex humanis deceſſiſti? Quomodo hic te præſentem cerno? Cui ille: ſum equidem vitâ functus; at non abſque Dei conſilio huc ad te acceſſi. At Ioſephus: Aperi, quæſo, quis nunc vitæ ſtatus te detineat. Mox defunctus magno ex imo pectore ſuſpirio educto: O Ioſeph, (inquit) ſi quàm ſeuera omnium, quæ fiunt, à Deo in morte ratio exigitur, tibi perſpectum eſſet? Iterumque altiùs ex intimo ſuſpirium trahens: O Ioſeph, ô Ioſeph, (addit) ſi quàm difficilis eſt ad ſalutem aditus, non obſcurè intelligeres! Atque hoc modo obtruncato, imperfectoque ſermone cùm protinus euanuiſſet, Ioſepho perficiendum, & quid ſibi agendum eſſet, perpendendum reliquit. Poſt hæc cùm Leoniſſæ, Lucas quidam Argentius grauiſſimè ægrotaret, horrenda vultu ſigna, quibus domeſtici haud leuiter terrebantur, præferebat. Quamobrem eò Ioſephus accerſitus, cùm primùm ad ægrotum acceſſit, cubiculum, & ægrotantis ſtratum Dæmonum turbam occupaſſe cernens: Heu (inquit) quot hic Dæmones adſunt! Cumque ſtatim cubiculum, ac Domum aquâ luſtrali aſperſiſſet, ſuamque benedictionem addidiſſet, mox effugatâ Dæmonum nube æger quieſcens, paulò poſt ſuauiter in Domino obdormiuit. Cuius animam apud Deum ſalutem adeptam fuiſſe poſtea conſpexit. Poſtremò cum Anno 1611. Leoniſsâ diſcedens, Amatricem proficiſceretur; ab eâ vix lapidis iactum digreſſus, cùm iterum ad patrium Oppidum oculos conuertiſſet, innumeris illud Dæmonibus obſitum conſpiciens, mox lachrymas fundere, ac Dominum, vt ſuam ab eo iram auerteret deprecari cœpit. Demum ſuâ illi benedictione impertitâ, ſuum, Amatricem verſus, iter proſequitur

His igitur breuiter, quæ ad Viſiones ſpectant, prælibatis, ad ipſas Ioſephi Reuelationes venio: quæ cum copioſiſſimæ ſint, ne ab inſtitutâ breuitate longiùs abſcedam, aliquibus tantùm explicatis, cæteras compendio colligendas duxi. Leoniſſæ Nicolaus Argentius, qui & Blancucius dicebatur, cùm à Viro, cuius nomen conſultò prętereo, viginti aureorum ſummam, quam tabulis probare non poterat, apud Iudicem repetere minimè valeret; iſque debitum negaret, odio atque irâ percitus in ipſius necem conſpirat; reque nulli communicatâ, armatus ſolus in agrum pergit, vbi Vir ille ſuam in fœno metendo operam pręſtabat. Cùm Ioſephus, cui Deus animum ad ſcelus paratum reuelauerat, eidem inſperatò in viâ occurrit; eumque manibus apprehenſum quaſi de ſerijs rebus cum eo collocuturus, in Conuentum pertrahere nititur: Reluctari ille ſanguinario ſpiritu incitatus. At Ioſephus tot illum, tamque ſuauibus verbis attrahit, vt tandem in Conuentum perduxerit: vbi iniquum illi animi propoſitum aperiens, eum grauiter increpat, atque in Eccleſiam ante Sacræ Euchariſtiæ Altare perductum à Deo machinati ſceleris miſericordiam petere, odiumque iam animo conceptum deponere iubet. Tùm verò ad eum: Blancuci (inquit) æquo animo eſto; neque enim hic elabetur dies, quin debitâ tibi pecuniâ fruare. His Blancucius verbis recreatus, cùm in Oppidum rediret, Amicum quendam Onufrium nomine, in ipſa Leoniſſę portâ ſibi obuium habet, qui rem ſuam cum Viro compoſitum refert; ab eoque optatam pecuniæ ſummam refert. Quo ex facto Ioſephum non modo intimam illius cogitationem rimatum fuiſſe, ſed & futurum rei euentum agnouiſſe exploratum fuit. Nobili quoque mulieri Aquilanæ ex Alferorum familiâ conceptum ſcelus aperit, eamque grauius obiurgat. Cui illa: Quis (inquit) Ioſeph meum hoc tibi conſilium aperuit, cuius duntaxat mihi animus conſcius eſt? At Ioſephus: Is planè, qui niſi ab eo animum reuocaueris, crimen grauiùs vlciſcetur. His illa exterrita conſilium reuocauit. Poſt hæc Cicubi quoque Baroniſſæ, quæ quiddam ſibi in animo agendum prŏpoſuerat, quod in propriam ipſius animæ perniciem redundaret, reuelat, eamque à propoſito abſterret. Ioannis Clodoli Nepotis ſui immaturam mortem prędicit. Romæ Anno 1608. Pantam de Maximis Nobilem Romanam Ioſephus extremo morbo laborantem offendens, vix illi incolumitatem prenunciauit, cùm illa ab ægritudine libera conualuit. Per id tempus Flaminius Falconius Spoletanus, Vir illuſtris ægrotans magno in vitæ periculo

 verſa-

verſabatur. Quamobrem Maximilla ipſius nurus grauiter affligebatur, præſertim ob duos liberos, quibus ex ipſius morte maximum detrimentum exoriri videbat. Cui Ioſephus. Quid Maximilla tantoperè afflictaris? Socerumque velut mortuum luges? Viuet Socer, & vſque ad B. Martini annos pertinget. Et hanc quam geris tuorum liberorum ſollicitudinem exue: neque enim is ante rebus humanis valedicet, quàm & filio vxorem, & filiæ Virum copulauerit. Res ita ad amuſſim accidit: Flaminius namque, cùm ad octogeſimum vſq; annum ſuperſtes perueniſſet, vtriuſque & pueri & puellæ nuptias vidit. Anno 1611. cum Lęlius Palla, Leoniſſæ, febri laboraret à Ioſepho inuiſitur: qui vbi ægrum ad morbi tolerantiam verbis adhortatus eſt, diutinâ quidem febris moleſtiâ vexandum; ab eâ tamen ſoſpitem futurum ſignificat. Verum hæc addit: Ex hac quidem, Læli, ægritudine licet tardiùs conualeſces. at ne incolumitati credas: ab repentino enim ſymptomate, quod in inſidijs latet, haud multò poſt inopinatò abripieris: at tunc mutuo apud Deum aſpectu fruemur. Æger igitur, cùm non niſi poſt aliquot menſes à febre incolumis euaſiſſet, poſteriori anno 1612. repentino morbo oppreſſus, vix ad viceſimam quartam horam vitâ comite peruenit: Cumque Ioſephus hoc ipſo anno mortalem cum immortali vitam commutauerit, eos apud Deum mutuo conſpectu potitos, vti prædixit, piè credere debemus. Ægrotabat Leoniſſæ puer, Anconiæ Colandicæ filius, quem cum Ioſephus viſitandi gratia vocatus acceſſiſſet, vix gradum conſcendit, cùm hæc ab eo vox erumpere cœpit: O quam beatus Puer! ô quam fœlix anima iam iam inter Angelos ceſſura! Cumque iam Puerum in lecto iacentem cerneret, ad Parentes conuerſus: O ter (inquit) quaterque fœlices, qui charam ſobolem quamprimum in Cœleſti ſede, ſi non corporis, ſaltem mentis oculis fulgentem conſpicietis. His cùm dictis Parentes ſolatus eſſet, Puer poſtridie morte ſublatus in Cœlum conſcendit. Neque abſimile fuit, quod de Coriolano Puero, Hieronymi Morelli filio in proceſſu legitur: qui cùm grauiter ægrotaret, ad eum Ioſephus accedens, ſimul atque in eum oculos defixit, ad Parentes conuerſus: Qualem (inquit) hunc Puerum eſſe arbitramini? Angelus certè eſt, & inter Angelos quamprimùm in Cœlo coronandus. Verùm cùm Hieronymus Pater huius filij occaſum moleſtiſſimè ferret, futurâ illum alteriùs filij, cui Ludoici nomen imponere debeat, natiuitate conſolatur. Vtrumque verò de Pueri prioris morte, ac poſterioris ortu vaticinium ipſo rei exitu confirmatur.

Hoc

Hoc modo Paulino à Leoniſsâ, qui liberos optabat, cùm copioſam liberorum ſobolem prænunciaſſet; eos tamen vno vel altero excepto, non mundo, ſed Cœlo conſecrandos fore annuit, rei euentum ipſo decem circiter filiorum exitu pronunciante. Futuram hanc liberorum procreationem cùm Vir Sanctus pleriſq; Diuino ſpiritu prædixerit, hoc compendio perſtringere libet. Conſtantiæ Venantiæ à Leoniſsâ, quæ ob ſterilitatem moleſtias à Coniuge patiebatur, maſculi fœtum, quem ſequenti anno enixa eſt, prænunciat. Pueri quoq; procreationem Olympiæ Attiæ, quæ nullos eatenus liberos genuerat, pollicetur; quem illa nouem menſium expleto numero à Coniuge ſuſcipit. Ioſepho item Pulcino à Leoniſsâ, qui fœmineam tantùm prolem ab Vxore ſuſceperat, maſculi fœtum prædicat. Marcello itidem à Leoniſsâ maſculum puerum primo coniugis partu procreandum affirmat: quem is ſibi ortum conſpicit. Poſthæc Hyacinthum Caſſianum à Monte Regali, Ioannem Baptiſtam Petronium, & Andream Sanctutium maſculæ prolis, quam ſuo quiſq; tempore ab Vxoribus ſuſcepêre præmonet. Poſtremò Portiæ Caietanæ, Amatricis Baroniſſæ, futurum maſculi pueri fœtum, quo poſt nouem menſes potita eſt, præſignificat. Latinum Vrſinum huius Portiæ Virum, qui Feſcenninos mimos, ac mimas Amatricem aduocauerat, quibus caſti hominum mores in diſcrimen trahebantur, liberiùs correptum, cùm à propoſito reuocare minimè potuiſſet, futurum ei, & Amatricis populo, qui æs illi ad huiuſmodi hominum alimenta, & ſumptus conferebat, Dei iudicium comminatur. Id vterque ſibi adueniſſe ſerò licet ingemuit. Poſt hæc Anno 1611. Laurentius Piccarus de Amatrice Neapolim profecturus, vt à Prorege laboris, ac Officij præmium conſequeretur, rem cum Ioſepho communicat. Cui protinùs Vir Dei: Laurenti, tu quidem (inquit) de præmio cogitas: at te graues moleſtiæ manent. Verùm ne animum deſpondeas; breuis hæc tempeſtas erit, lætam tibi ſerenitatem paritura. Neque à dicto res aliena fuit: Laurentius namque in vincula coniectus, duorum menſium ſpatio vitæ pericula, & graues ærumnas pertulit; à quibus tandem ipſius innocentiâ erumpente, ereptus, ampliores apud Proregem honores adipiſcitur. Poſtremo, vt pleraque alia ipſius vaticinia ipſo rei euentu confirmata prætersam, cùm eodem anno Vir Dei à Franciſco Meuanienſi tunc Exprouinciali, cuius antea in ipſius Officij triennio Socius fuerat, ſeparandus eſſet, his eum affatur verbis: Franciſce Pater, triennium vnà multo cum labore exegimus: verùm ſupremi adhuc

nos labores manent, quibus fortiter perferendis mutuâ nobis ope neceſſe eſt: ex nobis enim alter infra vnius anni ſpatium vitæ curſum abſoluet: alter adhuc ſuperſtes graue vitæ incommodum eſt laturus. Alter igitur alterum ſuo apud Deum auxilio & oratione foueat. Rem exitus probauit: Franciſcus enim in Luniani Conuentu poſt paruum tempus in ſiccam ciſternam dilapſus, vtrumque ſibi crus confregit: Ioſephus verò, necdum expleto anno extremum vitæ curſum confecit. Ab his igitur vt Miraculorum narrationem exordiar: primum illud Antonini Iacobelli, Viri Dei ex Sorore Nepotis occurrit, cui rabioſus canis talares alterius pedis neruos peſtifero morſu abſciderat. Hic cùm poſt varia Medicorum remedia fruſtrà tentata, morſu omnem curationem reſpuente, ad Montis Regalis Conuentum, vbi tunc Vir Dei degebat, tandem appuliſſet, tam diro cœpit vulneris dolore torqueri, vt propediem moriturus crederetur. Neque id fruſtrà; alter enim, qui ab eodem cane admorſus fuerat, eâ tabe conſumptus, diem ſuum iam obierat. Ioſephus intereà Nepotis caſum miſeratus, aſſiduis Deum precibus exorat; Moxque poſt Matutinas Horas feſtinus ad Nepotem pergit; hiſque eum dictis compellat: Antonine, quid gemis, quid formidas? animum repete: cum primum cibo corpus refeceris, domum illicò remeare poteris. Die igitur illuceſcente, cùm cibi illi allati fuiſſent, vix illis deguſtatis, à peſtiferâ plagâ ita incolumis euaſit, vt inſtauratis neruis, ac conſolidato vulnere, ne cicatrix quidem in talo relicta fuerit: quare eodem tempore pedeſter domum redijt. Conſtantia quædam à Leoniſſa, diuturnâ hydropiſi laborans, Ioſephi ſanctimoniæ famâ permota, cùm maximâ ſiti arderet, aquaque à Flaminia Fratri velut pernicioſa illi negaretur; Ioſephus vrceolum aquarium, qui ante Conuentus ciſternam pendebat, arripiens, pauliſper orat, aquam benedicit, plenumque vrceum Conſtantiæ porrigens: Bibe, Conſtantia, (inquit) quouſque ſitim extinguas. Porrò Conſtantia aquâ epotâ, mox aluum detumeſcere, vimque morbi ita miteſcere ſenſit, vt eo deinceps nunquam afflictata fuerit. Armellina Palla à Leoniſsâ, catapultariâ glande, quâ alter illi pes caſu perfoſſus fuerat, grauiter ſauciata, ſpaſmo ſuperueniente certo in vitæ diſcrimine verſabatur: quo tempore Vir Dei ad eam accedens, cùm primum cubiculum ingreſſus eſt: Armillina (inquit) tuo tibi imprimis vulneratori ignoſcendum, & pax cum eo ineunda. Cui illa: Et ignoſco, & pacem Dei causâ dare non abnuo. Tunc Ioſephus vulnus aperiri iubet; breuique ad Deum oratione factâ, vulnus Crucis ſigno petit:

ſtatimq;

ſtatimq́; ſpaſmus abſcedit. Cumque veſper incumberet, Vir Dei abſcedens ægram integræ ſalutis ſpe conſolatur. Hac ſpe cùm Armellina ſuaui totâ nocte ſomno potita eſſet; manè curatum vulnus, pedem incolumem, ac plantam ita conſolidatam experitur; perinde ac ſi nullo vnquam vulnere ſaucia fuiſſet. Eodem ſanctæ Crucis ſigno, cùm Ioannem Ioſephum Petronium, ad Medicorum deſperationem ægrotantem, proſecutus fuiſſet, ſtatim incolumem reddidit. Vlyſſes Ioannis Baptiſtæ Petronij filius, aliquot annorum puer, tam deſperato à Medicis morbo ægrotabat, vt velut mortuo iam funera pararentur: quo tempore Ioannes Baptiſta Pater ad Ioſephum, cuius vaticinio puerum à Deo acceperat, actutum ſe confert. Cui Vir Dei: An non (inquit) antequam hunc à Deo natum acciperes, Bonauenturæ nomine tibi appellendum monueram? Hæc tu monita ſpernens, Vlyſſem potius, quàm Bonauenturam, quo ſeruari poterat, appellandum voluiſti: tua hæc omninò culpa eſt. Veruntamen ſi primùm, quem ab vxore breui ſuſcipies, puerum Bonauenturæ nomine appellandum ſpoponderis, ſalua tibi erunt omnia. Id cùm Ioannes Baptiſta certâ fide pollicitus fuiſſet; Iam (inquit) lætus domum reuertere; puerum enim ſaluum & incolumem reperies. Id verò Ioanni Baptiſtæ ipſo rei euentu certum fuit. Hoc modo etiam Borbonæ Saluatorem quendam Marinucium, qui per quindenorum annorum ſpatia ita inſanâ mente fuerat, vt vinculis eum interdum conſtringi opus eſſet, cum obuium ſibi haberet, Cruce illius fronti manu impreſsâ ad ſanam ita mentem reuocauit, vt deinceps inter prudentes & cordatos Viros connumeratus fuerit. Hoc ipſo Oppido Filautus Petronij Qualliæ filius extremo cum morte agone colluctabatur: quo tempore Pater Ioſepho extremum filij ægrotantis periculum narrans ab eo opem implorat. Cui Vir Dei: Qualem (ait) moribundo opem afferre poſſum? Veruntamen Dei in hac proximâ nobis B. V. Æde auxilium exquiramus. Atque hoc ipſo tempore cùm in B. Virginis Eccleſiam ſeceſſiſſet, pro ægroto ad Deum preces fundit: Petronius verò, cùm poſt ſancti Viri orationem domum redijſſet, filium, quem mortuum credebat, viuum & incolumem è ſtrato emerſiſſe comperit. Dum Aſculanum agrum Ioſephus Dei Verbum euangelizando peragrat, ad Truentum aliquando fluuium peruenit; qui cùm ex imbrium copiâ ita intumuiſſet, vt tranſuadari minimè poſſet; breui oratione ad Deum fusâ, pallium ſuper fluminis vndas expandit; ſimulque cum Socio pallium calcans flumen traijcit. Per id tempus Viro pauperculo ægrotanti aquam in vinum

Crucis benedictione conuertit; ex quo cùm primùm æger potum ſumpſit, à febri liber incolumis euaſit: ac poſt eum plerique infirmi eandem aquam, vinum factam, deguſtantes à morbis conualuêre. In Oppido Campli agri Nurſini, cùm poſt prædicationem à muliere quadam rogatus ad ægrotum filium acceſſiſſet, morti proximum comperiens, vini paululum poſtulat, quo illius vires inſtauret. At vinum iam ab eâ domo exulare eſt reſponſum: vrget tamen Vir Dei, quandamqúe lagenam, quæ iam pridem vino vacauerat, quaſi eo plena ſit, indigitat. At mulier, tametſi eam vino carere nequaquam ignoraret, vt ſancto Viro pareat, ad lagenam pergit: quam præter ſpem optimo vino, quod non dolium, ſed Diuina manus effuderat, plenam offendit. Porrò in eo Vir Dei cum panis buccellam intinxiſſet, moribundo deguſtandam præbet; quâ ſumptâ ſtatim in vitam & incolumitatem reſpirat. Hoc modo in Oppido Campenſi & Iacobæ cuiuſdam filium ægrotantem ad ſalutem reuocat; doliumque iam pridem vino vacuum, ſiccum, abſque epiſtomio eleuatum, ſuâ oratione plenum præſtat. Ioſephum Santucium Andreæ filium, cui funera parabantur, Crucis ſigno obſignans certam illi ſalutem pollicetur, quam poſtridie recuperatâ valetudine aſſequitur. Leoniſſæ cùm Fabricij Pulcini agrum, tritico ſatum, vermes deuaſtarent; ſimulatque Ioſephus rogatus, vermibus diſceſſum imperauit; ij præcepto audito, præter vermium naturam, vt celeriùs imperanti obediant, quaſi alas aſſumunt; vnaque ſe in aëra attollentes inde vno volatu ſeſe abripiunt. Hoc pacto Tauro feroci agrum depaſcenti, ad quem Armentarius propiùs accedere non audebat, cùm in nomine Domini diſceſſum præcepiſſet, eum ſolo vocis præcepto, Crucis ſigno adiuncto, ab agro expulit. Idem in Oppido ſanctæ Mariæ à Nurſiâ Dei verbum Quadrageſimali tempore proponens; cùm ſemiquadrans modij fabarum ab Eccleſiæ Rectore accepiſſet; ſuâ illud ita oratione multiplicauit, vt ſibi, ac pauperum multitudini toto illo tempore alendæ ſatis fuerit. Verùm quod maiori admiratione dignum, eadem fabarum menſura poſt Quadragenarium ieiunium integra conſpicitur. Dominicus Raucus à Leoniſsâ, Medicus, qui hydropiſi incurabili laborabat, cùm Ioſephi apud Deum opem implorasſet, ſuam ille apud Deum pollicetur: ac tertio poſt die conualeſcens, breui perfectam à morbo incolumitatem adipiſcitur. Dei verbum Ioſephus Otricoli aliquando prædicabat, cùm auditâ Familiæ cuiuſdam inopiâ, ad eam ſubleuandam in ipſius

Domus

Domus hortulo, qui quindenorum pedum menſuram non excedebat, cicera ſeminat; quæ ita eo orante excreſcunt, vt viginti quatuor horarum ſpatio fructum germinauerint: Ad cicera verò cùm tota Domus familia, quæ filiorum præſertim fœcunda erat, quotidiè confluens, ea non modò minui, ſed ita augeri videbantur; vt quò plura colligebantur, eò copioſiora fierent: quo non parum pauperculæ familiæ egeſtati proſpectum fuit. Trebæ in Latio Martha quædam decem annorum puella, quæ apud Moniales S. Luciæ educabatur, incurabili hydropiſi laborans, grauiſſimis inſuper doloribus afflictabatur; quo tempore Vir Dei ad Sacra facienda eò accedit. Moniales verò cum per internuncium rogant, vt hydropicam puellam manu contingat, ac ſigno Crucis benedicat. Abnuit Ioſephus. At cùm illæ ab eo ſaltem orationem pro puellâ expoſcerent, is internuncio: Quid (inquit) Moniales vlteriùs petunt, cùm Puella à morbo libera Dei clementiâ iam incolumitate fruatur? Lætæ igitur Moniales cùm ad puellam redijſſent, perfectè incolumem reperiunt, ſolâ corporis imbecillitate in morbi ſignum manente, quæ breui inſtaurata fuit. Hyacinthus Caſſianus à Monte Regali, Vir in Ordinem beneficus, tàm dirè colico dolore torquebatur, vt ab eo ſe perimendum planè non dubitaret: quo tempore Ioſephus Hyacinthi periculum inaudiens ad orationem ſe confert. Eodem tempore Hyacinthus leui ſomno correptus, Ioſephum ſibi adeſſe conſpicit: qui cùm ſuâ Crucifixi imagine doloris locum contigiſſet; primò quidem æger maiori dolore correptus exclamat: Quid agis, Ioſeph? dolorem auges. Tùm verò dolor ita miteſcere cœpit, vt eo ſe liberum exiſtimaret. Mane verò die illuceſcente Ioſephus Hyacinthum accedit, eumque pijs verbis conſolatur. Cui Hyacinthus: Plurimùm tibi, ô Ioſeph, pro nocturnâ viſitatione debeo, ex quà integra ferè incolumitas eſt ſecuta. At Ioſephus: Non mihi (ait) ſed Deo, quod accepiſti, debes: Veruntamen animum auge, ac Diuinis auxilijs confide, integram accipies. Iam Sacra facturus ad Beatiſſimæ Virginis Ædes pergo, vt pro integrâ tuâ ſalute orem. Tùm verò Sacris ibi Myſterijs peractis, cùm ad ægrum redijſſet: Iam (inquit) Deo, ac Beatiſſimæ Virgini gratias refer, quorum ope iam integram es incolumitatem aſſecutus: moxque perfectè à dolore conualuit. Quadrageſimali tempore, quo Seruus Dei Ioſephus Concionator fuit in Caſtro Campi, febri hecticâ, & ſuppuratione, ſeu apoſtemate laborabat Antonius, Ioannis Mariæ Depincti filius, annum agens ſupra duodecimum: ac tali pacto angebatur, vt mortis limen quaſi pertin-

gens,

gens, non alio, quàm muliebri lacte vitam duceret. Mater igitur Ioſephum adit, miſerum filij ſtatum exponit, & vt illi viſitationis gratiam exhibeat, impensè poſtulat. Quibus auditis Pater miſericordiâ motus, ægroti domum adiuit; vbi infimo vitâ propemodum functo, perbreuem orationem habuit: quâ expletâ ægroti pectus Sanctiſs. Crucis ſigno muniuit: quibus peractis ſtatim apoſtematis ſaniem latentem euomit, & Ioſephus ad matrem conuerſus, ait: Præbe mihi vini parum, & panis, quo mero infuſo illum valeam reſtaurare. Cui Mater: O Pater dolium, quod viuente meo Viro plenum eſſe ſolebat, modò prorſus exhauſtum manet; & iam annus præterijt, cùm epiſtomate, ac ligneis circulis vacans exiſtit; nec domi eſt mihi, vnde comparem. At ille: Deus ipſe prouidebit. Inſpice igitur vas illud ſupra menſam expoſitum. Cui iterum mulier: Vas illud vino omninò caret. Tum Ioſephus denuò: Inſpice: Nam Deus parabit. Ipſa verò: Vas illud (inquit) mihi eſt vſui hyemali tempore ad aquam calefaciendam, nigrum, & fumo deturpatum. At hæc iterum Ioſephus: Inſpice quæſo, & panem vino dilutum infimo tradere ne differas: Deus enim opitulabitur. Quibus dictis ab illâ diſceſſit. At vix domo egreſſus fuit, cùm mulier agnouit filium moribundum, quaſi perfectâ valetudine frueretur, per lectulum ſeſe mouere. Ex quo non parum admirationis eliciens, etiam in vaſe vinum ſe reperire autumauit. Nec ſua eam opinio fefellit, cùm vas prædictum vino redundare perſpexit: quo cum pane mixto vt Dei Seruus præceperat, filium ita reſtaurat, vt exinde perfectam ſanitatem, ac vires reſumendo è lectulo deſilierit; & cùm pedibus ſtare, ac firmiter ſe valere ſentiret, domo exultans egredi ſtatuerit. Vnde mater maiori admiratione affecta animo ſibi duxit, quod ſicuti menſæ vaſculum Ioſephi precibus vino plenum repererat, dolium quoque in cellâ vinariâ plenum inuentura eſſet: quare in cellam ambo deſcendentes dolium ipſum loco firmè collocatum, cum epiſtomio, quo ante vacauerat, & vino plenum ſenſêre. Lucretia vidua quædam à Leoniſsâ iſchidiaco dolore per viginti & ampliùs annorum ſpatium dirè laborauerat; ſuper quam cum Angela Soror à Ioſepho, vt ſanctum Ioannis Euangelium legeret, anxiè poſtulaſſet, reſpondit Ioſephus: Mihi modò (inquit) per otium non licet; verùm Angelum Cuſtodem accipiet, cuius præſentiâ ac virtute perſanabitur. Vix hæc effatus fuerat, cùm Lucretia à diutino morbo libera Cœleſte præſidium ſenſit. Anno 1610. cùm Venafri Principiſſa ex Peret torum familiâ, Capucinorum Ordini plurimùm addicta, diuturnâ

ægritu-

ægritudine detineretur, Ioſephum Romam aduocandum curat: cuius præſentiam nacta, cùm ſe plurimum illius orationi commendaſſet; vbi illam Vir Dei pijs verbis conſolatus eſt, æream Chriſti Crucifixi imaginem deoſculandam præbet. Quo factum eſt, vt ſimul cum Crucifixi oſculo ea integram incolumitatem conſecuta fuerit. Hoc ipſo anno Dei Verbum Otricoli diſſeminans, cùm Pauperem quendam leprâ conſperſum ſuis manibus lauiſſet, eodem tempore à leprâ curat: pauper verò à leprâ mundatus, cum nullo deinceps loco appareret, num Angelus, an Chriſtus ſub pauperis formâ fuerit, incertum reliquit. Anno vero 1611. cùm aliquando fluuium Marroiam aquis tumidum in itinere offendens, ne crura alijs præſentibus detegere cogeretur, paulisper in ripâ ſubſiſtit; cum equum illi Viro Dei offerre, vt eo ad fluuium traijciendum vtatur: recuſare ille. Tandem quo incedebat habitu demiſſo flumen ingreditur, progreditur, fluminis vndas calcat, ſicco pede traijcit; atque ad alteram fluuij ripam, ne ſandalijs quidem aquâ madidis peruenit. Cùm Dei Verbum aliquando in quodam Leoniſſæ pago diſſeminaſſet, in mulierem quandam incidit; quæ cœcum puerum manu ducens, dum eum illius precibus commendat, cœcus puer Ioſephi habitum manu apprehendens, viſum confeſtim recipit. Anno Sanctiſſimi Iubilæi 1600. in terrâ Otricoli, & circa finitimos tam dira grando regionem totam inuaſit, vt prorſus terræ fructus, & ſegetes deuaſtauerit: Et cùm eo tempore Orbis totius Chriſtiani populi ſummæ Veniæ causâ vndequaque confluerent; tanta annonæ caritas poſtero anno 1601. ſollicitauit, vt non ſolum plerique premerentur; verùm & multi inopiâ necarentur, & fame. Seruus Dei Ioſephus, qui tunc temporis ibi Quadrageſimali Concionandi munere fungebatur, iſta perſpiciens, licet ſedulò nonnullas familias egentes, aliosque multos Otricoli pauperes adiuuare niteretur, ab hoc pietatis opere non quieſcens, in quartam Dominicam Quadrageſimæ, in memoriam miraculi, quo Chriſtus Dominus quinque panibus, ac duobus piſcibus turbam illam tam numeroſam expleuit, Conuiuium aliud ſpiritualibus. ac corporalibus epulis mixtum fidelibus populis parandum conſtituit. Quâ de re, Dominica tertiâ, poſtquam omnes inter Concionandum hortatus fuit, vt ſequenti Dominicâ ſinguli proximum Templum D. Mariæ Patrum ſancti Onufrij plenariam peccatorum Veniam conſequendi ſtudio peterent, ſolemni inuitamento, vt quam habere debeat illius diei Concionem

de dicto miraculo conficiendam audirent, placidè commonefacit, volens habitâ Concione in miraculi ipſius memoriam panem bene dicere, & illum cunctis tam egenis, quàm diuitibus ſic benedictum prębere. Expletâ Concione rogauit D. Attiliam Martinam, tunc Societatis Sanctiſs. Roſarij Præfectam, vt Dei, ac Deiparæ Protectricis amore in eum finem oſtiatim farinam quæreret, & ex ipsâ panem conficeret. Cui mulier: Paternitas veſtra magnum fecit inuitamentum; nam cùm de more ſingulis annis huc gentes innumeræ Indulgentiæ causâ accedant; & hoc anno tanta penuria immineat, tam frequentes populi, quibus panem pollicita fuit, confluent, vt non parum farinæ, ſed multum frumenti, vt modicum quis accipiat, neceſſe foret. Inter nos autem, tribus aut quatuor exceptis familijs, omnes & frumento & farinâ carent, panem quotidie in victum ementes: Idcircò & ſententiam mutet, & ab incepto deſiſtat oportet. Cui Ioſephus: Perge, quæſo, & farinam ob Dei, & Sanctiſs. Genitricis amorem quæritare ne graueris. Concionatori igitur reluctans, obſequendi ſtudio, vnà cum Iacoba Veturiâ, dictæ Societatis Miniſtrâ, vt farinam reperirent, totam terram circuierunt; & quamuis omnem diligentiam adhiberent, vix paruam conchulam, quæ farinæ ad ſummum 12. aut 15. libras capiebat, inuenire potuerunt; quam Ioſepho exhibentes, vt opus infectum deſerat, ſuadent. Adhæc hilaris Pater reſpondit: Ite, & ex modicâ iſtâ farinâ panes conficite: Deus enim, & Sanctiſſima Mater egeſtati proſpicient. Quinimò ne alteram farinæ portionem addant, prohibet. Cùm autem Mulier amplius obſtare non poſſet, panem ſe illicò facturam promiſit. Farinæ igitur modicum excuſſit, quæ expurgata, tam modica profectò erat, vt in arculâ vix cerni poſſet: fermentum immiſit, & ex aquâ farinam ſubijcere paulatim cœpit; quæ talem in modum ſibi creſcere præ manibus videbatur, vt illam ampliùs tractare non poſſet, ex quo magno ſtupore correpta, ac ſuæ incredulitatis conſcia, altis gemitibus plorare cœpit. Quod Vir eius audiens, ad ploratum accurrit: cuius auditâ causâ vnà cum Vxore totus alacris farinam iam conglobatam dimouere ac premere cœpit. At iterum tàm breui aucta fuit, vt nec ipſi ampliùs eam dimouere poſſent. Ab Vxore igitur viciniori vocata, validè cum ipſis farinæ ſubiectum globum permouere contendit. At cùm magis, magiſque ipſis verè cernentibus creſceret; nec addito auxilio tractari poſſet, ſuperiùs nominatam Iacobam, & Iuſtinam Pucciam accerſire cogitarunt; quorum ope opus ad exitum redactum fuit.

In quo præter alia hoc admiratione dignum narratur; quod furnus, qui trecentas & vltrà farinæ libras excipere ſolebat, panes huiuſmodi nequaquam excepit: ſed, quod ex prima clibani calefactione ſuperfuit, ſecundâ coquere opus fuit. Hoc totum cùm tot multorum teſtificatione publicaretur, breui tempore tùm finitimis, tùm exteris miraculum exploratum fuit. Ad diem igitur dictam gentes innumeræ Otricoli conſtiterunt. Expletâ prædicatione, Ioſephus allatum panem benedicit, & liberaliter vnâ cum Archipresbytero, & alijs porrigentibus diſtribuere cœpit. Et quamuis cunctis tam diuitibus, quàm pauperibus; tam conciuibus, quàm extraneis; tam paruulis, quàm adultis; bis atque iterum, & deuotionis & penuriæ causâ accedentibus, & quatuor & octo panes traderentur; panis tamen inter tot tradentium manus ſuperfuit: quo prædicta Attilia conſanguineos & amicos poſtea exclarauit qui etiam in morbis Diuinam propè virtutem ſortitur. Deuota verò mulier Attilia in perpetuam miraculi huiuſce memoriam, & ſuæ in B. Ioſephum deuotionis argumentum, teſtamento legauit prædium, ac domum, vt perpetuò ipſius redditibus ſingulis annis prædicto Quadrageſimæ die pauperibus diſtribuendus panis cumulus conficiatur. Quod ſemper factum fuit; & quotannis ſingulari deuotione fit; vbi B. Ioſepho, cuius meritis tantum opus adſcribitur, deuotiſſimas gratias agunt. Iterùm Borbonium, cùm Pater prædicationis causâ ſe contuliſſet, totum populum ingenti penuriâ exagitatum offendit: Quare cùm à ditioribus frumenti cumulum cum dimidio recepiſſet, quod Romanâ menſurâ octoginta, vel centum librarum pondere extabat, panem ex illo conficiendum iuſſit; & in quartam Quadrageſimæ Dominicam fideles omnes audientes, vt de ipſo die Concionem habendam audituri præſto eſſent inuitauit; monens, poſt Concionem velle, in miraculi ipsâ die à Chriſto Domino perpetrati memoriam, benedictum panem præbere: quod cùm cunctis illicò innotuit, tum deuotione, tum ſummâ egeſtate cogente ferè innumeri conuenerunt. Habitâ Concione mulieres illæ, quæ panem confecerant, caniſtra duo in Eccleſiam deportauerunt. Quæ cùm Ioſephus benedixit, ſingulis ſex, octo & duodecim panes, ſex vncijs quolibet conſtante, diſtribuit. Quibus cognitis Ieremias Quaglia ad Dei Seruum conuerſus, ait: Quid inter tantos? Paternitas veſtra modum faciat in diſpenſando. Nonne cernit, quotquot hominum hîc expectant? Cui feruens charitate Ioſephus:

Ne dubites; Deus proſpiciet. Et maiori quàm fecerat liberalitate diſtribuens, ſicut ipſe plenis manibus tradere non deſinebat; ita & panis ad diſtribuendum non deficiebat. Quare Ioſephi Socius, Archipresbyter, alijſque Sacerdotes, & Laici panis multiplicationem conſpicientes, & ipſi nonnullis octo, nonnullis verò decem, & duodecim panes liberaliſſimè præbere cœperunt: & cùm famâ volante dictum panem diſpenſatione non minui intelligerent, bis, atque iterum pauperes æquè ac diuites panes accipere non deſinebant: tamen cùm nec tantâ populi frequentiâ minuerentur, nec per tempus diſtributio amplius liceret; Archipresbytero, alijſque probantibus factum fuit, vt poſt prandium ad proxima rura, pauperumque domos, quod ſupererat, deportaretur. Quo facto, licet Borbonij terra quadringentas familias contineat; & ipſarum nulla foret, quæ ſe hoc pane non reficeret; ſexaginta tamen panes ſuperfuerunt, qui in Ioſephi domicilium à Socio in futurum diſtribuendi delati fuêre. Cæterum ſanctus Vir ex ipſo pane voluit, vt quotidie manè, tàm pro ſui, quàm pro Socij refectione buccella ſumeretur; & octo, imò plurimorum dierum ſpatio in ſingulos dies, cunctis petentibus, nec non domi pietatis causâ illum ſeruaturis humaniſſimè tribuebat; quemadmodum eouſque ſeruatur; nullâ parte corruptus, ita vt ariditate, ac duritiâ amotâ recens haberetur. Cùm ſemel Leoniſſæ Conuentum repetens, ante Templum imaginem nuncupatum Seruus Dei tranſiret, non parum perturbatus inſpexit, quod intra Templum ſegetes binis bobus triturabantur. Diuino amore flagrans ad Franciſcam Annutij Laureti vxorem, boum Dominam conuerſus, eam acriter increpauit; & parui cultus Religionis arguens Diuinæ Iuſtitiæ vltionem minatus fuit. Mulier ſuæ culpæ excuſationem afferens, ob imminentes pluuias opus illud ibi exercere coactam fuiſſe aiebat: at Ioſephus magis magiſque Cœleſti ardore inflammatus reſpondit: Quid ſit euenturum, videbimus. Et cum Socio diſceſſit. At parum ipſo diſtante, triturantum bos vnus ante Altare Deiparæ Virgini Sacratum inopinanter occubuit. Quocirca Franciſca flens è Templo diſceſſit, ac Ioſephum aſſecuta de bouis morte certiorem faciens, ſupplex eum exorat, vt ſuæ paupertatis miſertus in vitam Iumentum reuocet. At Ioſepho minimè exaudiente tamdiu ipſa precibus contendit, & lachrymis, donec ad Templum reuerſus bouem iam pelle denudandum extra templum inuenit. Tum Ioſephus: Nonne hoc omne ſignificaui? Nonne id totum præuidi? His dictis Dei Seruus prope bouem flexis genibus ſe incli-

nauit, & poſt illum omnes adſtantes; quibus vt Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam deuotè proferrent, imponens, & manu, & Cruce, quam ſecum geſtabat, mortuum bouem conſignauit: qui iuſſus ſtatim reſurgere, illicò reſurgendo ſtetit, & ſupra decem annos incolumis vitam traduxit. Beatus verò ille Vir ſe ad circumſtantes conuertens, eos, vt deinceps Templa, & loca Sacra, quæ ſummæ Maieſtatis domicilia, non beſtiarum receptacula ſunt, colere, & venerari diſcerent, admonuit. His, ac quàm plurimis alijs (quæ breuitatis ſtudio prætermittuntur) cùm Deus Seruum ſuum miraculis illuſtrâſſet, eximiâque vitæ ſanctimoniâ ita ſe apud omnes clarum præſtitiſſet, vt vbique Ioſephi nomen, & ſanctitas peruulgaretur; gloriæ tandem coronâ illuſtriorem redditurus, pleriſque eum futuri obitus reuelationibus cohoneſtauit. Leoniſsâ namque multis comitantibus per iactum lapidis digreſſus, cùm vultum ad patrium, ac natale Oppidum extremum illi valedicturus conuertiſſet, his Patriam verbis affatur: Iam (inquit) ô dulcis Patria, abs te ſupremum digredior; neque vlla mutuo aſpectu fruendi ſpes relicta eſt. Stat præ foribus extrema dies. Iam æternum vale: benedicatq; tibi Dominus benedictionibus Cœli deſuper: det tibi de rore Cœli, & de pinguedine terrę abundantiam Frumenti, & Vini: abundare te faciat omnibus bonis, Mala extinguat, Odia diſſipet, Simultates ſepeliat, Pacem in medio tui cuſtodiat. Ipſe autem Dominus Pacis det tibi Pacem ſempiternam. His haud ſine lachrymis prolatis, familiares, qui eum eovſquè comitati fuerant, amplexatus, eos pacis oſculo dimittit. Hinc cùm ad Montis Regalis Conuentum appuliſſet, Leoneſſani, qui celerem Ioſephi obitum ab his, qui illum comitati fuerant, maturè didicerant, ad eum Nuncios mittunt, qui illi ad Patriam reditum totius Oppidi nomine perſuadeant. Quibus ille cùm Obedientiam ſibi Patriæ anteferendam reſpondiſſet, cœptum Amatricem verſùs iter proſequitur. Amatricis eo tempore Connentum moderabatur Franciſcus à Leoniſsâ: cui cùm Ioſephus ſingulari neceſſitudinis vinculo coniunctus eſſet, ſimul atque eò peruenit, Guardiani ſeſe pedibus proſternens, his eum verbis affatur: Franciſce Pater, id ego iam pridem à Deo obnixè poſtulaui; vt cùm primùm extrema dies præſtitutum mihi vitæ Curſum interciperet, id te præſente fieret. Quapropter omnem meiipſius ſollicitudinem exuens, animæ, corporis, eorumque omnium, quæ ad me ſpectant, ſtudium, ac curam tibi omnem committo. Cui cùm Franciſcus reſponderet, nihil eiuſmodi illi hactenùs formidandum eſſe, cùm longiori adhuc

per aliquot annos vitæ vſurâ frui debeat. His ille : Non anni, (inquit) ſed menſes & quidem pauci mihi ad finem vitæ præſcribuntur. Poſt hæc diarrhæâ ægrotare cœpit : quâ per quatuor circiter menſium ſpatium vexatus, haud tamen eo tempore à Sacrorum celebratione vnquam abſtinuit : morbo tamen ex ſuperueniente febre ingraueſcente; ac præterea cancro illi inter genitalia exorto; cùm neque Sacra facere, nec ſacris Myſterijs intereſſe valeret; id tamen à Superiore impetrat, vt quotidie ſacro Domini Corpore reficeretur; quod in ipſo cellæ veſtibulo genuflexus recipere voluit, vt vtroque & myſtico, & litterali ſenſu Domino cum Centurione obteſtari poſſet: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Ab eo itaque tempore cùm tam grauiter habere cœpiſſet, vt diro vndique dolore corporis premeretur, tunc maximè illius patientiæ virtus enituit: neque enim vlla vnquam lamentationis, aut luctus, ſed Diuinæ tantùm laudis vox ex ipſius ore toto eo tempore, audita fuit. Morbo igitur indies augeſcente cùm extremum ſibi diem imminere non ignoraret, generali totiùs vitæ peccatorum Confeſſione animam expiat: quam ex Sacerdotis, qui eam exceperat, dicto tam inculpatam duxerat, vt eam nullius vnquam mortiferæ culpæ ſorde labefactâſſet. Tum ſacro Domini Corpore, tanquam Viatico muniri poſtulat : quo tempore tantâ mentis humilitate, totque lachrymis à Fratribus, ſi quos eatenùs dicto, facto, aut improbo exemplo læſiſſet, veniam poſcit, eorumque in ſupremo illo mortis articulo, in quo ad Dei iudicium profecturus erat, tam impensè opem efflagitat, vt vniuerſos ad fletum compelleret. Deo inſuper, pro innumeris ſibi hactenùs collatis beneficijs, ac præſertim Religioſæ vocationis dono, gratias agens, circumfuſos Fratres ad Diuinam ipſius benignitatem ſecum celebrandam, commendandam, ac laudibus extollendam prouocat. Vniuerſos denique cùm ad perfectam Regulæ obſeruantiam, paupertatem, rerum tolerantiam, ardentioremque Dei charitatem, Cœleſtibus præmijs propoſitis cohortatus eſſet, Guardiano iubente ſuâ Chriſti Crucifixi imagine omnibus benedicit; tùm ſe ad ſeipſum colligens, animum ad Cœleſtia transfert, totusq; Diuini amoris amplexibus inhęrere cœpit. Hoc quoq; tempore ad varios Ordinis Superiores litteras ſcribit, quibus animam ſuam ad Deum profecturam commendat, Catholicę Fidei Confeſſionem inſtaurat, ſolemnia Religionis Vota in Profeſſione nuncupata renouat, & eorum ſibi benedictionem expoſcit. Sęquiebat indies magis carcinoma-

tis morbus, quo Vir Dei afficiebatur. Quamobrem ex Medicorum conſilio decretum fuit, vt ferri inciſione pars illa carnis tabeſcens amputaretur: Eam verò inciſionem (vt ſupradictum eſt) tantâ animi conſtantiâ pertulit, vt nulla prorſus, præterquam illa Beatiſſimæ Virginis inuocationis vox ab eo audiretur: Sancta Maria, ſuccurre miſeris. At cùm necdum integra illa inciſio eſſet; altera poſtridie repetitur, quam pari animo ſuſtinet: ex quâ cùm ſe ad vitæ occaſum pertrahi intelligeret, extremæ ſe Vnctionis Sacramento inungi poſcit: quo tempore ſenſibus integris Sacerdoti reſpondet; tantamque in vultu ſerenitatem & claritatem inſinuat, vt Angelicam potiùs quâm humanam ſpeciem præſeferre videretur. Sacro itaque Oleo inunctus, cùm Primam Horam Canonicam cum Sacerdote ſibi adſtante pleno mentis ſenſu ad ea vſque verba: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum &c. perſoluiſſet, vnius Miſerere ſpatio oculis in Cœlum erectis conſtitit. Tum quaſi qui ſomno indulgere vellet, membra componit: nulloque omnino aut corporis motu, aut vultus mutatione editis Anno 1612. pridie Nonas Februarij, cùm duodeſexageſimum ætatis annum ageret, quorum quadraginta magnâ cum vitæ auſteritate, paupertate, patientiâ, charitate, atque illuſtriſſimâ virtutum ſanctimoniâ in Religione exegerat, felici tandem in Domino ſomno conſopitur, feliciori in Cœlo gloriâ coronandus. Porrò ſoluta è corpore anima defuncti vultum tam ſerenum, ac ſpecie decorum, carnemque ita mollem ac tractabilem, artusque ita flexibiles reliquit, vt nihil illi morte ſublatum, quinimò Cœleſtis quædam venuſtas, quæ ſpectantes recrearet, ſuperaddita conſpiceretur. Poſt conſueta verò defuncto ablutionis officia à Fratribus reddita, Guardianus, qui irruentem populi frequentiam metuebat, Fratres ne ſancti Viri obitum peruulgent, mox præcepto cauet. At quem Guardianus ſilentio premere curat, pueri Diuino œſtro perciti cateruatim per Oppidum diſcurrentes detegunt, clamantes: Mortuus eſt Vir Sanctus: Mortuus eſt B. Ioſeph. Hac voce protinùs occluduntur mercatoriæ tabernæ, ceſſant nundinæ, totoque ad Capucinos populo conuolante, deſertum, ac velut abſque habitatore Oppidum manet; ſolaque pauperum communem egenorum Patrem lugentium vox, ac gemitus audiebatur. Mox tam ingens populi frequentia ad Conuentum confluit, vt eo Eccleſiam, domum, hortum, dormitoria, atque omnia Monaſterij loca obſidente, defuncti corpus in Eccleſiam deferri non

poſſet.

poſſet. Interea Latinus Vrſinus, atque Oppidi Proceres à Guardiano poſtulant, vt ijs ſancti Viri corpus exenterare, atque aromatis condire liceat. Reluctari primùm Guardianus, eò quod nullo apud noſtros id vſu receptum eſſet; at ijs vehementiùs contendentibus cedit Guardianus; corpusq; apto in loco collocatum, cùm primùm tribus præſidentibus Medicis, à Chirurgis inſectum fuit, tanta mox ex inteſtinis ſuauiſſimi odoris fragrantia erupit, vt eo Vrſinus Dynaſta, Proceres, ac cæteri, qui præſentes aderant, maximam tum admirationem, tum animi voluptatem perceperint. Explorata primùm inteſtina, quæ cùm excrementis vacua eſſent, excrementorum loco candidum lac reddidêre. Quod cùm à Medicis magnâ rerum conſideratione diſcuſſum eſſet; id à naturali agente in inteſtinis produci minimè potuiſſe communi tandem ſententiâ conſensêre. Dum itaque inteſtina à Chirurgo, qui Ioannes à Maſſacinis appellabatur, nouaculâ à corpore præſcinduntur, accidit, vt nouacula in Chirurgi pollicem delapſa profundum illi vulnus infligeret: quod Seuerus Caponicus Medicus animaduertens Ioanni ſuadet, vt ſaucium pollicem in defuncti ſanguinem, qui ex inteſtinis fluebat, ſtatim demergat: qui conſilio acquieſcens, ſimul atque pollice ſanguinem attigit, confeſtim perſanato vulnere incolumem recepit; diuque poſt hæc pollex ſuaui odore perfuſus fuit. Hæc ex ſancti Viri corpore, cùm Vrſinus, Medici, ac cæteri Oppidi Proceres, qui aderant, Diuina ſigna oriri cernerent; ipſa corporis inteſtina, (corde excepto, quod ſibi Guardianus vendicat) inter ſe diſpertiuntur, ac ſibi pro ſacris Reliquijs reponunt: quæ deinde varijs ægrotis applicata, quemadmodum fuſiùs infrà explicabitur, ijs incolumitatem contulêre. Poſtridie, quæ Dominica dies erat, cùm ſancti Viri corpus in Eccleſiam delatum fuiſſet, vt ardentiſſimo turbarum vndique ex finitimis Leoniſſæ, Montis Regalis, Accumuli, & alijs Oppidis confluentium ſtudio ſatisfieret; tùm etiam, vt ei iuſſa à Fratribus perſoluerentur; mox turbæ tam immoderato in illud deuotionis impetu irruunt, vt ijs haud ſatis eſſe videretur, ipſius habitum dilacerare, capillos tondere, barbam euellere, manuum ac pedum vngues obtruncare; verùm & dentes excutere, ac membra dilaniare contenderent; niſi ſummâ vi Corpus à Fratribus armatâ militum manu opitulante, è turbarum manibus ereptum fuiſſet. Falſus hoc tempore in Amatricis Oppido rumor inualuit, Leoniſſanos, vt Ioſephi corpus raperent, inter ſe conſilium inijſſe. Quapropter Vrſinus Dynaſta, vnà cum Oppidi Magiſtratu, omnem lapidem mouent, quò illud noſtris

ereptum

ereptum in Collegialem Oppidi Eccleſiam transferant: at eorum conſilio Guardiano à quodam Ordinis familiari detecto, cum ſpe ſuâ fruſtrati eſſent, Conuentum armatorum militum cuſtodiâ muniunt. Guardianus verò dum commotos animos ſedare omni ſtudio conatur; en toto ſpectante populo ſancti Viri corpus inſolito prodigio tam copioſum ex ſe ſudorem effundit, vt vndique ex eo aquæ venæ ſcaturire viderentur. Eo populus exterritus, magno mox clamore à Deo miſericordiam expoſcere, ac ſudariolis ſudorem extergere. Poſt quintum verò ab obitu diem corpus in ligneâ capſulâ occluſum ſeorſim, toto Oppido poſtulante, in Eccleſiæ pariete tumulatur. Mox tot poſt obitum miraculis coruſcare cœpit, vt eorum famâ permotus Aſculanus Epiſcopus eò poſt duodecimum diem delegatæ Iuriſdictionis Iudicem, vt de ijs diligenter inquireret, deſtinauerit: qui cùm ſancti Viri corpus exhumari iuſſiſſet, ita venuſtum, molle, integrum, labra rubicunda, artus flexibiles, nulloque tetro odore perfuſos offendit; vt viuens potius quàm exanime videretur. Hoc modo & quinto poſt hæc menſe elapſo, à Portiâ Caietanâ Baroniſſâ, nonnulliſque ſancti Viri propinquis conſpicitur. At verò cùm miraculorum, quæ ab eo poſt mortem Diuinâ virtute patrata ſunt, tam ingens copia abundet, vt ſingula, hiſtoricâ narratione proſequi, nimis inſtitutæ breuitatis metas excederet, grauioribus duntaxat, vel explicatis vel indicatis, cætera in Proceſſibus, qui tum Spoleti, tum Amatrici, atque alijs locis de his confecti fuêre, explicanda relinquemus. Atque vt rem ab ipſius apparitionibus exordiar: Quâ horâ ſanctus Vir mortalem cum immortali vitâ commutat, Neapoli Laurentio Piccardo in ſomnis apparet: qui cùm à Prorege in carcere detineretur, proximam ei poſt duos dies liberationem, quam & viuens prædixerat, pollicetur. Cæterùm quo tempore Ioſephi corpus adhuc inhumatum in loculo iacebat, Andreas Lactantius Amatricenſis cum Fratre Marco, ex noſtris Sacerdote in eodem Amatricis Conuentu, de præclarâ illius vitâ, ac virtutibus iuxta ignem colloquebatur, eundem Ioſephum hilarem, ac feſtiuum, poſt Marci terga quaſi qui eo colloquio delectaretur, ſtantem intuetur: qui cùm tanto temporis ſpatio, quo ab eo planè agnoſci poſſet, ibi perſtitiſſet, illius tandem eſt oculis euanuit. Anno 1625. Michaël Angelus Senenſis, ex noſtris Sacerdos, dormiens catarrhi fluxu nocte quadam præfocabatur: quo tempore à beato Viro ſibi apparente his ſe verbis excitari audit: Surge, Michael Angele, ac ſanctum Ioſephum beatæ Virginis

Sponſum inuoca. Quiſurgens confeſtim, cùm ſanguinis volumen ex ore eructaſſet, mox à periculo liber, nunquam deinceps eo oppreſſus fuit. Poſtremò, anno 1627. Caſtoria Deſideria, Ioſephi vterina Soror, cùm altera corporis parte paralytica iam diu in lecto iacuiſſet, Ioſephi Fratris ſibi apud Deum opem implorat; qui eadem illi nocte apparens, cum illius brachio apprehenſo illud ita fortiter perſtrinxiſſet, vt eam altiùs exclamare coëgerit, paulò poſt incolumem reliquit. Venio ad Miracula, quibus D. O. M. Serui ſui gloriam declarare voluit. Necdum ſancti Viri corpus humi conditum fuerat, cùm Clementina Amatricenſis è Nauigantium familiâ, cui filius erat Hieronymus nomine, febri, ac tam diris ceruicis doloribus laborans, vt contractis colli neruis, caput immobiliter ad humeros reflexum gereret. Hæc cùm primùm ad loculum, in quo Ioſephi corpus iacebat, peruenit, B. Viri merita inuocans, puerum fide plenâ ſuper corpus extendit; moxque fidei præmium recipit: puer enim confeſtim caput mouet, atque vndequaque flectit, febris fugatur: Demùm integrâ valetudine potitus, toto ſpectante & admirante populo, domum cum Matre redit. Hoc quoque tempore Grauina Rabina Amatricenſis, graui humeri dolore affecta, cùm Ioſephi corpus exoſculans ab eo doloris liberationem poſtulaſſet, eâ abſque vllâ temporis morâ perfruitur. Laurentius Petronius Leoniſſanus iam per decennium tam graui genuum morbo detentus fuerat, vt abſque fulcris vltrò citroque progredi non valeret; cùm primùm ipſius ſancti Viri corporis aſpectu fruitur, Cœleſtemque ipſius opem implorat, eâdem nocte Ioſephi ſuffragio incolumitatem aſſequitur, domumque pedeſter regreditur. Camillus Claretta à Leoniſsâ, continuâ febre laborans diu in lecto iacuerat; cùm Reliquijs ſancti Viri ad collum appenſis, vix Reliquias contigit, cùm à febre liber exurgit. Ioanna Laureta à Leoniſsâ, eâdem febre continuâ correpta plurima ad illius curationem remedia fruſtrà experta fuerat; vbi exiguam habitus illius particulam ſimul cum cibo ſumpſit, ab eâ nullâ temporis morâ interiectâ liberatur. Fridericus Maſſæus iam per trimeſtre continuâ febri vexatus, cùm vniuerſa Medicorum remedia minùs ſibi prodeſſe animaduerteret, ſtrophiolum, quo Ioſephi ſudor poſt mortem exterſus fuerat, ſibi magnâ cum fide applicans, ab eâ confeſtim curatur. Colaſantium puerum Amatricenſem diuturna febris, quæ comitiali morbo grauior euaſerat, miſerè cruciabat: at vix in ipſo quoque comitialis morbi ſymptomate, quo

humi ſpumans volutabatur, habitus ſancti Viri particula illi admota fuit, cùm protinùs à morbo, & à febre liber ab humo exurgit. Dominicus Mautinus Narnienſis, & Paula Niculea Leoniſſana vterque febricitans, dum Ioſephi Reliquias piè exoſculantur, mox integram incolumitatem conſequuntur. Eodem modo & Calixtus, Remigij Collis filius, & Franciſcus Antonius Galucius hecticâ febre laborantes, ſolo Reliquiarum ipſius contactu plena mox corporis ſalute potiuntur. Iacobus Vitellus Borbonenſis, altero crure claudus; ac præthereà calculis laborans; cùm ſancti Viri Reliquias ſibi admouiſſet, eodem tempore ab vtroque morbo liber emergit. Poſt hunc Hyacinthus Craſſus, & ipſe altero poplite claudicans, ſtrophiolo Ioſephi ſanguine intincto poplitem conſtringens liber, ac rectus incedit. Iphigenia Alegrana Amatricenſis ita vtrâque manu capta, vt ne quidem cibum ſibi manifeſtare poſſet, cùm poſt varia remedia incaſſum tentata, ad ſancti Viri opem implorandam animum contuliſſet; inter hæc pia ad Ioſephum vota obdormiſcens, manè liberas, atque incolumes manus ipſius interceſſione ſibi redditas lætatur. Cinthius quidam Tocius, cuius os & oculi catarrhi fluxu ita oppreſſi fuerant, vt oculis peruerſiſſimis, os illi ad aures vſque diſtenderetur; vix ſancti Viri caputio, & cilicio os, & oculi illi obſignati fuêre, cùm ijs ad priſtina loca redeuntibus, rectus illi horum membrorum vſus reſtitutus eſt. Gratioſa Leonina Amatricenſis è ſublimiori loco cadens alteram ſibi manum ita læſerat, vt oſſe perfracto & contractis neruis digiti palmæ inſeparabiliter adhærerent: plurimis verò ſex menſium ſpatio Medicorum tentatis remediis, cùm nulla ſibi prodeſſe cerneret, manu Ioſephi tumulum tam plenâ fide contingit, vt in eâ inſtaurato oſſe, ac extenſis neruis, libera illi manus reſtituta fuerit. Patientia Amatricenſis arthritico môrbo ita vndique obſeſſa, vt contractis neruis nullum ſibi membrorum vſum vendicaret, hoc morbi ſtatu duos & ampliùs menſes continuis doloribus vexata, abſque vllâ ſalutis ſpe tranſegerat; cùm nocte quâdam, quâ hiſce vehementius doloribus angebatur, ſancti Viri opem è Cœlo poſtulans, eam etiam tunc primùm miteſcente, tùm paulò poſt abſcedente morbo, celerius accepit. Eodem morbo correpti Barbara Craſſia, Paulinus Vitellocius, & Ioſephus à Leoniſsâ Iunior, Capucinus Sacerdos, Reliquiarum ſancti Viri contactu perſanantur. Atq; hoc ipſo Reliquiarum contactu Ioannes Dominicus Rampinus à Chiragrâ; Laurentia Fares ab ingentium faucium tumore; Franciſcus Boſchius à poplitis luxatione;

Paula Stortiana Meuanienſis à mutilatione manus; Ioannes Andreas Pompeius membris mutilus; Mulier quædam Amatricenſis curua, à neruorum attractione, nullâ temporis morâ interpoſitâ curati fuêre. Laurentius Paulinus Amatricenſis cùm in ſyluâ ligna cæderet, ſecuris in alterum genu dilapſa graue illi vulnus inflixerat: cui cùm à Medico, præſertim ob ſpaſmi metum, celeriùs remedia pararentur, Felix mater, omnibus Medicæ artis remedijs poſthabitis, ſtrophiolum Ioſephi ſanguine intinctum, B. Viri merita implorans, vulneri admouet: nec ſpe illa ſuâ fruſtrata fuit. Etenim eo ipſo tempore vulnere conſolidato, Laurentius opus ſuum incolumis proſequitur. Porrò Felix huius Laurentij Mater, cùm paulò ante genuum dolore ita afflictata fuiſſet, vt nec loco dimoueri poſſet; vbi illa eodem ſtrophiolo obuoluit, protinùs effugato dolore liberè incedere valuit. Stephanus Pellinus è Caſtro S. Angeli, vulnus in fronte acceperat, quod omnibus licet remedijs adhibitis curari non potuerat; At ſancti Viri Reliquijs in fronte obſignatus, mox curato vulnere incolumis euaſit. Franciſcus Antonius Gaſſanus à duplici dorſi, & dextri vberis vulnere; Petrus Angelus Amatricenſis à plagâ in ſuperiori labro acceptâ; puer demùm Ioannis Mariæ Coracini filius à mortifero gutturis vulnere, Ioſephi Reliquijs adhibitis illicò perſanantur. Fauſta Palla, Leoniſſana, Garofanus eiuſdem Coniux, ac puerulus eorum infans varijs vlceribus affecti, voto ad B. Virum emiſſo perfectam ab ijs curationem aſſequuntur. Maria Antonia Maſſiotta, Meuanienſis, cancro laborans, qui ſiniſtram oris ipſius partem ferè integram exederat, annulo catenæ, quâ Ioſephus viuens ſe præcinxerat, ori applicato, ſtatim à morbo curatur. Hoc ipſo adhibito Iſotta Spatia, ab apoſtemate, quod ſub dextro oculo contabuerat, confeſtim ſanatur. Sudarioli, quod B. Viri ſanguine intinctum fuerat, contactu Hieronymus infans à ſerpentino morbo; Felix Paulina à grauiſſimo genuum dolore; Antonia Carocia à colicâ paſſione liberantur. Hieronymæ Sirochiæ Amatricenſis femur tuber quoddam putridum inuaſerat; quod cùm indies excreſceret, in eam magnitudinem euaſit, vt quodlibet humanum caput excederet: eo verò tabeſcente, tam ſæuus inde illi dolor exortus, vt cùm in ſpaſmum degeneraret, in ſummum illam vitæ diſcrimen adduceret. Fruſtrà omnibus illa Medicæ artis remedijs adhibitis, cùm nulla alia tentanda ſupereſſent; ad Ioſephum voto emiſſo, cùm totâ nocte præter morem obdormiſſet, manè faſcijs ſolutis, mox tuber nullo pellente dilabitur; & carne conſolidatâ genu priſtinæ ſanitati reddi-

tum cernitur. Flaminia Vbaldeſca, graui in altero humero dolore affecta, cùm eo B. Viri ſepulchrum piè contigiſſet, protinus ſe ab eo liberam ſenſit. Andreas Ciachitus à Leoniſsâ ſtomachi languore diu laborauerat: quo tempore Maximilla Soror B. Viri opem implorat, Andreas Frater à languore conualeſcit. Camilla Aloyſia, quæ acerbo dextri brachij dolore cruciabatur, ſimul atque B. Viri cingulo ægrum brachium præcinxit, eodem tempore effugato dolore, brachij incolumitate potitur. Eo quoque lumbos ſibi præcingentes Maria Ioanna Piccara, & Frabritius Sinibaldus Leoneſſani, illa à laterum; hic ab humerorum, & lumborum dolore conualeſcunt. Sermonia Caretta à Leoniſſa, ſacras Ioſephi Reliquias omni pietate contingens, à diutino femoris cruciatu, quo clauda incedere cogebatur, eiuſdem ſuffragijs eripitur. Auguſtinus Canocius eiuſdem Oppidi, qui per quinque annorum ſpatia monſtruoſo corporis tumore, ac præterea aſſiduis doloribus laborauerat, vix B. Patris habitum induit, atque ipſius cordis, quod Leoniſſæ ſeruatur, Reliquijs obſignatus fuit; cùm mox euaneſcente tumore, ac doloribus ſedatis, perfectam corporis incolumitatem adipiſcitur. Anno 1618. equus Laurentij Nouelli ab Amatrice, è rupe decidens, ſiniſtram corporis coxam confregit: & licet quatuor menſium ſpatio diligentiſſimè curaretur; nihilominus cùm morbus incurabilis eſſet, pede claudus remanſit, nec in poſterum ſanari potuit: & cùm ſeptimo elapſo menſe, nulli vſui accommodatus, ſic claudus pabulum ſumeret, ex aliá rupe ſe denuò præcipitem dedit. At cùm ab omnibus equorum medicis medicamen omne ſuperfluum eſſe diceretur, & ideò deglubendum: Mater ipſius Laurentij Ioſephi memoriam reuocans, ſumpto linteolo, quo ſudorem à Dei famulo triduo poſt mortem emiſſum abſterſerat, equum toto corpore tumefactum, & ſemimortuum B. Ioſephi protectioni commendat, & prædicto Sudario ſuperpoſito recedit. Quo facto equus repentè in pedes diſſiluit, primo & ſecundo caſu coxæ fracturâ, & morbo incurabili planè liber, in poſterum non ſolum ephippio, verùm & clitellis aptum ſe præbuit. Cuius rei comprobandæ ſtudio Dominus Victorius Lancellotus, vnus ex Delegatis Apoſtolicis, qui præuio examine hoc miraculum approbauit, eundem equum per decem & octo milliaria, non ſine ſtupore & deuotione ad equitandum adhibuit. Petrus Fontichij in Aprutio Eccleſiæ Præpoſitus, colico dolore tam acerbè affligebatur; vt cùm nullis Medicorum remediis leuari poſſet, ad certum vitæ occaſum feſtinaret: quo tempore illi à noſtris cingulum ex Ioſephi habitu

compactum defertur: quo præcinctus, protinùs miteſcit dolor, ac poſtridie incolumis è lecto emergit. Néue cuiquam dubium eſſet, quin ea curatio ex cingulo, Diuinâ illi virtute inditâ, in eum profecta eſſet; quinto poſt die, cùm cingulum, quod eatenus præcinctum geſtauerat, exuiſſet; eiſdem repentè doloribus obrui cœpit, à quibus non niſi repetito cingulo liberatur. Hoc colico dolore Diana Ficarda Leoniſſana, diu exagitata, ſimul atque canabaceo ſancti Viri cingulo præcingitur, in ſalutem vendicatur. Flauia Lælia ad quintam vſque diem partus doloribus cruciata, cùm fœtum edere non poſſet. certum vitæ occaſum expectabat: quo tempore Ioſephi præſidium inuocans, filium mox ſalua, ac læſa parit. Hac quoque in ſanctum Virum pietate Lucretia Riccia, diu inter partus anguſtias certo mortis diſcrimine conſtituta, ſeſe feliciter à fœtu expedit. His & Delia Dionyſia Leoniſſana, & Olympia Baraſaſſia, & Helena Micoratia, & Virginia Maſſæa, fœtæ accedant; quæ Reliquias ſancti Viri admotas geſtantes à partus doloribus, & vitæ periculo eximuntur. Franciſcus Infans Amatrici recens natus, cùm tam graui herniâ laboraret, vt illi inteſtina defluerent, à Patientiâ Matre ad B. Viri ſepulchrum allatus, mox inde incolumis ab eâ domum refertur. Pari modo & ad ſancti Viri ſepulchrum Franciſcus è Trionis Oppido, & alter Oleander Quatroculus pueri herniæ curationem accipiunt. Quartus Veſpaſianus Lucius à Pedepodij Oppido, cùm à boue cornupetâ in inguine vulneratus illi inteſtina defluerent, B. Viri opem implorans, mox ad priſtinam ſoſpitatem reuocatur. Ab eodem herniæ morbo Vincentius Boſchius, & Ioannis cuiuſdam filius è Caſtro ſancti Angeli, necdum duorum annorum pueri, cùm B. Viri Reliquias attigiſſent, integram incolumitatem aſſequuntur. In Villâ Muſciani Nucerinæ ditionis Anno 1610. Margarita, filia Angeli Bernardini, cùm ferè vigeſimum ſecundum annum attingeret, in febrem vehementiſſimam incidit: quo tempore cùm magis magiſque per totum corpus mirabili modo craſſeſceret, à Phyſicis morbum illum hydropicum autumantibus, multis, ac varijs medicamentorum generibus, ſed vanis & inutilibus curata fuit: quindecim enim annos ægritudine iſtâ laborans, in dies poſtea ingraueſcente, tam craſſo corpore affecta fuit, vt non ampliùs mulier, ſed monſtrum horribile videretur; adeò vt magni dolij ſpeciem omnibus præſeferret. Prætereà, cum multis, & quinque præſertim plagis aliarum maximis, ac magis patentibus, per quas intima viſcera

cerni poterant, & fœtidiſſima, perennisque ſanies egrediebatur, non ſine ingenti & aſſiduo dolore agitaretur; tandem ſalutis ſpe deſtituta; poſtquam tres denique annos vltra quindecim nunquam è lectulo dimoueri potuiſſet, cunctaque hominum medicamenta infructuoſa eueniſſent. Anno 1631. die menſis Iulij 15. eam viſere contenderunt duo ex noſtra Familiâ Fratres, Paulus nempe à Meuaniâ, & Frater Euſebius à Nuceriâ: qui poſtquam illam ad patientiam hortati fuêre, dictus Pater ſic ægram alloquitur: Cùm tibi humana remedia non proſint, ad Diuina confugere, & patrocinium B. Ioſephi Capucini à Leoniſsâ, tot tantaque miracula operantis confugere certè debes; Cui cùm illa deuotiſſimè fuiſſet aſſenſa, Fratres ipſi flexis genibus preces aliquas adhibuerunt. Intereà ægra mulier ſimul Beati ipſius, quem celebrari audierat, patrocinium implorauit. Quibus peractis illum Sacerdos exiguâ telæ parte, quâ cor B. Ioſephi inuolutum fuerat, pertingens, cum Euſebio Socio diſceſſit. At non priùs Fratres domo egreſſi erant, quàm infirma mulier Cœleſtis medelæ virtutem experta fuit: nam corporis venæ illicò deficientes, in naturalem & priſtinam formam redire viſæ fuerunt: plagæ & vlcera, quibus venter ſcatebat, vlteriùs nec dolorem, nec putredinem attulerunt: immanis corporis craſſitudo, quam domus ianua capere non poterat, vnâ cum pondere & dolore penitus euanuit. Id totum die Martis euenit: poſterâ autem die, cùm venter omninò tumorem depoſuiſſet, plagarum (quas nunquam præ ventris altitudine videre poterat) ſolum ſignum in cute relictum conſpexit. Die Iouis dolore & grauedine leuata, è lecto nullo adiuuante diſſiluit; ac duobus innixa baculis, quod per plures annos facere non potuerat, extra domus limen ſe contulit. Veneris die, quæ fuit 18. menſis prædicti, & tertia ſuæ valetudinis, cùm ſe iam vires reſumpſiſſe agnoſceret, Templum, rem Sacram auditura, petere excogitabat: at Parocho diſſuadente, die tandem Dominico, qui ipſius menſis fuit 20. nullius ope itineri ſe commiſit, nulloque poſtea egens præſidio domum egreſſa, poſtmodum Templum, campos, & culturam, vt ante morbum fecerat, ac ſi nunquam ægrotâſſet, omnibus obſtupeſcentibus repetere viſa fuit. Alexander Bocanegra Leoniſſanus, & Paulus Graſſus Amatricenſis Odontalgiâ ad inſaniam vſq; laborantes, ille B. Viri iecoris particulâ; hic eiuſdem molari dentibus admoto, à morbo perſanantur. Leo à Monte Leone miraculorum, quæ ad B. Viri Reliquias quotidie patrari audiebat, incredulus, has morborum curationes humanæ potiùs virtuti adſcribendas puta-

bat; cùm repentino capitis morbo tam acerbè cruciari cœpit, vt cùm nulla illi diu noctuque quies eſſet; & humanæ artis remedia illi potiùs dolorem augerent, quàm minuerent, mox B. Virum inuocare; mox vt eius Reliquiæ adferantur, exclamare; mox lachrymis ab eo ſuæ incredulitatis veniam petere. Tandem ſancti Viri Capucio Capiti ipſius impoſito, ceſſat capitis dolor; ac ſuopte periculo, quá pietate Dei Seruorum ſigna accipienda, ac interpretanda ſint addiſcit. Eodem quoque ſancti Patris Capucio, Pompeio Piccaro Amatricenſi, qui eâdem cephalalgiâ laborabat, capitis incolumitas redditur. Comitiali morbo Ioſephus, Remigij Collis filius, Narnienſis, tam grauiter affligebatur, vt eo ter, quaterque in die obrueretur. At harum Reliquiarum virtute protinùs ſanatur. Strumis præterea Carolus Mautinus Narnienſis, & Semidea Amatricenſis laborantes, haud alio præterquàm ſacrarum huiuſmodi Reliquiarum remedio, ab ijs incolumes emergunt. Ab iſchiadico morbo tam acriter Margarita Angela, & Valentina Piccara Amatricenſes premebantur; vt ne quidem greſſum mouere poſſent: quo tempore ſancti Patris ſibi reliquias adhibentes poſtulatâ incolumitate perfruuntur. Anno 1635. filia Petri Antonij Genuenſis, Mediolani Nummularij, Virgo Monialis Profeſſa ex Capucinarum Familiâ in S. Caroli Cœnobio Vrbis Placentinæ, annorum ætate 22. die 14. Iulij grauiſſimis doloribus toto corpore afficiebatur: morbo autem ingraueſcente menſe Nouembri tam vehementi cruciatu affecta fuit, vt contractis neruis pedes lateribus iungerentur; & talem in modum brachia ſe contraxerunt, vt inſtar arcus ad humeros ſe conuerterent. Manus adeò in pugni formam ſe coarctarunt, vt nullâ humanâ facultate, ac medicaminis virtute diſſolui poſſent. Hiſce doloribus detenta, nullâ parte dimoueri poterat: & dum ab alijs mouebatur, dolore ingenti afficiebatur. Medicamina ſicut ſemper fruſtranea; ſic morbus à Medicis incurabilis fuit habitus. Verùm cùm octo menſes tali pacto impedita, ſalutis ſpem abieciſſet; Sereniſſima Duciſſa Parmæ Heroïna Cœnobium petijt; vbi Virginis audito morbo Abbatiſſam docuit, vt ægrota B. Ioſepho à Leoniſsâ tot miracula patranti ſe commendaret. Abbatiſſa igitur Serui Dei effigiem à Dominâ Conſtantiâ Picedâ Fontaná, Parmæ Heroïnæ à cubiculo acceptam, Virgini ſacræ detulit: quam oſtendens hortabatur, vt depicti Patris interceſſionem expeteret. Ægra die 19. Martij 1636. die Lunæ Maioris Hebdomadæ, quâ doloribus magis vexabatur, ſummâ animi propenſione, ac pietate B. Ioſephum exorauit, vt in tot cruciatibus ſibi

præſtò eſſet. His propemodum oblatis precibus, internâ quâdam ac ſpirituali voluptate ſe repleri viſa fuit; animo ſibi certò ducens, B. Ioſephi meritis perfectam ſanitatem ſibi reſtituendam. In quâ ſententiâ perſiſtens, B. Viri gratiam implorare non deſinebat, firmè conſtituens, velle ſingulis annis eius vigiliam panis & aquæ ieiunio, eiuſque diem feſtum, quâ fieri poſſet veneratione celebrare. Et cùm in dies internum gaudium experiretur, maiori ſuffulta fide, credebat propediem morbum abſcedere: hoc pacto ſanandi credulitate auctâ, Beatum orabat, vt in proximam Paſchatis ſolemnitatem ſanitatem reſtitueret, vt benevalens, Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſet. Hac in petitione perſeuerans, interiùs ſenſit preces non fore irritas. Quare die Sabbathi Sancti, quò magis dies creſcebat, eò magis lætabatur, ſibi ſuadens, B. Ioſepho intercedente, perfectâ ſanitate potiri. Quo die tandem aduecto, qui fuit 22. prædicti menſis, vix ſolutis Campanis, earumque percepto ſonitu, attracta membra ſe diſſoluerunt, crura, brachia, & manus dimoueri cœperunt, & deuotâ hilaritate imbecillitatem ſuperante, ſacris duabus Virginibus innixa, nullo affecta dolore ſtrata deſeruit, pedibus conſtitit, D. O. M. gratias egit, Interceſſoris patrocinium recenſuit; & cunctis Monialibus obſtupeſcentibus, ad Templum, Paſchatis ſolemnia celebratura, ſe contulit: cuius membra licet tamdiu impedita, & ſenſu carentia fuiſſent, adeò ſolida, firma, & ſoluta redierunt, vt morbi præteriti nedum ſignum reperiatur. Franciſcus filius Ioannis Mariæ Baſſoli à Carpro Anno 1636. grauiſſimo epilepſiæ morbo laborabat, cuius octies, & decies in die, ſæpè & duodecies ſymptomata patiebatur. Et quamuis varijs medicaminibus curaretur, ſingula tamen inania fiebant. Poſtquam circa menſem tot in angoribus verſatus fuit, ægroti Pater humana auxilia deſperans, & Diuina tantùm exoptans, Patrem Ioannem Baptiſtam Eſtenſem Capucinum, quem iam, dum Mutinæ Ducatus habenas moderabatur, ſuum Principem naturalem agnouerat, ſibi adeundum conſtituit. Cui cùm filij ægritudinem narraſſet, eius opem ſuppliciter exorauit. Quod pius Pater accipiens, tùm parentis, tùm filij miſeratione motus, ſtatim ad ægrotum feſtinat; quem poſtquam breui ac miti ſermone exhilarauit, flexis genibus beatum Ioſephum, ſuum peculiarem patronum pro infirmi valetudine deprecatus; aquam deinde, quæ os quoddam ſancti Viri tetigerat, potandam præbuit: vnde ægrotus tam frequentibus ſymptomatibus minimè obnoxius, firmior in

poſterum factus fuit. De hoc certior factus Pater Ioannes Baptiſta, quarto die ægrum viſurus redijt; cuius ex ſalutis progreſſu ſpem perfectæ valetudinis concipiens B. Ioſephum vehementibus precibus orandum duxit. Et cùm infirmi Parens vltrà preces pro filij incolumitate fuſas, vouiſſet cum argenteâ imagine, vnà cum filio B. tumulum inuiſere; aquam prædictam denuò præbuit, & ſequenti die bis tantùm: die verò Dominico ſemel cadere viſus eſt. Fugato tandem morbo B. Ioſephus apparuit dicens; in diem Iouis futurum Chriſti Corpori ſacrum, ſe planè confirmatum fore. Interim non ampliùs cadens, non alio quàm angore ſolito affectus fuit. Chriſti tandem Corporis die adueniente, vt ſanctus Vir prædixerat, ſanitatem recepit; quam ſummo rerum Opifici, ſuoque Patrono acceptam referens, ſemper in poſterum ab hoc morbo, Deo annuente, liber fuit. Marcheſana Amatricenſis, S. Auguſtini Tertiaria, primùm ſiniſtræ, tùm vtriuſq; auris auditu carens, pleraq; ad earum curationem remedia contulerat; quæ cum vana, ac inutilia probâſſet, ad Cœleſte Ioſephi remedium confugit, ipſiuſq; iecoris, & habitus particulam ſtrophiolo, quod eiuſdem ſanguine intinctum tulerat, inuolutum ſurdis auribus alligat. Poſt hæc vix ſecundâ vel tertiâ horâ elapsâ, ingentem in auribus, velut rotæ, quæ celerrimè vertitur, ſtrepitum percipit, quo totius illi corporis compago commoueri videbatur. Eo verò ſtrepitu ceſſante, & ſurditas ceſſat, & aures illi ad voces diſtinctè percipiendas aperiuntur. Martha à Caſtro S. Angeli, mulier nonagenaria, obtuſæ penitùs auris, cùm poſt ſacrarum S. Viri Reliquiarum contactum, aquam, in quam Reliquiæ demerſæ fuerant, ſecum domum aſportaſſet; & antequam ad quietem decumberet, Ioſephi ſibi è Cœlo opem implorans, eam guttatim ſibi in aures inſtillari curâſſet; mane exurgens integro auditus ſenſu perfruitur. Franciſcus Maſſutus puer, vtroque ita lumine orbatus, vt nihil in oculis, præter albuginem præferret; cùm Anno circiter 1622. ab Antoniâ Matre, ad B. Viri ſepulchrum perductus fuiſſet; dum pro eo Mater preces cum lachrymis fundit, aqueum is primùm humorem guttatim ex oculis ſtillare, tùm copioſè effundere, ex quo ſubobſcurè res intueri poterat: demùm perfractâ oculorum membranâ, vnde lacteus ac ſanguineus humor effluere viſus; inde perfectum illi oculorum lumen erumpit. Alcinæ à Turre ex catarrhi fluxu oculi ita caligauerant, vt luce penitus careret. Quamobrem catenæ, quâ Ioſephus viuens præcingi ſolebat, annulum nacta, vbi pias ad eum multo cum lachrymarum imbre preces fudit, eo

ſibi oculos obſignans, mox lucem recipit. Dominicus à Puteo, & mulier quędam Amatricenſis, altero lumine capti, cùm ille præfato catenæ annulo oculum contigiſſet; & hæc vino, quo Ioſephi oſſa lota fuerunt, ſibi lumina aſperſiſſet, vterque mox ad lumen reuocatur. Oleandrum Quatroculum puerum, vtroque oculo cœcum, cùm in veſpere mater B. Viri impenſiùs ſuffragijs commendâſſet, manè claro lumine omnia videntem offendit. His & alij accedant vtroque lumine orbati, qui ad ſancti Viri Reliquiarum contactum lumen recepêre. In his in Proceſſu enumerantur Patienza puella Ioannis Lucidi filia, Nancidonia Palla Amatricenſis, & Ioſephus de Maximis Amatricenſis, ſex annorum puer; qui vel ex ſolo ſepulchri contactu bis repetito, integram oculorum lucem receperunt. Petrus Paſchalis; qui trium menſium ſpatio, in Trionis Oppido ita inſanæ mentis fuerat; vt eum ſæpè vinculis alligari neceſſe eſſet: cum Amatricem ad B. Viri ſepulchrum vi perductus fuiſſet, vix per horæ quadrantem iuxta illud commoratus, ſanæ menti redditur; atque eâ deinceps vſque ad obitum potitur. Bartholomæus Meſſanienſis iam à multo tempore inſaniens, quem vix vincula tenere potuerant, ad ſacrarum Reliquiarum aſpectum, ac impoſitionem, ſtatim ad mentem redit. Idem & alteri à Vallona Oppido dementi contigit, ad ſanam mentem harum Reliquiarum contactu ad mentem reuocato. Hoc modo & Philippa à Monte Leone, & Lucia Leoniſſana à phreneſi liberantur. Lucia Lazzari Leoniſſana ob ſobrini cædem extra mentem acta, cùm in inſaniâ perſeueraret ad B. Viri Reliquias, quæ Leoniſſæ aſſeruantur, ducta, ijsque obſignata, non modò ad mentem reuocatur; ſed & à febre, quâ laborabat, eodem tempore curatur. Franciſcus Romulus à Leoniſsâ iam diu à malo ſpiritu poſſeſſus, qui cùm in Fratrem Franciſcum à Leoniſsâ ex noſtris Sacerdotem, qui ſecum B. Viri Reliquias gerebat, fortè incidiſſet; nequam Spiritus in eum, tanquam ſuæ Pacis perturbatorem, verbis inuehi cœpit: quem Franciſcus, cùm ſacris Reliquijs capiti obſeſſi impoſitis ad exitum prouocaſſet; ſtridere ille primùm, ſpumare, obſeſſum exagitare: demùm poſt vnum, aut alterum diem, liberum hominem relinquere cogitur. Sancia Mercurij Maſſari vxor, & Diaris à Fondo Viſſi, vtraq; iam pridem à Dęmonæ obſeſſa, cùm Leoniſſæ Viri Dei Reliquias veneratæ fuiſſent, nefarij ſpiritus erumpentes, egreſſus ſigna dedêre, liberasq; mulieres deſeruêre. Porphyria quoq; Ioannis Maſſari vxor, ab infeſto Dæmone nuper obſeſſâ, maturè Sacrarum Reliquarum contactu liberatur.

Poſtremò Lucia à Monte Leone, & Olympia è Sale Oppido, Dæmonico faſcino alligatæ, ſacras Reliquias venerantes, à Diabolico vinculo ſoluuntur. Ludouicus Hieronymi Morelli filius, qui Ioſephi vaticinio natus, ab eo Ludouici nomen acceperat, cùm deſperatá penitus ſalute ægrotaret, B. Viri Reliquijs obſignatus ſtatim perſanatur. Chryſoſtomum Monutiam à Leoniſsâ cum morte colluctantem, velut mortuum Parentes lugebant: quo tempore cùm vittâ ex B. Viri habitu præcisâ ægri caput à noſtris præcinctum eſſet, paulò poſt à morbo liber & incolumis è lecto ſurgit. Hoc pacto Dominicus Carmellanus Narnienſis, Pompeius Picardus Amatricenſis, Paulus Nouellus, Baptiſta Lombardus, Santus de Amicis, Hiacinthus Tranſius, & Ioannes Baptiſta Caponius Amatricenſis; quorum penitus deſperata ſalus erat, ſacrarum Reliquiarum impoſitione ad ſalutem reuocantur. Poſt hoc Ioannes Petronius Leoniſſanus, Maria Antonia à Caſtro ſancti Ioannis, ad Medicorum deſperationem ægrotantes; & Bartholomæus Angelus vnius anni infans, qui non tam moribundus, quàm mortuus credebatur, voto pro ijs ad B. Virum emiſſo conualeſcunt. Lucretia Vitellotij Georgij vxor, Meuanienſis cùm febri continuâ correpta plurimos in ægritudine dies duxiſſet, tandem è vitâ exceſſit. Iam decem poſt illius obitum horæ effluxerant, cùm illi funera parantur; Dominicus quidam Camaſſeus, qui Ioſephi catenæ annulum, quo pleraque iam miracula patrata fuerant, domi aſſeruabat; eos ad B. Viri opem implorandam prouocat; annuloque ſtatim allato, cùm tota Domus familia humi proſtrata, Ioſepho pro mortuâ excitandâ vota obtuliſſet; ac piè Dominicam Orationem cum Salutatione Angelicâ perſoluiſſet; Dominicus annulo in aquam demerſo, illius aquæ paululum in defunctæ os ſtillat: quo facto mox oſcitat defuncta, frigida membra caleſcunt, albeſcunt manus, rubeſcit vultus, ac tandem lumina aperiuntur, & à mortuis excitata, pulsâ febri conualeſcit. Poſt hanc Carolus Virginiæ Amatricenſis filius, cùm ex vtero Matris mortuus prodijſſet; & cunctis in eum, quæ ab obſtetricibus adhiberi ſolent, experimentis tentatis, omni vitæ ſenſu carere probatum eſſet, in lecto componitur, vt primo quoque tempore ſepulturâ donetur. Interea Mater, quæ Ioſephi in eo partu, ex quo moritura credebatur, opem experta fuerat; ſupplex ab eo tantùm filio vitę poſtulat, quoad ſacrâ Baptiſmatis vnda frui poſſit. Iam quartâ ab illius partu horâ effluxerat, cùm B. Viri Reliquias, quas etiamnum ſibi impoſitas geſtabat, mortuo filio applicari iubet: quo tempore dum tota

domus

domus familia vnà cum Matre piam obſecrationem ad B. Virum fundunt; en infans in vitæ ſignum vagitum edit: moxque ſacro Baptiſmate intinctus, cùm in eo Caroli nomen ſortitus eſſet, ad biennium vſque vitam produxit. Præter hæc pleraque alia B. Viri miracula enarrantur, quæ ad Crucis, quam is viuens Leoniſſæ in Portâ Vinearum erexerat, contactum patrata fuêre. Huius namque Crucis particulâ collo appenſâ, Dominicus Luciæ Lauretæ filius febricitans; Eliſabetha Pipia membris trunca, Conforti Leoniſſani filia clauda, Micinella Pulcinia, & Maximilla Ciachetta dentium diu dolore afflictatæ incolumitatem aſſequuntur. Quibus & alia quamplurima addi poſſent, quæ ſcripto minimè excepta fuerunt. At præclarum illud, quod Medicorum iudicio Diuinum comprobatum fuit: ipſius enim ſanguis, qui in vitreâ ampullâ penes S. Saluatoris Sodalitium Leoniſſæ aſſeruatur, tam recens, rubicundus, ac liquidus conſpicitur; perinde ac ſi eâ die ex illius venis hauſtus eſſet. Quo planè & Dei gloria, & B. Viri apud homines ſanctitas in dies illuſtrior apparet; vt qui Diuina hæc in Ioſepho miracula ſuſpiciunt, ad altiorem eorum contemplationem emergant. Obijt Vir Sanctus Anno 1612.

Fr. THOMÆ ATRIENSIS,
MAGISTRI NOVITIORVM
VITA, ET GESTA.

FRATER Thomas Atriensis, Neapolitanæ Prouinciæ Sacerdos, Vir ad miraculum pius, & ad Nouitiorum educationem ijs omnibus virtutibus inſtructus, quæ illuſtriorem in eo munere adminiſtrando, morum Magiſtrum reddere ſolent, ita ſuâ virtutum laude hanc Prouinciam cumulauit; vt ipſius nominis gloriam nulla vnquam obliuio delere, nulla ſæcula conticeſcere valeant. Hic cùm Nuceriæ Paganorum quæ Vrbs eſt Campaniæ, Nouitiorum curam ageret; nihilque in extremo ante ieiunium Quadrageſimale die obſonij, præter caſei modicum, in cœnâ Fratribus reliquum eſſet, vni ex Nouitijs, qui inter Nobiliores Neapolitanæ Vrbis Familias cenſebatur, præcepit, vt Pſalmos Graduales pro benefactoribus deuotè recitaret. Paret ille confeſtim. Quid inde? Talai Princeps, qui nullâ eatenus Eleemoſynarum

largitione Capucinos proſecutus fuerat, eâdem horâ Diuini (vt idem poſt hæc faſſus eſt) numinis impulſu permotus, Capucinis cœnam miniſtrat. Hic denique cùm admirabili vitæ auſteritate, perpetuæ Orationis ſtudio, ac perfecto Regularis obſeruantiæ cultu, poſteris omnibus prçluxiſſet; eâ die ac loco, quæ ſibi ob ſummam erga Beatiſſimam Cœlorum Reginam religionem à Domino poſtulauerat; nimirum Sabbathi die Beatiſs. Virgini Sacro, atque in ipſo Neapolitano Conuentu Immaculatæ eiuſdem Conceptioni dicato, magnâ cum ſanctimoniæ famâ poſt ſe relictâ, vitæ curſum peragit Anno 1583.

Fr. FABRITII CAMERINENSIS, MAGISTRI NOVITIORVM *VITA, ET GESTA.*

FRATER FABRITIVS CAMERINENSIS, Picenenſis Prouinciæ Sacerdos prçter alias animi virtutes, quibus abundè prçditus erat, tam eximiâ honeſtate præſtabat, vt oculorum demiſſione, vultus pudore, corporis compoſitione, verborum ac morum honeſtate, & mulierum omnium fugâ, quàm prçclarè illa ei in animo ineſſet, facilè demonſtraret. Magiſtri Nouitiorum aliquamdiu maximâ cum laude in S. Angeli Prouinciâ munere fûnctus cùm in Picenum redijſſet, Mateliæ non ſine Sanctimoniæ famâ diem ſupremum obijt; cum in morte Dçmonem Dei illi odium perſuadentem fortiter repuliſſet. Menſe poſt mortem elapſo, Guardiano apparens, Cœleſtem gloriam ſe à Domino aſſecutum narrat. Obijt 1584.

FRATER LVDOVICVS à SVLMONA Concionator, ac Magiſter Nouitiorum, in Aprutienſi Prouinciâ magnis ob vitæ innocentiam, morum diſciplinam, Regulç obſeruantiam, atque omnium Euangelicarum virtutum exempla, laudibus effertur: cùm eò innocentiæ perueniſſet. vt cum auibus Cœli luderet, moriens, in ſplendidi fulgoris modum, à Nouitio Aquilano è viuis emergere cernitur, Anno 1588.



FRATER SECVNDINVS ASTENSIS FRATRVM
CAPVCINORVM MAGISTER NOVITIORVM.

Fr. SECVNDINI ASTENSIS, MAGISTRI NOVITIORVM *VITA, ET GESTA.*

FRATER SECVNDINVS ASTENSIS, Sacerdos, Vir omnium virtutum odore fragrans, ex honeſtâ illius Vrbis familiâ ſatus, cùm primùm Iuuentutis florem attigit, maturè illum Deo in Capucinorum Religione conſecrauit. Ab ipſis ſuæ conuerſionis incunabulis ſummarum virtutum fundamenta iaciens, ijs tam præclaram deinde Regularis perfectionis molem ſuperſtruxit, vt inter præſtantiores, atque illuſtriores illius Prouinciæ Viros omnium voce cenſeretur. Carnis enim primùm maceratione tantopere excelluit vt perpetuo corpori bello indicto, illud tanquam hoſtem quotidianis loris perſtringeret; neque communibus contentus, cùm Dominicam flagellationem flagris ad ſex vel ſeptem horarum ſpatia protractis, antiquâ apud nos traditione conſtare accepiſſet; tùm ad Dominicæ Paſſionis memoriam, quam ſedulò in animo verſabat; tùm etiam ad ampliorem corporis caſtigationem, captatâ occaſione, in quadam Beatiſſimæ Virg. Æde noctem totam pernoctans, nudato corpore flagellationem ad Matutinum vſque tempus protendit. Rurſus, cùm hanc Domini flagellationem celebrare vellet, in Inſulam Sepurtano, quæ nullos incolas habet, adnauigat; nauicularioque ſeptem horarum ſpatium præſcribit, quo peracto ad eum redire debeat. Ibi inter dirutos Cœnobij alicuius parietes, copioſos ob Dominicæ Paſſionis memoriam lachrymarum imbres ex oculis fundens, longam flagellationem inſtituit; quam cùm ad ſeptimam vſque horam produxiſſet, tam ex eâ languidus euaſit, vt ferè exanimis ad Conuentum redierit. Hanc ille Dominicæ Paſſionis flagellationem tam Cacodæmoni exoſam affirmabat, vt cùm eum ſæpe aliàs aggreſſus eſſet, inuidi Cacodæmonis minis, ac terroribus impeditus integram vix vnquam abſoluere potuerit. Carnem quoque crebris ieiunijs præter conſueta inſtitutis confodere; membra quotidianis laboribus defatigare; corpus denique vigilijs, & alijs vitæ auſteritatibus ita extenuare conſueuerat, vt myrrhæ faſciculum ex omnibus veræ pœnitentiæ amaritudinibus collectum ſibi collegiſſe, atque inter vbera collocâſſe videretur.

Tam

Tam ſedulo Orationis ſtudio in Deum ferebatur, vt nullum illi ab Oratione tempus vacuum eſſet: quanquam verò longas, nocte præſertim in rerum Diuinarum contemplatione vigilias duceret; tantâ nihilominus in eâ Diuini ſpiritus ſuauitate fruebatur, vt neque vllâ corpus ſomnolentiâ grauaretur, neque ex orationis diuturnitate animi moleſtiam contraheret: quin ſæpè binas ac ternas horas eodem in loco fixus, atque immobilis conſiſteret. His tandem virtutum vniuerſitas ſuccedit; quæ tàm prꝰclarè in Secundino elucebat, vt totiùs Regularis obſeruantiæ, atque Euangelicę perfectionis ſumma eſſe videretur. Vigueriæ cùm peſtis graſſaretur, inſignis huius Viri charitas, & patientia effulſit: plurimis enim ex noſtris eâ tabe infectis, cùm omni ſtudio & charitate miniſtrâſſet, eâdem quoque ipſe correptus, tantâ animi alacritate morbi illius moleſtias tulit, vt cùm noctes vndecim vi morbi prępeditus, inſomnes duxiſſet, in his Diuinas ſemper laudes decantaret; ex quo tandem conualeſcens, in Aquitaniam mittitur; vbi ob pręclaram vitæ ſanctimoniam, ad Nouitiorum Magiſterium vocatus, tot nouis Tyronibus virtutibus prælucet, vt ſola Magiſtri vita, diſcipulis omnium virtutum diſciplina eſſet. Contigit etiam aliquando, vt ex Tyronibus quidam, dum ignem ex ſilice excutere nititur, quo extinctam Eccleſiæ lampadem accendat, fruſtrà pyritem percuteret. Cui Secundinus: Quid (inquit) in igne excutiendo tantopere laboras? en ignem. Cumqúe lampadis ellychnium ſuâ manu ad ignis flammam compoſuiſſet; ecce ex ellychnio extemplò flamma erumpit, quę ardentem lampadem pręſtat. Neque hoc tantummodò; ſed & alijs quoque ſignis Deus ſerui ſui ſanctimoniam declarare voluit. Mariam enim quandam iuuenculam, quæ in Fibini Liguriæ oppido iam quadriennio diutinâ quâdam ægritudine laborauerat, pallio ſuo contegens, priſtinæ incolumitati reſtituit. Alterum quoque puerum Bartholomæum nomine, ab elephantiæ morbo Pinarolij ipſius oratione curatum ferunt. Cum igitur in Aquitaniæ Prouinciâ, in Nouitiorum educatione nondum curſum explêſſet, Toloſæ diutino morbo correptus eſt; in quo pręclara patientiæ, ac veræ ſanctimonię teſtimonia poſteris reliquit, & tandem ad extremum vitę occaſum eſt perductus. Dies erat pervigiliæ Dominici Natalis celebris: quo tempore Nouitius ex ſuis quidam Ioſephus nomine, vt Magiſtrum iam ad finem vitæ tendentem exhilararet, clarâ voce illi Eccleſiæ verba, quæ eâ die decantantur

 occinere

occinere cœpit: *Hodie ſcietis, quia veniet Dominus; & manè videbitis gloriam eius.* Quæ cùm Vir Dei audiſſet, tanto mens illius gaudio affecta fuit, vt Ioſephum rursùs ea verba repetere coëgerit. Tum in ſtrato ſedens, quaſi ea ex ore Angeli accepiſſet, tot obortis lachrymis Deo ex animo gratias agere cœpit, vt adſtantes Fratres magnâ tum pietate, tùm voluptate afficerentur. Eam ſiquidem Domini Natalis diem ſibi poſtremam expetierat, atque à Deo poſtulauerat. Quare cùm totum illud peruigilium in Dei laudibus conſumpſiſſet, Dominici Natalis diem, vti priùs ſæpè prædixerat, hinc emigrans, cum Domino celebrat, Anno 1589. Vix autem ipſius obitus rumor per Vrbem diffuſus, cùm maxima protinus populi multitudo ad illius funera conuenit; & quem viuentem verum Dei ſeruum probauerat, debitum defuncto honorem & venerationem perſoluit.

Fr. DIONYSII ALETINI,

MAGISTRI NOVITIORVM

VITA, ET GESTA.

FRATER DIONYSIVS ALETINVS Concionator, cùm plurimis in Hydruntinâ Prouinciâ virtutibus floreret, potiſſimùm tamen honeſtate, & caſtimoniâ ita effulſit, vt communis omnium fama illibatæ virginitatis dono præditum fuiſſe, prædicauerit. Virginitati verò tanta morum honeſtas, tantus mentis candor, tanta rerum Diuinarum, ac præſertim cùm Sacroſancto Miſſæ Sacrificio incumberet, lux & ſapientia, tanta in omnibus pietas comes accedebat, vt multiplici illius virtute perſpectâ, maturè tum ad Nouitiorum curam, tum etiam ad varios huius Prouinciæ honores, & adminiſtrationes vocatus fuerit. Regularis obſeruantiæ, ſi quis alius vnquam, acerrimus propugnator fuit. Inter hæc Dei Verbum maximo charitatis æſtu prædicans, vberem ſemper animarum fructum Deo referre conſueuerat. Tantam quoque ipſius Oratio apud Deum vim ſibi vendicauerat, vt maris tempeſtatem, oratione ad Beatiſſimam Virginem directâ, mirabiliter ſedauerit. Ex Romanâ tandem Vrbe, quò ad quædam Prouinciæ ſuæ negotia pertractanda miſſus fuerat,

rediens, cùm Luceriam Apuliæ Vrbem appuliſſet, ſupremo morbo correptus, Cœleſtia, Clarâ Maluindâ Mattiolenſi, inſignis Sanctimoniæ Tertij Ordinis S. Franciſci Moniali ſpectante ac prædicante, penetrauit. Anno 1589.

Fr. BARTHOLOMÆI CAESENATIS, MAGISTRI NOVITIORVM, *VITA, ET GESTA.*

FRATER BARTHOLOMÆVS CÆSENAS, Sacerdos, illuſtris ſanctimoniæ Vir; Hic Sacerdotio inunctus, vnà cum altero illius Vrbis Sacerdote tàm effrænem vitam ducebat, vt nullis vterque ſceleribus parcerent. Inter hæc tamen corruptiſſimæ vitæ ſcelera, quidam illi erga Beatiſſimam Deiparam Religionis igniculus animo inerat, quo eam quotidie Hymno illo: *Stabat Mater doloroſa, &c.* venerari conſueuerat. His itaque turpioris vitæ tenebris immerſus, dum aliquando ſolitam precationem orat, in mentis exceſſum raptus, in igneum pelagus ſe deportari videt: in quod demerſus, cùm acrius à flammis cruciaretur, circumſpiciens, amicum Sacerdotem eiuſdem pelagi flammis obrutum animaduertit. Inter hos ardentes pelagi fluctus, dum miſer præ dolore exclamat; en Beatiſſima Virgo è Cœlo delapſa manum porrigit; eumqúe è pelago eductum, his verbis affatur: Bartholomæe, quandoquidem tam grauiter meum, ac Dei filium tuis ſceleribus læſiſti; hinc ſi ſaluus optas emergere, illius te conſpectui adſtare, atque ab eo criminum veniam poſcere oportet. Cùm primùm igitur coram Dei filio Bartholomæus apparet, confeſtim ab eo duris verbis reijcitur; à Deiparâ verò confortatus, iterùm ad Iudicis pedes ſupplex ſeipſum proſternit: à quo rursùs vultu iracundo expulſus, nihil præterquam ſuæ damnationis ſententiam à Iudice expectabat; cùm illum Beatiſſima Virgo ſecum aſſumptum ad Filium ducit; qui Beatiſſimæ Matris precibus permotus, eidem hac conditione ignoſcit, vt præterita peccata pœnitentiâ deleat, ac vitam in meliorem commutet. Poſt hæc ab exceſſu rediens, cùm literas à Fratre accepiſſet, quibus certior fiebat, amicum Sacerdotem, eo planè tempore, quo hæc illi viſio manifeſtata fuerat,

glande oppetitum repentè interijſſe, meliori apud ſe conſilio inito, ad Fratrum Obſeruantium Familiam aduolat; in quâ, cùm aliquot annorum ſpatio religioſam vitam duxiſſet, demum arctioris diſciplinæ ſtudio ad Capucinos ſe confert. Hic tamen Bartholomæus, cùm negligentiùs virtutum ſtudia, ac præſertim Regularem obedientiam proſequeretur, periculi à Deo in ſomnis admonetur: dum enim communi orationi vacat, leui quodam ſopore oppreſſus, Romam ſibi proficiſci videbatur; ſed cùm viam ignoraret, en puer egregius illi protinùs obuiam fit, qui ſe illi itineris ducem exhibet, ac per anguſtam ſemitam, horridaqúe loca, ad inferorum tandem barathrum (vt ipſi videbatur) deducit. Quapropter Bartholomæus altis infauſtum hunc diem gemitibus deflebat; antiquaqúe Deiparæ auxilia animo repetens, ipſius tunc impenſiùs patrocinium implorabat, cùm tenuem lucem lucis radium ſibi illuceſcere vidit, poſt lucem vox ab eo audita, clamantis: Bartholomæe, egredere, & veni. Statimqúe è lacu Diuinâ quâdam virtute euectus, almam Dei Matrem conſpicit, quæ his eum verbis compellat: Feſtina, Bartholomæe, ac me præeuntem ſequere. Ab eâqúe in magnificam quandam Regiam perductus, in eâ Dei Filium vnâ cum duodecim Apoſtolis conuiuantem cernit. Protinùs Beatiſſima Virgo tres illi eduliorum lances ſuis operculis inſtruendas, Chriſti, & Apoſtolorum menſæ apponendas porrigit. Duas porrò ille lances cùm ſatis appoſitè componeret, tertiam nullo vnquam pacto ita concinnare potuit, quin ſemper ineptè in alteram partem penderet, atque edulium effunderet. Monebat Beatiſſima Virgo, vt diligentius lancem componeret: at cùm is nullâ ratione rectiùs eam concinnare valeret, atque hoc modo lancem Dei Filio epulanti obtuliſſet; ab eo grauiter tam incompoſitæ lancis increpatur. Graui igitur hac Chriſti Domini increpatione, quæ viſum concluſit, cùm Bartholomæus tremebundus è ſomno euigilaſſet, eodem tempore Diuinitus totius huius viſus myſterium, ac declarationem accepit; tresqúe illas lances Chriſto offerendas, tria, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ vota eſſe; tertiam denique, quam Bartholomæus tunc quidem rectè componere non poterat, obedientiæ votum præſeferre. Hoc itaque viſu Vir Dei adeò in morum correctione, ac virtutum omnium ſtudio profecit, vt non modò obedientiæ, ſed & totius Regularis obſeruantiæ deinceps exemplar fuerit. Nam præter Dominicos dies, in quibus communi cum alijs eſcâ fruebatur, reliquos, aut panis, & vini ieiunio conſecrare, aut cibo vacuos præterire conſueuerat.

Carni tam acre bellum hoc tempore indixit, vt eam horrido cilicio domaret, diris verberibus, præter conſuetum, cæderet, nudis tabulis, cùm ei quieſcendum eſſet, exciperet, tamque parcum illi ſomnum indulgeret, vt ad tertiam vſque non ampliùs horam quietem extenderet: reliquam verò noctis partem ſacris vigilijs, quas in oratione, & lachrymis, rerumque Cœleſtium contemplatione inſumebat, velut legitimo ſempiterno tribueret. Humilitate verò, paupertate, manſuetudine, patientiâ, ſuiipſius contemptu, & cæteris animi virtutibus, in quibus Euangelicæ perfectionis ſtudium conſiſtit, tantopere precellere viſus, vt Nouitiorum illi tandem educatio credita fuerit. Has animi virtutes, ac potiſſimùm Orationis ſtudium, cùm Satan nimis ægrè ferret, varijs eum modis aggreditur. Cùm enim Ferrariæ in Eccleſiâ poſt Matutinas Horas de more oraret, Satan, grandioris aſini formâ aſſumptâ, orantem calcibus aggreditur; ac tamdiu fugientem proſequitur, quoad ille pleriſque calcibus eliſus, in cellam ſe conferret. Rursùm, cùm in Choro orat, tantus aliquando in eum irruit ſopor, vt cùm eum nullâ vi, aut ratione ſuperare poſſet, in cellam dormiturus ſe contulerit. Vix autem lodicem complicat, cùm ſub eâ ingentem colubrum caput efferentem conſpiciens, ſub eo ſtatim Dæmonem deliteſcentem agnoſcit. Cui Bartholomæus: Iam (inquit) ô Satan, inter nos paciſcamur: Tu in hoc ſtrato dormies; ego verò Eccleſiam oraturus repetam. Sæpius quoque à Dæmone illuſus, feſtinatò Eccleſiam repetens, aſtus illius deludit, minas paruipendit, atque ad præſtantiora ſe virtutum ſtudia in dies magis ac magis extendit. Hinc tam Cœleſti ſapientiâ præditus erat, vt cùm primùm quemquam Religionis habitu donaret, nùm in Religione conſtans, vel inſtabilis futurus eſſet, citrà dubitationem prædiceret. Prophetico hoc illum à Deo ſpiritu donatum, inde quoque perſpectum fuit, quod Epiſcopatum Germano cuidam ex noſtris Fratri prædixit. Puerum quoque à ſtomachi languore liberat. Cumque Bononienſem Prouinciam plurimis virtutibus, ac vitæ ſanctimoniâ illuſtraſſet, plurimosque ſuæ virtutis æmulatores reliquiſſet, ſenio ac auſteritatibus conſumptus, ad immortales conceſſit Anno 1592.

***

Fr. HILARIVS CEBENSIS, PEDEMONTANVS, MAGISTER NOVITIORVM.

FRATER HILARIVS CEBENSIS, PEDEMONTANVS, Sacerdos, in Genuenſi Prouinciâ Vir virtute præclarus, cùm multos in Nouitiorum educatione, magnâ cum prudentiæ, ac virtutum laude, annos conſumpſiſſet, ſæuâ lue Pedemontanam Regionem occupante; dum ardentioris Charitatis æſtu incenſus, peſte laborantibus, ſimul cum Hieronymo à Vigueriâ Socio miniſtrat, eodem morbo conſumpti, præclarum vitæ finem ſortiuntur: quorum ſuffragia poſt mortem ad mulieris obſeſſæ opem implorata, eam à Dæmonum poteſtate vendicarunt. Obijt anno 1598.





FRATER MATTHIAS A CONCHA FRATRVM
CAP. MAGISTER NOVITIORVM.

Fr. MATTHIAE A CONCHA, MAGISTRI NOVITIORVM VITA, ET GESTA.

FRATER MATTHIAS à CONCHA, Sacerdos, puer Ludouici nomine in ſacro Baptiſmate donatus, mira à Parentibus inſtillata pietatis rudimenta hauſit: adoleſcens verò, cùm nonnullas parentum capras paſceret, ita ſe ab adoleſcentię vitijs immunem ſeruauit, vt nulla in eo vitij labes deprehendi valeret. Quinimò, cùm vigeſimum ætatis annum attigiſſet, ſponſam illi à parentibus ex inito contractu paratam, tanto animi faſtidio recuſauit; vt nec ſponſam intueri, nec illius ædes ingredi voluerit. Ludouicus igitur, cum perpetuam Deo caſtitatem vouere decreuiſſet; ne ea iterum in diſcrimen pertraheretur, patris domum deſerens, in quoddam Fratrum S. Dominici Cœnobium ſe confert, ijsq́ue ſtudioſè per biennij tempus famulatur. Eo expleto, Clericalem habitum indutus ſeſe ad litteralia ſtudia confert; in quibus tot breui tempore profectus dedit, vt & ludum litterarium aperiret: Sacro autem Sacerdotio inunctus, ſacram Ædem S. Antonio Abbati dicatam, piorum eleemoſynis inſtaurat, in eâ quotidianæ Miſſę Sacrificia offert; atque in hanc intempeſtâ nocte ſecedens, cùm pleraſq́ue in Oratione horas inſumeret; Deo tandem intus inſpirante, trigeſimum iam ætatis annum agens, ad Capucinorum ſe gremium transfert; & ſub Matthiæ nomine in Seraphicis S. P. Franciſci caſtris militare incipit. Quàm aſperâ hic vitæ auſteritate, nouum ſpiritualis vitæ tyrocinium auſpicatus fuerit, perpetua ferè ieiunia ad panis & aquæ inediam contracta, quotidianæ flagellationes cruore redundantes, aſperrima cilicia, quibus implacabile carni bellum indixerat, duræ ſuper nudas tabulas cubationes, breuiſſimus ſomnus, prolixæ vigiliæ, quæ vſque adeò carnem exſiccauerant, vt ſola cutis oſſibus adhęreret; atque aliæ corporis macerationes, abundè teſtantur. Quot verò inde animo virtutes pullularent, haud facilè referri poteſt: hinc tam profunda in eo humilitas elucere cœpit, vt honores ac dignitates ſibi oblatas non ſolum refugeret, verùm & ab his ſummopere abhorreret. Sui quoque abiectione, ac deſpectu ita delectabatur, vt cùm propter ſanctimoniæ famam iam vbique

de eo euulgatam ad eum populi confluerent; eo tam grauiter afflictabatur, vt in vberes ſæpè lachrymas erumpens, has Cacodæmonis inſidias, & grauiores perſecutiones appellaret. Hinc mira Viri patientia pullulabat, quam ſemel acri ac mordaci Prælati alicuius reprehenſione (qui, num famæ acta reſponderent, periculum facturus ad eum acceſſerat) exceptus, probatam reliquit. Perfectam hanc Viri patientiam quædam animi magnitudo conſequebatur, quâ contra aduerſos rerum caſus ita communiebatur; vt quicquid mali accidiſſet, ſibi encomium adſcriberet. Hanc quoque læta rerum paupertas, ſimplicitas, animi candor, quo de nullo malum vnquam ſuſpicari poterat, ardens quædam ad omnia virtutum ſtudia cupiditas; potiſſimùm verò ſedulum, & infatigabile orationis ſtudium comitabatur; in quo cùm integras interdum noctes inſumeret, haud tamen eo exſaturari vnquam videbatur. Porrò huius Viri oratio tota lachrymoſa, & gemitibus plena erat, quæ cùm in Dominicæ Paſſionis meditationem vt plurimùm ferretur, eum plerumque ad extaticos raptus compellebat. Hinc nonnunquam eo orante, velut accenſæ faces in Eccleſiæ tecto ardere viſæ, quæ ardentem huius Viri orationem ſignificarent. Ex hoc tam aſſiduo orandi ſtudio, velut ex conſortio ſermonis Dei, tam copioſa in Matthiæ animo Diuinitus lux indita fuit, vt & ipſa, quæ futura erant, Diuinâ reuelatione prænoſceret. Hieronymæ Cicarellæ è Iuliani oppido, Filio in Belgium contra matris voluntatem pertinaciter proficiſcere volenti, graui eum in Belgio ægritudine corripiendum: quâ tametſi incolumis domum rediturus eſſet, breui tamen poſt reditum tempore ſuperſtitem futurum prædicit. Caſertæ cùm creditam ſibi Vir Dei Nouitiorum curam ageret, ex his quidam cùm carnis tentationes, quas nunquam Magiſtro aperuerat, ſe ferre poſſe deſperaret, diſceſſum ab Ordine cogitabat. Hunc Matthias in Conuentus ſyluam aliquando ſecum ductum, dum mundi & carnis illecebras fugere, ac Diaboli tentationibus obſiſtere docet, virentem quendam herbarum ſylueſtrium cumulum manu indigitans ait: Vides, Fili, quàm pulchra, quàm pinguis, quamque oculis iucunda eſt illa herbarum maſſa, quæ tamen tam citò areſcit. Huic prorſus ſimillimæ ſunt mundi, carniſque voluptates; de quibus Dauid Pſalm. 89. *Manè* (ait) *ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat.* At ſi in ſolâ earum breuitate tota carnalium voluptatum

pernicies ſiſteret, malum planè tolerabile eſſet: Verùm cùm ſub his dira ſerpentis venena lateant, quæ æternum animæ interitum parant; quid hîc periculoſius eſſe poteſt? Fili, tu ipſe iudica. Id verò, vt ipſo rerum experimento certius addiſcas, nonullas ex denſâ illâ maſsâ tibi herbas collige, quas ad me perferes. Procedit Nouitius: cumqúe iam vt herbas euelleret, maſſæ manum admouiſſet, tres in eâ colubros vnà agglomeratos cernit; quorum Nouitius aſpectu territus, in ijs Mundi, Carnis, & Diaboli inſidias agnoſcit: qui dum inter carnis voluptates deliteſcunt, ſuo propius accedentes veneno inficiunt, æternumque illis interitum moliuntur. A tentatione igitur liber, ſtabilis deinceps in Religione permanſit. Iuuenem quendam Capuanum, mulierem ſibi ad turpes vſus enutrire cogitantem, durius increpat, intimas animi cogitationes aperit, Capucinorumque Religioni adſcribendum prænunciat: quod quàm Prophetico ſpiritu prędixerit, breui rei euentus probauit. Andreæ Maſſarum, in Hiſpaniam proficiſcere cogitanti, futurum naufragium præſignificat; ac tandem, rem Deo aliter diſponente, accidit, vt ex Neapolitani Proregis triremibus, quibus Andreas in Hiſpaniam vehendus erat, nonnullæ grauiſſimâ maris tempeſtate iactatæ, naufragio perierint. Hieronymæ Columnæ filio, qui Hipponij deinde Dux fuit, grauiſſimè ad mortem ægrotante, breui illum ad priſtinam incolumitatem rediturum annunciat. Duratiani mulierem iam diu phreneſi laborantem offendens, pro eâ genuflexus vnà cum Socio Beatiſſimæ Virginis Litanias perſoluit; moxqúe ad Coniugem: Amice, inquit, ne te diutina hæc vxoris ægritudo conturbet: octauo enim necdum elapſo die ad mentem, & incolumitatem reuertetur. Nec dubia res fuit: ea ſiquidem ante octauum diem, mente & corpore ſana, Deo liberatori, & Viro Dei gratias reddit. Franciſca Raëma, cùm pro filio febre grauiter ægrotante, Viri Dei apud Deum opem imploraret, hæc ab eo audit: Quid, mulier, pro puero rogas? reuertere, iam puer conualuit; eumqúe cum primùm domus tuæ limen attigeris, trocho ludentem offendes. Credit illa, puerumque ante domus fores incolumem, ac ludentem conſpicit. Idem verò puer, cùm iterum poſt triennium ægrotaret, ad eum Matthias accedens, his matrem verbis alloquitur: Franciſca, puer ad meliora vocatur: fine, vt Cœleſtium ſe puerorum agmini adiungat; puerque octauo poſt hæc die ad ſuperos euolat. Huius quoque Franciſcæ filiam, Eliſabeth nomine,

cùm eam attentius aliquando intuitus fuiſſet, quamuis valetudine potiretur, breui Iesv Chriſto ſponſo ſuo in Cœlo aſſociandam præmonet; quæ paulò poſt repentino morbo correpta, ad Cœleſtem ſponſum migrat. Huic denique Franciſcæ, quæ ob Viri zelotypiam graues ab eo moleſtias patiebatur, celerem eius obitum prænunciat. Carolo de Cardonas, Laudis Marchioni maſculam prolem ſuâ oratione impetrat: at vxoris mortem prædicit, filiumque ſuâ benedictione muniens, non mundo, ſed Deo famulaturum præſignificat: qui cùm primùm adoleuit, ſe Deo in Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, Religione conſecrauit. Poſtremò, Antonio à Quatriâ, Neapolitanæ vrbis Iudici, quem breui moriturum Diuinâ reuelatione acceperat, contulit; vt neglectis huius ſæculi honoribus, quaſi quotidie moriturus, veros à Deo honores exoret. Qui breui acutâ febre correptus, omni cum pietate vitam cum morte commutat. His quamplurima miracula ſuccedunt, quibus D. O. M. ſerui ſui ſanctitatem illuſtrare voluit. Cùm enim magna frugum inopia Neapolitanum Regnum occupaſſet, Fratresque in Caſertæ Conuentu, vbi plurima tunc Nouitiorum turba alebatur. pane carerent, Matthias arcam panariam, in quâ nec panis fruſtulum ſupererat, grandioribus panis placentis ſuâ oratione plenam reddit. Hac ipsâ famis tempeſtate, cùm pauperibus fame pereuntibus, is pultem ſibi in menſâ appoſitam, ad pauperum alimoniam contuliſſet, ea Diuinâ virtute ita aucta & multiplicata fuit, vt pauperum turbam aleret. Antonio de Alois, Caſertano Benefactori, dolium vino vacuum, Crucis ſigno in fronte conſignans, plenum reddit. Rurſus, Franciſcæ Raimæ, Caſertanæ vappam in generoſum conuertit; ac paulò poſt vinum in altero dolio multiplicat. Hæc ipſa Franciſca, cùm faucibus graui anginâ occupatis ad lethum aliàs properaret, Crucis ſigno à ſancto Viro accepto, ſtatim conualuit. Similiter cùm in eiuſdem hortulo Iuuenem quendam ex altæ arboris culmine in terram prolabentem cerneret, Iesv nomine inuocato, illæſum prorſus, ac ſoſpitem reddit. Tertiò quoque, cùm Horatius de Alois, huius Franciſcæ coniux, ab agaſone verbis laceſſitus, fuſtem Matthiâ præſente, tam grauiter illius capiti illiſiſſet, vt illud protriuiſſe crederetur, ſuâ Vir Dei oratione, ac ſancti Nominis Iesv inuocatione, ita illum ab ictu illæſum ſeruat, vt nec vllum vulneris ſignum in capite appareret. Fabritium de Alois octo iam menſium ſpatio quartana febre

laborantem, Centurionis Euangelio ſuper eum lecto, à febre liberat. Eliſabethæ Criſpinæ pediſſequa, diutinâ ſex annorum paralyſi afflicta, poſt orationem, & Crucis ſignaculum ab eo ipſius fronti impreſſum; nec non ſacræ ceræ Agnum eiuſdem collo appenſum, mox à paralyſi libera, & incolumis è lecto ſurgit. Princeps Caſertanus ad Medicorum deſperationem ægrotans, à ſancto Viro poſt orationem, manuum impoſitione ſanatur. Lucij quoque Caprij Nobilis Caſertani filius, quem boa morbus ad certa funera rapiebat, cùm ab eo ſignum Crucis in fronte accepiſſet, his verbis compellatur: Fili, Beatiſſimæ Cœlorum Reginæ gratus eſto, perpetuâq; illam veneratione amplectere: ab eâ ſiquidem tibi vitæ beneficium confertur. Protinusq; boæ puſtulę euaneſcentes, puerum ſoſpitem reliquerunt. Octauius de Albinâ, grauiſſimâ febre laborans, dubiam vitę ſpem Phyſicis relinquebat; cùm Vir Sanctus noctu preces, & lachrymas Deo pro ægrotantis ſalute offerret, is contra Medicorum expectationem Diuinâ virtute ſalutem conſequitur. Mariam Octauij cuiuſdam filiam, ad mortem ægrotantem, abſens ſua oratione ſanat. Nonnullo poſt hęc tempore elapſo, Aurelia prefatæ Mariæ mater grauiſſimâ ægritudine oppreſſa, certa futurę mortis ſigna ediderat, cùm Matthias, ad eam accedens, eo conſpecto pediſſequa exclamat: En Matthias, en Matthias. Eâ voce ægrotans, quæ morbo conſopita iacebat, velut è ſomno euigilans, caput attollit; tum veſtes poſtulat, ſummâqúe omnium admiratione è ſtrato exiliens, obuiam Viro Dei procedit; atque ad illius pedes proſtrata, eiusqúe apud Deum opem implorans, conualeſcit, ac perfectam breui incolumitatem adipiſcitur. Angelus de Alois, cùm ad tertiam hecticę febris ſpeciem, in quâ ſolidæ corporis partes reſoluuntur, tandem perueniſſet, à Medicis velut inſanabilis certæ neci adiudicatus fuerat; quem cùm Matthias conſolatus eſſet, poſt Beatiſſimę Virginis Litanias pro eo perſolutas, aquam, quâ ſitim extinguat, ab eo poſtulat. Affertur aqua: bibit Matthias: atque inde diſcedit. Angelus verò, qui Viri ſanctimoniam non ignorabat, illud aquę reſiduum depoſcit; multâq; fide fretus ebibit, conualeſcit, ac tertiâ poſt hęc die incolumis è lecto ſurgit. Antonia de Alois ab infantiâ lunatica, cùm nullo vnquam remedio curari potuiſſet, Matthiæ precibus commendatur: qui ſacris Beatiſſimæ Virginis Litanijs recitatis, vbi ter illam in fronte Crucis ſigno conſignauit, ac Deo ſanandam à Matre tulit, eam protinus incolumem pręſtat. Alter eiuſdem Familiæ Camillus de Alois, colico dolore pręgrauatus, à Dei Seruo eodem Crucis

ſigno communitus, ſtatim in ſalutem vendicatur. Quartus etiam Horatius de Alois, qui graues cum nonnullis ſimultates gerebat, cùm omnem in ſancti Viri precibus vitæ ſuæ ſpem collocâſſet; accidit aliquando, vt ſecundâ noctis horâ, dum pro eo Vir Dei in Eccleſiâ orat, is domum rediens in hoſtes incideret: qui dum illum aggredi, & vulneribus confodere parant; en Matthias repentè inter illos apparet, qui ſuauibus verbis eos ab hominis cæde reuocans, Horatium ſuperſtitem ſeruat. Idem Horatius, cùm Matthiam aliquando menſâ accepiſſet, dum criſtallinum vas vino plenum eidem hauriendum porrigit, illud è manibus elapſum in pauimentum lapide ſtratum eliditur: quo tempore Vir Dei Horatio: Ne metuas (inquit) nullum vas damnum patietur. Vas autem in ſolum perlatum, perinde ac ſi pila eſſet, è lapide reſiliens, integrum ſuſcipitur. Huius domus Procurator, Iulius nomine, cùm propter neruorum contractionem vix moueri poſſet, Centurionis Euangelio à Viro Dei ſuper eum lecto, eodem tempore perſanatur. Tiberius à Vineâ, Nobilis Caſertanus, acutâ febri ad extremum vſque ſpiritum laborans, cùm à ſancto Viro Crucis ſigno iuuari popoſciſſet, eo accepto, protinùs à febre curatur. Hoc modo Fauſtina de Gennaſijs, quæ acutiſſimâ febre correpta magno in vitę diſcrimine verſabatur, Scipionis Falechi, iudicis Sorrentini filius paralyticus; & Ludouicus Ieſualdus, cuius alterum oculum ingens quidam tumor occupauerat, ſigno Crucis ad incolumitatem reuocantur. Iulia Caſelana faſcino dementata, ad Virum Dei confugiens, cùm IESV nomen in chartulâ ſcriptum ab eo accepiſſet, mox ad mentem reuocatur. Pleraſque huiuſmodi chartulas, & Serui Dei habitus ſegmina, cùm Ruffinus à Binuniano ex noſtris Sacerdos ſecum in Calabriam detuliſſet, his quamplurimos ægrotos perſanatos fuiſſe teſtatur. Inter hos Frater Gratianus à Moromanno, ex noſtris Laicus, qui triennij ſpatio blaſphemiæ ſpiritu tam grauiter tentatus fuerat, vt ſibi inter inferos verſari videretur; cùm hoc habitus ſancti Viri præſegmen ſibi adhibuiſſet, mox ab eâ tentatione liber, ſummâ deinceps ſpiritus pace potitur. Idemq; cùm graui herniâ laboraret, eiuſdem ſegminis contactu ab eâ liberatur. Poſt aliquot tempus cùm Cæſar Lucretiæ Pelegrinæ filius in morbum incidiſſet, Lucretia ſancti Viri mantile ægroti capiti imponens, mox ſanum recipit. Accidit verò, vt cùm Cęſar ad vigeſimum propè annum accederet, rurſus ægrotare cœperit, & morbo ingraueſcente ad extremam vitę lineam properaret: quo tempore lethargo correptus conſopitis ſenſibus, nullam vitæ

ſpem integram relinquebat. Igitur extremùm ægrotanti mantile imponitur ; quo contectus paulò poſt Virum Capucinum deſpecto habitu indutum, ſibi apparentem cernit; qui cùm coram Beatiſſimâ Virgine genuflexus ab eâ mantile accepiſſet, eo Cæſaris caput contegit.: quo contactu cùm ægrotus aliquantiſper è morbo recreatus, ac ſibi redditus videretur, mox vtriqúe, & Beatiſſimæ Virgini, & Capucino Viro, quem Matthiam eſſe agnouerat, ſe ad Capucinorum gremium euolaturum pollicetur. Cumque matri, Beatiſſimæ Virginis, & Matthiæ viſionem narraſſet, eodem temporis momento perfectæ incolumitati redditus, ad Capucinos euolans, Deo ac Beatiſſimæ Virgini votum exoluit. Eliſabetha Caracciola, graui capitis vertigine ſeptem annorum ſpatio vexata, ſolo beati Viri manus contactu ab eâ liberatur. Alteram quoque mulierem Neapolitanam Lucretiæ Ieſualdæ affinem, quæ iam biennio phreneſi laborauerat, cùm Vir Sanctus ſacro Chriſti Corpore pauiſſet, perfectam illi à Beatiſſimâ Virgine incolumitâtem impetrat. Poſtremò dum Matthias vnà cum Pacifico Salernitano, eximiæ virtutis Viro, Sueſſam proficiſceretur, præcedebat Matthias, Completorij horam exoluens; quo tempore ingens coluber ex arbuſto erumpens, tranſuerſum ſe illi in viâ præbet. Iam ad eum Pſalmi nonageſimi verſiculum peruenerat, in quo legitur: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Quapropter illâ Dei promiſſione fretus, colubrum intrepidus calcat, iterqúe ſuum proſequitur. Cumque Pacificus colubrum, vt inde aufugeret, baculo contingeret, viuentem quidem animaduertit, verùm iam virtute proſtratum, vt Matthiæ pes omnes illi vires ademiſſe videretur. His, atque alijs quamplurimis ſignis, quæ Dei virtus per ſeruum ſuum operabatur, quandoquidem per omnes ferè Neapolitani Regni plagas illius ſanctitatis fama diffundebatur; eò fiebat, vt cum eum per Oppida tranſire contingeret, populi agminatim ad eum confluerent, ac velut ſanctum venerarentur: tam enim ardens erga illum erat populi deuotio, vt comprimentium turbarum, quæ ipſius habitum in fruſta certatim præſcindebant, vix interdum periculum euaderet. Is verò ſæpè exclamans, & lachrymas fundens, indignaqúe de ſeipſo prædicans, turbas à ſui veneratione cohibere conabatur. Verùm id fruſtra: quo enim ſuiipſius magis deſpectum alijs perſuadere nitebatur, eò maiori illum omnes honore proſequebantur. Quamplurimis itaque,

magnâ

magnâ cum virtutum ſanctimoniâ annis in Religione ductis, cùm Vir Dei ad vltimam huius vitæ lineam accederet, tertiumq; ante obitum diem, qui à Ioue denominatur, ſacris Myſterijs celebratis, integrum incolumis duxiſſet, in ipsâ ſequentis diei luce, repentino morbi ſymptomate corripitur; Moxque Medici conſilio venâ inciſâ, ab eâ ſanguis emittitur, qui in vitreâ ampullâ aſſeruatus, tam liquidus ac rubicundus poſt illius mortem integri menſis ſpatio conſpicitur, vt eâdem horâ è venâ eductus videretur. Cùm igitur ob nouum ſymptoma ſacrum Miſſæ Sacrificium eâ die offerre Deo minimè potuiſſet; Domini ſaltem Corpore ſe refici poſtulat, totumque illum Feriæ ſextæ diem in Dei laudibus inſumit; dieq; obitus ſui prænunciato, vix ſacro Extremæ Vnctionis Sacramento inunctus, illuceſcente die in Caſertano Conuentu ad æternæ lucis, quæ occaſum neſcit, diem euocatur; quod multis Cœleſtium ſignorum argumentis non obſcurè comprobatum fuit. Tanta enim mox populi frequentia ad Conuentum confluxit, tantoq; deuotionis impetu in eius corpus ferri viſa, vt facilè illud præ immoderato pietatis æſtu diſcerpſiſſet, niſi Caſertanus Princeps eò cum armatâ militum manu accedens, ſe corporis cuſtodem exhibuiſſet. Triduò igitur corpus inhumatum, ter quoque illud tunicâ indui oportuit; tot enim eo tempore turba in fruſta habitus diſſecuit, ac quæcunque illius olim vſui ſeruierant, deprædata fuit: ſuauiſſimus quoque odor ex ipſius corpore effundebatur, palliumque, quo Vir Dei vigintiquinq; annorum ſpatio vſus fuerat, à Marcello Pignatello Nobili Neapolitano aſſeruatum, eandem odoris fragrantiam exhalabat. Eodem etiam odore ſuaueolet ſanguis ex illius brachio ante obitum expromptus, decimoq; poſt ſancti Viri obitum anno, in die Paraſceues colliqueſcere videtur. Quo verò tempore ſancti Viri corpus in feretro iacebat, Eliſabetha Caracciola, Caſertæ Principiſſa, quæ diuturnum ſtomachi languorem paſſa fuerat, à Sacerdote ſancti Viri manu Crucis illi ſigno in pectore formato, mox ſe à ſtomachi languore liberam prædicat. Hoc modo Virginia Gambacurta à diutino capitis dolore liberatur. Horatius Coſcia, qui ſancti Viri Capucium à Fratribus dono acceperat, cùm grauiſſimè colico dolore torqueretur, vix illud ſibi renibus adhibuit, cùm pulſo dolore incolumis euaſit. Poſt hæc illud ipſum Aſcanio Minutulo, qui graui febre laborabat, imponens, illum eodem temporis momento reddit incolumem. Eliſabetha Criſpina, iam biduo partus doloribus cruciata, cùm ſancti Viri pallium ſibi humeris impoſuiſſet, mox partum

fœliciter abſoluit. Lucretia verò de Alois, quæ mortuum fœtum in vtero geſtans, in certo mortis diſcrimine verſabatur, cùm ſe B. Viri cingulo præcinxiſſet, ſalua protinùs mortuum fœtum enititur. Carolus Aquauiua, Principis Caſertani Germanus, peſſimâ anginâ correptus, mortique à Phyſicis adiudicatus, Matthiæ habitus ſegmine conſignatus, aquâqúe, eo panno intinctâ, epotâ, poſtridie à morbo liber, Phyſicos ſummâ admiratione afficit. Marco Antonio de Gennarijs, puero trium annorum, ad mortem vſque ægrotante, cùm Fauſtina eius amita Matthiæ illi ſuffragia deprecaretur, Ludouica Mater ad puerum accedens, extremum illum ſpiritum agentem credens, mox exclamat: En Marcus Antonius expirat. Cui puer: Necdum (inquit) mater, expiro: Matthiam enim à Conchâ, Capucinum mihi adſtantem intueor, qui his me verbis affatur: Marce Antoni, ſi vitam expetis, Caputium meum, quod apud Fauſtinam amitam eſt, tibi impone, & viues. Porrò, nec Matthiam vnquam puer nouerat, nec ipſius Caputium apud Fauſtinam aſſeruari intellexerat; ſed qui dat intellectum paruulis, vt ſerui ſui gloriam manifeſtaret, hæc puerum videre atque eloqui dedit. Allato igitur Caputio, ſimulatq; ægrotanti puero impoſitum fuit, confeſtim morbus miteſcit, ac breui incolumitas redit. Paula Aſcanij Preiti filia, ob copioſum ſanguinis vomitum, in maximo vitæ diſcrimine verſanti, cùm Matthiæ coſta gutturi alligata fuiſſet, perinde ac ſi eâ ſanguinis quoque vomitus alligatus fuiſſet, eo confeſtim ceſſante, Paula ad priſtinam incolumitatem redit. Gregorius Salernitanus ex noſtris Laicus, tam putridum in naſo vlcus gerebat, vt nullis vnquam medicamentis curari, aut leuari potuerit: Quare Matthiæ habitus præſegmen, vlceri admouet; moxque è naſi fiſtulâ os quoddam, & cum eo fœtens ſanies dilabitur, vlcusqúe abſque remedio perſanatur. Poſtremò frater quidam ex noſtris, cùm diu graui carnis tentatione pulſatus eſſet, ſimul atque ſubligaculum, quo Matthias ad herniam conſtringendam vſus fuerat, ſibi adhibuit, ita à tentatione liber fuit, vt deinceps nunquam eâ vexatus fuerit. Sic nempe decens erat, vt qui in ſeipſo olim caſtitatem fouerat, eam quoque in alijs tueretur. Obijt Vir Sanctus Anno 1599.

Fr. FRANCISCI A MESSAPIA, MAGISTRI NOVITIORVM *VITA, ET GESTA*

FRATER FRANCISCVS à MESSAPIA, Sacerdos, vitam duxit tot virtutibus excultam, vt perfectum quoddam B. P. N. Franciſci ſimulacrum videretur: tantâ enim interioris hominis ſimul & exterioris venuſtate fulgebat; tantâ in res Diuinas pietate; tanto in Regularem obſeruantiam zelo; tanto in proximorum ædificationem ſtudio; tantâ erga ſuperiores obedientiâ; tantâ in cæteros charitate, humilitate, reuerentiâ; tantâ in verbis circumſpectione; tantâ denique in rebus omnibus moderatione ferebatur; vt quid in eo reprehendi poſſet, nemo penitus videret. Quapropter maturè ad Nouitiorum educationem vocatus, cùm eo munere triginta quinque annorum ſpatio functus eſſet, innumeros ferè virtutis alumnos, & ſui imitatores efformauit. Vitæ auſteritatem cùm Franciſcus reliquis virtutibus adhiberet, perpetuo cilicio, crebriſq; verberibus carnis petulantiam domans, vix nudas illi tabulas ad breuem ſomnum indulſit; nullum denique auſteritatis genus fuit, nullum, tametſi laborioſum virtutis opus, cui is omni ſtudio non incumberet: Orationem tamen potiſſimùm familiarem ſibi comitem adiunxit; cui cùm pleriſque diei ac noctis horis vacaret, Diuinas quoque in eâ reuelationes accipit. Cuidam Nouitio ſæculum repetere decernenti, mortis periculum prædicit: qui à Religione ſecedens, tribus in eum catapultis exploſis, vix mortem effugit; moxque Franciſci dictorum memor, iterum ad Capucinos redit. Neriti quoque Duciſſam, quæ febri, ac grauiſſimis laterum doloribus torquebatur, ſolo Crucis ſigno adhibito, protinus ad priſtinam incolumitatem compulit. Demùm cùm obitus ſui diem & horam præſignificâſſet, Frentani Salentinorum, claro apud Fratres ſibi ſanctimoniæ nomine comparato, morti corporis exuuias ponit Anno 1600. quo tempore Carolus Firleus, Vſiani Archipresbyter, viam, quæ Frentano ad Monaſterium ducit, in viſu ſplendidam, & clariſſimis luminibus vndique ſeptam conſpicit. Cuius rei cauſam ignorans, cùm per eam ad monaſterium proceſſiſſet, Franciſcum eâdem horâ ex humanis exceſſiſſe audit.

Fr. ANTONIVS CAMERTES.

MAGISTER NOVITIORVM.

FRATER ANTONIVS CAMERTES, Sacerdos, in Picenti Prouinciâ Vir fuit omni virtutum genere ornatus; qui cùm diu Nouitiorum Magiſterio pręclarâ cum virtutum laude functus eſſet, ſæpeq; illius oratione ſuauis Dei prouidentia Fratribus in extremâ neceſſitate conſtitutis adfuiſſet, & cibos miniſtrâſſet, ſanctè in Domino quieſcit Anno 1601. Dæmonibus, etiam poſt mortem, formidabilis.

Fr. ANDREÆ A VILLA

ECCLESIÆ, SARDI,

MAGISTRI NOVITIORVM

VITA, ET GESTA.

FRATER ANDREAS à VILLA ECCLESIÆ, Sacerdos, Vir plurimâ virtutum laude conſpicuus, cùm à puero B.P.N. Franciſco dicatus, Minorum Conuentualium habitum ſolâ ex deuotione gereret, tam pręclara in eâ ætate vitæ preludia inſtituit, vt mollem ſæpè lectum refugiens humi cubaret, teneras carnes flagello attereret, induſia & calceamenta reſpueret, ac nudis pedibus incederet. A pecuniâ verò ita abhorruit, vt munuſcula pecuniaria, quæ illi à parentibus offerebatur, penitus recuſaret. Panem, & cętera edulia, quæ ex domeſtico penu ſibi vendicare poterat, in pauperes diſtribuebat. Diuinis ſemper Officijs intererat. Miſſas deuotè audiebat: Parentesque, vt omni domeſticę rei curâ Deo relictâ, ſacrò Miſſę ſacrificio quotidie intereſſent, non pueri, ſed ſenis inſtar, ſeriis cohortabatur. Denique feriæ ſextæ ieiunia, quæ in B.P.N. Regulâ pręſcribuntur, puerulus obſeruabat. His cùm virtutum floribus pueritiam atque adoleſcentię partem exornaſſet, decimumſeptimum annum agens, in Hetruriâ, Capucinorum, quos perfectos Seraphicę Regulæ obſeruatores audierat, Congregationi adiungitur.

Optatâ igitur Religione potitus, tam ingentes in omni virtutum genere ſtatim profectus edidit, vt nullus humilior, nullus pauperior, auſterior nullus, nullus denique Regulari obſeruantiâ eo præſtantior eſſet. Orationis verò potiſſimum ſtudium ita familiare habuit, vt in eâ maiorem diei, & noctis partem inſumeret. Perpetuam ferè in ſolitudine vitam agens, Cœleſtem potius cum Deo, quàm cum hominibus vitam ducebat. Hinc frequentiùs mentis exceſſibus in oratione fruebatur. Cum Zepherino Bergomenſi Generali Commiſſario in Sardiniam profectus, & ad Nouitiorum curam, & educationem vocatus, tantâ eo in munere vitæ auſteritate, paupertate, Regularis obſeruantiæ perfectione, oratione, ac virtutum omnium ſplendore nouis hiſce Tyronibus præluxit, vt ſe illis, non verbis ſolùm, ſed illuſtrioribus etiam vitæ exemplis, veræ virtutis magiſtrum ac normam præberet: Neque enim ijs (Apoſtoli conſilium ſecutus, qui Rom. 15. ait: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium verbo, & factis:*) aut laboris, aut auſteritatis, vel pœnitentiæ opus exantlandum præcepiſſet, niſi illud ipſum cum ijs ipſe quoque explendum ſuſcepiſſet. Frequentiores hoc tempore cùm mentis exſtaſes pateretur, contigit aliquando, vt cum Vallis Eccleſię Gubernatorem inuiſeret, is piam quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem excellentius depictam, ac ſerico velo obductam tunc retegeret; quam vt Andreas conſpexit, protinus in genua procidens, tamdiu ante illam extra ſenſus raptus cernitur, quoad veſpere incumbente ſocij operâ ab ecſtaſi reuocaretur. Rursùs Saſſari in Cathedrali Eccleſiâ, à mente aberrans nonnullis horis immobilis ante ſacrum Altare conſpicitur. Ea porrò Andreæ conſuetudo erat, vt cùm ſacra illi Myſteria celebranda eſſent, ea longâ priùs oratione anteuerteret: oblato verò Sacrificio, orationem ad tertiam vſque horam protraheret: quo tempore, vt plurimùm ab omnibus ſenſibus abſtractus, Diuinâ tantum actione fruebatur. Cùm autem miraculorum gratiâ cohoneſtatus fuerit, nonnulla eorum certâ fide probata referre libet. Antiochi Cani Vallis Eccleſiarum ciuis filius, febri laborans, cùm tabellam quandam, in quâ initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem ſcriptum erat, ab Andreâ acceptam ſibi adhibuiſſet, ſtatim à febre conualuit. Andreas, Ioannis Antonij Pintonij filius, trium annorum puer, acutâ febre iam triduo laborans, deſperatâ valetudine, ad vitæ occaſum ferebatur; quo tempore Andreas à Patre acceſitus puerum inuiſit, cingulum ſuum illi oſculandum præbet; manumque capiti impo-

nens, aquâ benedictâ aſperſum mox incolumem reddit. Huius Ioannis Antonij vxor, iam diu partus doloribus cruciata, cùm ab Andreâ ſacrum Agnum cereum accepiſſet, ſibiq; collo appendiſſet, mox fœtu enixo, à dolore liberatur. Denique cùm tanta in Vrbe Vallis Eccleſiæ eſſet Andreæ ſanctimoniæ fama, vt ad eum ægroti confluerent, quotquot ab eo vel ſigno Crucis, vel manus impoſitione, vel ſacro Agno cereo donabantur, optatâ incolumitate fruebantur. Cæterùm inter ſancti huius Viri reuelationes ea refertur, quâ Ioannis cuiuſdam Piſani, qui moriens quandam pecuniæ ſummam ad Conuentus ædificationem legauerat, animam à Purgatorijs pœnis liberam Cœlum conſcendentem conſpexit. Rursùs, cùm Fratris Petri de Arboreâ germanum Fratrem adhuc puerum aliquando obuium haberet, illum ſua Illuſtriſſimæ Societatis IESV nomina daturum, prænunciat. Hic tandem, cùm virtutis, ac ſanctimoniæ ſtadium ad mortem vſque percurriſſet, Saſſari ad mortalis vitæ metam pertingens, æternæ, omnium opinione, brauium conſequitur Anno 1602.

***





FRATER BENEDICTVS RHEGINVS FRATRVM CAPVCINORVM MAGISTER NOVITIORVM

Fr. BENEDICTI RHEGIENSIS, MAGISTRI NOVITIORVM

VITA, ET GESTA.

FRATER BENEDICTVS RHEGIENSIS Concionator, ex nobili Paganorum Familiâ ortus, cùm in ipſâ adoleſcentiâ, in præclaras quaſdam honeſtatis, pietatis, manſuetudinis, ac multarum præcocium virtutum gemmas, ætate necdum ad virtutes integrâ pullulâſſet; eas, cùm primùm ad Religionem acceſſit, tam copioſo ac perfecto aliarum virtutum cumulo auxit, vt non immeritò in eâ, Benedicti nomen & rem ſortitus fuerit. Nihil in eo, præterquam angelicum, & religioſo dignum Viro conſpiciebatur: atque adeò vtriuſque hominis compoſitione fulgebat, vt totum, quod ex Adæ generatione contraxerat, Religionis regeneratione in eo deletum eſſe videretur. In omnes cùm charitate effuſus eſſet, ſibi tantùm auſterus erat: cæteris lenis & miſericors, in ſeipſum duntaxat durus, atque immitis. Omnibus denique omnia cùm fieret, ſibi tantùm nullus euaſerat. Huic mentis humilitati, cùm perpetua quædam ſenſuum mortificatio, morum honeſtas, vitæ integritas, animi ſimplicitas, manſuetudo, patientia, orationis ſtudium, ac mira in Deum pietas accederent, nihil quod ad perfecti atque Euangelici hominis conſtitutionem neceſſarium eſſet, in eo deſiderari videbatur. Hoc porrò virtutum apparatu, cùm ad Nouitiorum magiſterium vocatus eſſet, eam ex graui illo munere laudem conſecutus eſt, vt qui ex ipſius diſciplinâ mersêre, omni virtutum genere inſtructi, fortiores ad ſpiritus hoſtes debellandos euaderent. Vniuerſa verò Benedicti ſtudia & cogitationes cùm in Beatiſſimam Virginem ferrentur, ſæpè cum eâ familiariter collocutum fuiſſe, ac puerum IESVM ab eâdem aliquando accepiſſe; is familiari aliquando ſub ſigillo ſignificauit. Cui & illud præchereà ſe, quæcunque à Deo dona hactenus acceperat, Virginis Deiparæ ſuffragijs omnia tuliſſe, addidit. Orationis ſtudio aſſiduè vacans, in eâ tanto in Deum amoris æſtu accendebatur, vt ad cordis flammam refrigerandam lineum pannum frigidâ aquâ madefactum ad cordis regionem applicare ſoleret: ſæpè etiam in oratione mentis ecſtaſes paſſus, & ad Cœleſtia raptus, quæ circum ſe fierent, ignorabat.

Tanta verò erat Benedicti patientia, vt calumnijs aliquando pulſatus, calumniatores ipſos ſingulari amore proſequeretur. Tantus quoque in ipſius animo erga humani generis Saluatorem, qui præ nimiâ charitate ſpinis pro nobis coronari pertulerat, amoris æſtus efferbuit, vt & ipſam, vnius ſaltem ſpinæ compunctionem, carnis ſenſu experiri ſummoperè expeteret. Quamobrem, cùm ob id ſæpè apud Deum lachrymas funderet, ac preces iteraret, optatâ demum à Chriſto Saluatore eidem in oratione apparente ſpinâ configitur. Porrò ex eâ ſpinæ compunctione, tam ingens in Benedicti animo charitas exarſit; vt ab eo tempore nunquam ſe à Chriſti charitate auelli poſſe exiſtimaret. Hoc itaq; Diuinæ charitatis ardore, cùm Euangelicum ſemen aliquando effunderet, Hirundines Dei Verbum impedientes, ſolo præcepto, à garritu coërcuit. Cùm autem Benedictus Euangelica tum prædicationis, tum virtutum ſemina, boni agricolæ inſtar, in benedictionibus copiosè ſeminâſſet, Bononiæ graui capitis morbo corripitur; quo diu probatus, ac tandem conſumptus, qui in ſpiritu ſeminauerat, de ſpiritu metit vitam æternam Anno 1602. Cuius rei argumentum fuit, quod ipſius anima corpore ſoluta, Paulę cuidam, eximiæ virtutis fœminæ, glorioſa, & luce perfuſa apparens, ſe tunc ad Cœleſtem gloriam conſcendere affirmat.

In Piceni Prouinciâ Fr. IOANNES BAPTISTA à S. Agatha, Sacerdos, plurimâ virtute floruit. Nouitiorum regimini diu magnâ cum vitæ ſanctimoniâ præfuit: inter primos Galliæ fundatores enumeratus, præclaris illic vitæ exemplis enituit: ſuoq; obitu quinquennio ante prænunciato, Bodij cum ſanctimoniæ famâ extremum diem claudit Anno 1603.

Fr. ANGELVS à MONTE CORVINO, Sacerdos, in Lucanâ Prouinciâ multæ ſanctimoniæ commendatur. Nouitiorum curæ præfectus, raptus & ecſtaſes patitur; oransq́ue Cœleſti ſplendore ſeptus conſpicitur. Pueri, cuius à Medicis ſalus deſperabatur, futuram incolumitatem, & Salernitani Epiſcopi obitum prædicit. Cuius caro poſt mortem mollis, ac tenera pertractatur. Obijt Anno 1603.

Fr. MICHAEL LOVANIENSIS Sacerdos, in Flandriæ Prouinciâ plurimæ virtutis, ac orationis prǽſertim commendatur, in quâ raptus, & ecſtaſes ſępenumerò patiebatur. Obijt Anno 1606.



FRATER SYLVIUS MEDIOLANENSIS FRATRVM
CAPVC MAGISTER NOVITIORVM.

Fr. SYLVII MEDIOLANENSIS.
MAGISTER NOVITIORVM,
VITA, ET GESTA.

FRater Sylvius Mediolanensis, Sacerdos, quàm ſtrenuus Religionis Athleta euaſurus eſſet, in ipſis pueritiæ & adoleſcentiæ prçludijs non obſcurè aperuit. Puer namque ſenilem ita animum induiſſe videbatur, vt à puerilibus omnibus abſtinens, quæ pietatis erant duntaxat, animo verſaret: coætaneos, quaſi nouus illius ætatis præceptor, Deum timere, parentibus obedire, garrulitates fugere, à ludis abſtinere, Miſſis deuotè intereſſe, diligentius quàm ætas illa ferret, erudiret: ſæpè etiam panis & obſonij partem clam pauperibus erogaret. At cùm primùm adoleuit, aurariæ arti addictus, quod illi à quotidiano opere tempus ſupererat, totum in oratione, ac Vrbis Eccleſijs, ac præſertim Beatæ Virginis Æde, & Capucinorum Eccleſiâ venerandis, inſumere conſueuerat. Chriſtianæ puerorum inſtitutioni ſollicitè vacabat; cilicio humeros tegebat. Nocte è molli ſtrato ſurgens, cùm aliquamdiu genuflexus orâſſet, vel humi, vel ſuper capſæ tabulas cubans quieſcebat. Adoleſcens ad præſtantiora vocatus Capucinorum copijs adiungitur. Noſtrorum igitur numero adſcriptus, mirum planè, quàm ſtrenuè, quàm fortiter, quamquè conſtanter virtutum omnium tyrocinium complexus ſit. Quanquam autem valetudinarius corporis ſtatus, eum ab ijs auſteritatum exceſſibus abſtinere cogeret, in quos facilè ob feruentioris ſpiritus flammam, quâ æſtuabat, incolumis erupiſſet; Quadragenaria nihilominus B. P. Franciſci ieiunia, ac præſertim ſancti Archangeli Michaëlis quadragenam auſteriùs celebrabat, panis & aquæ inedias frequentius colebat; quotidianis flagellis corpus cædendo, carnem perpetuâ mortificatione crucifigebat. Humilitate tam abiectus, patientiâ tam inuictus, moribus tam honeſtus, charitate tam feruidus, paupertate tam locuples, Regulari obſeruantiâ tam perfectus, tam denique ad omnem virtutem compoſitus videbatur, vt in eum cuncti tamquàm in virtutis prodigium oculos intenderent. Quod verò in eo virtutis præcelluit, orationis ſtudium fuit, in quo ſuas ſibi noctu præſertim horas præſtituerat,

quibus Deo familiarius vacaret: quæ verò pręter has vigilanti horæ ſupererant, eas perpetuo quoque mentis ad Deum aſcenſui, aut vocali orationi dare conſueuerat, quam multiplici Beatiſsimæ Virginis Roſario recitando conferebat. Porrò in hoc orationis ſtudio Syluius ita Diuina charitate viſus eſt incaleſcere, vt cùm in ſyluâ oraret, ſtipites ac ſaxa præ Diuini amoris æſtu complecteretur; ſæpè manu plauderet, atque amoris voces vberiores ſpiritus voluptate ebrius, proferret. Inter hæc, haud ſemel orans ſplendidum, atque ardentem vultum pręſeferre conſpicitur. In Mediolanenſi Conuentu cum Fabritio Porro, Viro Nobili, aliquando de rebus Diuinis in cellâ colloquebatur: quo tempore Sacerdos quidam ad eum accedens, vix oſtium aperuit, cùm vultum illius, flammæ inſtar, ardentem intuitus, vi quadam à cellâ ſe repelli ſenſit: quamobrem perterritus, vix ſui compos receſſit. Rursùs Laudæ Pompeiæ, à Nouitio in Choro orans miro ſplendore circumfuſus cernitur. Idem quoque cùm apud Carolum Buinum Mediolani aliquando cum illius vxore colloqueretur, nouem annorum puella Laura nomine, aureum circulum in Syluij capite fulgentem cernit. Hunc porrò capitis, tum corporis ſplendorem, raptus, & ecſtaſes, quibus extra ſenſus agebatur, haud rarò ſequebantur. Hinc tam mirâ, ac prope incredibili ſacram Deiparam Religione proſequebatur, vt eam quotidie aureâ Coronâ, regio amictu, baltheo, ac ſacris monilibus, iuxta pręſcriptas ſibi mentis exercitationes exornaret: quo tempore tanto ſpiritus impetu agebatur, vt aliquando in Mediolanenſis Conuentus Eccleſiâ, cùm Beatiſſimæ Virgini hæc munera offerret, mente excedens, corpore quoque quaſi in Deiparę ſinum euolaturus, in aëra efferretur. Modoëtiæ Matutinas Beatiſſimæ Virginis Horas aliquando vnà cum Fr. Seraphino Mediolanenſi Sacerdote recitabat, cùm Hymno, *O glorioſa Domina*, inchoato, tam vehementi ſpiritus vi ſursùm corpore ferri cœpit, vt pedibus ad Seraphini caput pertingeret. Hoc modo cum ſenſibus ac corpore excedens, per quartam circiter horæ partem in aëre perſtitiſſet, paulatim deſcendens, reliquum deinde cum Seraphino proſequitur. At verò Cœlorum Regina haud minori ſeruum ſibi deuotiſſimum benignitate excipiebat, cui ſępè aſpectus, & colloquij ſui delicias miniſtrans, tantâ illum Cœleſtis voluptatis interdum affluentiâ accumulabat, vt nonnunquam Syluius in hæc verba erumpere auditus fuerit: *Sat eſt, ô Virgo, ſat eſt*: neque enim meæ indignitatis alueus tam ingens deliciarum flumen capit.

Mo-

Modoëtiæ cùm nocte, quæ ſolemnem Annunciationis Beatiſſimę Virginis diem antecedit, in Choro oraret; Seraphinus, cuius antea memini, eo tempore Chorum ingreſſus, maximo ſplendore fulgentem, ac nonnullas cum Syluio colloquentium voces percipit: quibus perterritus, retrocedens, manè, ſummis à Dei ſeruo precibus addiſcit, Beatiſſimę Virginis, & S. Michaëlis Archangeli, qui cum eo colloquebantur, lucem, ac voces fuiſſe. Ægrotabat aliquando Cremonę Dei ſeruus; quo tempore infirmorum pręfectus, cellam ſæpè Cœleſti lumine perfuſam cernens, vnde is ſplendor emanaret, ignorabat, donec à Syluio aliquando rem percunctatus: Ne mirere (inquit) Deus etiam ſua ægrotis ſolatia pręſtat. In Meratenſi Conuentu, cùm SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quadrageſimale ieiunium obſeruaret, orans, à Domino Euangelicam, altiſſimamque paupertatem ſummis precibus poſtulat. Cui Beatiſſimi Apoſtoli in viſu apparentes, eam illi à Deo liberaliſſimè dono collatam teſtantur. Quare ab eo tempore tàm perfectus altiſſimæ paupertatis cultor fuit, vt nullus illi dulcior ſermo, nulla iucundior oratio eſſet, quàm de paupertate diſſerere. Mediolani in Conuentu S. Victoris, cùm ante Matutinas horas B. Virginis aliquando Officium perſolueret, Fratrem ex noſtris Concionatorem, qui anteà obierat, vnâ cum duobus alijs, ad ſe accedentem cernit; à quibus illos peccatorum reatus in Purgatorijs pœnis exoluere addiſcit; moxq; ipſius apud Deum preces, ac ſuffragia poſtulantes, euaneſcunt. Rursùs, cùm in eodem Conuentu ante Matutinas horas in Choro oraret, defuncti animam Purgatorij pœnas luentem percipit; quæ cùm ab eo petijſſet, quatenus à Franciſco Caldarino, prędicti Conuentus Guardiano, ob accuſationis articulos, non ex charitatis zelo, ſed ex animi libidine ſuperioribus oblatos, veniam poſtularet; & vt triginta Miſſarum Sacrificia pro ſe offerri iuberet, impenſiùs rogaret: eo præſtito, dum Guardianus tertiâ die ſua in Cellâ negotia agit, fores pulſari, hæcq; ad eum verba perferri audit: ſummas tibi, Pater, gratias ago. Ego Fr. N. anima ſum, quæ à pœnis Purgatorijs libera, in Cœlum conſcendo; vbi te quoque venturum expecto. Nouitiorum is aliquamdiu educationi præfuit: quo tempore tam pręclaris virtutum exemplis, ac ſpiritualis vitæ pręceptis nouos illos Religionis Tyrones inſtituit, vt ex his pleroſque perfectos ac virtute illuſtres Religioni Viros pepererit. Nouitium à Dęmone inſtabilitatis tentatum, indictâ quinque Orationum Dominicalium, totidemq; Angelicarum Salutationum, ante ſacræ Euchariſtię Altare, prece,

à tentatione liberat. Eò denique Syluius, tot Cœleſtibus donis cumulatus, ſanctitatis euaſerat, vt & intimas hominum cogitationes peruaderet,futuraque,velut præſentia, cerneret: ac demum Diuinâ virtute ſigna patraret. Cùm enim Anna Zochæ Modoëtienſis grauiter ægrotans in lecto iaceret, ad eam Syluius accedens, vix aliquantiſper orauit, ac Crucem ex B.P.Franciſci ligno ipſius collo appendit, cùm ea ſtatim à morbo libera fuit. Ioannis Iacobi Viri Dei propinqui, equum effrenem ac ferocientem ſuâ oratione mitem reddit. Pallentiæ apud lacum Vertanum, cùm oblato Miſſæ Sacrificio, iuxta laci ripam cum nonnullis ambularet, quoſdam piſcatores retia ſua lauantes conſpiciens, ab ijs, num piſces captauerint, percunctatur: qui cùm totius noctis labores fruſtrà in piſcatione impendiſſe dicerent: Iam (inquit) retia in Dei nomine iactatē; nec vobis piſcis in retibus deerit. Meridiana hora erat, cùm ſole aquas illuſtrante, piſces à retibus aufugiunt. Id piſcatores non latebat. Verùm, vt Viro Dei morenſ gerant, eo orante, retia ad piſcium capturam iaciunt;tantamq; piſcium multitudinem intra rete concludunt, vt nauiculam piſcibus compleuerint. Tanta igitur cùm huius Viri ſanctitas eſſet; haud mirum, quod Angelos Satanæ ſibi plurimùm infeſtos haberet: à quibus cùm ſæpè plagis, ac verberibus cæderetur,inuictâ contra eos patientiâ, ac oratione decertabat; donec eius tandem fine quo ad coronam vocabatur, appropinquante, Mediolani morbo laborare cœpit; obitus ſui diem, & horam Fratribus prænunciat. Magnâ igitur ſuæ ſanctitatis famâ apud omnes relictâ, vitæ curſum conficit, cùm quinquageſimum quintum ætatis annum ageret.Huius ſancti Viri corpus;cùm triduo, vt confluentis populi deuotioni ſatisfieret, inſepultum in feretro iacuiſſet, tam molle, tenerum, ac tractabile; vultus hilaris ac coloratus, & membrorum artus ita flexibiles viſi fuère, vt nullam mortui, ſed viuentis, ac dormientis potius ſpeciem præſeferrent: ex quo populi in eum ita deuotio excitata fuit, vt plerique illius habitum, ac capillos præſcinderent,ac velut reliquias ſibi ſeruarent. Vix autem corpus in Eccleſiam delatum fuit, cùm immundorum ſpirituum corpora obſidentium clamores, ac ſtrepitus auditi: nono verò poſt ipſius ſepulturam die, cùm manus illi vena à Noſocomij Præfecto inciſa fuiſſet, ex eâ ſanguis effluit: Phyſicus quoque, cùm poſt decimum tertium diem, carnem ſub digiti vngulâ cultri mucrone perfodiſſet, ex eâ ſanguinem elicuit,vt apud Deum viuens probaretur. Verum, vt illuſtrior huius Viri ſanctitas cunctis manifeſta fieret, plurimis

eum

eum D. O. M. poſt mortem miraculis illuſtrare voluit; ex quibus nonnulla hic explicanda ſunt. Balthaſar Zuchius, graui capitis dolore correptus, fruſtrà omnia medicæ artis remedia expertus fuerat, cùm habitus Syluij particulâ illius capite ab vxore obſignato, ſtatim à dolore curatur. Angelus Piſcina, Mediolanenſis vrbis incola, diutino quindecim annorum morbo laborans, eò morbi deſperationis euaſerat, vt breui à Phyſicis morti adiudicaretur: quo tempore, ſancti Viri ſibi apud Deum ſuffragia implorans, vix quaſdam ipſius corporis reliquias ſibi admouit; cùm effugato morbo, mox à lecto ſurrexit, ac poſtridie ſuâ in vrbe incolumis negotia geſſit. Plautilla Boni, Placentina, Monialis ſanctæ Praxedis Capucina, iſchiadico morbo ita vexabatur, vt octo menſium ſpatio, vix vllâ diu noctuque quiete frui potuiſſet. Fruſtrà à Medicis remedia omnia ad curationem tentata fuerant, cùm Syluij corolla, quam mutuò acceperat, doloris ſibi locum contingens, ſancti Viri interim ope è Cœlo euocatâ, tàm celeriter, ac perfectè è morbo conualuit, vt hoc ipſo temporis momento à dolore libera, nunquam deinceps eo afflictata fuerit. Fr. Paulus Mediolanenſis, ex noſtris Sacerdos, tertianâ febre correptus; Fr. Apollonius à Romano, quartanâ febricitans; Quintilla Quadria pleuritide ad mortem laborans, cochleari, quo olim Syluius vſus fuerat, ſucceſſiuè vtentes, perfectè incolumitati redduntur. Fr. Alexius quoque Vercellenſis, cùm graui pedum dolore cruciaretur, Syluij ſandalia induens, protinus à cruciatu liberatur. Alia quoque præter hæc, Syluij reliquiarum contactu miracula patrata leguntur: quorum cùm fides dubia ſit, ab ijs libentius abſtineo. Hæc verò certâ fide probatiſſima, cùm præclarè huius ſerui Dei gloriam poſt mortem teſtentur; ſimul & Dei, qui in Sanctis ſuis glorioſus haberi vult, laudem, & maieſtatem commendant. Obijt Vir Sanctus Anno 1608.



Fr. REMIGII BERGOMATIS, MAGISTRI NOVITIORVM, *VITA, ET GESTA.*

FRATER REMIGIVS BERGOMAS, Sacerdos, Vir Seraphicæ Regulæ obſeruantiſſimus, atque omnium Euangelicarum virtutum laude clarus: huic cùm & admirabilis prudentia ineſſet, Nouitiorum curę & educationi pręfectus, grauiſſimum munus, ferè ad obitum vſque, tanto virtutum ſplendore, ac tam mirâ ſapientiæ luce adminiſtrauit, vt quotquot eâ tempeſtate huiuſmodi magiſterio in eâ Prouinciâ pręficiebantur, ab eo curandorum Nouitiorum formam, ac normam ſibi vendicarent. Vir tantæ manſuetudinis fuit, vt eum nemo iratum, nemo vnquam turbatum viderit. Cæteras quoque animi paſſiones, aſſiduâ virtutum exercitatione ita ſibi ſubiectas habuit; vt tranquillum, imperturbatumque interioris hominis ſtatum; atque ab omni, tum cupiditate, tum ſpe, metuque liberum gereret. Hunc verò mentis ſtatum, non tam propriæ virtutis conatu, quàm aſſiduo orandi ſtudio ſibi comparaſſe aliquando affirmauit: maximè verò in Dominæ Paſſionis meditatione verſabatur; quam tam pio mentis affectu proſecutus eſt, vt Pſalmum 118. cuius initium eſt: *Beati immaculati iam viâ*. admirabili pietate, ad Domini vulnerum ſenſum tranſtulerit. Quare haud mirum, quod & Chriſtus Dominus Cœleſtibus propheticæ lucis, ac miraculorum donis eum proſequeretur. Arſiliæ enim cuidam erga Capucinos beneficæ, occultas animi anguſtias, quæ à nemine, pręterquàm à Deo reuelante, ſciri poterant, aperit. Pompeio Faro, Sacerdoti Cremonenſi, ſecretum animi mœrorem peruadit. Rursùs, cùm idem Pompeius de quibuſdam ad mentis conſcientiam ſpectantibus, quam ſententiam complexurus eſſet, dubius animo inhęreret, Remigium adit; qui cùm ex Diuinâ reuelatione mentis illius dubitationem accepiſſet, antequam is fari inciperet, occultum illi dubium proponit, explicat, diſſoluit, ac conſilium præſtat. Maximino Borſatio Cremenſi futurum rei familiaris incrementum: Claudio Faræ, qui in odio pertinax, pacem cum aduerſario inire recuſauerat, imminentem Dei vindictam, ac luctum: Iordanę Greſſoniæ Comitiſſæ ægrotanti incolumitatem, euentu dictorum veritatem

compro-

comprobante,prædicit. His & alijs à Deo donis cohoneſtatus,cùm ſex, & triginta annos magnâ cum vitæ ſanctimoniâ in Religione traduxiſſet; Cremæ tandem hand diſſimili pietate rebus humanis valedixit, grandia in Cœlo meritorum prçmia laturus; quorum teſtes ſunt,copioſa,quę poſt ipſius obitum miracula ad ipſius inuocationem à Deo patrata leguntur: Vix enim Remigius Deo ſpiritum reddiderat, cùm Marcellus Setegnaritus, Cremenſis,ſtrumis laborans,defuncti digiti attactu, paruo poſt tempore elapſo, perfectè ſanatur. Hoc ipſo anno Ludouicus Faſanius, eiuſdem Vrbis ciuis, repentino genarum dolore obrutus, ferè ad inſaniam redigebatur; quo tempore vix Remigij opem magnâ voce inclamauit, cùm protinus à dolore liber, eo nunquam deinceps vexatus fuit. Per id tempus Baptiſta Faiolus,Cremenſis, cùm ſpleneticus, & continuâ febre laborans, humana pręſidia ſibi ad incolumitatem deeſſe cerneret, Remigij impenſius apud Deum opem implorans,ſecundo poſt hæc die ſplene, & febri curatâ, è lecto ſurgit incolumis. Eodem quoque anno Baptiſtę Bocatio illuſtris incolumitas obtigit;qui cùm viginti annorum ſpatio tam graui ſtomachi dolore vexatus fuiſſet, vt ſumptum cibum euomere cogeretur, ex quo omnem ferè cibi appetentiam amiſerat; voto ad Remigium nuncupato, tam integrâ, eo exoluto,ſanitate potitus eſt,vt ne vllum quidem poſt hæc ſtomachi dolorem ſenſerit. Angela denique, Tertij Ordinis S. Dominici Soror, cùm pridie Feſti ſanctæ Trinitatis, tam vehementi febre teneretur, vt in tam ſolemni die, ſe ad Eccleſiam accedere, ac ſacrâ Dominici Corporis communione refici poſſe planè deſperaret, mentem ad Remigium conuertens, hanc ab eo gratiam exquirit. Pio illicò Angelæ voto adfuit è Cœlo Remigius; cuius patrocinio tum à febre, tum à corporis imbecillitate libera fuit. His, & alijs ſignis, quæ ſilentio prætereo, D. O. M. ſerui ſui gloriam poſt mortem omnibus teſtatam eſſe voluit. Obijt Vir Sanctus Anno 1610.

Fr. IVLIANVS CAMERTES, Sacerdos, ex Iudæo Chriſtianus, & ex Chriſtiano Capucinus; Vir Regulari obſeruantiâ, atq; omnium virtutum ſplendore clarus fuit; qui cùm in Pariſienſi Prouinciâ Nouitiorum curam gereret, occultas aliquando quorundam tentationes diuinitus agnouit. Primus inter Lotharingiæ Prouinciæ Fundatores adnumeratus,dum in Virodunenſi Vrbe peſte laborantibus omni pietate miniſtrat, eodem & ipſe morbo ſublatus, piè in miniſterio occumbit.

Anno 1611.

Fr. ANDREAE AB ENNA, MAGISTRI NOVITIORVM, *VITA, ET GESTA.*

FRater Andreas ab Enna, Concionator, ab ipſo ſuæ conuerſationis exordio, tantâ morum honeſtate, tantâ Regularis obſeruantiæ diſciplinâ, tantâ vitæ aſperitate, tantâ animi prudentiâ; tanto denique virtutum omnium ſplendore eluxit, vt Nouitiorum illi cura, ac educatio concredita fuerit: quo munere præclarè functus fuit. Orationis cùmprimis ſtudio accenſus, ad eam nouos Religionis Tyrones, verbis, & exemplo prouocabat. Tanto quoque Diuinæ charitatis æſtu, ad ſacra Myſteria accedebat, vt cùm in oppido Comiſi Diuinum, & incruentum illud aliquando Deo ſacrificium offerret, ingens è Cœlo lucis fulgor in eum deſcendere viſus fuerit. Peracto verò Miſſæ ſacrificio, cùm ad hoſpitium diuertiſſet, noctu orans, à Leonardo hoſpite, in mentis exceſſum raptus, quatuorq; circiter palmis in ſublime elatus conſpicitur. Idem cùm aliquando iter faceret, ab Hieronymo Canitro ruſticâ domo exceptus, cùm oleum, quo ignis in lucernâ ad Matutinas Horas perſoluendas ali poſſet, ab eo quæreret; vaſculum is oleo vacuum affirmat: atque vt id illi facilius perſuadeat, pridiè vaſculum ab eo feruenti aquâ lotum narrat. Cui Andreas: iterum, quæſo, (ait) vas explora. Paret dicto Hieronymus; ſummâq; cum admiratione plenum offendit. Poſt hæc Camilla Santapau, nobilis Licodienſis, pleuritide grauiter laborabat; cùm Andreas ad eam viſitationis gratiâ accedens, vbi doloris locum manu contigit, mox dolore effugato, incolumem reddidit. Nonnulla quoq; futura prophetico ſpiritu prædixit. quæ rei euentus vera eſſe confirmauit. Poſtremò, cum ſuo vitæ occaſu prænunciato, Licodiâ Motucam profectus eſſet; ibi annis, & virtutibus onuſtus, octogenario maior, ad Dominum migrat Anno 1612. illius carne in ſanctimoniæ argumentum molli, ac tenerâ ſe attrectantibus præbente. Poſt huius ſancti Viri obitum, cùm Gutterus Velaſcus, Camillæ Santapau filius graui febre laboraret, Andream viſibiliter ſibi apparentem cernit, his illum verbis conſolantem: Gutture, ne morbum extimeſcas: ex eo protinus conualeſces: neque enim tui. aut tuæ familiæ vnquam obliuiſcar. His cùm dictis abſceſſiſſet, ægrum incolumem reliquit.

Fr. MICHAEL

Fr. MICHAEL ANGELVS, PRÆDICATOR.

IN Mediolanenſi Prouinciâ floruit Fr. Michael Angelvs à Mediolano, ex illuſtri Melciorum familiâ progenitus, inſignis Diuini verbi præco; cuius vita plurimùm apud Mediolanenſis Prouinciæ monumenta virtutis commendatur. Obijt 1582.

Fr. IOSEPHI BARCINONENSIS, PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA

FRater Iosephvs è Rocabertorum ſtirpe, quæ apud Hiſpanos Tarraconenſes eſt illuſtris, in eâdem Prouinciâ magnis virtutibus emicat. Hic Patre Petro Rocaberto, ex Baronum Ordine, Caprariæ Dynaſta; & Annâ Gualberiâ progenitus, Clericali habitu aſſumpto, in Complutenſi Academiâ Theologicis ſtudijs omni diligentiâ incumbit, ac tandem ad altiora vocatus, ad Minorum Obſeruantium Ordinem confugit. Plurimos cùm in venerabili illâ Patrum familiâ annos, magnâ cum virtutum laude, ac prædicationis fructu exegiſſet; quo tempore Archangelus Alarconius cum alijs ab Hieronymo à Monte Florum in Hiſpaniam miſſus, Barcinonem appulit: haud diu Archangelus cum ſocijs in Æde S. Geruaſij commoratus fuerat, cùm de Capucinorum aduentu, ac vitâ, omni virtute, atq; auſteritate plenâ, rumor ad Ioſephum penetrat. Hic cùm eo tempore in Conuentu Minorum de Obſeruantiâ Reuſi, Theologicam diſciplinam traderet, hac Capucinorum famâ permotus, vnâ cum Antonio Mochiali, eiuſdem Conuentus Guardiano, Barcinonem proficiſcitur, Archangelum ſimul adeunt, colloquuntur, interrogant, Fratrum mores contemplantur; cumq; veram Regulæ obſeruantiam nullibi magis, quàm apud Capucinos ſe reperire poſſe perpenderent, in idem vterq; Ioſephus, & Antonius conſilium & deliberationem conſpirant, neceſſariâque facultate ſuffulti, nullâ interpoſitâ morâ ad Capucinorum ſinum ſeſe conferunt.

Quinquageſimum Ioſephus iam ætatis annum attigerat, cùm ad Religionem ſe contulit: Vir erat grauis, prudens, maturus, doctrinâ, ac rerum vſu exercitatiſſimus; cuius tamen tanta erat humilitas, vt neminem vnquam, ſiue Sacerdotem, ſiue Laicum, Nouitiorum inſtar, niſi genuflexus alloqueretur, aut ſe alloquentem audiret. Barcinoni cùm ad Monaſterij ſuppellectilem lixiuio expurgandam Fratres aheno indigerent; Ioſephus illud mutuò à quodam Ordinis beneuolo acceptum, per Vrbis plateam ſuis humeris ferebat; cùm plerique Viri Nobiles, qui Ioſephi genus, ac ſtirpem non ignorabant, in plateâ deambulantes turpè exiſtimarent, Virum tot titulis clarum, & illuſtrem, eo genere grauari, ipſum adeuntes vim omnem verbis intentant, vt ab eo illum onere liberent, ſeruorum operam in eo deferendo exhibentes. At ille cacabum magis, quàm eorum verba, & perſuaſiones æſtimans: Quid, inquit meâ me gloriâ expoliare contenditis? ego cacabum hunc, quem in humeris gero, pluris, quàm torques veſtros aureos facio: hic torques meus, hoc meæ nobilitatis ornamentum, hoc decus, hæc gloria, hæc animi voluptas. Sæpè quoque ligna Fratrum vſui neceſſaria per vrbem raptans, nullum officij genus prætermittebat, quo ſe veræ ac perfectæ humilitatis cultorem oſtenderet. Regularem obſeruantiam, cùm primùm ad Capucinos acceſſit, tam perfectè proſecutus eſt, vt ſuâ paupertate, quam tum in victu, tum in veſtitu, tum etiam in rerum vſu (quem parciſſimum coluit) altiſſimam profitebatur; ſuâ quoque obedientiâ ſemper & vbique ad omnia paratâ; demum honeſtate, morum ſuauitate, ac totius interioris, & exterioris hominis compoſitione, vniuerſos ad ſui imitationem alliceret. Abſtinentiam, vitæ auſteritatem, corporis caſtigationem, patientiam, charitatem, ac reliquas virtutes, quæ Minorem Fratrem maximè apud Deum commendant, tam arcto ſibi vinculo coniunctas habuit; vt qui in eum oculos conijcerent, perfectam mox Fratris Minoris imaginem in eo animaduerterent. Nulla illi, præterquam cum ſolitudine, familiaritas erat; neque aliud ſibi animi ſolatium, niſi in oratione quærens, ſiue domi degeret, ſiue ad Dei Verbum diſſeminandum peragraret, Diuinæ vbique contemplationi vacabat. Quò factum eſt, vt non ſemel in Eccleſiâ orans, â ſæcularibus Viris in ſublime elatus conſpectus fuerit: ex quo tantam ſanctimoniæ famam ſibi apud omnes comparauerat, vt vulgo Vir ſanctus haberetur. In Dei verbo diſſeminando, tantâ ſpiritus vi, ac virtute præſtabat, vt nunquam abſque ingenti animarum meſſe

à prædicatione rediret. Primus is ex noſtris fuit, qui in Hiſpaniâ Quadraginta horarum orationem ſermonibus celebraret, ex quâ vberes ſemper fructus referebat. Cùm in oppido Vallis Quadrageſimali prædicationi incumberet, tanta illius populo ad pœnitentiam commotio accidit, vt oppidum illud lugentium domus potiùs, quàm negotiantium forum videretur. In die Paraſceues de Paſſione Domini ſermone inſtituto, eidem finem impoſiturus, ſpineam Coronam, duriſſimis dumis obſitam, tantâ vi ſuo capiti impoſuit, ac compreſſit; vt vndique per frontem, ac genas ſanguis efflueret. Tum grauiſſimâ Cruce in humeros ſublatâ, ſupplicationem per Eccleſiam inſtituit; in quâ cùm prior ipſe Crucem baiulans, atque vndiq; ex capite ſanguinem fundens præiret, populus eo ſpectaculo commotus, in gemitus erumpere, ac Domini Paſſionem lachrymis proſequi cœpit. Tot igitur præclarè geſtis, ac tantarum virtutum cumulo ornatus, cùm Ioſephus ſextum in Religione annum exegiſſet, Barcinone in morbum incidit; qui cùm in hecticam febrim deſiiſſet, diutino illius languore probatus, ac ſanctimoniæ famâ apud omnes illuſtris, Anno 1584. tandem è corporis vinculis ſoluitur, liberque ad Iuſtorum præmia euolat. Vix autem ipſius obitus rumor vrbem peruaſit, cùm ingens hominum, ac mulierum turba ſanctitatis illius odore allecta, ad Monaſterium confluit. Ibi alij, vt corpus ipſius attingant, & deoſculentur; alij, vt habitus ſibi particulas præſcindant; alij, vt barbæ, ac capitis pilos euellant; alij, vt manuum, ac pedum vngues obtruncent, tanto deuotionis impetu in feretrum irruunt; vt ne ab ijs ſancti Viri corpus diſcerperetur, intra Presbyterij cancellos occludi neceſſe fuerit. Quo tempore cùm Phyſicus, qui illum in poſtremâ hac ægritudine curauerat, dexteræ illius manus indicem amputaſſet, ex eo, quaſi ex viuo corpore ſanguis effluxit. Denique tanta fuit Barcinonenſis populi erga Virum Dei Religio; vt quæcunque illius vſui aliquando inſeruierant, auidiùs, quàm alij aurum, & gemmas raperet. Neque fruſtrata illius deuotio fuit; ea namque (vt virorum grauiſſimorum teſtimonio probatum fuit) ægrotis adhibita, pleroſque à varijs morbis, & languoribus curarunt. Michaël Quirolius Pharmacopola, qui Capucinos Barcinonem aduocandos curauerat, cùm calceos laneos, quibus Vir Dei in extremâ ægritudine ad frigus depellendum vſus fuerat, dono à Fratribus accepiſſet, his pleroſque ægrotos à varijs morbis liberatos fuiſſe ſub certâ iuramenti fide aſſeuerauit. Hi verò calcei poſt Ioſephi obitum, tam ſuauè olere cœperunt, vt nullus aromatum odor

ei comparari poſſe videretur. Hac quoque odoris fragrantiâ perfuſum erat cannabaceum cingulum,quo viuens præcingebatur, quod cùm in eiuſdem Michaëlis poteſtatem deueniſſet, eo quoque plurimi infirmi curati fuêre. Saluanus item Mercator, qui ſancti Viri ſandalium à Fratribus impetrauerat, eo pluribus ægris ſalutem reddidit. Ioſephi verò corpus poſt mortem adeò molle ac tractabile fuit, vt membrorum artus quaſi viuentis pro arbitrio flecterentur, facies quoque non pallida, ſed candida appareret, in quâ genarum ſubrubentium candor dormientis potiùs, quàm mortui ſpeciem referebat. Quamobrem cùm ob id populi frequentia in dies excreſceret, ipſius ſepulchrum ad decimumquintum vſque diem apertum ſeruari opus fuit; tùm vt pio confluentium deſiderio ſatisfieret, tùm etiam vt Pictoribus, qui monogrammam illius effigiem delineare curabant, otium præberetur. Hac verò tempeſtate, cum Petri de Mendozâ, Neapolitanæ Arcis nouæ Pręfecti filius, ſepulchrum, in quo Ioſephi corpus iacebat, ingreſſus, Diuina in ſeruo Dei miracula cerneret, ita animo affectus fuit, vt ab eo tempore ſæculum deſerere, & ad Religionis, quæ tales Viros parit, ſinum aduolare, certum apud ſe conſilium inierit; quod etiam paulò poſt facto ipſo præſtitit. Id verò haud leui admiratione dignum fuit, quod nullus tum ex Ioſephi, tum ex aliorum Fratrum corporibus, qui eo in ſepulchro conditi fuerant, fœtor in Pictores, aut alios ſepulchrum ingredientes emanaret; quin ex Ioſephi corpore (quod certum, ac ſingulare fuit, ac certo teſtimonio comprobatum) ſuauiſſimus odor in ſepulchro diffundebatur. Hoc eodem tempore cùm Iuuenis quidam ex Athanagiâ vrbe Cathaloniæ, qui graui capitis morbo laborabat, dum genuflexus in Ioſephi ſepulchrum caput demittit, ac ipſius apud Deum ſuffragia,pro morbi curatione implorat, protinus ab omni capitis dolore liberatur. Quare vt ſe tanto beneficio gratum redderet, ſe D.O.M. in Capucinorum religione integrè conſecrat. Mariæ Angelæ,Michaëlis Amati vxori, annicula quædam filia erat, cui rubentes puſtulæ ita fauces occupauerant, vt lac ſugere minimè valeret, ex quo certum illi vitæ periculum imminebat. Pater verò, cùm mira de Ioſepho audiuiſſet, ad Capucinos profectus, rerum, quæ Ioſephi aliquando vſui inſeruierant, quippiam à Fratribus poſtulat: à quibus cùm laneum puluinum tuliſſet, in quem Ioſephus ægrotans caput declinauerat; vix illum puellæ capiti ſuppónit, cùm ea matris mamillam apprehendens, lac ſugit, atque à certâ nece liberatur. Poſt multos tandem ſepulturæ annos, cùm

ſancti huius Viri corpus in ſepulchro à Fratribus conquiſitum fuiſſet, integrum adhuc & incorruptum, nec non ſuaueolens reperitur. Præclarum de hoc Viro Dei euulgauit Sebaſtianus Verdeius in libello, quem inſcripſit Inſtructio &c. Obijt, vt ſupra, Vir Sanctus 1584.

Fr. FRANCISCVS A CONCHA, PRÆDICATOR.

NEapolitana Prouincia Fr. FRANCISCVM à Conchâ, Sacerdotem ac Concionatorem, miris laudibus commendat; cuius virtus, in aduerſis æquanimiter ferendis, potiſſimùm enituit. Cùm enim Panormum adnauigans in Turcarum Piratarum manus incidiſſet, captiuus Algerium ductus, duram illam Barbarorum ſeruitutem, tantâ animi fortitudine, ac virtute ſuſtinuit, vt ipſos quoque indomitos Barbarorum animos ad ſui admirationem compelleret. In eâ Vrbe, in quâ plerique ſemper ex Chriſtianis captiui detinentur, Dei verbum concaptiuis prædicans, eorum animos durâ illâ ſeruitute fractos, ac proſtratos ſubleuat, ſuoque virtutum exemplo ad patientiam prouocat. Qui tandem aſperæ ſeruitutis laboribus, ac moleſtijs confectus, hæc inter alia Neapolitanæ Prouinciæ Miniſtro verba ſcripſit: Quanquam in hac meâ captiuitate Chriſtum imitari ſtudeam; qui cùm in formâ Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens; haud tamen perfectam illius imitationem aſſequor. Is namque nullâ vnquam in hac vitâ conſolatione potitus eſt: ego verò, quamuis pane tribulationis, & aquâ lachrymarum ſuſtenter; cùm plurima à Barbaris in carne patiar; ſpiritus tamen plurimâ conſolatione fruor. Hic igitur antequam ab eo ſeruitutis iugo liber erumperet, à carnis cuſtodiâ ſolutus, ad Dominum migrat, Anno 1584.

Fr. AVGVSTINVS à LVCINIANO in Hetruriæ Prouinciâ Concionator fuit; qui cùm Virgo ad Religionem acceſſiſſet, virginitatem multis virtutibus auctam, Deo cum vſurâ reddidit; atque in morte amicos ſibi Angelos cernens, cum his cœleſtem vitam, vt creditur eſt adeptus.

⁂

Fr. PETRI PLACENTINI, PRÆDICATORIS, VITA, ET GESTA.

FRATER PETRVS PLACENTINVS, Bononienſis Prouinciæ Sacerdos, ac Prædicator eximius, Gregorij XIII. iuſſu Algerium, vnà cum ſocio Fr. Philippo à Roccacontratâ proficiſcitur; vt Chriſtianorum, qui in Turcarum tunc manus inciderant, redemptioni incumberet: cum autem nonnullos captiuos pretio redemiſſet, Romamq; remiſiſſet, reliquorum captiuorum curam agens, tantâ erga eos charitate ferebatur, vt perinde ac ſi in his Chriſtum pati conſpiceret, totum ſe pro ijs impendere optaret. Poſt Diuinum Altaris ſacrificium, quod pro ipſis quotidie Deo immolabat, loca omnia perluſtrans, in quibus captiui detinebantur, ijs verba vitæ miniſtrabat, ægrotos conſolabatur, in fide infirmos, ac vacillantes confirmabat; alios Pœnitentiæ Sacramento expiabat; alios ſacra Communione reficiebat. Tanta autem ei vis, ac ſuauitas in dicendo indita erat; vt animos mirum in modum ad Deum, ac virtutes alliceret. Vndique, dum is Verbum Dei diſſeminaret, fletus erumpere, tantaq; ad Deum animarum conuerſio erat, vt ipſius non hominis, ſed Angeli, aut noui Apoſtoli vox ab omnibus eſſe crederetur; felicesq; ij ſe eſſe exiſtimarent, qui peracto ſermone, illius hàbitum deoſculari, aut contingere valerent. His ergò dum Petrus Diuinæ charitatis ſtudijs indefeſſus incumbit, ſæua lues vrbem inuadit; is verò peſte laborantibus inſeruiens, eodem morbo corripitur; ac inter acerrimos morbi cruciatus, non modò mira eius patientia enituit, verùm inter hos tanto ſpiritus æſtu Dei laudes decantabat, vt potiùs inter delicias, quàm inter dolores verſari videretur. Cùm igitur lethali Petri morbo euulgato, vndique Chriſtiani, tum ſerui, tum liberi ad eum confluunt; eos pius Pater, perinde ac ſi dolorum ſuorum immemor eſſet, Diuinis ſermonibus, ac pijs hortationibus ad Fidei conſtantiam, ad laborum tolerantiam, ad mutuam charitatem, ad Dei dilectionem prouocat. Dum itaque Petrus hiſce cum acerbis morbi doloribus colluctatur; admiranda, ac prodigio ſimilis res in vrbe viſa eſt: cùm enim in Sacello, in quo is ſacra Miſſæ myſteria celebrare ſolebat, geminæ S. Rochi & S. Se-

baſtiani

baſtiani imagines, diſtinctis tabulis depictæ eſſent, quæ medium S. Leonardi iconem, velut oſtio concludebant, hoc tempore illæ ſudoris, ac lachrymarum guttas effundere viſæ, quæ ſæpiùs à Fratre Philippo, Petri ſocio, exterſæ, haud tamen exſiccari poterant: ſed tamdiu, tum ex fronte, tum ex oculis erumpere cernebantur, donec Petrus ſpiritum Deo redderet: quo tempore vterque poſtis, præfatis imaginibus inſignitus, nullo, præterquam Dei imperio occluſus, imaginum aſpectum hominibus ſubripit. Petrus igitur ad octauum vſque diem acerbiſſimis cruciatibus à Deo probatus dum ſacro viatico à Philippo ſocio refectus, extremo agone cum morte decertat, eumque callidus hoſtis inflare vellet, vt ſuam, non Dei gloriam quæreret, repentè exclamare cœpit: Apage, fraudulenta beſtia; itanè tortuoſe ſerpens doloſis me verbis circumuenire paras? Poſt hæc Diuino totus amore exardeſcens, illaque Prophetæ verba ore decantans: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, glorioſâ tandem hic morte tollitur, ſempiternùm victurus. Ipſius corpus communi omnium luctu, ac ſolemni funere extra Vrbem delatum, in Chriſtianorum cœmiterium conditum fuit, Anno 1585.

Fr. ANGELI A FOROLIVIO,

PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER Angelvs Foroliviensis, Bononienſis Prouinciæ Prædicator, Angelicus Vir, vitæ candore, ac integritate præſtans. Cùm elegantiori formâ præditus, in paternâ domo adoleſcens verſaretur, ſæpè à mulieribus incontinentiæ tentatus, inter tot ſæculi ſpinas, virginitatis lilium candidum, atque immaculatum ita ſemper cuſtodiuit, vt nullo vnquam tempore illud contaminârit. At ne tam cœleſtem theſaurum, quem in vaſe futili geſtabat, ſtygij illi latrunculi aliquando deprædarentur, tutiori loco reponendum curat, religioſamq; inter Capucinos vitam ſibi inſtituendam eligit: vbi virtutum omnium ſtudia tam incenſo animo proſecutus eſt, vt Angelici nominis rem, & laudem planè ſibi comparauerit: impurus tamen ille ſpiritus, immunditiæ pater, qui Angeli pudicitiæ iam ab exordio bellum indixerat, mulierem Angelum

ad tur-

ad turpia pellicendum prouocat; at ille duriùs increpatam, turpi conſilio fruſtratam relinquit. Ad Concionatorium munus vocatus, vnus inter omnes Algerium ad captiuorum redemptionem deſtinatur. Deniq; cùm totius vitæ curſum pręclaris virtutum exemplis exornaſſet, Florentiæ in ſupremum morbum incidit; cumq; ad vitæ finem accederet, paulo antequam animam Deo redderet, ad Stephanum Foroliuienſem, ſocium adſtantem, conuerſus ait: Feſtina, Frater, profer ſedes. Cui ſocius: At nemo eſt, (inquit) qui ſedeat. An non (addit ille) ſacram Deiparam, S. Ioſephum, ac B.P. Franciſcum ſtantes cernis? exiguo deinde temporis ſpatio elapſo: Eia, Frater, quid cunctaris? citò ſedilia affer: huc enim glorioſa Vrſula, innumeris ſtipata Virginibus, modò accedit. Hęc inter dicta cùm plurima lętitiæ ſigna ederet, mortalem cum immortali vitam commutat, Anno 1585.

Fr. MARCI TERLITIENSIS, PRÆDICATORIS, *VITA, ET GESTA.*

FRATER MARCVS TERLITIENSIS, Barienſis Prouinciæ Concionator ſtrenuus, cùm prius ſuo animi agro, humilitate, ſuiipſius deſpectu, auſteritate, carnis caſtigatione, paupertate, obedientiâ, ac reliquis Euangelici hominis virtutibus excolendo, impigrè operam nauaſſet; ad Dominicæ vineæ culturam vocatus, tam fideliter in eâ Diuini operis laborem impendit, vt nullis vnquã vitæ incommodis pepercerit, quò duriſſimos impiorum animos contereret. Nunquam tamen ad Dei Verbum diſſeminandum accedere ſolebat, quin priùs duarum ſaltem horarum ſpatio, ardentioribus orationis igniculis prędicationis verbum inflammâſſet: eo porrò fiebat, vt Dei ſeruus vberiores vbiq; ex prædicatione fructus referret. Cuperſani, cùm ſermonem de Beatiſs. Virg. laudibus inſtituturus eſſet, Dæmonis operâ concitatus aër, tantis repentè fulgurum coruſcationibus, ac tonitruis cœpit perſtrepere; vt populus, qui in Eccleſiam ad Dei Verbum confluxerat, his maximè perterritus ſeſe ad diſceſſum pararet. At Vir Dei ad Dæmones conuerſus, illis in ſacræ Deiparæ nomine, ac virtute, fugam imperat; vixq; verba protulerat, cum tempeſtate ſedatâ, cœlo tranquillitas redditur. Plurimis tandem aduerſis à Deo probatus, in quibus admirabilis ipſius virtus, ac patientia enituit, dum Hiſtonij fideliter in Dei verbo laborat, morbo correptus, pro exantlatis laboribus paratam à Deo mercedem conſequitur. Anno 1585.

Fr. MICHAE-



FRATER MICHAEL HISPANVS FRATRVM
CAPVCINORVM PRÆDICATOR.

Fr. MICHAELIS HISPANI, PRÆDICATORIS, VITA, ET GESTA.

FRATER Michael Hiſpanus, Neapolitanæ Prouinciæ Concionator, cùm excellentis ingenij magnitudine, præclarâ eruditione, atque doctrinâ, morumq́ue ſuauitate præditus eſſet, cum ijs ſingularem quoque vitæ integritatem, ac probitatem coniunxit: quapropter multorum annorum ſpatio, in eâ Prouinciâ Theologicam diſciplinam publicè apud noſtros profeſſus, quamplurimos Religioni Prædicatores doctrinâ,ac pietate illuſtres, ſui imitatores progenuit. Tanta verò illi aliquando in altero brachio ariditas exorta fuit, vt neque concionatorium munus obire, neque ſacris Altaris Myſterijs incumbere valeret. Hic porrò admirabile, atque arcanum in hoc Viro Dei conſilium animaduertere libet: qui cùm pio Sacra Altaris Myſteria celebrandi deſiderio ductus, Deum pro brachij incolumitate precatus eſſet, eam à Clementiſſimo Domino impetrat, brachiumq́; mox Diuinâ ſibi virtute reſtitutum ſentit. Cùm igitur gratias Domino acturus, Sacerdotalibus ad ſacra Myſteria peragenda ſe veſtibus indueret; fortè illi in mentem venit, ſe brachij curationem abſque vllâ Diuini beneplaciti conditione à Deo poſtulâſſe; at quandoquidem neque brachio, neque vitâ ipsâ, niſi ſub certâ Diuini beneplaciti lege frui optabat, veſtibus ſtatim depoſitis, rursùs ante ſacræ Euchariſtiæ Altare procumbit; Deumq́ue impenſiùs rogat, vt nullâ,aut prioris petitionis, aut collatæ incolumitatis ratione habitâ, id tantùm, quod Diuinæ ipſius Maieſtati magis gratum ſit, obtineat; quod ſi in id potiùs Diuina voluntas propendeat, vt brachium aridum permaneat,ariditas ad brachium redeat: En, quam profundus in conſilijs ſuis Deus. Vix hanc Michaël ante Deum orationem effuderat, cùm brachium ſibi iterum aruiſſe cernit, maioresq́ue Deo gratias agit. Michaël itaque, cùm ad eam vitæ excellentiam ijs virtutum gradibus conſcendiſſet, vt cœleſtibus nonnunquam in oratione viſionibus potiretur, hac inter alias cohoneſtatus fertur, quod poſt Hieronymi à Monte Florum Generalis obitum aliquando orans, eundem inter cœleſtes, vnâ manu librum, alterâ aureum

gladium geſtantem conſpexit. Michaël tandem Romam profectus, cùm Vrbem ſuauiſſimo virtutum odore reſperſiſſet, mortali vitæ colophonem imponens, ad meliorem ac immortalem concedit Anno 1585. Quàm verò illa ipſius adhuc viuentis oratio Deo grata fuerit, quâ ſe ita in Dei beneplacitum reſignârat, vt ſi ea Deo gratior foret, brachij ariditatem ſibi reddi poſtulauerit, Diuino planè teſtimonio poſt mortem declaratum fuit: etenim cùm illius corpus diu in Cœmiterio iacuiſſet, cæteris illius partibus ab humo exeſis, ſolum illud Brachium, quod aridum fuerat, integrum, & incorruptum, neruis in eo adhuc diſtentis, maximâ omnium admiratione diu conſpectum fuit.

Fr. Marianvs Ianvensis, cùm in Genuenſi Prouinciâ in Verbo Dei fideliter, ac magno cum animarum fructu diu laborâſſet, doctrinæq; Chriſtianæ vſum ad puerorum inſtitutionem pleriſque in locis introduxiſſet, coronam in morte accepit. Cuius id argumentum fuit, quod ſecundo poſt obitum anno illius corpus adeò incorruptum, & integrum repertum fuit, quaſi eo die tumulatum fuiſſet. Obijt 1585.

Neapolitana Prouincia haud fruſtrà Antonivm à Cepalvnio, Diuini Verbi præconem inter ſuos illuſtres Viros collocat. Hic enim multis clarus virtutibus, ac prædicationis fructu inter alios celebrandus, puerum hecticâ febre laborantem ſuâ oratione à morbo curat, & incolumitati reſtituit; ac demum piè in Domino quieſcit, Anno 1585.

Cathaloniæ Prouincia Fr. Sylvivm ab Hostabrich, Hiſpanum Concionatorem, hominem magnum virtute, ac perfectum Regulæ obſeruatorem commendat: quem vitæ auſteritas, humilitas, obedientia, paupertatis zelus, ac omnium virtutum ſtudia præ cæteris commendabilem reddidêre.

Obijt Anno 1586.

Fr. PETRI MACERATENSIS,

PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER Petrvs Maceratensis, Picentis Prouinciæ Concionator, cùm in ſæculo virtutibus, ac præſertim ſingulari erga Beatiſſimam Cœlorum Reginam religione floruiſſet, inter Seraphicos S. P. N. Franciſci filios adſcriptus, tot prioribus maximarum virtutum cumulos addidit, vt Beatorum nonnunquam præſentiâ, & colloquio potiretur: inter quos B. Fœlix fuit; qui cùm trium aliorum Beatorum coronâ ſtipatus Dei ſeruo apparuiſſet, cœleſti colloquio mirificè recreatum reliquit. Quantus in hoc Viro ſui, ac mundi contemptus eluceret, facto aliquando prodidit; habitum enim ſemel exuens, ac ſolis femoralibus ſibi relictis, per Corinalti plateam coram totâ multitudine, nudatos humeros duris flagellis cædit. Poſtremò virtutum ſanctimoniâ clarus, cùm à Beatiſſimâ Virgine ſalutis ſuæ certitudinem, ac diem obitus accepiſſet, in Conuentu Montis vlmi diem extremum claudit, Anno 1587.

In Picenti Prouinciâ Fr. Chervbinvs à Piscaria, Concionator, inter alios illuſtres Viros primus numeratur: cuius orationi inter alia adſcribitur, quod annonam Familiæ Foro-Sempronianæ, cui præerat, cœleſti miraculo impetrauerit. Obijt anno 1587.

Fr. FRANCISCI A MAZARA,

PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER Franciscvs à Mazara, Siculus, Sacerdos, & Concionator virtutibus emicans, cùm in Minorum Conuentualium Familiâ, ſcientiâ clarus, Bononiæ, ac Panormi publicus Theologiæ Profeſſor inſtitutus fuiſſet, haud minori ſtudio Regulæ obſeruantiæ incumbens, ad Capucinos migrat. Inter quos cùm tredecim annorum ſpatio, Theologicam facultatem ſummâ cùm ingenij laude expoſuiſſet, humilitatem, obedientiam,

rerum pauperiem, honoris contemptum, vitæ auſteritatem, cæteraſque Religioſi hominis virtutes, ita cum ſummâ eruditione coniunxit; vt num virtus in eo eruditione maior eſſet, aut eruditio virtutem excelleret, iure dubitari poſſet. Quo factum eſt, vt apud vniuerſos, tam Fratres, quàm ſæculares Viros, haud exiguam ſibi ſanctimoniæ famam comparârit. Pluribus in eâ Prouinciâ excolendâ laboribus & curis perfunctus, cùm primùm Deo ad meliora vocante, in Drepanenſi Conuentu mortalem cum immortali vitâ commutaſſet, plerique ea, quæ illius quondam vſui inſeruierant, poſtulantes, ſibi velut ſacra repoſuerunt. Inter quos Ludouicus Bicheta, nobilis Drepanenſis, cùm illius baculum, quem à Fratribus dono acceperat, poſt eiuſdem obitum mulieri cuidam Mazarenſi, à Dæmone obſeſſæ; alteri quoque graui morbo laboranti, impoſuiſſet; illa à Dæmone, hæc ab ægritudine protinùs libera fuit. Obijt Anno 1588.

Fr. MARIANI A NASO.
PRÆDICATORIS,
VITA, ET GESTA.

FRATER MARIANVS à NASO, Concionator, tot in Meſſanenſi Prouinciâ virtutibus floruit, vt Prophetico ſpiritu donatus, viuens, duobus cuiuſdam mulieris filijs grauiſſimè ægrotantibus, ſalutem prædixerit, ac ſuâ oratione incolumitatem repentè à Deo exorauerit; in morte verò à Naſonenſi populo ad illius funus turmatim confluente, & ob ſanctimoniæ opinionem ſibi habitus ipſius particulas præſcindente, caro ipſius mollis, ac tenera pertractatur. Demùm poſt mortem ipſius pallium grauiter ægrotantem ſtatim à febre curat; & paulatim ad integram incolumitatem reuocat. Obijt Anno 1588.



FRATER DOMINICVS A BVSCHETO FRATRVM CAPVCINOR.
PRAEDICATOR.

Fr. DOMINICI A BVSCHETTO, PRÆDICATORIS, VITA, ET GESTA.

FRATER DOMINICVS à BVSCHETTO, Sacerdos, tenui proſapiâ ortus, piè tamen, atque omni cum timore educatus, cùm ad vigeſimum ætatis annum perueniſſet, ad Capucinorum gremium inter ipſa reformationis primordia confugit. Quo tempore grauiſſimas illius tempeſtatis procellas, in nouam Reformationem concitatas, tam conſtanter, atque æquo animo pertulit, vt cæteris clariſſima patientiæ, ac tolerantiæ exempla exhibuerit. Elucebat quoque in eo cùm primis mira quædam animi ſimplicitas, virtutum prænuncia, ac prima innocentiæ comes: quâ fiebat, vt cùm omnia in eo ita cum virtute compoſita apparerent, vt ne quidem leuioris culpæ ſuſpicio cuiquam de eo oriri poſſet, Angelicam potiùs, quàm mortalem inter homines vitæ conuerſationem præſeferret. Ex quo ſæpiſſimè ijs, qui illius Confeſſiones excipiebant, ſcrupulus exoriebatur; num dignam is ſacrâ abſolutione cauſam præſtaret. Præclaram hanc vitæ innocentiam perpetua morum honeſtas, & pudicitiæ candor comitabatur. Dum aliquando in quodam oppido Dei Verbum diſſeminat, à muliere ad venerea pellectus, generoſum ad eâ triumphum referet; cùm tamen aliquâ tentatione caro inſoleſceret, ſtatim nudatum corpus flagellis aggreditur, duriſq; illud tamdiu verberibus cædit, quoad corporis dolor ſenſus voluptatem fugaret. Porrò inter hæc caſtitatis prælia, Dominicus pudicitiam tam integram, & inuiolatam ſeruauit, vt quam in natiuitate ſemel acceperat, hanc ipſam in morte illibatam reddiderit; quemadmodum ipſe circa vitæ finem declarauit. Diu cilicio vſus, quotidianis flagellis corpus terebat, & ieiunijs, præter conſueta, extenuabat. Nullum illi tempus ab oratione vacuum erat. Et quamuis breuiſſimo ſomno vteretur; nunquam tamen ad quietem accedere ſolebat, quin à pſalmodiâ ſomnum auſpicaretur; à quo excitatus, confeſtim cœptum Pſalmum proſequebatur: ſicq; fiebat, vt ſomnus, qui pſalmodiam interceperat, rursùs eam reſtauraret, & Pſalmum Pſalmo copularet. At verò, ne ſomnus grauior efficeretur, non iacens, aut protenſo corpore, ſed ſedens tantummodò, velut qui grauiora, ac

ſomno præſtantiora meditatur,ſomnos captabat. Hic cùm aliquando in oratione defixus,totum ſeſe in Diuinæ charitatis ſinum effunderet, Ieſum Chriſtum è Cœlo delapſum ſpectat; qui cum tria aurea poma manu geſtaret,eidem optionem dat, vt ex his vnum, quod maluerit,eligat,quod ſe illi daturum pollicetur. Quid verò poma illa aurea myſticæ ſignificationis præſeferrent, aperiens: primum declarabat eſſe Prophetiæ donum: ſecundum miraculorum poteſtatem: poſtremum prædicationis donum. Is itaque, cæteris prætermiſſis, in prædicationis gratiam animum intendit; quæ, cùm ad animarum ſalutem Deo gratiſſimam ſpectet, ex quo potior Dei gloria exoritur, & quæ minus humanæ gloriæ coniunctum habet; illam ſibi à Domino dari poſtulat. Id verò Saluator tam iucundè accepit,vt non tantum aureum illud Apoſtolicæ prędicationis malum, quod petierat, donauerit; verùm & alia Prophetię, ac Miraculorum dona liberalius largitus fuerit. Poſt vigeſimum igitur à ſuſceptâ Religione annum, acceptum prędicationis munus, tantâ ſpiritus vbertate, ac tam ingenti omnium fructu proſequitur; vt, cùm Eccleſiæ populorum ad eum confluentium frequentiam capere non poſſent, ſuggeſtus illi vel in publicis plateis, vel in agris ſępè pararentur; tantaq; ob crebra, quæ ab eo fiebant miracula in eum hominum deuotio efferuebat,vt ſermone peracto,illum certatim turbę raperent; atque in humeros ſublatum, quiſque illum ſibi vendicare vellet. Cùm autem ob Viri ſimplicitatem (ne Religionis exiſtimatio in diſcrimen raperetur) prędicandi facultas illi interdicta fuiſſet, ac poſtmodum reſtituta; Dominicusq́ue ad prędicationem obedientiâ duce rediiſſet, D. O. M. qui illius maximè patientiâ delectatus fuerat, latam ignominiam ampliori honoris vſurâ reſarcire voluit: tot namque ſtatim miraculis emicare cœpit, vt quotquot ab eo Crucis ſigno tangebantur, à morbis protinus curarentur. Horum libet nonnulla ex innumeris, quæ apud noſtra M.S. habentur, exempla, certâ fide, ac teſtimonio probata, proferre. In his primùs eſt operarius quidam in Conuentu Montis veteris, qui cùm è ponte ſublicio delapſus, os brachij ſui confregiſſet; Dominicus ad eum accedens, ſigno Crucis curat, ac nullâ interiectâ morâ ad opus reuocat. Firmi in Piceno, dum aliquando Vir ſanctus innumeram hominum multitudinem in ipsâ vrbis portâ obuiam habet, quæ ab eo benedictionem poſtulat,inter quos Vir erat corpore mutilus, vix ille,vt populum benediceret, manum in Crucis ſignum protendit, cùm ſtatim, qui membris captus fuerat, eâ benedictione conualuit. Cùm iter faceret

Vir

Vir ſanctus, iam ætate grandæuus, fluuium, qui aquis intumuerat, in viâ offendens, dum agros circumſpectat, num quiſquam appareret, qui illum cum ſocio trans flumen deferret, fortè languidum hominem, qui graui in tibiâ vlcere laborabat, accedentem cernit. Cui Vir Dei: ſi tibiæ (inquit) morbo curareris, num hanc in nos pietatem conferres, vt ad alteram nos fluminis ripam pedibus tuis traijceres? At ille: quid hac de re dubitas, Pater? Tunc Dominicus ſigno Crucis tibiæ impreſſo, ſtatim vlcus ſanat; illeque ab vlcere curatus, exultans Virum Dei cum ſocio humeris impoſitos, trans flumen vehit. Franciſcum Baſium Rauennatem, grauiſſimo, ac penè incurabili iam dudum poplitis dolore laborantem, ſigno Crucis incolumem reddit. Hoc pacto alteri quoque, qui immani brachij cruciatu iactabatur, ſigno Crucis curationis beneficium impendit. Eodem modo Virum claudum, qui nullo modo, præterquam ligneis fulcris fretus, progredi valeret, ſanat. Hoc ipſo Crucis ſigno nobilem quendam Camertem ex Matricorum familiâ, ab hydropiſi liberat. Alterum quoque Foroſempronianum ex Volpetorum ſtirpe, à paralyſi. Tertiam Fauſtinam Gotiam à ſancto Martino, à colico dolore, & ab oculi argemâ, quæ illi cœcitatem intulerat, atque ipſius famulum ab anginâ, quâ præfocabatur. 5. Thomam Ceuallium Maceratenſem, ab vniuerſali morbo. 6. Portitorem quendam ad Chientum flumen, qui horribili colli vlcere tabeſcebat. 7. Fabium quendam à Monte ſancto, à graui herniâ. 8. Ludouicam Picinam Foroſempronianam, à coxendice, quâ progredi prohibebatur. 9. Agricolam febre laborantem. 10. & 11. Geminas mulieres lethifero morbo correptas. 12. Iuliæ Picæ infantem, extremum iam ſpiritum exhalantem. 13. Mulierem in monte Caſſiano, Baptiſtam nomine, à pedum ægritudine, quâ per quadriennium; & quinquennium afflictata fuerat. 14. Antonium Manochium Firmanum à graui ceruicis dolore, quo diu laborauerat. 15. Agricolæ cuiuſdam filium, in oppido ſancti Viti, qui in extremis laborabat. 15. Sulpitiam Ruffinam Nouanenſem, à vehementi dolore colico: Antoniam quoque Tuffiniam à podagræ cruciatu. 17. Nobilem quendam Tolentinatem, tam graui oculorum lippitudine laborantem, vt vix obiecta cernere valeret. 18. Mulierem quandam Vrbinatem, à graui crurum vlcere, cui nullum vnquam remedium profuerat. 19. Corbellæ Medici vxorem, & filiam: hanc à mentis ſtoliditate, illam ab hecticâ febri, quâ iam diu intabuerat. 20. Virum

Ddd quen-

quendam Inſulæ Faneſtris, à genuum tumore. 21. Mulierem Pergulienſem ab oculorum cæcitate, quâ per quadriennium laborauerat. 22. Parochialis Montis Luponis Eccleſiæ Præpoſitum, à diuturnâ herniâ. 23. Badi Pharmacopolæ Piſaurienſis vxorem, quæ ſideratione omnium ferè membrorum vſum amiſerat. 24. Gentilem quandam Hectoris Mancij à Mondauio filiam, quæ cum morte colluctabatur. 25. Marci Antonij Pariſiani Tolentinatis propinquam, à diuturnâ ægritudine, quæ cùm Viri Dei præſentiâ frui non poſſet, induſium à Viro Dei benedictum induerat. 26. Eliſabethæ Tanciæ filium, ab vtriuſque oculi cœcitate, quam ex boæ morbo contraxerat. 27. Agricolæ puerum, vtroque crure claudum: quinas item mulieres (Ioanne Veregrani Medico teſte) ab inſanabili morbo; aliosque quamplurimos, quos conſultò prætereo, Vir ſanctus ſolo Crucis ſigno, Diuinâ virtute curat. His tres vitâ defunctos, ab eodem ad lucem Crucis ſigno reuocatos, libet adnectere; quos certâ fide, ac multiplici teſtimonio communitos offendi. Hiſpello Vir ſanctus Fulginium proficiſcebatur, cùm per pagum quendam iter faciens, erumpentes è domo ploratus percipit. Domum ingreditur, puerum in lecto exanimem cernit; qui cum matri vnicus eſſet, hunc eo mane vitâ defunctum mater cum familiâ multis lachrymis lugebat. Illam Vir Dei ex animo miſeratus, paululùm cum genuflexus oráſſet, ad matrem conuerſus: ſiſte lachrymas, (inquit) neque enim mortuus eſt puer, ſed dormit. Tum verò pueri manum apprehendens, quaſi qui quieſcentem è ſomno excitaret: ſurge, (inquit) puellule mi, ſurge in nomine Domini IESV CHRISTI. Confeſtimq; ſurrexit puer. Is verò ſtatim inde abſcedens iter ſuum proſequitur. Poſt hæc cùm Veregrani peſtilens quidam morbus integras interdum familias depaſceret; Vir Dei ſæpè ægrotos viſitans, domum quandam ingreditur, in quâ binas mulieres in feretris collocatas, & circumcirca propinquos, ac domeſticos lugentes cernit. Hinc Vir Dei piâ miſeratione ductus, cùm genuflexus ad vtriuſque feretri caput aliquantiſper oráſſet, ſocio quoque ſuas ad pedes feretri preces Deo offerente, ſurgens Dominicus ſucceſſiuè ad vtriuſque defunctæ corpus conuerſus, hæc verba, Crucis ſigno adhibito, altius profert: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſurgite.* Vix ille ea verba protulerat, cùm mox ambæ è feretro exilientes, vniuerſos ecſtaſi, ac ſtupore replent, indeque Diuinas laudes perſoluunt. At præter hæc Caſtrodurantij virum agricolam Vir ſanctus aliquando Prophetico ſpiritu compellat:

Amice inquit) fremat licet in te Satan; haud tamen illius iras reformides: quicquid enim contrà nitatur, id ego tibi certâ fide polliceor, nihil tibi ſiniſtrum hoc anno euenturum fore. Neque id fruſtrà monuit: nam eodem anno, cùm ſolutis compagibus, integra domus tota, intus exiſtente familiâ, vſque ad fundamenta corruiſſet, Diuino miraculo factum eſt, vt nec minimum vllus ex familiâ damnum paſſus fuerit. Poſt hæc hoc ipſo quoque anno, cùm ex nimiâ imbrium copia, fluuio exundante, arua, quæ agricolæ agrum vndique circumſtabant, circumcirca obruta eſſent; ſolus agricolæ ager, haud ſecus quàm ſi muris ſeptus fuiſſet, ab alluuione immunis ſeruatur. Matelicæ quoque arenti ſegeti pluuiam ſuâ oratione impetrat. Montis veteris filium moribundum abſens ſuâ oratione ſanat. Fr. Innocentium à Foroſarzinio; Sacerdotem ex noſtris à ſanguinis profluuio, ex quo extra mentem aliquando agebatur, compreſſo vtràque manu capite ab illâ ægritudine liberat. Camerini equum languidum biduò pabulum reſpuentem aquâ lotionis manuum propinatâ ita ſanat, vt quamprimùm famelicus ad fœnum cucurrerit. Hoc pacto boues etiam cuiuſdam agricolæ, qui veneno intumuerat, certumq; vitæ exitum expectabant, ad ſoſpitatem reuocat. Alexander Thadęi Maceratenſis filius, adhuc puer, cùm diu quartana febri laboràſſet, plenâ fide ſancti Viri pallio ſe contegit: quo tempore Vir Dei diuinitus factum agnoſcens, patri, ſimulque recumbentibus ait: Alexander, vt à febri conualeſcat, meo ſe pallio contexit. Moxq; exclamans: Alexander, (ait,) non mihi, ſed Deo duntaxat, ac B. P. Franciſco confide, ſi à febri liberari cupis. Mirabantur Propheticum ſancti Viri ſpiritum vniuerſi; at multò magis, cum puerum eodem temporis momento à febri curatum reſciuêre. Dum Vir Dei Aletiæ verbum Dei diſſeminat, mucidum vinum ſuâ benedictione in optimum conuertit. Hoc quoq; modo Spalatrani, cùm vini lagenam, atq; abſens dolium benedictione oppetijſſet, vnà & lagenæ, & dolij vinum optimum efficitur. E ſacrâ Lauretanâ domo Ricinum proficiſcens, mulierem à ſpiritu nequam arreptam, ſigno Crucis à maligno ſpiritu liberat. Iuuenis quidam à Rapaniani Caſtello, in ipsâ Dominicæ Reſurrectionis die, publicè citharam pulſabat; quem cùm Vir Dei durè increpâſſet, is manum ad pugionem extendens, vt eo virum Dei oppeteret, Diuinâ mox virtute accidit, vt nec pugionem arripere, neque manum à tergo retrahere vllo modo valeret; donec facti pœnitens, Vir ſanctus Crucis ſigno manum conſignans,

illam, vt priùs, ei liberam reddidit. Hoc pacto in altero quoque pago, dum alter pugioni, vt Dei ſeruum inuadat, manum admouet, manus ita pugionis capulo adhęret, vt neque eam à pugione amouere, neque pugionem è vaginâ exerere poſſet; donec illo ad meliorem frugem conuerſo, ſerui Dei oratione manus reſtituta fuerit. Rursùs, cùm in ſancti Caſarij oppido publicas choreas exturbare vellet, perditus quidam Vir, diſtricto acinace, Dei Virum aggreditur; verùm ſimul atque, vt ei vulnus inferat, brachium extollit, mox illud Dei virtute rigens, tam immotum in aëre ſiſtitur, vt perinde, ac ſi ligneum, aut æreum eſſet, nullam illud in partem inflectere valeret. Æſtiuo tempore, iam ætate grandæuus, cùm Vir ſanctus iter faceret, ſiti æſtuans, vinum illi & ſocio in cucurbitulâ è Cœlo miniſtratur. In agro Picenſi, cùm Clericus quidam ſancti Viri ſocius præ inediâ pedem vlterius efferre non poſſet, ſe in humum proijcit. Quo tempore Vir Dei paululum ſecedens, in genua procidit, ac Beatiſſimæ Virginis opem impenſius implorat. Vix ille ab oratione ſurrexerat, cùm in proxima arbuſta oculos conijciens, binos in his panes, è Cœlo datos animaduertit: quorum eſu cùm vterque recreatus fuiſſet, ab eo, qui ſtipem illis tam benignè erogauerat, potum quoque non minori ſpe de eiuſdem liberalitate conceptâ, expectabant; cùm paululum progreſſi domum quandam in latâ planitie aſſurgentem cernunt, ex quâ Beatiſſima Virgo ſub venerandi aſpectus matronæ formâ prodiens, eos manuum nutibus, vt ad ipſam accederent, appellat. Eò cùm illi ſe protinus contuliſſent, en nobilis illa Mulier geminos ipſis ad potandum vini calices offert: quibus hauſtis, cùm lætas illi gratias egiſſent, inde abſcedunt. Vix autem paulumùm in viâ progreſſi, cùm retrò aſpicientes domum attentiùs intueri vellent, neque domum, neque domus vlla veſtigia deprehendunt. Cùm Vir ſanctus in Conuentu Montis veteris aliquando cum duabus mulieribus de rebus Diuinis ſermones texeret, auicula quædam proximæ arboris ramo inſidens, dulcius canebat. Quam Vir Dei appellans: Veni (inquit) ad nos ſororula; & quandoquidem tam dulces edis ſonos, has Dei famulas tuo cantu pauliſper recrea. (Mirabile dictu) vix hæc protulerat, cùm auicula in Viri manus aduolat, tamq; ſuaues ibi modulos fundit, vt ſummam ijs voluptatem adferret: neque tamen inde abſcedere voluit, donec Vir ſanctus eam ſua benedictione dimitteret. Quod illi ſæpè quoq; alias accidiſſe noſtra MS. ferunt; qui cùm varias ad ſe volucres accerſeret, illæ velut ad domeſticum conuolantes, cum eo colludere

vide-

videbantur. Alterium, Verbum Dei diſſeminaturus proficiſcens, per medios imbres, abſque imbre, totâ die iter facit. Abſoluto verò prædicationis munere, à nonnullis illius oppidi viris ad amniculum vſque, qui viam interſecat, deductus, dum amnem traijcere parat, is aquis tumidus difficilem, ſeni præſertim, tranſitum præbere videbatur. At ille, cùm baculo, quem manibus ob ſenium geſtabat, aquam attigiſſet, protinus ad alteram amnis ripam, Angeli alicuius operâ, aut Dei virtute deuectus conſpicitur. Fulginio aliquando Camerinum verſus cum ſocio proficiſcens, cùm ob niuium copiam in viâ aberrâſſet, ab Angelo in rectam viam ducitur. Rursùs cùm Vir Dei, iam ſenio confectus, Foroſempronium iter faceret, viribus repentè deſtitui cœpit; vixque campeſtrem quandam ædiculam nactus, in eà proſtratus iacebat. Socius verò, cùm nihil, quo ſenis vires inſtauraret, ſecum ferret, animo grauiùs angebatur: quo tempore ex Beatiſſimæ Virginis imagine, quæ fortè ibi depicta videbatur, nonnihil excidiſſe animaduertit. At illud attentius inſpiciens, ſaccari fragmentum eſſe comperit, quod ad ſenis imbecillitatem inſtaurandam, à Beatiſſimâ Virgine tunc opportunè miniſtrabatur. Eo igitur, Vir Dei tam facilè ab eâ virium imbecillitate conualuit, vt reliquum iter expeditè breui tempore confecerit. Virum Dei Veregrano aliquando diſcedentem, cùm ex oppidanis nonnulli, deuotionis gratiâ comitarentur, retiaque ad piſcandum ſecum delata, in lacum iactâſſent, nullâ vnquam arte aut labore id aſſequi potuerunt, vt piſcem vel vnicum concluderent. Quibus Vir Dei: vos (inquit) veſtra retia iactantes nihil proficitis: huiuſmodi enim ſunt mundi retia, quibus commoda, & voluptates expiſcantes, vanum in his laborem impenditis. Quid ſi ego abſque retibus ſolo habitus aſpectu, piſcem expiſcatus fuero? an non meliora S. P. Franciſci, quàm veſtra mundi retia fore, vos ſentire æquum erit? His dictis, cùm manicæ os ad laci ripam admouiſſet, melioris notæ piſcis è lacu erumpens, protinus in ipſius manicam exilijt. Cereti Dominicus Dei Verbum prædicaturus, in ipsâ die, quæ diem Cinerum antecedebat, ſolemnes in domo quâdam audit choreas parari: quapropter Crucifixi imagine manibus arreptâ, cùm populi turbam, quæ eò ad ſaltationem conuenerat, corrupto chorearum vſu deterrere conatus fuiſſet, demum futuram domus illius ruinam Diuino ſpiritu prænoſcens, mox exclamat: velocius aufugite, ô Viri, ne vos domus iſtius ruina comprehendat; iam enim caſus illius ſonitum percipio. Hæc tam prophetice, ac vehementer in turbę illius aures percrebuit,

vt quotquot aderant, eâ voce exterrefacti, mox ex eâ pedem extulerint; & quidem opportunè: vix enim inde emerſerant, cùm domus à culmine tota præceps ruit. Idem quoque Aletij, quò is prædicaturus acceſſerat, accidit. Firmi quoque infra ſeſquihoram, domum, in quâ choreæ inſtituebantur, ruituram prædixit; quæ omnia ipſo rerum euentu probata fuêre. Cùm verò Dominicus chorearum damna, & turpitudinem Metij pro concione exagitans, horrendum Dei iudicium ei, qui prior choreas duceret aut inſtitueret, comminatus fuiſſet, oppidi illius populus, & Viri Dei voce, & domus præfatæ caſu perterritus, per triennij ſpatium à ſaltatione abſtinuit; donec ex eis Vir chorearum cupidus, cùm pretio cuiuſdam domum ad ſalutationem ineundam conduxiſſet, ſolus in eâ ſaltatione gladio peremptus, formidandum Dei iudicium à ſancto Viro prænunciatum tulit. In pago Borgopacis, Thadæi Mutioli vxori, quæ fœtum in vtero gerebat, maſculum parituram, Deoque in Capucinorum ordine famulaturum prędicit. Intimas cogitationes Bernardinæ cuiuſdam Ludouici Mariani vxoris aperit; Resq; à Ludouico apud Ducem Vrbinatem tam fœliciter ab eo geſtas, vt pro voto ſucceſſerint, ſignificat. Friderici Bonauenturæ nobilis Vrbinatis Matri, quæ diutino morbo laborauerat, diu etiamnum eo affligendam præmonet; iunioris vero pediſſequæ, incolumis, & ætate ac robore florentis vicinam mortem pręnunciat. Fr. Nicolai à Monte florum, noſtri Ordinis Sacerdotis, ſorori grauiſſimè, ac ferè ad Medicorum deſperationem laboranti, incolumitatem promittit: Verùm cùm poſt annum eadem leui ægritudine correpta, Phyſicorum ſententiâ à periculo abeſſet, re à Nicolao ad Virum Dei perlatâ, Nicolaum monet, quatenus ad ſororem reſcribat, vt res ſuas maturiùs cum Domino componat; ne inopinatus dies, qui proximus eſt, dormitantem prę-occupet. Paret illa; ingraueſcenteque pręter ſpem ægritudine, breui diem extremum claudit. Aurelia Thadęi Mucioli vxor, filiam Margaritam nomine, adhuc lac ſugentem Viro Dei benedicendam aliquando offerens, protinus is: Quid mihi (inquit) puellam offers? quam ſi inter vlnas accepero, proculdubio ad ſuperos tranſmittam. At mater impenſius rogans, vt puellam inter vlnas acciperet; vbi puellam in manibus excepit, ter in hæc verba cœpit erumpere: In cœlum, puella, in cœlum: moxq; illam Matri reſtituens abijt. Vix paucis poſt diebus elapſis, puella ægrotare cœpit, celerique morbo conſumpta, ad ſuperos abijt.

Pandol-

Pandolfinæ Philipuciæ à Monte ſancto, quæ plurimos cum viro abſque prole annos exegerat, prolem prænunciat. Fratri Ioſepho Neapolitano, fratrem è carcere intra tot menſium ſpatium liberandum, prædicit. Mondauij, dum Conuentus noſtris extruitur, quatuor pueris eò conuenientibus, futuram vitæ rationem prænunciat. Fani dum in cellâ orat, ſeptem quadrigas, ad eum ab Æmiliâ aduenturas prȩuidet. Sophoniſſæ Thadæi Maceratenſis filiæ nubili ſponſalia poſt tres annos, viri nobilitatem, ac pleraque alia prȩnunciat. Flordaliſiæ Sinibaldi ab Empulo obitum, & obitus diem prȩſignificat. Mariæ Thadȩi Maceratenſis vxori culpas, tametſi occultas, ab eá patratas aperit; & omnia, quæ Thadȩi familiæ euentura erant, quoad ſuperſtes fuit, Diuino ſpiritu agnita, patefecit. Hæc de Diuinis ipſius reuelationibus ſatis. Dum Altiti prȩdicationis munere fungitur eiuſdem oppidi vir, vxorq; à Dȩmone arrepti, immaniter cruciabantur. Dum igitur Vir ſanctus, noctu pro ijs apud Deum orationes fundit, Dominum in ſpiritu conſpicit: qui cùm per anguſtam quandam viam Cruce onuſtus prȩcederet, illum hi quoque, pro quibus ſuas Deo preces offerebat, ſingulas Cruces geſtantes proſequebantur. Hoc is viſu edoctus, cùm eam Domini voluntatem, & conſilium eſſe agnoſceret, vt hac illum ij Crucis viâ ſequerentur, mox is poſt Domini tergum exclamat: O Domine, ô Domine! nequaquam pro his, vt à Dæmonis vexatione liberi fiant, rogo; quin, ſi placet his afflictiones adde: hîc illos vre, hîc ſeca, vt in æternum parcas. Maria Thadæi nobilis Maceratenſis vxor, ita ad fumarij paraſtatem caput alliſerat, vt velut exanimis, ſtatim humi corruerit: quo tempore Dominicus in Vrbini Conuentu orans, Dominum Matri Virgini aſſociatum, in viſu cernit, qui Mariam ſanguine ſordidam, ac letho proximam geſtabant. Intellexit oppido Vir Dei, graue aliquid Mariæ accidiſſe, quo ſuprema illi dies immineret. Quamobrem omnes illicò orationis neruos tendit, vt Mariam ab impendentis mortis periculo liberet. Cui tandem Dominus Deiparæ Virginis precibus exoratus annuens, hoc ipſo temporis momento, Maria, quæ mortua, vel ad ſummum breui moritura credebatur, reuiuiſcere viſa eſt. Frequenter huic Viro Dei Virginem Deiparam, quam præcipuâ veneratione colebat, apparuiſſe, communis huius Prouinciæ vox eſt, famâ duntaxat, abſque ſcripto, cui minùs ætas illa huius, atque aliorum geſta tradere viſa eſt, conſignata. Cuiuſdam tantùm viſionis fragmentum, ex Ordinis monumentis hauſtum, integrum extat: quo fertur Dei ſeruum, dum aliquando

orationi

orationi incumberet,à Virgine Deiparâ edoctum,quibus illam verbis inuocare deberet. Dum in Narnienſi Conuentu ianitoris munere fungitur, Chriſtus Dominus ſub pauperis habitu hoſpitium poſtulat, & à Dominico panem accipit. Ibidem Iuſtino Guardiano grauiter ægrotante, eo tempore Dominico nocte in Eccleſiâ oranti numeroſa quædam centum circiter Fratrum Capucinorum ſupplicatio apparet; qui Eccleſiam patefactis vltrò foribus, ingredientes, & cancellos, & Sancta Sanctorum ad Chorum vſque penetrantes, inde in Dormitorium ſubeunt. Stupebat Dominicus, & vndenam tot Fratrnm multitudo erumperet, quòve tenderet, ignorabat. Quamobrem cùm iam cunctis, qui in ſupplicatione gradiebantur, preteritis, duo tantùm extremi ſupereſſent; ad eos Dominicus accedens,ab ijs, quinam eſſent, & quò progrederentur, ſciſcitatur. Cui illi:Fratres (inquiunt Minores Capucini nos omnes ſumus,qui non pridem in Domino obdormientes, cum eo regnamus: nunc verò ab eo miſſi, ad Guardianum laborantem pergimus, vt viſitationis illi gratiam impendamus: ſuprema enim illi imminet dies, quâ ex hac in meliorem emigraturus eſt lucem. Iouis proxima haud elabetur dies, cùm huc reuertentes, ipſius animam è corpore emigrantem, rectâ in Cœlum comitabimur. His dictis tota ea Fratrum ſupplicatio è Dominici oculis erepta fuit. Iam Dominicus conſenuerat: & licet ſeptuagenario maior; ſtrenuam tamen in Domini vineâ Dei verbo excolendâ operam nauabat; cùm poſt Quadrageſimalium ſermonum penſum in oppido Porquinculi, ad Tiferni Metaurenſis Conuentum proficiſcitur. Tipherno haud longè abeſt oppidum Borgopacium; in quo dum verbum Dei diſſeminat, vitæ ſibi occaſum imminere diuinitus præſentiens, Thadæo Muciolo,qui illum domo, ac menſâ excipere conſueuerat, prænunciat: Cum autem morbus ingraueſceret, inde Tifernum reuertitur. Verùm Petro Thadæi filio ad ſe ante diſceſſum vocato, baculum, quo in vitâ vtebatur, his verbis tradit: Petre, baculum ſenis pauperculi accipe, & diligenter cuſtodi: multis enim fortaſſe proderit. Ijſdem quoque verbis vſus, craſſioris panni cingulum, quo veſtem attollere ſolebat, Thadæi vxori donat. Poſt hæc Tifernum verſus iter carpit. Conuentum eo tempore moderabatur Vrbanus à Petrâ Rubeâ, cui in aduentu Dominicus: Neſcis (inquit) Vrbane Pater,quod hæc me nox vltima manet? Iam, iam ſupremum tibi, atque humanis rebus valedicturus ſum. Cùm primùm igitur in infirmorum cellam Guardiano iubente ſe contulit, animam Sacramento expiat, ac

colle-

collectum animum tam ardenter in Deum transfert, vt Fratres qui illius vſque ad Matutinas horas curam ſuſceperant, aſſiduè eovſque orantem, ac vehementius Iesv Christi, Virginis Deiparę, ac S.P.N. Franciſci patrocinia implorantem, obſeruauerint. Dum igitur in Choro Matutinę horæ perſoluuntur, Beatus ſenex, inter Fratrum manus, animam Deo reddit Anno 1589. Obijt Vir omnium ſeculorum memoriâ dignus, ſextum ſuprà ſeptuageſimum ætatis annum agens, cùm ex his quinquaginta ſex annos Deo in Capucinorum Ordine conſecrâſſet. Dominici obitus nemini adhuc, prçterquam Fratribus innotuerat, neque vllus in toto Tiferni Metaurenſis oppido erat, cui Viri Dei ſanctimonia nota eſſet: cùm vix die illuceſcente, magna virorum, & mulierum turba ad Eccleſiam confluit, ſanctique Viri corpus, quod iam in Eccleſiâ collocatum fuerat, veneratur, oſculis petit, omnes corollis caput contingunt, ac velut Sancti jam in Cœlo regnantis, opem, & preces ſibi poſtulant. Id verò in eum populi magis ſtudium accendit, quod illius caro, præter cæterorum morem, mollis, tractabilis, atque adeò tenera videbatur, vt preſſa iterùm ſe attolleret, atque infantilem referret; ita vt dormientis potiùs, quàm defuncti naturam, & qualitates prçſeferret. Poſt huius ſancti Viri obitum, pleraque D.O.M. piè illius merita implorantibus, è Cœlo beneficia prçſtitit: Vir namque in oppido Tiferni Metaurenſis, qui ab vtero matris claudus fuerat, ipſius opem apud Deum poſtulans, integræ incolumitati redditur. Mulier quoque, quæ albuginem in oculis patiebatur, ita vt clarè cernere non poſſet, eo inuocato, integram lucem recepit. Altera itidem mulier, Peregrina nomine, quę graui tibiæ dolore laborauerat, vix ad ſancti Viri opem confugit, cùm repentè tam perfectè ſanata fuit, vt nullam deinceps illi moleſtiam exhibuerit. Hypermneſtra nobilis mulier, à Ricino nouo, beati Viri pallium à Fratribus poſt ipſius obitum dono acceperat. Quo tot miracula (id eâ ſub iureiurando atteſtante) patrata ſunt, vt cùm ob confluentium multitudinem, qui ſibi pallium poſtulabant, pallio tandem orbari timeret, amplum ab eo præſegmen diſſuerit, quod paſſim petentibus accommodatum, varios ab ijs morbos depulit. Corollas ſanctus hic Vir, dum viueret, ex funiculis crebros in nodos colligatis; ligneas quoque Cruces quaſdam exiguas componere, ac varijs diſpertiri ſolebat, quæ pleroſque, eo tum ſuperſtite, tum è viuis ſublato, à diuerſis languoribus curarunt. Inter quos enumerantur Margarita,

Simonis Boni vxor, è Borgopacio, quæ cùm morbo vniuerſali ita detineretur, vt vix alteram manum mouere poſſet, cruce huiuſmodi ſibi collo appenſâ, breui tempore conualuit. Beneuenta quoq; ipſius filia, cuius ſalus tùm ob morbi grauitatem, tum diuturnitatem planè deſperabatur, hanc ipſam ſibi crucem adhibens, celeriter & ipſa ab ægritudine liberatur. Panneus quoque cingulus, quem Vir Dei ſupremùm ægrotans Thadæi vxori elargitus fuerat, plurima poſt ipſius mortem ægris beneficia contulit; ac tres potiſſimùm mulieres, nimirum, Franciſcam Lucarellam à Borgopacio, Catharinam à Porquicuelo, & Simonam à Burgopacio, à grauiſſimo partus dolore, quo earum vita periclitabatur, in momento liberat. Baculum præterea, quem is Petro Thadæi filio tradiderat, cum Lucretia eiuſdem vxor, quæ ob partus difficultatem, certo in vitæ diſcrimine verſabatur, iterum atque iterum ſibi impoſuiſſet, fœtum mox feliciter edit. Huius B. Viri ſudario, quod Penthaſilæa Æſina importunè ab eo etiamnum ſuperſtite extorſerat, pleraque patrata miracula referuntur. Inprimis Ioannem Franciſcum Gueſtruin, Panthaſilęæ conſobrinum, phreneſi laborantem capiti impoſitum ad ſenſum reuocat. Annam quoque Riciam Æſinam eodem morbo correptam, contactum ſanæ menti reſtituit. Canabaceus tandem funis, quo ſanctus Vir præcingebatur; habitus præſegmina; ſporta quædam, quâ is in itinere vtebatur, tot ſignis, ac virtutibus, poſthæc ſcatere viſa, vt cùm ipſius apud Deum gloriam non obſcurè teſtarentur, immortalem quoque apud homines etiamnum memoriam alant.

Fr. PETRI A CAMPIS, PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER PETRVS à CAMPIS, Ambianenſis, Sacerdos, præclaris virtutibus fulgens, cùm Ambiani ab ipſo iuuentutis flore S. P. N. Franciſci Regulam in Fratrum Obſeruantium (vt vocant) Familiâ profeſſus eſſet, poſt aliquot annos, arctioris obſeruantiæ (vt ferunt) cupiditate ductus, cùm Capucinorum vitam amplecti vellet, à ſui Ordinis ſuperioribus in carcerem detruditur; è quo intempeſtâ nocte aufugiens,

primùm in Hiſpaniam proficiſcitur; deinde in Galliam rediens, Lutetiæ Capucinorum habitum, & vitam extra Obſeruantium clauſtra, nullo tamen Capucinorum Religioni vinculo alligatus, præſeferre viſus eſt. Quapropter his minimè inſiſtendum cenſeo, quæ ab anno 1568. quo is ab Obſeruantium Ordine deſciuit, vſque ad annum 1573. in quo apud Capucinos Romæ probationis annum inſtituit, ab eo geſta ſunt, tanquam non legitimè ab eo facta; cùm præter primum illud animi propoſitum quo in perfectiorem Regularis obſeruantiæ formam ferri aliquando viſus eſt, nihil in eo hic nobis commendandum adſit. Romam igitur primùm, tùm Anconam, vbi tunc Generale Capitulum celebrandum erat, proficiſcitur. Vbi à Mario à Foroſarzinio repulſam paſſus, poſtmodum à Vincentio à Monte Vlmi, qui Mario in Generalatus munere ſucceſſerat, benignè tandem exceptus, & Religionis habitu donatus, in Romanâ Prouinciâ probationis annum inſtituit. Petrus igitur tyrocinij anno peracto, cum Pacifico à ſancto Seruatio Generali Commiſſario Lutetiam proficiſcitur; vbi Euangelicæ prædicationis munus ſibi à Generali demandatum, ita Apoſtolico ſpiritu, præſertim aduerſus Hæreticos paſſim in agro Pariſienſi graſſantes aggreditur, vt cùm vbique falſa eorum dogmata Catholicæ veritatis gladio confoderet, tam ſæua illorum odia ſibi comparauerit; vt ab ijs ad necem ſæpiſſimè conquiſitus, vix ab illorum inſidijs liber euaſerit. Nec minorem tum animi conſtantiam, tum Chriſtianæ charitatis teſtimonium, cùm ſæua peſtis Lutetiam inuaſiſſet, in ægrotis curandis exhibuit; quo in miniſterio ſummam profectò apud omnes laudem conſecutus eſt. Bis ad Domini ſepulchrum, tùm ab Henrico III. tùm à Ludouicâ Reginâ Henrici vxore miſſus, Hieroſolymam proficiſcitur. Eo tempore multa paſſus, infideles ſuâ patientiâ, & preclaris vitæ exemplis ædificat. Hoc quoque itinere, cum flumen quoddam profundum illi tranſeundum eſſet, quâ parte illud tranſuadari poſſet, anxius animo inhęrebat; cum breui oratione Deum precatus, hominem cernit, qui vadum indigitat, per quod tutò flumen traijcere queat. Poſt hæc flumen tranſgreſſus, cùm viro gratias acturus, ſe à tergo conuertiſſet, neminem conſpicit; ex quo cœleſtem opem cognoſcit. Hinc cum Maſſiliam appuliſſet, Petri Imerini filiam, quæ grauiſſimè ægrotabat, fuſis ad Deum precibus incolumitati reſtituit. Denique ab vtrâque peregrinatione rediens, cùm poſt Henrici III. Bleſis acta, in ea Petrus Aureliani acrius

inueheretur, Hæreticorum, qui Regis partes tuebantur, conſpiratione ad necem quærebatur. Quamobrem, vt eorum tantiſper furorem declinet, ad Belgas ſe confert; Bruxellisq́; lethali morbo correptus, ſupremum diem abſoluit, Anno 1589.

Fr. IOSEPHVS OXIBIENSIS PRÆDICATOR.

IN Genuenſi Prouinciâ Fr. IOSEPHI OXIBIENSIS (vulgò de Oneglia) Liguris Concionatoris, adhuc floret virtutum memoria. Hic ardentiſſimus Diuini Verbi præco fuit, tantâ vitæ auſteritate præditus, vt Quadrageſimali prædicationi incumbens, tres hebdomadæ dies, panis & aquæ ieiunio conſecraret, reliquos verò abſque cibo tranſigeret. Orationis ſtudio incenſus, longas in eâ noctis vigilias ducere conſueuerat. Dum noſtri Ordinis Concionatori ægrotanti ſignum Crucis impendit, miteſcit morbus, ac paulatim in integram valetudinem deſinit. Spoturni prædicans, Virginum turmam ad priuatum caſtitatis votum prouocat. Demùm optimo apud omnes virtutum odore relicto, poſt prolixæ ægritudinis patientiam ad coronam euolat, Anno 1589.

Fr. ANTONII A MONDVLPHO, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS à MONDVLPHO, Sacerdos, nobili ex ſtirpe progenitus, iam ab ipſis adoleſcentiæ annis tanto pietatis ſtudio ad Diuina ferebatur, vt ſæpè ſolus in cubiculo oraret, & cæleſtium rerum ſapore, ac voluptate ductus, noctes interdum inſomnes in oratione duceret. Tanta illi erat morum honeſtas, tanta mentis & corporis pudicitia, vt virginitatem, ab elegantis formæ matris pediſſequæ inſidijs, ac ſollicitationibus, immaculatam ſeruauerit. Hinc in ipſo iuuentutis flore, vehementiori à Deo vocatione excitatus, præſtantiorem in Dei ſeruitute apud Capucinos nobilitatem quærit. Hoc verò ſuæ mentis conſilium cùm parentibus innotuiſſet; quandoquidem eo ad Religionis gremium

acce-

accedente, eorum familia poſteritate careret, nullum hi non lapidem mouent, atque argumenta intentant, quo eum à Religionis propoſito auocent. At Antonius ante parentes genuflexus, tantam à Deo verbi efficaciam accipit, vt vterque parens lachrymis perfuſus, tantâ voluptate in filij propoſitum conſentiens, inde abſcedere noluerit, donec filius mundi exuuijs depoſitis, militare S. P. N. Franciſci cingulum inter Capucinos acciperet. Cùm primùm verò Religionis palæſtram ingreſſus fuit, mox carnem aſſiduis, præter ea, quæ Religioni conſueta ſunt, ieiunijs domans, corpus diris flagellis atterebat, & perpetuum cum ſenſuum voluptatibus bellum gerebat. Hinc tot animi virtutibus, & Cœleſtium donorum copiâ efflorefcens, poſt Philoſophica, ac Theologica ſtudia, ad Prædicationis munus vocatus; quandoquidem in eo officio plus orationis, quàm olei inſumeret, mirum planè, quam vberes, vbicunque Dei verbum diſſeminaret, inde animarum fructus referret. Theologicam diſciplinam aliquamdiu, tùm in Piceni, tum in alijs Religionis Prouincijs, ſummâ cum ingenij laude publicè tradidit: Nulla tamen interea, quantumuis vilia, domus miniſteria refugiens, aſſiduæq; orationis ſtudium cum Theologico ſtudio componens, diſcipulos non ſolum in Theologicâ facultate inſignes, ſed virtute quoque præſtantiores Religioni peperit. Plurimis denique laboribus in eâ Prouinciâ, tum erudiendâ, tùm adminiſtrandâ, piè perfunctus, cùm Generalis Theologiæ Profeſſor Neapolim miſſus, multos ibi tùm ad doctrinam, tum ad iuſtitiam erudijſſet, in Picenum rediens, Romæ in morbum incidit; moxque à Fratribus percunctatur, quantum ad certum quendam, tunc ab eo indicatum, vſque diem temporis intercederet? Cui Fratres, cùm tot dierum ſpatia abeſſe reſpondiſſent, Deo intimas ex animo gratias agens, inquit: Deus hic primam mihi naſcenti vitæ lucem tulit; atque idem alterâ Religionis natiuitate renato, ſecundam è Cœlo gratiæ claritatem, ſimulq; Religioni habitum contulit; poſtremus hic quoque mortali huic vitæ finem imponet. Cumque hoc totum temporis ſpatium, quod vitæ illi reliquum fuit, in patientiâ, ac Domini laudibus conſumpſiſſet, Deo tandem gratias agens, quod virginitatis florem eovſque illi integrum ſeruaſſet, eâ ipsâ, quam prædixerat, die, purus hinc ad perennis vitæ fontem euolat; Moxq; matri, quæ Mondulphi in cubiculo orabat, pellucidi radij inſtar, ſuæ illam gloriæ admonet: quæ cùm viſionis illius diem, & horam obſeruâſſet, eam certò fuiſſe comperit, in quâ filius Romæ ex humanis exceſſerat. Obijt verò anno 1590.

Fr. PETRVS à MONTE MAGNO, Concionator, cùm præclaris vitæ exemplis Genuenſem Prouinciam illuſtrâſſet, quatuor Angelorum in morte aſpectu dignatur, qui Tartarea monſtra, quæ ad eum tentandum vndique conuenerant, ſuâ virtute fugant. Obijt Anno 1591.

Fr. ANGELVM BRESSONIVM, egregium verbi Dei præconem, Aquitaniæ Prouincia inter primos ſuæ Fundationis lapides collocat,& ob pręclaras animi virtutes ſummis laudibus effert; cuius ea morientis verba fuiſſe ferunt: Deo meo ob innumera collata in me beneficia gratias ago: verùm ob id potiſſimùm, quod mihi in Capucinorum gremio dat ſupremum vitæ habitum fundere. Obijt Anno 1591.

In Hetruriæ Prouinciâ Fr. SYLVESTER ALBINGENSIS, Concionator, his omnibus virtutibus præditus prędicatur, quæ perfectum, ac numeris omnibus abſolutum Minorem Capucinum pręſtant. In Choro pſallens, & Dei verbum prędicans, aliquando in mentis exceſſum rapi viſus, falſam accuſationem apud Hęreticæ prauitatis Inquiſitorem tantâ animi patientiâ tolerat, vt ipſummet accuſatorem deinceps ſingulari beneuolentiâ proſequeretur. Poſtremò cùm mulierem obſeſſam, ſolâ Beatiſs. Virginis inuocatione à Dęmone liberâſſet, pietate ac meritis clarus, hinc emigrat Anno 1592.

Fr. HILARION à IAIOLS, Hiſpanus Concionator, in Coſſetanâ Prouinciâ, Vir omnibus virtutibus ornatus fuit; cuius ſanctimoniam, poſt ipſius obitum, conteſtata eſt puella quædam cœca, quæ cùm aquâ ex ipſius ſepulchro ſcaturiente, oculos lauiſſet, viſum recepit. Obijt Anno 1592.



FRATER ALPHONSVS LVPVS FF^{um} CAPVCINOR^{um}
PRAEDICATOR.

Fr. ALPHONSI LVPI, HISPANI PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER ALPHONSVS LVPVS, honeſtâ in Hiſpaniâ progenie natus, dum adhuc in ſæculo verſaretur, vitia, quæ adoleſcentem ætatem propiùs ſequuntur, fugiens, omni ſtudio Diuinis rebus vacabat: quare cœleſti quâdam viſione inter orandum illuſtrari meruit. Monaſterium pregrande, quale nunquam antea viderat, in quâdam planitie ſibi intueri videbatur: Ad illud igitur accedens, tintinnabulum pulſat; moxque ianitorem feſtiuum accipit, qui illum in Monaſterium introductum, ante limpidiſſimum quendam aquæ fontem conſtituit. Huius dum ille fontis magnificentiam admiratur, iuuenem quendam ſplendidiſſimum, magnâ nobilium turbâ ſeptum, fonti inhærentem cernit; cui cùm ſupplices libelli ab his paſſim porrigerentur, alios quidem is recuſare, alios verò in aquæ pilam demergere, ac prefocare videbatur. Inter hæc illuſtriſſima quædam mulier apparet, calathum ſupplicibus libellis refertum in dextrâ gerens; quem cùm regio illi iuueni ſummâ reuerentiâ obtuliſſet, is acceptum calathum mox in aquæ fontem immerſit. Cumque fontis, ac ſupplicum libellorum myſterium ignoraret, à ianitore his verbis eruditur: Fons, inquit, ipſe, inexhauſtus Diuinæ miſericordiæ fons eſt, qui ad ſalutem hominibus impendendam, perennes fundit aquas. Vir autem ille maieſtate plenus qui fonti incumbit, IESVS CHRISTVS eſt, Dei filius, gratiarum omnium diſpenſator. Porrò, Viri illi illuſtres, qui eundem circumſtantes, ſupplices illi paſſim libellos offerunt, Beatorum animæ ſunt, quæ pro hominibus ſedulò orationes fundunt; quorum vota haud ſemper Diuinam miſericordiam (obſiſtente preſertim hominum malitiâ) aſſequuntur. At cùm primùm mulier illa preclara, Maria Virgo, Dei mater, ad Filium rogatura accedit, nullam vnquam repulſam paſſa, vniuerſa à Filio poſtulata accipit. Hæc tibi inter ſacrorum hominum clauſtra demonſtrata ſunt, vt, vbinam Diuinorum munerum copia quærenda ſit, opportunè addiſcas. Alphonſus igitur Diuinæ vocationi ſibi parendum ſtatuens, in Minorum Diſcalceatorum Familiam conſcribi curat. Viceſimum

circiter

circiter is ætatis annum agebat: cùm autem quatuordecim annorum ſpatio, carnem aſſiduis panis, & aquæ ieiunijs extenuaſſet, corpusq; duris caſtigationibus; mentem verò humilitate, patientiâ, obedientiâ, & cæteris Euangelicæ perfectionis virtutibus imbuiſſet; quo tempore Philoſophicis, ac Theologicis ſtudijs apprimè eruditus, inſignis inter eos Prædicator euaſit. Inter hæc contigit, vt haud leuis inter Toletanum Archiepiſcopum, & Catholicum Hiſpaniarum Regem de re Eccleſiaſticâ diſceptatio oriretur. Quare Alphonſus pro officij ſui munere, Archiepiſcopi cauſam, quam iuſtam ſibi perſuaderat, complexus, publicè pro concione eam tuebatur. Quod cùm Regij Miniſtri ægrè ferrent, Catholico Regi perſuadent, vt Alphonſum, velut regiæ poteſtatis perturbatorem, regni exilio mulctet. Regiâ itaq; ſententiâ Hiſpaniâ pulſus, Italiam adnauigat: quò in itinere cùm nauis naufragium paſſa eſſet, naufragium tamen ipſe effugit. Is itaq; cùm primùm ad littus incolumis peruenit, iuuenem quendam ſibi ignotum in littore offendit, qui cùm vniuerſa ad amuſſim, quæ illi poſt hæc perferenda erant, prænunciaſſet, abſceſſit. Hinc Romam profectus, Pium V. Pontif. Maximum adit, exilij cauſam exponit: à quo ſummâ benignitate exceptus, ab eo quoq; protectus fuit. At Pio V. poſt annum è viuis ſublato, Regijs Miniſtris apud Gregorium XIII. inſiſtentibus, cùm ei necdum de Alphonſi innocentiâ innotuiſſet, eum in ſanctæ Inquiſitionis carceres Romæ detrudi imperat. Neque tamen his Alphonſi animus frangitur, ſed integri vnius anni ſpatio, eam Dei probationem tam æquo animo ſuffert, vt ne vllum quidem queremoniæ verbum, ex ipſius ore vnquam toto eo tempore auditum fuerit: quinimò, obſcuro carceri aſperiorem carnis macerationem addens, totum hoc tempus quotidianæ panis, & aquæ inediæ, aſſiduæque orationi, ac rerum Diuinarum contemplationi conſecrat; ita, vt cùm per carceris cuſtodes, qui longam Viri patientiam, & virtutem obſeruauerant, Pontifici ſignificatum fuiſſet, Virum planè ſanctum in carcere detineri, Pontifex illum à vinculis ſolui, & inde emergere permiſerit: eâ tamen conditione, & à prædicatione tamdiu abſtineat, quoad regiæ expoſtulationi ſatisfiat. Interea Alphonſus de Regularis obſeruantiæ ſtatu ſibi deligendo ſecum animo verſans, ad Capucinos animum confert; à quibus tandem ob eandem exilij cauſam repulſam paſſus, Apoſtolico dein mandato Capucinorum habitu donatus, Foroſempronium ad probationis annum mittitur; vbi per integrum annum in ſolitariâ qua-

dam cellâ ad montis radicem in rupe exciſâ, in perpetuo ſilentio, ieiunio, & oratione manens, cùm nullam quotidianis panis, & aquæ ieiunijs intermiſſionem, nullum pedum nuditati, cui ſandalia ipſa ademerat, nullum nocturnis vigilijs, modum ſtatueret, omnium virtutum exemplar omnibus exiſtebat. Paupertatis, ac totius Regularis obſeruantiæ eximius ſectator fuit, ſuperuacanea omnia abhorrens, tunicâ viliſſimâ, ac plerumque obſoletâ vtebatur. Humilitatem tàm arcto ſibi Alphonſus vinculo copulâuerat, vt ad dignitates acceptandas nunquam adduci potuerit: imò ob delatos ſibi aliquando honores, in horti angulum ſecedens, indeſinentes ibi lachrymas ſæpè fuderit. Mitis, atque erga omnes affabilis; nulli vnquam benignitatis, & conſilij fores ita occluſit, quin, quò ignobiliores, & infirmiores eſſent, eò magis in eorum ſeſe opem effuderit. Hunc quoque inuicta quædam animi patientia, & fortitudo ita exornabat, vt cum ei virtutis materia, moleſtia eſſet, aduerſis fortior, ærumnis clarior, tunſionibus durior, preſſuris vegetior, reddebatur. Exilia gloriam, carceres ſplendorem, infirmitas coronam illi comparabant. Mira quoque erga ægrotos charitate ferebatur: Oratione verò quantopere præcelleret, planè incredibile videretur, niſi vniuerſa Religionis noſtræ monumenta concordi ſenſu teſtarentur, eum ſæpè ad decimam vſque horam produxiſſe; quotidiana tamen ipſius oratio, quam nullus vel itineris, vel prædicationis labor vnquam aut minuit, aut intercepit, ad ſeptimam vſque horam pertingere conſueuerat. Hæc igitur illum ad eum Diuinæ charitatis gradum extulerat, vt id de ſeipſo aliquando enunciare haud veritus fuerit, ſi quis illi odij ſolius causâ, ſingulos barbæ pilos euelleret, haud tamen vnquam ab illius ſe dilectione auellendum fore. Tot igitur cùm virtutibus Alphonſus floreret, Pontifex rursùs illum ad Dei verbum diſſeminandum reuocat, atque Apoſtolicum Concionatorem inſtituit. In Corſicam mittit, vnde tot opimis animarum ſpolijs onuſtus, ad Pontificem redit, vt ab eo maximam laudem conſecutus fuerit. Incredibilis huic Viro in dicendo vis inerat, quâ ita animis imperitabat, vt ferreos quoque atque adamantinos emolliret. Id tantùm indicâſſe ſufficiat, eo aliquando Salmanticæ Dei verbum quadrageſimali tempore proponente, quingentos bonorum artium candidatos, ſæculo cum ſuis cupiditatibus ſpreto, ad Chriſti vexillum, & religioſa caſtra conuolâſſe. Neque id vlli mirum videri debet. Mariani enim Marchioniſſa,

quæ

quæ Pij IV. Pontificis fratria fuit, haud ſemel teſtata eſt, ſe ex Alphonſi concionantis ore ſæpè flammarum globos erumpentes conſpexiſſe, quibus nimirum audientium corda inflammabat. Sæpè quoque eidem, Romæ pro concione agenti, adfuit ſimul cum Ioanne Baptiſta Boniporto, Nauarienſis Eccleſiæ Canonico, ſanctus Philippus Nerius; qui cùm Alphonſum tam miro, atque Apoſtolico ſpiritu concionantem audiſſent, ad B. Philippum Canonicus: Quid tibi de hac Lupi concione videtur, Philippe? quàm ardens, quàm efficax, quàm Apoſtolica! Cui B. Philippus: Nihil mirare, ait: Ipſe enim ſacram Deiparam, Lupo, dum prædicaret, adſtantem, & quæ prædicabat, verba dictantem conſpexi. Vtinam plures hujus generis Lupos Roma ſibi vendicaret. Atque huc ſpectat, quod de huius Viri prædicatione communi prouerbio peruulgatum erat: cùm enim, hac ipsâ tempeſtate cum eo & duo alij celebres Diuini verbi præcones, inter alios, Dei Eccleſiam illuſtrarent, Hebræus nimirum, Ordinis Prædicatorum, & Franciſcus Panigarola, qui ex Ordine Obſeruantium ad Epiſcopatum Aſtenſem deinde aſſumptus fuit, hoc de his tribus elogium ferebatur: Hebræus docet, Lupus mouet, Panigarola delectat. Quo factum eſt, vt Romæ, Venetijs, Neapoli, Genuæ, Mediolani, atque in alijs præclarioribus Italiæ vrbibus haud ſemel Dei verbum diſſeminauerit; ac eius operâ Mediolanenſis vrbis morum corruptelâ ſublatâ, vrbs ad ſancti Caroli mentem reformata fuerit. Quamobrem cùm Epiſcopus quidam Alphonſum obnixè à ſancto Antiſtite poſtularet, quo ſuæ Eccleſiæ vtilitati proſpiceret, eidem ſanctus Carolus: Fruſtra, amice, tibi Lupum meo damno quæris: oues enim quoque meæ tali indigent Lupo, qui eas perterreat, atque intra Domini caulam contineat. Clara etiamnum in Neapolitanâ vrbe ob illuſtre facinus Lupi viget memoria: is enim cùm Nobilitatis Ordinem ſponte, ac nullâ neceſſitate compulſum donum quoddam pecuniarium, quod ad multorum aureorum millia pertingeret, Hiſpaniarum Regi publico decreto conſtituiſſe intelligeret; quod cùm à plebe potiſſimùm exigendum eſſet, pauperum penum exhauriret, in id Alphonſus, velut iniquum, & pauperibus exitiale, pro ſuggeſtu inuehi cœpit, eoque ſermonis euaſit, vt Regem eo tectâ conſcientiâ minimè frui poſſe affirmaret. Hiſpani Regni tunc habenas moderabatur Philippus II. nulli tamen pietate ſecundus; cui cum per litteras ea, quæ à Lupo publicè pro ſuggeſtu prędicata fuerant, ſigni-

ficata fuiſſent, dignum Philippo reſponſum dedit; quod iuſtè ex Lupi ſententiâ dari non valeret, iuſtius ab eo refellendum. Quapropter ab eo dono abſtinuit; immortalemque pij ac iuſti Regis ſibi in orbe memoriam comparauit. Hoc verò in hoc Viro admirandum erat, quod inter aſſiduos hos prædicationis labores, haud vnquam à Matutinis Horis in Choro perſoluendis vacâſſe viſus eſt. Contigit verò, vt dum iiſdem cum cæteris vacat, Choro Hymnum: *Te Deum &c.* perſonante, cùm ad ea verba ventum eſſet: *Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti;* quæ de more proſtrato ad ſolum corpore apud nos pronunciari ſolent, ipſe quoque Alphonſus ſeſe humi proſterneret: quo tempore mentis exceſſu correptus, tam diu eodem loco proſtratus perſtitit, quo à Laudibus & Litanijs decantatis, & communi oratione peractâ, cæteris ad proprias cellas remeantibus, Fr. Bernardinus Arragonienſis vnâ cum duobus alijs Sacerdotibus rei exitum obſeruans, Alphonſum tandem è ſolo aſſurgentem cernit; qui altum ex imo pectore ſuſpirium trahens, vento celerior ad Sacrum Euchariſtiæ Altare aduolat, has ſæpè voces ingeminans: Ah, Domine! Ah Domine! tantane animarum perditio futura! nullumne tantæ animarum ſtragi remedium ſupereſt? Cùm plurimas ibi lachrymas fundens, crebris interea ictibus ſibi pectus tunderet, hoc ſpiritu percitus, in cellam ſe confert. Porrò, communis eo tempore rumor inter Fratres percrebuit, reproborum tunc numerum illi Diuinitus demonſtratum fuiſſe, quibus Dominici ſanguinis effuſio nihil ad ſalutem profutura eſſet. Mira quoque Dei luce perfuſus, futuros euentus proſpiciebat. Ditionis Mediolanenſis Moderatoris, qui maximè S. Caroli legibus aduerſabatur, & aliorum illuſtrium Virorum, qui Moderatori adhærebant, inopinatam mortem Prophetico ſpiritu prædicit. Neapoli quoque, cùm malus de Prorege in vrbe rumor commune in omnium animis ſcandalum pareret, Proregem Alphonſus adit; At Vir Dei ſæpè repulſam paſſus, tamdiu ante Palatij fores conſtans perſeuerat, donec aper venatione comprehenſus Proregi dono offerendus, defertur; cui cùm fores omnes patefierent, mox Vir Dei exclamans: O tempora! ô mores! inquit; Apro Sylueſtri ad Proregem omnes aditus patefiunt, qui Religioſis Viris, ac Diuini verbi præconibus occluduntur. At Proregi annunciate: maturius Deum illatam ſibi iniuriam vlturum; neque dilata diu vindicta fuit: nam Proregis filius, qui integrâ valetudine fruebatur, poſtridiè repentinâ mortè correptus, animam exhalat.

Quare caſu exterrefactus Prorex, Alphonſum illicò accerſiri iubet, ac publico Vrbis ſcandalo opportunè conſulit. Futuram quoque tentationem Fr. Saluatori à Ripâ altâ, Sacerdoti ex noſtris præſignificat, qui ipſius poſtmodum oratione liberatur. Maſſiliæ Alphonſus cum aliquamdiu aptum nauigationi tempus expectâſſet, tandem ventis ſecundis flantibus, ad triremem vocatur. Reluctatur Alphonſus, iterq; ſuum ab aduersâ Dei voluntate impediri affirmabat: at moleſto ſociorum rogatu compulſus, cum ijs ſcapham, quâ ad triremem veheretur, conſcendit; tranquillo verò mari, & pleriſque licet captiuis ſeruis, vndique adnitentibus, & ſummâ vi remigantibus, nullâ vnquam vi aut induſtriâ ſcapha adduci potuit, vt ad triremen accederet. Quapropter Alphonſus id Diuinæ voluntati adſcribens, ad littus ſe reduci poſtulat. Porrò triremis è portu ſoluta, dum inferum mare ſulcat, vndis abſorpta obruitur: in quo & propheticus Viri Dei ſpiritus, & Diuina erga illum cura, & ſollicitudo perſpecta fuêre. Maſſiliæ quoque Nouitius, ipſius benedictionem paruipendens, alteriq; cedens, cæteris perſeuerantibus, ſolus ad ſæculum redit. Mediolano aliquando diſcedentem Nobiles quidam Hiſpani comitabantur; qui cùm ad vrbis portam perueniſſent, palumbarum agmen, haud longè à portâ humi gradiens, conſpiciunt. Ex his verò columba quædam ſe in aëra efferens, recto volatu ad Dei virum fertur, primumq; ipſius capiti inſidens, tum humero, tandem in manus delapſa, motu, geſtu, & omni, quâ poterat, ratione, Viro Dei blandiebatur. Quam cùm is aliquamdiu demulſiſſet, tum, vt abeat, in aëra pellit. At columba bis terque repulſa, nihilominus ad manum redire, nec ab eo recedere, donec benedictionem obtinuiſſet, voluit: Eâ verò donatâ, ſe in aëra proripit. Eâdem in Vrbe Fr. Lazarum Maſſilienſem Laicum, capitis vulnere ſauciatum, Crucis ſigno perfectè curatum relinquit: Triennio verò, antequam Vir ſanctus ſpiritum Deo redderet, paralyſi correptus, tam mirâ animi patientiâ languorem, doloremque ſuſtinuit, vt eo carere pro ſummo damno duceret. Principiò quidem cùm doloribus tantoperè excruciaretur, vt à ſacrorum celebratione omninò abſtinere cogeretur, quotidie tamen ad ſacram menſam viuifico illo cibo reficiendus accedebat. Verùm cùm ſumma Sacrificij illius incruenti Deo offerendi cupiditate teneretur, id ſuá oratione aſſecutus eſt, vt quanquam tantus illi manibus tremor ineſſet, vt neque panem ſibi in menſâ ſcindere, neque buccellam ori admouere valeret, cùm primùm tandem ad Altare ſacra celebraturus

accederet, tam ſtabiles atque immotas manus à Deo acciperet, perinde ac ſi nullâ vnquam paralyſi diſſolutè fuiſſent; quæ tamen ſacris peractis, ad priorem tremorem redire cernebantur. Hoc porrò tempore in Hiſpaniam rediens Barcinone pedem figit; vbi Gaſparo Molero, familiari illius Conuentus Phyſico, intimas animi cogitationes reuelat. Graui tandem ad maius meritum tentatione probatus in ſupremum tandem morbum incidit: quo tempore Clementiſſimus Dominus, pulsâ tentatione, ac redditâ animo pace, ſeruum ſuum Cœleſti conſolatione recreare voluit: tam ſuaui namque Diuinæ conſolationis ſomno conſopiri cœpit, vt Cœleſtes iam diuitias, priuſquam ad earum fontem accederet, animo prægustare videretur; iam non amplius triſtia, ſed Diuinæ tantum laudis, & miſericordiæ præconia ex ipſius ore erumpebant. Totâ hebdomadâ, quæ ipſius obitum præceſſit, Chriſti Domini Paſſionem moroſè ſibi legi poſtulauit, quam interno mentis affectu ſedulò ruminabat. Omnibus demùm Sacramentis, plenis ſenſibus ritè munitus, tam placidè in Domino obdormiuit, vt ſomno potiùs, quàm morte conſopitus videretur. Obijt verò anno 1593. Porrò hac ipsâ horâ, quâ Dei ſeruus Deo ſpiritum reddidit, alauda quædam pratenſis, ad cellæ feneſtram aduolans, tantâ ſuauitate cantum modulabatur, vt Fratres ſummâ tum admiratione, tum voluptate afficeret. Vix autem rumor de Viri Dei obitu in vrbe diffunditur, cùm vniuerſus penè populus, communi ſanctimoniæ famâ, quæ vbique de illo percrebuerat, permotus, ad Monaſterium confluens, illius certatim pedes oſculabatur. Habitus alij particulas, alij vngues, alij barbæ pilos, alij capitis capillos præſcindebant: Caro verò ipſius tam mollis, ac tenera pertractari, tantoque candore niteſcere cœpit, vt viuentem potius, quàm mortuum referret. Cùm autem in ſepulchrum infertur, quatuor Fratrum corpora, qui multò antea, non ſine ſanctitatis opinione, diem extremum clauſerant, ita integra & incorrupta reperta fuerunt, vt firmo veſtigio ſtarent: ijs igitur ad parietem rectâ ſtaturâ compoſitis, Alphonſi corpus ſedens, in ſepulchri capite collocatum fuit. Cùm verò ſepulchri os octo dierum ſpatio patefactum extitiſſet, nihil non modò tetri odoris ex eo erumpebat, verùm, qui ad deoſculandum Viri Dei corpus, in ſepulchrum deſcendebant, ſuauem inde odorem ſpirare teſtabantur. Poſt huius Viri Dei ſepulturam, pleraque ad illius ſanctimoniam declarandam à Deo miracula, præſertim erga prægnantes fœminas, patrata fuêre. Angela Molera,

Gaſparis Medici vxor prægnans , cùm ob ſanguinis profluuium; fœtus periclitaretur ; quâ die canabaceum cingulum , quo Alphonſi corpus præcinctum fuerat, ſibi adhibuit, eodem à ſanguinis fluxu curata, fœtum ſuo tempore, abſque periculo enixa eſt. Anna Palau, nobilis Barcinonenſis, quæ maximis partus doloribus cruciabatur, eodem fune præcincta, ſolutis doloribus, maſculum eodem tempore parit. Raphaëla Ferrau, mulier Barcinonenſis, maximo in vitæ diſcrimine verſabatur; quo tempore idem cingulum ſibi adhibuit, ſtatim emiſſo mortuo fœtu, quem in vtero geſtabat, incolumis euadit. Altera quoque cuiuſdam Rialpi vxor, quæ graui partus dolore angebatur; eo præcincta, ab illo enixo fœtu, libera erumpit. Quod & alijs quàm plurimis contigit. Huius Viri ſpiritum & ſanctimoniam plerique illius tempeſtatis ſcriptores commendarunt. Inter quos enumeratur Franciſcus Arias Societatis IESV, lib. 1. de Imitatione Chriſti Domini cap. 54. Iuſſanus, & Grattalora, in vita ſancti Caroli; & alij.

Fr. AMBROSII SENENSIS,

PRÆDICATORIS,

VITA, ET GESTA.

FRATER AMBROSIVS SENENSIS, Verbi Dei præco, è nobili Cianorum Vrbis Senenſis proſapiâ ortus, ab ipſis ferè incunabulis futuræ virtutis ſpecimen edidit; puerulus enim leues quaſque illius ætatis maculas tam magni faciebat, vt mentem octauo quolibet die ſacrâ exomologeſi expiaret. Hac in puero pietatis præludia, tùm à Deo, tum etiam ab optimâ Patrum Societatis IESV, quibus operam à puero dare cœperat, educatione profecta eſſe, nemò dubitat: quod factum eſt, vt cùm ſub eorum diſciplinâ pleroſque in ſtudijs annos conſumpſiſſet, ab ijs edoctus, adoleſcens à carnibus, Iouis, ac Dominicis diebus exceptis, perpetuò abſtineret, vino perrarò, nec niſi aquâ valdè diluto vteretur; nudâ quoque humo, vel ſolis tabulis ſtratâ cubans, ſomnum ſibi conciliabat. Tam duris interdum flagellis corpus cædebat, vt dorſi cute perfractâ,

indu-

induſium quandoque ad ſe pellem attrahens, verberum plagas renouaret. Inter hæc tamen, cùm Canonicarum, & Ciuilium Legum ſtudia non intermitteret, in ijs eam laudem conſecutus eſt, vt vix Doctoratus lauream adeptus, Cathedram in ſapientiæ Academiâ oblatam acceperit. Interea dum pietatis causâ ad Beatiſſimæ Virginis Lauretanæ Ædem proficiſcitur, à pecuarijs in itinere canibus, qui in ipſum repentè irruebant, obſeſſus, ad Beatiſſimam Virginem confugiens, ſi periculum euadat, Capucinorum ſe perpetuò Religioni addicturum, ſacro ſe voto obſtringit: quod deinde euaſo periculo, ſpontè confirmans, ad Religionis gremium accedit. Tantâ porrò vitæ auſteritate in Religione enituit, vt prioris vitæ auſteritates longè ſuperaret. Paupertatis, ac totius Regularis obſeruantiæ cultor fuit inſignis; tantoq; in ſacram Deiparam deuotionis, ac dilectionis æſtu ferebatur, vt cùm de eâ ſermonem haberet, ita immobilis conſiſteret, vt extra ſenſus raptus videretur; ex quo communis apud omnes fama erat, illius eum interdum aſpectu potitum fuiſſe. Ardentiſſimus Diuini verbi præco fuit. Poſtremò cùm Piſtorij in ſupremum morbum incidiſſet, quâ die ſacra S. Mariæ Angelorum indulgentia colebatur, cùm eius diei Veſperas, & Completorium perſoluiſſet, quaſi dormiens in Domino quieſcit. Statim verò anima corpore ſoluta, S. Mercurialis Abbatiſſæ apparens, ſe tunc Cœlum conſcendiſſe monet. Obijt Anno 1593.

Fr. Petrvs Trigosivs, Concionator, cùm inter Reuerendos Patres Societatis Iesv profeſſus, & doctrinâ inſignis eſſet, ad Capucinos migrans, Commentaria in D. Bonauenturam, opere tamen imperfecto edidit. Qui tandem multâ virtute diues, ad immortales migrat, Anno 1593.

Fr. Archan-

Fr. ARCHANGELI ARIMINENSIS, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ARCHANGELVS ARIMINENSIS, Concionator, genere & virtute clarus, ex nobili Diotallevi familiâ ortus, ita paternæ ſtirpis, quæ Diuinam educationem præſefert, nomen, ac rem ſortitus eſt, vt ab ipſis incunabulis; perinde ac ſi Dei ſinu exceptus eſſet; tantâ in ipsâ ineunte ætate, ad omne pietatis, ac virtutis genus cupiditate ferri cœpit, vt ſenilem puerili corpori à Deo inditum animum accepiſſe videretur. Maximo honeſtatis candore, ac pietatis ſtudio, cùm adoleſcentiæ ætatem necdum integram tranſegiſſet, maturè à Domino, ad Seraphicæ vitæ inter noſtros diſciplinam vocatur; in quâ priora pietatis ſtudia tam copioſo virtutum fœnore auxit, vt iam nullus eo humilior, nullus abiectior, nullus patiendi pro Chriſto cupiditate flagrantior, nemo denique auſterior eſſet. Abſtinentiam tantopere coluit, vt cùm quotidianis fere ieiunijs corpus attereret; Dei verbum aliquando in oppido Camporegiani quadrageſimali tempore diſſeminans, in quartâ & ſextâ feriâ, nihil præter panem, & aquam deguſtaret (Dominicis exceptis) panis, & vini ieiunio celebraret: Dominico verò die parco, & communi cibo veſcebatur. Deus verò, qui præclaris Euangelizantium potiſſimùm, vitæ exemplis delectatur, piam illam corporis auſteritatem, vberiori animarum fructu compenſabat. Plerumq; etiam quadragenaria Epiphaniæ ieiunia, tam ſeuerâ lege proſequebatur, vt tres ſingulæ hebdomadæ dies, abſq; vllo, præterquam panis, & aquæ cibo, aut potu tranſigeret. Nulla ipſius auſteritati meta præfixa videbatur: quaſi enim nocturnam corpori quietem inuideret, cum eam ad trium, vel quatuor horarum ſpatia extraxiſſet, non in ſtrato iacens, ſed baculo geminis funibus ad cellæ tabulati tigillum alligatis, ſuſtentato inſidens, ne à ſomno caperetur, in aëre ſomnum capere conſueuerat. Denique ea Viri in ſeipſum aſperitas erat, vt nullâ re, præterquàm ſanguine pro Domino, martyrio effuſo exaturari valeret. Martyrij igitur deſiderio flagrans, licentiâ à Pontifice obtentâ, Algerium Ottomanno Principi ſubiectùm proficiſcitur.

Ibi ergò, dum pio operi ſummo ſtudio incumbit, haud facilè referri poteſt, quanta ab infidelibus probra, contumelias, carceres, ſuſtinuerit. Hìc cùm plurimos in Chriſti fide vacillantes confirmâſſet, eo tempore Romam reuerti cogitur, quo Clemens VIII. Pont. Max. bellicam expeditionem ad Strigoniæ vrbis, quæ paulò ante à Turcis occupata fuerat, recuperationem, parans, copias in Hungariam mittit: cui cum ex Capucinorum Ordine non pauci, qui animum, & ſacra in bello militibus miniſtrarent, Apoſtolicâ facultate munitos adiunxiſſet: inter hos & Archangelus connumeratus, cum exercitu in Hungariam proficiſcitur. Nihil Vir pręclarus eo in munere obeundo pij ſtudij, ac officij prætermittit; nihil non laboris exantlat. Nulla, Vir martyrij cupidus, mortis pericula horret. Prior, dextrâ Crucifixi imagine armatâ, intrepidus caſtra præcedit. Primus denique omnium, Crucis vexillum arcis mœnibus infert. At illud mirabile, (quod Turcarum ipſorum teſtimonio confirmatum fuit) dum arx expugnatur, Archangeli facies, ſolis inſtar, ijs adeò ſplendere viſa, vt haud leuem ipſis metum incuteret. Viri huius pietatem, ac ſanctimoniam, pleriſque Deus miraculis teſtatam voluit. Catharina enim quædam Scarpellina, Foroliuienſis, quæ ſpaſmo, phlegmone, ac puſtulis, per vniuerſa corporis membra ſcatentibus laborabat, Crucis ab eo ſigno benedicta, paulò poſt integræ incolumitati reſtituitur. Huius quoque Catharinæ mater, cùm pectoris tumore aggrauata, vix halitum ducere valeret; eodem ab Archangelo Crucis ſigno communita, pulſo tumore, mox in perfectam valetudinem reſpirat. Antonia Scarpellina cùm Archangeli verbis excitata, in graui frugum penuriâ, contra viri voluntatem per ſemeſtre ſororum inopiam ſubleuaſſet, vir per ſingulos dies triticum, & farinam menſurâ explorans, æquam ſemper in his menſuram, perinde, ac ſi nihil ex his detractum eſſet, conſpiciebat: ſemel autem accidit, vt Antonia quandam leguminum menſuram, ex cumulo hauſtam, ſororibus tribueret: quo tempore vir aduentans, cùm eundem leguminum cumulum dimenſus fuiſſet, non tam à priori menſurâ diminutum, quam nouâ auctum inuenit. Quod ſancti huius Viri benedictione, quâ ab exordio tritici, farinæ, & leguminum cumulos proſecutus fuerat, accidiſſe communis omnium ſententia fuit. Eo quoque tempore, quo rerum omnium difficultas in Æmiliâ graſſabatur, cùm Archangeli pater Arimini rei frumentariæ præeſſet, pauperculus quidam, cui

triti-

triticum denegatum fuerat; à patre rediens, dira, & funeſta omnia illi imprecabatur: quem audiens Archangelus, egregiâ charitate flagrans, cùm abeo imprecationis cauſam didiciſſet, mox eum ſequi iubet; rectaq; ad frumentarium patris horreum ducto, cùm ſaccum tritico impleri iuſſiſſet; pretium quoque clam in ore ſacci reponendum curat. Bello igitur felici marte in Hungariâ confecto, cùm Archangelus ab exercitu opimis multorum laborum, ac patientiæ ſpolijs onuſtus in Italiam rediret; cùm primùm in Carinthiam peruenit, morbo correptus, ibi vitæ curſum, quem magnâ cum virtutum laude hactenus proſecutus fuerat, iuſtorum morte conſummauit. Anno 1595.

Fr. MAXIMVS MESSANENSIS, Concionator, cuius patientia in diuturnâ potiſſimùm hecticæ febris ægritudine probata fuit; horâ obitus ſui prænunciatâ, poſt mortem ſorori prægnanti apparens, maſculi partum, abortuſque, cui antea ſubiecta erat, liberationem pollicitus, eam quoque facto præſtat. Obijt 1596.

In Hydruntinâ Prouinciâ Fr. RVFFINVS ROFFARIENSIS, Concionator, cùm perpetuæ virginitatis lilium, vſque ad mortem, inter auſteritatis ſpinas, illæſum ſeruâſſet; vitámq; ſummis in virtutibus, ac potiſſimùm incredibili erga omnes charitate traduxiſſet; mortalem vitam cum immortali commutat: & poſt ſeptem ſepulturæ annos, cæteris partibus corporis exeſis, linguam incorruptam exhibet. Obijt anno 1597.

Fr. AMBROSII MEDIOLANENSIS, PRÆDICATORIS. *VITA, ET GESTA.*

FRATER AMBROSIVS MEDIOLANENSIS, Sacerdos, Vir ſæculo, Deoque illuſtris, communi appellatione Soncinas nuncupatus, ob Soncinatis Marchionatus titulum, quo in ſæculo fruebatur. Aſculani Principis filiâ, ſibi connubio iunctâ, illi poſt aliquot annos lecho ereptâ, vanis ſe paſſim nobilium familiaritatibus, & conuerſationibus ſubtrahens, Diuina animo pertractare, orationi crebriùs incumbere, ſacris intereſſe, pauperum viſcera eleemoſynis refouere, domos hoſpitales inuiſere, ác pijs omnibus operibus inhærere cœpit. Hieroſolymitanam, & Compoſtellanam peregrina-

tionem aggreſſus, in eâ, cùm vberiorem à Deo Euangelicæ perfectionis ſpiritum hauſiſſet, ſæculo tandem valedicens, ſuam ſibi inter Capucinos ſtabilem ſedem eligit. Iam Maximilianus (hoc enim in Baptiſmo nomen ſortitus erat) quadrageſimum ætatis annum exceſſerat, cùm ad Religionis gremium admitti poſtulans, ob prouectiorem ætatem, quæ minus communi Religionis auſteritati, ac labori apta eſt, ab Mediolanenſis Prouinciæ Vicario repulſam patitur; verùm tot is preces ingeminat, tantamq; corporis valetudinem, ac robur præſefert, vt Ordinis tandem gremio, ſub Ambroſij nomine excipiatur. Vbi tanto humilitatis, quæ veræ animi nobilitatis indicium eſt, ſtudio tenetur; vt viliora ſemper domus miniſteria ſibi peragenda quæreret; ac pro ijs humilibus cum cæteris dimicans, diceret: Sinite, Fratres, vt hæc me miniſteria meæ vilitatis admoneant: & qui ſerò ſapui, tardiusq; eorum excellentiam agnoui, nunc ſaltem his animum expleam. Anteactos extra Religionem annos tot lachrymis deplorabat, vt tunc ſe primùm hominem agnouiſſe, cùm Religionis limen attigit, affirmaret. Quapropter nullus illi, quàm qui de Regulâ, ac virtutibus inſtituebatur, ſermo iucundior erat. Quo fiebat, vt vanas confabulationes, aut pretioſi temporis iacturas fugiens, nullo vnquam tempore de humanis rebus ſermones miſcere auditus fuerit. Communi abſtinentiâ, ac ieiunijs non contentus; tametſi ætate grandæuus, frequentiùs ieiunare, & ſolemnem B. P. Franciſci diem, præuio quinque dierum peruigilio, in quibus ſolo pane, & vino veſcebatur, celebrare conſueuerat. Orationi verò tantopere deditus erat, vt rarò poſt Matutinas Horas ab Eccleſiâ recederet. Nihil eo mitius, nihil patientius erat: atque adeò hac virtute præcelluit, vt per Mediolanenſem vrbem aliquando incedens, cùm virum quendam blaſphema in Deum verba proferentem ſceleris arguiſſet; impatiens ille pugno Dei ſeruum oppetierit. Cui mox Ambroſius genuflexus: Alteram (inquit) Frater, etiam maxillam percute, dummodò à blaſphemijs abſtineas. Hac ille tùm humilitate, tùm patientiâ commotus, ſceleris ab eo veniam petit. Hinc verò tam ingenti ipſius animus Martyrij cupiditate ardere cœpit, vt à Clemente VIII. Euangelium infidelibus prędicandi facultatem poſtulauerit: qui cùm Viri virtutem non ignoraret, Apoſtolicâ authoritate munitum, Algerium deſtinat, vt plenario Iubilæo Chriſtianis, qui ibi captiui detinentur, prędicato, pœnitentes à peccatis omnibus abſoluat. Iter Ambroſius aggreditur: Algerium appellit: ibiq; ſummâ omnium lætitiâ à Chriſtianis captiuis exci-

pitur;

pitur; nec minori ab Algerienſi Prorege humanitate ſuſcipitur. Cùm igitur Ambroſius Chriſtianis captiuis ſacrum Iubilæum à Pontifice indultum promulgâſſet; mirum ſanè, quantâ illos diligentiâ, & ſollicitudine curaret, moneret, inſtrueret, ac Diuinis ſermonibus ad pœnitentiam, ad peccatorum confeſſionem, ad tolerantiam, ad Fidei conſtántiam accenderet. Nullus labor durus: nihil tam aſperum, ac moleſtum illi eſſe videbatur, quod ardens ipſius in eos charitas leue, ac iucundum non efficeret. Vacillantes confirmans, lapſos reſtituens, ægrotans confortans, fortes corroborans, atque omnibus paterna viſcera pandens, omnes Chriſto lucrifacere conabatur: nonnullos, qui à Chriſtianâ Fide ad Mahometem deſciuerant, Chriſto reddidit: alios in infidelitate ortos, & enutritos, ſuis hortationibus à Mahometicâ lege abſtractos, ad Euangelium tranſtulit. Dum verò his, atque alijs veræ charitatis officijs, Chriſtianos, ac Turcas proſequitur, in carcerem conijcitur, morte proculdubio mulctandus, niſi populi furorem Prorex ſuâ authoritate compreſſiſſet. Intereà multa in eo carcere incommoda, & contumelias ab Infidelibus paſſus, inde tandem Proregis humanitate eripitur: Ambroſius verò, cùm multis ibi laboribus ad vndecimum vſque menſem perfunctus eſſet; paralyſi inopinatò correptus, diem ibi, maximo Chriſtianorum luctu, ac maiori poſt ſe ſanctimoniæ famâ relictâ, extremum obijt Anno 1601. Quarto verò poſt ipſius obitum anno, cùm huius ſerui Dei oſſa capſulæ incluſa, & obſignata, ſub mercis ſimulatæ titulo, Liburnum, Hetruriæ portum à nautis delata fuiſſent; apertâ capſulâ, tam fragrans inde odor erupit, vt adſtantes vniuerſos in admirationem, ac mentis voluptatem raperet. Intus verò explorata, cùm nihil præter defuncti oſſa conſpicerentur, plumbi lamina perſtabat, his verbis inſcripta:

Hæc ſunt oſſa P. F. Ambroſij Soncinatis Capucini, olim Marchionis Soncini; quæ Mediolanum tranſmiſſa, in Fratrum ſepulchro tumulantur.

***

Fr. ÆGIDII E PORTV S. MARIÆ, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ÆGIDIVS è PORTV S. MARIÆ, Concionator, cùm primùm Capucinorum Religioni nomen dediſſet, varijs virtutum gradibus ad tantam Diuinæ charitatis perfectionem conſcendit, vt ſummâ Martyrij pro Chriſto obeundi cupiditate flagraret; ab Hieronymo à Politio, Ordinis Generali, ſimul cùm alijs tribus Hetruſcæ Prouinciæ Fratribus, infidelium terras adeundi, ijsq; Euangelium prædicandi, facultatem poſtulat. Quâ impetratâ, primùm Hieroſolymam adnauigat: vbi cùm duodeuiginti menſes, in Sancti ſepulchri Sacello, quod Latinorum nuncupatur, ſolitarius, ac perpetuæ orationi, & ieiunio vacans, commoratus fuiſſet; indè Conſtantinopolim profectus, Latinis, & Græcis ſciſmaticis Dei verbum maximâ cum vtilitate prędicat: ac pleriſquead Catholicæ Eccleſiæ ſinum perductis, alios in Fide confirmat. Intereà Ægidius Martyrij deſiderio flagrans, rimas omnes tentabat, quibus aditum ſibi ad illud patefaceret. At cùm multis argumentis à Diuinâ ſe voluntate præpediri intelligeret, in Græciam proficiſcitur: vbi, cùm Grœci idiomatis peritiam haberet, tùm docendo, tùm hortando, tùm Euangelizando, tum Sacramenta adminiſtrando, & prœclaris vitæ exemplis rudem plebem inſtruendo, tantum ſibi apud eos nomen, atque exiſtimationem comparat, vt is totius populi acclamatione Epiſcopus Romæ poſtulatus fuerit; at ille eorum ſtudio fortiter obſiſtens, paulò poſt Romam reuertitur. Valentiam deinde migrat, vt nouam Prouinciam, prœclaris vitæ exemplis extrueret. Quàm verò id egregiè præſtiterit, communis illius Prouinciæ vox, & crebra, quæ poſt ipſius obitum miracula, ad ipſius inuocationem à Deo patrata ſunt, abundè teſtantur. Paucis igitur menſibus Valentiæ commoratus, Segobrigam miſſus, lethali quâdam epiphorâ repentè corripitur: cuius cùm maiori dolore afficeretur, eò magis vocem ad Deum laudandum extollebat: ita vt Chirurgus, qui morbum grauiori inciſione indigere non ignorabat, eam abſque vitæ illius periculo experiri haud poſſe intelligeret; ac proinde inciſionem aggredi formidaret. Ad illum Ægidius:

Scinde, Fili (inquit) ſcinde: quid dolorem reformidas? Hoc paſſionis, & doloris tempus eſt: nihil intempeſtiuum agis, cùm ad dolores vocas. Hoc pacto, qui iam pridem animum martyrio parauerat, cùm apud Infideles eo frui minimè potuiſſet; illud tamen in Religione, dolore, ac patientiâ aſſecutus eſt; biduo enim poſt inciſionem tranſacto, inter Hymnos, & Pſalmos, Deo animam reddidit; atque eodem tempore cuidam eiuſdem vrbis mulieri pietate, ac virtutibus inſigni, apparuit, futuriq; obitus, ac paratæ gloriæ admonuit. Porrò tam celebris de Ægidij ſanctimoniâ in eâ vrbe fama percrebuerat, vt ſolemne illius funus decretum fuerit: quo tempore, populi vicos, per quos funus deducendum erat, virentibus arborum ramis, perinde ac ſi dies ſacer, & ſolemnis eſſet, exornant, habitum in particulas diſcindunt, cingulum obtruncant, & quæcunque quondam illius vſui fuerant, à Fratribus ſummâ contentione poſtulant: quibus varia deinde miracula patrantur. Atque inter alia mulier quædam, quæ iam per aliquot dies partus doloribus tenebatur, vix cannabaceo ſe Ægidij cingulo præcinxit; cùm ſalua fœtum emittit. Idem & alteri Coloniæ Liriæ contigit. Hilarion Valentinus, Sacerdos; cùm ipſius oſſis fragmento, genu abſceſſu tumidum contigiſſet, eo repentè contactu perſanatur. Beatrix Beneta Sigobrigenſis vidua, eodem oſſis fragmento ab apoſtemate curatur. Fr. Marcus de Albaros, ex noſtris Laicus, cùm alterum brachium ita languidum gereret, vt nec illud mouere, nec manum perſtringere valeret, quoddam Ægidij os ſibi adhibens, brachij mox incolumitate fruitur. Alter ex noſtris Gregorius à Bratiâ, qui graui capitis morbo laborabat, ter hoc oſſe ſignatus, à cephalalgiâ liber, incolumitatem aſſequitur. Plerique alij tùm cinguli, tùm ipſius oſſium contactu, à varijs morbis liberati referuntur. Obijt Anno 1603.

Fr. IOANNES ALARCONIVS, Cathaloniæ Prouinciæ Concionator, cùm vtramque, & Valentiæ, & Arragoniæ Prouinciam ſuâ prudentiâ fundâſſet, illuſtriſſimisque virtutum exemplis vitæ ſuæ in Religione curſum illuſtrâſſet, die ſui obitus prædictâ, nonnulliſque prophetico ſpiritu, quæ accidêre, prænunciatis, Barcinone in Conuentu Montis Caluariæ, magnâ cum ſanctimoniæ famâ obit, & populi frequentiâ poſt mortem honoratur. Cuius corpus poſt ſecundum ſepulturæ annum integrum, atq; incorruptum in ſepulchro reperitur.

Obijt Anno 1603.

Fr. MICHAELIS PERPINIANENSIS, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRater Michael Perpinianensis, Concionator, Vir omnium virtutum numeris abſolutus, ex Perpinianenſis Eccleſiæ Canonicatu, quo in munere tam preclarè ſe geſſerat, vt magnam ſibi apud omnes vitæ ſuæ integritate, ac probitate haud vulgaris virtutis famam comparâſſet; ad Capucinorum à Deo inſtitutum vocatus, prioris vitæ laudem ſummâ poſterioris gloriâ accumulauit. Quicquid enim virtutis ad perfecti, & Euangelici hominis conſtitutionem neceſſarium excogitari poterat, id totum in Michaëlis vitâ, moribus, conuerſatione intueri licebat. Simplex animus, humilis, rectus, à vitio abhorrens: mens patientiæ dono imperturbata paupertatis cupida, obedientiæ amica; tamq; integra honeſtatis, ac pudicitiæ cuſtos; vt perpetuum illi virginitatis florem illibatum ſeruauerit: ſolitudinis incola, perpetuæ orationis ſtudioſa; ſenſuum preterea moderatio, morum compoſitio, Regularis diſciplina, feruens charitatis ardor, incenſum denique virtutis ſtudium ita Michaëlis vitam exornabant; vt de eo Ioannes Alarconius aliquando haud immeritò pronunciauerit; in Michaële perfectum B. P. N. Franciſci ſimulachrum elucere. Hinc illuſtriora in eum Dei dona effluxêre, quibus prophetico ſe ſpiritu Diuinitus imbutum oſtendit. Cùm igitur Perpinianenſem vrbem, tum ſacro Dei verbo, tum etiam præclaris vitæ exemplis perfunderet, quibus haud vulgare apud omnes ſibi ſanctimoniæ nomen conciliauerat; pleuritide correptus, ingenti quidem totius vrbis luctu; at maiori Angelorum gaudio ad immortales migrat. Mox agminatim turbæ confluere, defuncti corpus venerari, habitum præſcindere, barbam, capilloſque tondere, vniuerſaq; ſibi in Reliquias, perinde ac ſi iam in Beatorum album inuectus eſſet; Fratribus tamen reluctantibus, reponere: quibus nonnulla deinde miracula patrata. Denique ſacris Officijs ab Epiſcopo, & Canonicis vltrò illi perſolutis, cùm triduo corpus inhumatum iacuiſſet; nullum tamen tetrum odorem ex ſe reddidit: quin etiam ipſius ſtrophiolum, quod à Guilelmo quodam Iuriſperito aſſeruatur, ſuauem odorem effundit. Poſt Michaëlis

obitum

obitum, Seraphina Capucinarum Monialium apud Barcinonenſes Fundatrix,notæ apud omnes ſanctimoniæ virgo, Diuinâ, (vt putatur:) reuelatione haud ſemel aſſeruit, Michaëlis animam, ſimul atque è corpore ſoluta fuit, ab Angelis ſuſceptam, & in Cœlum deuectam fuiſſe; &, vt illius verbis vtar, è lecto in Cœlum conſcendiſſe. Anna Dominica, tertij Ordinis B. P. Franciſci, & ipſa apud Barcinonenſes ſanctimoniâ celebris, Diuinâ ſe reuelatione accepiſſe affirmauit, Michaëlem ingenti in Cœlo apud Deum gloriâ frui. Franciſca Bodelta, Perpinianenſis vidua, falſo crimine ſibi ab æmulis impoſito, tam acerbè affligebatur; vt cùm nullam ſecum animo pacem inire poſſet, perpetuis accuſatores odijs proſequi decreuiſſet, cùm nocte quadam Michaëlem, qui olim illi, dum Canonicus eſſet, à Confeſſionibus fuerat, nube lucidâ circumſeptum, ſibi præſentem cernit: qui cùm eam ſeueriùs reprehendiſſet, his eam, inter alia, verbis affatur: Reuoca gradum, filia, cœptumque perditionis iter deſere: Chriſti veſtigijs inſiſte: detractoribus ex animo ignoſce; ijsque omnia dilectionis ſigna impende: his enim Deum promereberis, huiusq; mecum gloriæ particeps eris. Hæc dicens, ſinum aperit, fulgurantisq; gloriæ radium emittens, Franciſcam animo mutatam, accuſatoribusq; placatam, ac demum Cœleſtis illi gloriæ conſpectu recreatam relinquit. Præter hos, Coſmę Perpinianenſis filia, ad Medicorum vſque deſperationem ægrotans, cùm Michaëlis, quem cum Deo regnantem ſibi perſuaſerat, ſuffragia ſibi ad ſalutem inuocâſſet, eundem ſibi apparentem, incolumitatemq; ſibi pollicentem cernit; quam, morbo illicò miteſcente, paulò poſt perfectam aſſequitur. Anna quoque eiuſdem Coſmæ filia, Ludouici Conſtantis vxor, cùm deſperatâ à Medicis valetudine ægrotaret, Michaëlem, qui nuper vitâ functus fuerat, piè inuocans, illum ſibi à dextris adſtantem conſpicit; moxq; à morbo reſpirare viſa, paruo dierum interuallo, perfectè conualeſcit. Ignatij Prat Burges vxor, cùm habitus Michaëlis particulam, quam ſibi poſt ipſius obitum præciſam repoſuerat, mulieri, ad vitæ vſque deſperationem ægrotanti, impoſuiſſet, eâ tam repentè conualuit, vt Diuinâ id virtute, ſancti huius Viri meritis impetratâ, actum, apud omnes certum fuerit. Raphaëlis Regnas, Medici Perpinianenſis frater, lapidis ictu vulneratus, haud ſine vitæ diſcrimine in lecto iacebat: at cùm primùm Michaëlis cingulum ſibi adhiberet, facilè curationem adipiſcitur. Tertiò denique poſt Michaëlis obitum anno, cùm ipſum corpus, quod in communi Fratrum ſepulchro conditum fuerat,

exploratum fuiſſet; tam incorruptum, ac ſolidum cernitur, vt caro illius digito compreſſa ad priorem locum rediret: femoralia quoq; tam integra, vt nullâ vi dilacerari poſſent, reperta. Obijt Vir Sanctus Anno 1604.

Fr. FABIANI CENTELLENSIS, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER FABIANVS à CENTELLAS, Cathaloniæ oppido, Concionator, vitæ auſteritate, obedientiâ, oratione, ac præſertim animarum zelo fuit inſignis; qui cùm à ſæculo ad Religionem ab omni carnis labe purus emigrâſſet, purior à Religione ad ſuperos euaſit. Vini dolium, quod Sigiſmundo Ribotto in vappam degenerauerat; cùm is abſtemius eſſet, ſuâ oratione optimum præſtitit; atque in eâdem Ribotti domo iuuenculæ, quæ per annum febre laborauerat, nomine illi IESV collato, futuram incolumitatem prædicit. Alteri mulieri, Prat nomine, quæ diu ſterilis, cum viro vitam duxerat, maſculam prolem prænunciat. Denique rerum omnium egenus, ac virtutibus diues, in Conuentu Vagnolij, extremum Deo ſpiritum reddit, Anno 1604.

Piceni Prouincia Fr. BONAVENTVRAM, in Nurſiâ Concionatorem, præclaræ virtutis, ac præſertim honeſtatis virum celebrat: qui intentatum bis ſuæ caſtitati à mulieribus prælium, gemino inde reuecto triumpho, ſtrenuè deuicit; cæterisq; in Religionis ſtadio agonibus fœliciter conſummatis, tandem ad coronam peruenit, Anno 1607.

Fr. VRBANVS FRENTANENSIS, Hydruntinæ Prouinciæ Concionator, tanti apud Deum meriti fuit, vt in Conuentu Brunduſij, moribundum Fratrem ad vitam, & incolumitatem reuocauerit. Huius mors ob Viri ſanctimoniam, magnâ Aletini frequentiâ celebrata fuit. Obijt Anno 1607.

Fr. MICHAË-

Fr. MICHAELIS ANGELI BADENSIS, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

Frater Michael Angelvs Badensis, Concionator, cùm totius Regularis obſeruantiæ, humilitatis, paupertatis, ac præſertim charitatis exemplar præſeferret; quo tempore in Conuentu Enſen moras trahebat, leproſis miniſtrare, cunctaque illis pietatis officia pręſtare ſolitus erat: tanto verò erga Virginem Deiparam amore afficiebatur, vt cùm ſæpè de illâ ſermonem ad populum haberet; accidit aliquando, vt puella, quæ infirmâ valetudine languens concioni intererat, eâ auditâ; protinus conualeſceret. Mulier quoque Suittenſis, quæ tam graui tibiarum morbo per annum laborauerat, vt neque incedere, neque ſtare valeret; ipſius benedictione, quam ardentius optauerat, potita, ſtatim inceſſum recepit; ac tandem perfectam incolumitatem aſſequitur.. Hoc porrò anno, cùm ſæua lues Suittenſe oppidum inuaſiſſet, Vir hic charitate ardens, impetratâ à ſuperiore facultate, vltrò ſe peſte laborantium miniſterio mancipat: quos dum omnibus charitatis officijs proſequitur, eâdem ipſe lue infectus, ægrotare cœpit: quo tempore, cum eum oppidi Parochus iacentem inuiſeret, his illum Michaël Angelus verbis affatur: En, Kirabach (hoc enim nomine appellabatur Parochus) en ego iam ad extremam vitæ metam perueni, breuisq; mihi reſtat via: prior quidem præcedo; at tu breui tempore poſterior ſequeris. Plurima tibi in morte cum tartareis hoſtibus colluctatio erit: at ne animum deſpondeas, aderit tibi B. P. Franciſcus, cuius tu hactenus Ordinem deuotione proſecutus es: aderit & B. Clara, vt victoriam de hoſtibus referas. Suittenſem populum, ſerius admone, vt quiſque ſe ad Domini aduentum præparet; lues enim proficiet, multoſque hinc letho abripiet. His dictis cum per quadraginta horarum ſpatium immotos oculos in Crucifixi imaginem, quam præſentem habebat fixiſſet, lætus tandem ad Dominum migrat; cunctaq; ad amuſſim, vti prædixerat, eueniunt. Obijt Vir Dei Anno 1609.

Fr. SYLVERII MESSANENSIS PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER SYLVERIVS MESSANENSIS, Prædicator, omni virtutum genere ornatiſſimus, cùm non verborum tantummodò; ſed & illuſtrium factorum prædicatione in Regno cœlorum magnus euaſiſſet; tantam ſibi apud Deum gratiam comparauerat, vt Deo ipſius vitæ ſanctimoniam ſignis, ac virtutibus conteſtante, ijs etiam apud homines illuſtris fieret. Eius tamen ampliora geſta deſiderantur, quæ vel temporis edacitate, vel ſcriptorum negligentiâ periêrunt. Inter ea autem, quæ ad nos huius viri miracula peruenêre; primum Paſchalis cuiuſdam adnumeratur, qui cùm in oppido Turturicij, tam graui in crure carcinomate laboraret, vt ne altius ſerperet, iam inter Chirurgos de crure ſecando ageretur. Ad quem Syluerius accedens, cùm æger; ſolutis faſcijs, quibus crus inuoluebatur, illud aperuiſſet; Mox Syluerius: Quid, Paſchalis, (ait,) tantoperè affligaris? nullus eſt in crure morbus. Cumq; hoc ipſo tempore ipſius manum apprehendiſſet, è lecto exilire compulit: moxq; cancro Diuinâ virtute curato, crus incolume apparuit. Rursùs, idem Paſchalis, dum agrum aratro findit, vomer caſu in idem crus delatum, illud totâ fere pelle expoliat: quo ex vulnere cùm humi dolore oppreſſus iaceret, hoc ipſo tempore Syluerius eò fortuitò aduentat; qui ſaucium Paſchalis crus contuens, bono animo eſſe iubet, ſpemq; omnem in Deo collocare: cumque lineo panno crus attigiſſet, abſcedens Deum prò illo ſe rogaturum ſpondet. Paſchalis verò domum reuerſus, cùm veſpere crus curaturus tegumen ſoluiſſet, illud integrè perſanatum offendit. Poſt hæc accidit, vt huius Paſchalis filius infantulus herniâ laboraret; quem cùm pater Syluerio ſanandum obtuliſſet, is Paſchali: Quid? (inquit) num Sanctus ego ſum, vt ægris ſalutem conferam? Tum S. Petri Apoſtoli imaginem, quæ domus parieti affixa erat, indigitans: En (ait) S. Petrus; illum ad tui filij ſalutem inuoca. Atque his dictis abſceſſit: Infantulus verò eodem die ab herniâ incolumis euaſit. Turturicij puella, quæ ex graui ægritudine oculorum cœcitatem contraxerat, eidem à parentibus curanda oblata fuit. Quibus ille:

B. Luciæ (inquit) hoc munus eſt, non meum, cœcis oculorum lumen præſtare; quapropter ad eam potiùs confugite. Vix hæc protulerat, cùm cœcæ puellæ lumen reſtitutum fuit. Ibidem cùm Syluerius ad lanarum mendicationem iter faceret, adoleſcentem gregis cuſtodem offendit; qui ob mutilum crus, iam à multis annis claudicabat: cuius is miſeratus, cùm adoleſcentis in diuinæ benignitatis ſpem animum erigeret, quâ fortè aliquando à claudicatione liberaretur; inter hæc vultum ad montem conuerſus: Cernis (inquit) capram per deuia errantem: feſtina, vt eam ad gregem reducas. Protinùs exiliens adoleſcens recto crure ad capram aduolat; ac deinceps ex claudo rectus efficitur. Pleraque, præter hæc, alia ab eo ſigna patrata fuiſſe, conſtans horum temporum fama fuit. Quo factum eſt, vt haud alio, in oppido Turturicij, præterquam Thaumaturgi nomine appellaretur: qui cùm è Meſſanenſi Prouinciâ aliquando ad ſacram Lauretanam Ædem, religionis causâ, proficiſceretur, Neapoli in morbum incidit; ac ſui obitus die prænunciato, magnâ cùm ſanctimoniæ famâ vitæ curſum abſoluit, Anno 1609.

Fr. CHERVBINI MAVRIANENSIS, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER CHERVBINVS MAVRIANENSIS, Concionator, Vir manſuetiſſimus fuit, præſtantiori ingenio, ac præclaris naturæ dotibus ornatus; cui cùm & cætera virtutum ornamenta accederent, maximè ardentiſſimo catholicæ fidei zelo efferbuit: quo factum eſt, vt cùm prædicatione plurimùm excelleret, quo tempore Henricus IV. Nauarrçorum Rex, etiamnum Hæreticus, Galliæ regnum affectabat, inuictâ fidei conſtantiâ, omnia vitæ pericula contemnens, populos ab illius obedientiâ reuocabat. Hoc fidei catholicę æſtu, cùm ad Geneuenſium Hęreticorum conuerſionem adſpiraret, ibi Chablaſij Ducatus populos, magnâ ex parte à catholicâ veritate aberrantes, prędicatione & doctrinâ; præſertim verò quadraginta horarum oratione, ad orthodoxam fidem perduxit. Generale Iubilęum ab Apoſtolicâ Sede obtinuit, trium menſium ſpatio productum: quo tempore prædicatione, diſputatione, ac priuatis colloquijs tot hęreticâ tabe infectos Eccleſiæ

gremio reſtituit, vt Genuenſis vrbs ſe ſuis incolis viduari extimeſceret. Eo denique authore, ſacra beatæ Virginis Domus pro hæreticorum conuerſione, honeſtis redditibus dotata, Tononij inſtituta fuit: quemadmodum in Annalibus Capucinorum Anno 1601. fuſiùs explicatur. Denique multis pro catholicâ fide tuendâ, ac propagandâ piè laboribus perfunctus, in Taurinenſi Conuentu magnâ cum pietatis laude in Domino obdormiuit. Præclari huius Viri merita, nonnullis Deus poſt mortem miraculis illuſtrare voluit. In primis Laicus quidam ex noſtris, Donatus nomine, podagræ morbo iam à complurimis annis afflictatus, cùm nouem dierum ſpatio ad illius ſepulchrum ex voto acceſſiſſet, tàm integrè à morbo curatus fuit, vt eo deinceps nunquam vexatus fuerit. Taurini, mulier, quæ vniuerſali morbo ſex menſium ſpatio ita laborauerat, vt è lecto dimoueri nullo modo poſſet; ſancti Viri habitus particulâ collo appensâ, poſtridie à morbo libera, & incolumis è ſtrato ſurgit: atque idem viro cuidam ægroto in eâdem vrbe contigit; cuius cùm iam ſalus deſperata eſſet, eodem modo, poſterâ die integram incolumitatem aſſequitur. In oppido Vuarij; Aſtenſis Diœceſis, puella quædam graui, ac diuturnâ odontalgiâ afflicta, cùm dentes ſibi ipſius habitus ſegmine contigiſſet, ab eâ protinùs liberata fuit. Altera quoque in oppido Leuarienſi, quæ circa genam morbo laborabat, ipſius habitus contactu conualuit. Huius ſancti Viri corpus cùm poſt decimum ſepulturæ annum, integrum, ac incorruptum repertum fuiſſet, illuſtriorem eum apud Deum coronam aſſecutum fuiſſe declarat. Obijt Vir Dei Anno 1609.

Fr. ARCHANCELVS AB AVLETA, Concionator, prophetico ſpiritu nonnulla prædixit, obitusq; ſui horâ præſignificatâ, cum virtute & ſanctimoniâ clarus, vitam cum morte commutâſſet, eâdem horâ Fr. Vitali à Grumento nouo, Sacerdoti, Cœleſti gloriâ ornatus apparet, Anno 1609.

***

Fr. Marcelli Cvrensis, Prædicatoris.

Vita, et Geſta.

Frater Marcellvs Cvrensis, Concionator, pios parentes ſortitus, præclara ab ineunte ætate pietatis præludia iecit: pueri ſiquidem animo, tam vehemens inſita fuit à Deo Chriſti Paſſionum cupiditas, vt in tenellâ ætate, cùm ad quietem accederet, ſæpè mollem culcitram cum nudâ humo commutaret, interdum minutos lapillos inter lintea ſpargeret; vrticarum quoque perſæpe manipulo nudos humeros verberaret. Hic verò dura omnia pro Chriſto patiendi æſtus, ſimulatque is Religionis gremio exceptus fuit, in eo tantopere incaluit, vt huc omnem cogitationem intendiſſe videretur, quò vniuerſa corporis commoda perſequeretur. Paupertas namque tam altè Marcelli animo infixa fuit, vt ad extremas paupertatis metas rerum ſibi vſum contraheret, & præter ea, quæ Regulæ pręſcripto Fratribus conceduntur, nihil prorſus ſibi vendicandum vellet. Carnem verò tam rigidâ abſtinentiæ lege coërcuit, vt decem & octo annorum ſpatio, ſolo pane, & aquâ contentus victitauerit: quo tempore panem, qui alijs ſupererat, arctum ad pondus; aquam quoque ad menſuram breuem ſibi adhiſiere conſueuit: Nonnunquam verò biduo, ac triduo à cibo abſtinebat. Breuiſſimo, quoad vixit ſomno, haud vltra tres horas producto, vſus fuit: neue in tam breui illo quietis ſpatio, corpus aliquâ voluptate frueretur, nudæ tabulæ lectum, ac ligni ſegmen, ſeu fœniculi faſciculus illi puluillum miniſtrabant. Corpus denique cùm tam diris verberibus cæderet, vt vicies Pſalmum: Miſerere, illud cædendo recitaret; ne minimùm quidem, cùm brumale frigus vrgeret, igne calefieri vnquam paſſus fuit. His cùm Marcellus caſtigationibus exteriorem hominem corrumperet, interior mirum in modum ſpiritu renouabatur: mira ſiquidem in eo obedientia; mira humilitas; mira manſuetudo; mira rerum aduerſarum tolerantia; mira morum honeſtas; mira denique in omnes charitas elucere cœpit; ita vt Euangelicę perfectionis, ac Regularis obſeruantiæ forma omnibus fieret. Orationis verò ſtudium illi tam aſſiduum, ac familiare fuit, vt cùm noctem ferè totam in rerum

Diuinarum meditatioe inſumeret; iugiter interdiu Dei præſentiâ frueretur. Quo fiebat, vt facilè de Dęmonum tentationibus triumpharet. Hinc, cùm ardentes aliquando immundus ſpiritus in eo libidinis faces accendiſſet; in oratione ad B. Virginem confugiens, tot eam lachrymis, ad ſui pręſidium compulit, vt non modò eam tunc tentationem deuicerit; verùm ab omni deinceps carnis ſtimulo, ipſius dono, liber fuerit. Ardentiſſimè Dei verbum prędicans, copioſiſſima animarum lucra, Deo referre conſueuerat: quo tempore, nonnulla Dei virtute ab eo miracula patrata leguntur: Cùm enim in Canepinæ oppido Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret, Parochi fratria, Maria nomine, quæ graui capitis dolore torquebatur, cùm apprehenſam Marcelli manum ſibi capiti impoſuiſſet, repentè à dolore liberata fuit. Rursùm, cùm in Somnini oppido Dei verbum euangelizaret, Sebaſtiani Doctoris filius, octo annorum puer, extremo agone cum morte colluctabatur; quo tempore à Patre, Marcelli precibus commendatur: qui cùm Sebaſtianum de futurâ pueri ſalute certiorem feciſſet, eraſum ex B. P. Franciſci ligno puluerem aquæ mixtum, puero potandum præbet: qui ſimul atque puluerem cum aquâ hauſit, protinus in vitam reſpirauit. Alia quoque eum ſigna patrâſſe communi famâ peruulgatum. Hoc in Somnini oppido cùm Marcellus ægrotare cœpiſſet, Pipernum proficiſcitur; vbi morbo ingraueſcente, plurimâ cum ſanctimoniæ famâ, Feriâ quintâ maioris Hebdomadæ diem extremum clauſit. Ipſius corpus poſt obitum molle, tenerum, tractabile; vultusq; colore reſperſus conſpicitur: quamobrem magnâ populi frequentiâ illius funus celebratum fuit; atque ipſius habitus, cingulum, caputium in fruſta præ ſanctitatis opinione conciſa. Poſt tertium, & quartum ſepulturæ menſem, eiuſdem corpus, etiamnum in ſepulchro incorruptum, ſuauiſſimum odorem efflat, ac nonnullis miraculis coruſcat. Nam hoc ipſo anno, Fr. Bergomas, Sacerdos Romanæ Prouinciæ, cùm Romæ febri, ac tam graui cardialgiâ cruciaretur, vt extremum ſibi adeſſe diem exiſtimaret; panni ſegmen, quo Marcellus viuens vſus fuerat, ſibi ad cordis regionem adhibens, non modò ab vehementi illâ cordis paſſione, verùm & à febri confeſtim perſanatur. Atque hoc ipſo tempore Monialis quædam Piperni, fiſtulâ incurabili, quâ eius facies deturpabatur, laborans cùm habitus garticulâ fiſtulam contigiſſet, protinus ab eâ curata fuit. Romæ, Dominicus quidam, totius corporis doloribus ita affectus, vt membrorum ferè omnium vſu deſtitutus eſſet; cùm

habitus

habitus Marcelli ſegmentum aquæ immerſiſſet, eâque aquâ malè affectus, corporis partes lauiſſet, extemplò dolores omnes fugatos ſenſit: ſed cùm ex diuturnâ corporis ægritudine, ita imbecillis eſſet, vt progredi nullo modo poſſet; eâdem aquâ pedes, crura, femora, ac cætera corporis membra iterum abluens, tam firmum corporis robur, ac valetudinem aſſequitur, quaſi nullo vnquam tempore ægrotâſſet: & quod miraculum auget, ab herniâ prætereà, quâ laborabat, perſanatur. Eandem habitus particulam, mulier, quæ acutis partus doloribus, per multos dies cruciari ſolebat, ſibi in partu adhibens, abſque dolore fœtum emittit. Altera quoque parturiens, cùm ſacrum nummum, quem Marcellus olim Corollæ appenſum gerebat, ſibi collo appendiſſet, à partus doloribus liberatur. Obijt Vir Sanctus Anno 1610.

Fr. MICHAELIS ANGELI VENETI, PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER MICHAEL ANGELVS, Venetus, Concionator, cùm clariſſimis vitæ exemplis, Euangelicæ Prædicationis donum, quo egregiè præſtabat, exornaret, hinc tantam in dicendo vim, diuinitus ſibi inditam acceperat; vt vbicunque Dei verbum diſſeminaret, nouus Apoſtolus cenſeretur. Etenim tam mirâ erga animas Chriſti ſanguine redemptas charitate afficiebatur, vt cùm nunquam abſque vbere lachrymarum copiâ ad prædicationem accederet, ex eâ immenſa ſemper animarum lucra referret, ac lachrymarum filios pareret. Præclariores hic Italiæ Vrbes Apoſtolico ſpiritu percurrens, quo copioſiorem ex his meſſem colligeret, ſpirituales quaſdam virtutum exercitationes ſcriptis edere conſueuerat, quas myrrhæ faſciculos appellabat. Tam eximius Deiparæ cultor fuit; vt cùm vbique populos ad illius venerationem compelleret, Romæ, in Eccleſiâ S. Laurentij in Damaſo Dei verbum quadrageſimali tempore prędicans, puritatis beatæ Virginis in eâ Sodalitatem inſtituerit, ac Regulam pręſtituerit: quapropter ab eâ quoque, cùm formicario aliquando morbo correptus fuiſſet, incolumitatem tulit. Huic Fr. Dominicus Coſta, Vir in eâ Prouinciâ probatæ virtutis, nuper defunctus apparuit: à quo cùm is tria

percunctatus eſſet; primum, in quo ille ſtatu verſaretur: ſecundum, qualem Religio apud Deum gradum obtineret: poſtremum, nùm ex Capucinis aliqui ad inferos damnarentur. Is ſingulis reſpondens ait: Primò, ſe meliorem vitæ ſtatum expetere non poſſe: ſecundò, Religionem hactenus optimo apud Deum gradu frui: tertiò, ex ſuperioribus nonnullos idcircò ad orcum damnari, quod nullâ in ſibi ſubditos charitate, ac compaſſione ferantur. Ex ſubditis quoque aliquos, ob eorum in Superiores murmurationes, ac detractiones Cœleſti regno excludi. Propheticæ eum lucis dono haud caruiſſe, hoc aliquando exemplo non obſcurè manifeſtum fuit. In Venetiarum Conuentu, Fr. Alexander Venetus, Sacerdos, deſperatâ à Medicis ſalute, continuâ, ac malignâ febri laborabat: quo tempore ad eum Michael Angelus viſitationis causâ accedens; vbi illum ad Beatiſſimæ Virginis cultum, ac venerationem prouocauit; ab eo, nùm ex eâ ægritudine conualeſcere optaret, percunctatur: qui cùm ſuo illi deſiderio annueret: Iam (inquit) bono animo eſto: proximus dies Beatiſſimæ Virginis Aſſumptioni ſacer, te incolumem reddet. Dictum certo rei exitu confirmatum fuit. Denique, cùm multos in Domini vineâ excolendâ labores exantlâſſet; Venetijs inter Beatiſſimæ Virg. hymnos, Deo ſpiritum reddens, ad præmia euolat Anno 1612. Huius Viri ſanctimonia à Deo poſt illius obitum miraculo illuſtrata fuit: cùm enim in oppido Roboreti, cuiuſdam Ordinis noſtri benefactoris filius, animam ageret; pater audito Michaëlis Angeli, quem ob vitæ ſanctimoniam Cœleſti gloriâ donatum ſibi perſuaſerat, obitu, eius ad filij ſalutem merita implorans, ſe ipſius ſepulchrum veneraturum pollicetur. Vixque votum emiſerat, cùm moribundus ad vitam reſpirat, & integram incolumitatem conſequitur.

***

Fr. IOANNIS A FANO PRÆDICATORIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER Ioannes à Fano, Concionator, Vir admirabili ſanctimoniâ præditus: cui cùm nulla ad Apoſtolicum Virum numeris omnibus abſolutum efformandum, virtus deeſſe putaretur; illa tamen in eo potiſſimùm elucebat, quæ cùm omnium virtutum corona ſit, cæteris lucem, ac formam præſtat. Hæc nimirum Diuina charitas eſt, cuius tanto intus ardore flagrabat, vt cùm de Diuino amore, aut cœleſti Beatorum gloriâ aliquid audiret, mox in ingentes oris clamores erumperet: à quibus cùm abſtinere non poſſet, interdum etiam in animi deliquium laberetur. Frequentes, noctu præſertim, quas interdum integras in oratione ducebat, cùm mentis exceſſus pateretur; in his aliquando toto corpore in aëra efferri viſus eſt. In Conuentu Chinonenſi Annò 1607. cùm in menſâ liber legeretur, in quo de Regum adoratione, ac puero Ieſu mentio fiebat, tot in Cœlum clamores efferre cœpit, vt his Fratres perterrefecerent. Quapropter Guardianus illum ad ſe vocatum interrogat; cur tam ingentes illos clamores edat? Cui ille ſaltitando his vocibus reſpondit: O amor, ô amor, ô amor! Hiſque dictis, protinùs humi corruens in ecſtaſim dilabitur. Tantâ erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum veneratione afficiebatur, vt cùm Deo ſacrum Miſſæ Sacrificium offerret, corde palpitans, totus in tremorem ſolueretur. Horrendam aliquando tempeſtatem, quæ frugibus deuaſtationem minabatur, vi ſuæ orationis diſſoluit. Noſtro cuidam Theologiæ candidato, qui tam tenui oculorum luce fruebatur, vt vix etiam adhibitis ocularibus legere valeret, tàm perfectam ſuâ oratione lucem reddidit, vt deinceps abſque ocularibus libros percurreret. Denique apud omnes vitæ ſanctimoniâ clarus, in Pariſienſi Conuentu ad Cœleſtia migrat. Eius ſanctimoniæ argumentum illud poſt mortem extitit; quod cùm Fr. Anſelmus Pariſienſis, hydropiſi laborans, eius impenſiùs ſibi è Cœlo opem implorâſſet, poſt ipſius inuocationem leui ſomno correptus, cùm primùm ab eo experrectus fuit, perfectè incolumem ſenſit. Obijt Vir Dei 1612.

Fr. VITALIS, MEDIOLANENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER VITALIS MEDIOLANENSIS, eiuſdem Prouinciæ Sacerdos, patientiâ, ac virtute clarus. Hic pluribus annis inter ipſos podagrici morbi dolores, qui adeò acuti, atque acres eſſe ſolent, vt homines ſæpè in eiulatus, ac clamores compellant; ita naturæ ſenſum cohibuit, eamque animi temperantiam in ſummis illis morbi aculeis retinuit, vt nullas vnquam querimoniæ voces effunderet: ſed Diuinam tantummodò Maieſtatem ſibi clementem, ac propitiam exoraret. Tandem diuturno languore à Domino probatus, in quo cœleſtes ſibi virtutum opes comparauit, cùm extremum magnâ cum ſanctimoniæ laude, Mediolani in Conuentu ſancti Victoris diem obijſſet, in ipsâ ſui obitus horâ, ſplendor è cellæ tecto conſurgere, atque in Cœlum conſcendere à quàm plurimis viſus fuit. Atque eodem tempore; cùm Fr. quidam, Paulinus nomine, in eodem Conuentu, ita à Dæmone tentaretur, vt nullis eouſque, nec Fratrum monitis, neque ſuperiorum præceptis adduci potuiſſet, vt peccata ſua Sacerdoti confiteretur; pulſo ipſius ſuffragijs Dæmone, tantâ animi contritione, hoc ipſo temporis momento, ad Pœnitentiæ Sacramentum acceſſit, vt id nullius, præterquàm huius ſancti Viri, meritis vniuerſi adſcribendum putauerint. Obijt Anno 1581.

Fr. RAYNERII BITVRGIENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER RAYNERIVS BITVRGIENSIS, Sacerdos, Picentis Prouinciæ, vitam duxit tot virtutum floribus exornatam, vt rectè hortulus Domini nuncupari poſſit. In eo ſiquidem pallens paupertatis viola ſuauiſſimè olebat; hîc & amaranthus propriâ abnegatione purpureus; hîc candens caſtitatis lilium, arctiſſimis panis, & aquæ ieiunijs, quotidianis corporis flagellationibus, prolixis noctis vigilijs, atque alijs carnis macerationibus, velut ſpinis obſitum, à labe purum cuſtodiebatur. Hîc quoque cæruleus orationis, & Diuinæ contemplationis hyacinthus, ſuos in ſolitudine tum nocte ad quintam, vel ſextam ſæpe horam, tum die, in quo vacuum ab oratione tempus ſibi eſſe non patiebatur, odores ſpargebat, conſpiciebatur. Hîc quoque candidus Angelicæ cuiuſdam puritatis narciſſus, quæ in ipſius vitæ innocentiâ, ac morum honeſtate, tam præclarè elucebat, vt cùm in eo Fratres nihil vnquam, aut culpandum, aut minùs virtute dignum deprahenderent, eum inter perfectiores, ac ſanctimoniâ illuſtres viros, qui hâc tempeſtate floruerunt, proculdubio recenſerent. Poſtremò, his eminebat rubens quædam charitatis roſa, quæ eum ſuâ fragrantiâ ad omnia charitatis officia impellebat, eoque tandem perfectionis adduxit, vt voluntariam pro eâ ſibi necem elegerit: id enim in M. S. Ordinis monumentis ita accidiſſe legitur. Cùm Raynerius Æſio ad oppidum, quod vulgò Rocca Contrada nuncupatur, profectus eſſet; ibi Baldum quendam mercatorem, virum cumprimis erga Capucinos beneuolum, grauiſſima dyſenteriâ ægrotantem offendit; qui cùm vitâ iam deſperatâ, ob id maximè conquereretur, quod imparatum, ac bonorum operum inopiâ laborantem, importuna mors interciperet, is, vbi ſuauibus ægrum verbis conſolatus eſt, atque in Diuinæ miſericordiæ ſpem illius animum erexit; cùm eum minùs ad extremum vitæ occaſum diſpoſitum cerneret, vberiore charitate incenſus, his illum verbis affatur: Balde, quandoquidem te inopinata, mors terret, ampliorem que ad ſupremum illum Diuini iudicij

diem bonorum cumulum tibi longiori vitâ comparandum optas; id ego, ſi tu ipſe annueris, efficiam, vt precibus Deo oblatis, necem, quæ te hinc eripere parat, mihi ipſi, ob tui in noſtros beneuolentiam impetrem: tu verò ad longiorem vitæ lineam ſerueris; quo cœleſtes tibi opes vendicare valeas. Aſſenſit vir vitæ, & incolumitatis cupidus: Raynerus verò Ætium reuerſus, cùm ardentius Dominum pro ægroti vitâ exorans, ſuam vltrò illi in ſacrificium obtuliſſet; Baldus quidem breui ab ægritudine conualuit: is verò Baldi dyſenteriâ hoc ipſo tempore correptus, pro charitate paulò poſt animam fudit, ſuamq; vitam alterius bono poſtponens, ſupremum illud in morte charitatis teſtimonium prodidit, quo nullum maius excogitari poſſe, Saluator in Euangelio his verbis teſtatus eſt. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Obijt Anno. 1581.

Fr. ANTONII A LOTITO, SACERDOTIS. VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS à LOTITO, Prouinciæ S. Nicolai Sacerdos, cùm paupertate, abſtinentiâ, vitæ auſteritate, atque orandi ſtudio clariſſimus eſſet, ipſius tandem patientia, diuturno, ac moleſtiſſimo podagræ morbo, ac neruorum attractione, ſeptem annorum ſpatio, à Deo probata fuit. Hæc, & pleraque alia corporis incommoda, cùm patientiſſimo animo ferret, atque adeò his morboſis moleſtijs affligeretur, vt vix loco, abſque alterius ope dimoueri poſſet; illud tamen in eo mirabile videbatur, quod ad Miſſæ celebrationem (cui quotidie vacabat) accedens, nullo omninò, vel dolore, vel corporis morbo, perinde, ac ſi ſanus, ac incolumis eſſet, excruciabatur. Verùm, ſacris peractis, iiſdem protinùs, quibus antea, morborum doloribus, ac moleſtijs afficiebatur. Hoc in quotidiani languoris martyrio, cùm ſeptem annos ſummâ cum animi patientiâ tranſegiſſet; conſummatâ tandem probatione, malis omnibus morte ſolutis, ad vitæ coronam euolauit. Anno 1582.

In Bononienſi Prouinciâ Fr. SIMON BVTRIENSIS, Sacerdos, inter viros illuſtres adnumeratur, qui Regularis diſciplinæ

zelo, humilitate, abſtinentiâ, plurimisq; alijs virtutibus enituit. Obijt 1582.

Genuenſis Frouincia Fr. ANGELI BRIXIENSIS, Sacerdotis, & Concionatoris, memoriam cum laudibus celebrat: qui cùm aliquandiu magnâ cum vitæ integritate, ac prudentiæ laude eam Prouinciam adminiſtrâſſet; ac multis virtutibus, præſertim rerum aduerſarum tolerantiâ in eâ enituiſſet, tandem in Conuentu Saonenſi, magno ſui apud omnes deſiderio relicto, extremum Deo ſpiritum reddit. De quo illud inter alia refertur; quod extremum iam ſpiritum agenti, cùm Dæmon horribilem aſpectum præſeferens adſtitiſſet, ab eo his verbis deſpectus: Abi, Satana; Dominum enim propugnatorem, & Fratrum orationes mihi auxiliares vendico: quibus cùm repugnare minimè queas, iras tuas nequaquam pertimeſco; ſtatim aufugit; isq; in pace quieuit, Anno 1583.

Fr. FVLGENTII ASCVLANI, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER FVLGENTIVS ASCVLANVS, Picentis Prouinciæ Sacerdos, ex Pariſianorum honeſtâ familiâ progenitus; vix duodeviginti annos natus, mundum calcare, & ſub Capucinorum vexillo in Chriſti caſtris militare didicit. Nouitius, plurimis à Dæmone moleſtijs afficitur; vbi verò Satan illum indiſſolubili votorum vinculo Religioni alligatum vidit, ſuâ ſpe fruſtratus, ab eo quamprimùm receſſit, neque vllas illi deinceps moleſtias intulit. Vix in Religionis gremio confirmatus fuit, cùm tanta in eo vitæ innocentia, tanta obedientię ſimplicitas, tam ardens paupertatis zelus, tanta morum honeſtas, mentis humilitas, patientia, abſtinentia, auſteritas, charitas, tàm perfecta deniq; Euangelici hominis forma effulgere cœpit; vt nihil, quod ad virtutum exemplar numeris omnibus abſolutùm effingendum ſpectaret, in eo expetendum videretur. Quamobrem, cùm tot virtutibus floreret inter 30. illos Fratres adnumeratus fuit, qui ſub Anſelmo à Petrâ Molinariâ, cum Pontificali claſſe, ad bellum nauale, quod aduerſus Turcam Anno 1571. geſtum eſt, proceſsêre. Cùm aliquando in Conuentu Vlmimontano moras ageret, Iacoboq; cuidam in extremo mortis

periculo

periculo adeſſet, Michaëlem Archangelum ad ægrotantem accedere cernit. Quam plurima quoque noſtra MS. ab eo patrata miracula ferunt; quorum idcircò memoria interijt, quod nemine de Annalium hiſtoriâ cogitante, ea nullo ſcripto exarata fuerint. Inter alia autem illud enumeratur, quod cùm in Conuentu Montis Vlmi moraretur, cœci pueri oculum Crucis ſigno obſignans, vix eo efformato puer oculis lumen recipit. Itidem quoque Maria Virginia, Iacobi nobilis viri vxor, ob tabem in digito exortam, graui dolore cruciabatur: quæ cùm Viro Dei digiti cruciatum indicâſſet, is morboſum digitum digito ſuo contingens, ſignumq; illi Crucis impertiens, non modo ab eo dolorem fugat; ſed & putrefactione expulsâ, incolumem præſtat. Poſtremò, cùm hyemali tempore vnà cum Remigio à Montebello, atque altero Mediolanenſis Prouinciæ Fratre iter faceret, lacunam quandam, viam interſecantem, offendunt; cuius, cùm ob imbrium copiam, vnda altior eſſet, quàm quod pedibus tranſuadari poſſet; Fulgentius flexis genibus ad Dei Opt. Max. opem confugit: mox verò tres viri equis inſidentes illis extemplo apparent, qui cùm illos trans lacunam vexiſſent, repentè ab eorum oculis euaneſcunt: ex quo illos cœleſtes Angelos, à D.O.M. ad eorum opem miſſos, agnouêre. Hæc cùm Dei ſeruum inſignem, ac vitæ ſanctimoniâ clarum oſtenderent; vix trigeſimumquintum ætatis annum attigerat; cùm è Monte Vlmi ad S. Gineſij Conuentum miſſus, ſupremum, qui ei imminebat, diem Diuinâ reuelatione percipit; ac paulò poſt in morbum incidit. Multiplex porrò virtus, quæ ipſius vitam, velut Cœleſtibus gemmis exornauerat, clariùs in morte effulſit: etenim poſt mentem Pœnitentię Sacramento expiatam, ac Cœleſti pane refectam, tantâ ſuauitate Deo laudes cœpit occinere, totq; pręconijs Diuinam Maieſtatem extollere; vt ante carnis occaſum, iam Cœleſtibus Angelorum ac ſuperum Choris intereſſe videretur. Inter hæc Deiparę Virgini, quam ſingulari pietate, ac religione proſequebatur, hymnos: *O glorioſa Domina &c.* & *Aue maris ſtella &c.* decantans, cùm illius ante mortem aſpectu dignatus eſſet, lætus in hęc verba exclamat: *O flos Virginum, Maria! te nulla pulchrior, nulla magis pia: iam te ſequar cœleſti viâ.* Hæc etiamnum verba in illius ore verſabantur, cùm puram ad Deum animam efflat, Anno 1584.

Fr. LIBERIVS à CORTONA, Hetruriæ Prouincię Sacerdos, inter alias animi virtutes, tantâ erga Euchariſtię Sacramentum religione ferebatur, vt ſacro Altari, vbi illud aſſeruari ſolet, terga nunquam

verte-

verteret: vltrò corporalia, ac ſacras pallas, quæ Altaris ſacrificio deſeruiunt, à Parochis emundanda peteret; vt ſacrum Myſterium in mundis linteis ab his perageretur; ac ſummâ religione, & pietate ſacra myſteria offerrentur. Qui tandem prænunciatâ ſui obitus die hinc purus exceſſit, Anno 1585.

Fr. Ioannes Maria à Maurettâ, Pedemontij oppido, Genuenſis Prouinciæ Sacerdos, inter alios vitæ probitate inſignis, illud à Deo ſanctioris vitæ, & acceptæ gloriæ poſt mortem teſtimonium accepit; quod breuiſſimo temporis ſpatio, poſt emiſſam è corpore animam, ipſius vox in aëre audita eſt, ſuauiſſimè illud Prophetæ decantans: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Obijt anno 1585.

In Bononienſi Prouinciâ Fr. Sebastianvs Faventinvs, Sacerdos, miris apud omnes laudibus effertur. Vir admirabilis abſtinentiæ, perpetuæ orationis, paupertatis eximiæ, profundæ humilitatis, ac demùm notæ ſanctimoniæ commendatur. Obijt anno 1585.

Fr. Antonivs Montopolitianvs, cùm primum Religionis ingreſſum egregio facinore illuſtraſſet, ac B.P.N. Franciſci exemplo, patri, qui eum à Religionis propoſito deterrebat, collectas in ſarcinam veſtes, quibus indutus erat, relinquens, ad induſium vſque nudus, ab eo ad Capucinos aufugiſſet; vitâ deinde virtutibus plenâ, hiſce incunabulis dignâ, in Religione ductâ, ipſo S. Antonij Abbatis die, in quo natus, Capucinorum Religioni adſcriptus, votorum ſolemnitate colligatus, Miſſæ ſacrificium primò celebrauerat, ac prædicationis munere functus fuerat, extremum quoque diem claudit, Anno 1586.

Fr. Angelvs Solofrensis, in Neapolitanâ Prouinciâ Sacris initiatus, angelicis moribus ornatus, prænunciato ſui obitus die, quem Deo reuelante prænouerat, Angelorum, vti piè credi poteſt, poſt mortem Choris ſociatur, Anno 1586.

Cathaloniæ Prouincia Fr. Gasparem à Baleari maiore, hominem magnum virtute, ac perfectum Regulæ obſeruatorem commendat: quem vitæ auſteritas, humilitas, obedientia, paupertatis zelus, ac omnium virtutum ſtudia commendabilem reddidêre. Obijt anno 1586.

Romana Prouincia Fr. Antonii Sicvli, Sacerdotis virtutes præclaras commemorat; quibus egregiè ornatus, id tandem à Deo conſecutus eſt, vt ſui obitus diem, eo reuelante, prænoſceret;

eoq; Fratribus ſignificato, eo, quo prædixerat, tempore, piè in Domino obdormierit, anno 1586.

Fr. BENEDICTVS VALENTINVS, Sacerdos, ex Neapolitanâ in Cathaloniæ Prouinciam translatus, cùm totius Regularis obſeruantiæ cuſtos eſſet integerrimus, orationem maximè coluit, in quâ raptus, & ecſtaſes paſſus, haud ſine ſanctimoniæ famâ ad Deum migrat, anno 1587.

Fr. GREGORIVS à PRATO REGVM, ex eâdem Cathaloniæ Prouinciâ Sacerdos, plurimùm auſteritatis, paupertatis, charitatis, patientiæ, ac omnium ferè virtutum commendatur. Obijt anno 1587.

Fr. THOMAS ALETINVS, Sacerdos in Hydruntinâ Prouinciâ, acerrimus Regularis obſeruantiæ propugnator; charitateque erga pauperes effuſus, præ cæteris celebratur: qui cùm obitus ſui diem prenunciâſſet, mortales exuuias Aletij, magnâ cum vitæ laude depoſuit, anno 1587.

Fr. MATTHÆVS CALABER, Sacerdos, abſtinentiâ, ac humilitate inſignis, mortis ſuæ futurum diem preſignificat: angelicum poſt mortem vultum preſert: & in morte ab Angelis in Cœlum deferri à Fratribus conſpicitur; cùm priùs ſplendidus fulgor ex ipſius cellâ erumpere viſus fuiſſet. Obijt anno 1587.

Fr. PHILIPPI INIICIENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER PHILIPPVS INIICIENSIS, Panormitanæ Prouinciæ Sacerdos, cùm ex eorum numero eſſet, qui prioribus illis Religionis noſtræ temporibus ex Obſeruantium Familiâ ad Capucinos concedentes, exorientem Ordinem ſuis virtutibus exornarunt, eorum quoq; ad vltimum vſq; ſenium mores, vitam, auſteritatem, virtutesq; egregiè imitatus, ſuos prætereà ſplendores Religioni contulit. In hoc viro effuſa quædam erga proximos charitas, inter cæteras virtutes potiſſimùm effulgebat: quâ in ægrotos, & pauperes ita ferebatur, vt in his iuuandis, alendis, conſolandis, velut materna viſcera effundere videretur. Ita Vir hic egregius, tam ab omni carnis, & ſanguinis amore diſiunctus erat; vt, cùm Drepani

vigintiquinque annorum ſpatio commoratus fuiſſet, nunquam tamen adduci potuerit, vt vel ſemel vrbem perluſtraret, vel patriam, domum, ac propinquos, qui haud longè habitabant, inuiſeret. Hinc cùm multæ orationis Vir eſſet, pleraque orans ex Diuinâ reuelatione accepit: in quibus & Turcici cuiuſdam nauigij expugnationem, & quorundam Drepanenſium, qui procul in Inſulam confugerant, periculum præmonuit. Adoleſcentis cuiuſdam caluitio laborantis caput cùm manu attigiſſet; quinque illi orationum Dominicalium, ac totidem Salutationum Angelicarum, ante Beatiſſimæ Virginis aram perſoluendarum, oratione indictâ, ita à caluitio curauit; vt poſterâ die capillatns apparuerit. Ad extremam tandem ſenectam prouectus, cùm obitus ſui tempus cuidam germano fratri, qui in ſacro Prædicatorum Ordine Deo militabat, præſignificâſſet; eodem tempore, virtutibus, ac ſanctimoniâ clarus rebus humanis valedixit, Anno 1588.

Fr. IOANNIS ILLYRICI
SACERDOTIS.
VITA, ET GESTA.

FRATER Ioannes Illyricvs, Sacerdos, multis virtutibus inſignis, è Minorum Obſeruantium familiâ ad noſtros euocatus, eam inter nos vitæ rationem inſtituit, quæ illius vocationem, non ab humano, ſed à Diuino planè ſpiritu profectam oſtenderet. Inreâ ſiquidem, ob aſſiduum Euangelicæ perfectionis ſtudium, ad quod totus inhiare videbatur, tot virtutum generibus elucebat; vt quaſi ſol Religioni datus videretur, quo ſuâ virtutnm luce reliquis aſtris præluceret. Nihil in hoc viro incompoſitum, nihil virtute vacuum conſpiciebatur. Prima namque virtus, quæ cæteris fundamentum præſtat, humilitas, ita illius animnm imbuerat, vt neque, licet ætate grandæuus, ſuperiorem, niſi genuflexus, allocutus fuiſſet, aut ſe alloqnentem audiſſet; neque vllius, tametſi leuiſſimæ rei agendæ, abſque Snperioris licentiâ, facultatem ſibi arrogâſſet. Eadem quoq; exterioris hominis compoſitio, oculorum demiſſio, breuis allocutio, vocis ſubmiſſio, quæ Nouitijs præſcribi ſolet, ab eo iam ſene tam ad amuſſim ſeruabantur; vt qui virum non agnouiſſet, Nouitium proculdubio iudicâſſet. Cùm autem ſenio confectus,

 atque

atque altero femore claudus minus laboribus aptus eſſet, ne ætas illa humilitatis teſtimonio vacua eſſet, viliora domus miniſteria ſibi exercenda aſſumebat. Obedientiam verò, altiſſimam omnium rerum paupertatem, quam ad arctam rerum neceſſitatem contraxerat, abſtinentiam, aſſidua preter communem vſum ieiunia, orationis ſtudium, Chori frequentiam; ſacrorum Religionem, & ceteras illius virtutes ſingillatim non proſequor. Vna tantum eſt; quæ ad illius commendationem nos vocat: nimirum caſtitatis amor; qui tam altè illi ab exordio animo inſculptus fuit; vt grauem propterea, ac perpetuam cum mulieribus ſimultatem contraxiſſe videretur. Ab illis enim tam ſollicitè cauebat; quod, niſi ſuperioris precepto compulſus, cum nullâ omninò ſermones miſceret. Imò, vt, quò omnem etiam ab animo earum memoriam expelleret, cum Sacriſtâ pactum inijſſet, ne eum celebrantem ad ſacram Communionem mulieribus impertiendam compelleret. Nonnulla eum, quæ reipsâ acciderunt, predixiſſe; ac pleraque miracula Diuinâ virtute patrâſſe, noſtra M.S. ferunt: quibus tam communem in Neapolitanâ vrbe ſanctimoniæ famam ſibi comparauerat; vt cùm octogenarius diem ſuum, quem ante obitum prenunciauerat, omni cum pietate obijſſet, tam ingens ad illius funus Neapolitani populi frequentia conuenerit; vt ad tumultum ſedandum Proregis, & Apoſtolici Nuncij authoritaté opus fuerit. Tanta enim erat in Virum Dei populi deuotio, vt quiſque habitus ſibi particulas præſcinderet, capitis capillos euelleret, barbam raderet, vngues obtruncaret; cumque ex alterius pedis pollice vnguis euulſus fuiſſet, protinùs viuus ex eo ſanguis effluxit. Apoſtolicus quoque Nuncius, cùm octogenarij ſenis carnem mollem, ac velut pueri teneram contrectaret: Hoc (inquit) nitidæ huius viri puritatis argumentum eſt irrefragabile. Denique, cùm ob confluentes hominum, mulierumq; turbas ad tertium vſque diem inhumatus in feretro iacuiſſet, noctu tandem in ſepulchro conditus fuit. Poſt mortem, dente ipſius binis Petri Capelli filijs, qui peſtilenti febre laborabant, collo ſucceſſiuè appenſo, protinùs à febre liberantur. Obijt anno 1588.

***

Fr. THOMÆ A CARAVINIA, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER THOMAS à CARAVINIA, Sacerdos, Vir ad miraculum purus; totq; prætereà virtutibus illuſtris, vt in eo vniuerſi, obedientiæ, ſimplicitatem, honeſtatis candorem, humilitatis abyſſum, paupertatis zelum, vitæ auſteritatem, animi manſuetudinem, morum diſciplinam; demùm totius Regularis Obſeruantiæ exemplar ſuſpicerent. Ad Orationis perfectionem, cùm omne ſuum ſtudium, ac diligentiam conferret; nocturnæ vigiliæ, & quotidiana ferè ieiunia, ſomnum oculis, & corpori eſcam intercipiebant. Hinc tam ſæua Tartarei hoſtis in eum odia excitata, vt dum Matteolæ in Choro ſolus oraret, ingenti procellâ in aëre ab eo excitatâ, fulmen è Cœlo dilapſum fuerit; quo vniuerſæ Chori tabulæ, præter eas, quæ virum Dei capiebant, refixæ, atque è ſuis ſedibus pulſæ, vno impetu in eum perlatę fuerunt. At Vir Dei, Diuinâ eum virtute contutante, impauidus, ac nec quicquam loco motus Dæmonis impetum ſuâ oratione proſtrauit, atque inanem reddidit. Tanta quippe erat illius orationis virtus; vt ſereno Cœlo, pluuiam abundantem à Deo impetraret. Conſueuerat hic Dei ſeruus in chartulâ nomina IESV, Mariæ, & interdum Franciſci conſcribere, iisque, qui aliquâ ægritudine laborabant, diſpertiri: totque varijs languoribus correpti, his chartulis curati fuère, vt vniuerſi ad eum confluerent. Baruli etiam cùm ingens bruchorum copia agros deuaſtaret; turmatim agricolæ ad Thomam accurrentes, chartulas accipiebant; quas cùm in agris arundini affixas erigerent, nullum à brucho prorſus damnum patiebantur. Hac igitur vitæ ſanctimoniâ, cùm pleroſque in Religione annos tranſegiſſet; demùm Baruli supremâ ægritudine corripitur. Quo tempore, cum morbo aliquando prægrauatus, cantu aliquo animum recreari cuperet; mox auicula tantâ vocis modulatione, tamque ſuauiter in cellę feneſtræ cœpit occinere, vt inter hos auiculę cantus Thomas mortali è vitâ exceſſerit. Quàm verò Deo accepta eſſet anima illius, mox Diuino teſtimonio declaratum fuit: vix enim conſuetam Fratres defuncto

corpori lotionem exhibuerant; cùm candida columba, nunquam anteà viſa, ter Monaſterium circumuolat, ac demum cellæ feneſtram ingreſſa, ante defuncti pedes conſiſtit; quibus geſtu, alis, garritu, tantâ familiaritate colludit; vt qui aderant Fratres, nouo rei ſpectaculo commoti, in columbâ nihil præter cœleſte ſpectarent: quò defuncti puritas hoc teſtimonio omnibus manifeſta eſſet. Aliud quoque huius viri ſanctimoniæ argumentum fuit. Cùm enim ſeptem ab ipſius obitu anni iam effluxiſſent, eius tamen corpus tam candidum, molle, palpabile, & incorruptum in ſepulchro viſum fuit, vt caro ipſius in pueritiam refloruiſſe videretur. Obijt anno 1588.

S. Nicolai Prouincia Fr. LVCÆ à BARDANIA, Sacerdotis, virtutes cum laude prædicat: qui cùm breuem vitæ curſum admirabili morum, ac Regularis diſciplinæ ſplendore confeciſſet, poſt mortem in Beatorum Capucinorum ſocietatem, à quodam Fratre cooptatus conſpicitur, 1588.

In Bononienſi Prouinciâ merito, ac virtute floruerunt FF. GVIDO FINARIENSIS, FRANCISCVS PERVSINVS, ac BONAVENTVRA RHEGINENSIS, Sacerdotes: quorum primus Guido, vitâ cum pietate ad mortem vſque perductâ, cùm neci appropinquans, B. Virginem in ſtrato genuflexus his verbis ſalutâſſet: Aue, filia Dei Patris. Aue mater Dei Filij. Aue ſponſa Spiritus ſancti. Aue templum totius Trinitatis. hoc modo genuflexus Deo animam reddidit. Secundus, Franciſcus, varijs tum Euangelicæ prædicationis, tum Religionis adminiſtrationis, in quibus magnâ cum virtutum laude verſatus eſt, laboribus perfunctus; præclara poſteris ſanctimoniæ exempla reliquit. Tertius denique Bonauentura, Theologiæ, candidatus, cùm inter alias animi virtutes, quibus præditus erat, tantâ erga infirmos charitate præfulgeret, vt ijs ferè ſuprà vires miniſtraret; pij ipſe quoque operis à Deo ſupernaturale præmium conſequitur. Obierunt anno 1589.

In Mediolanenſi Prouinciâ Fr. BERNARDVS CANTVENSIS, Sacerdos, multarum virtutum, ac præſertim puritatis, ſimplicitatis, ac innocentiæ laude celebratur. Obijt anno 1589.

In Picenâ Prouinciâ PHILIPPVS à RICINETO, Sacerdos, inter eos enumeratur, qui Pariſienſem Prouinciam ſuis potiſſimùm virtutibus fundârunt; ſibi rigidus, cæteris humanus; homines fugere didicerat, vt Deo puriùs viueret, & inhæreret. Demùm virtutibus plenus Aëſij mortalem corporis ſarcinam deponit, anno 1589.

In

In S. Angeli Prouinciâ, PIVS TVTICENSIS, Sacerdos, admirabilis abſtinentiæ laude effertur: qui cùm decennium in panis, & aquæ ieiunio conſumpſiſſet; nunquam tamen poſt hæc, aut rarò obſonium attingere viſus fuit. Orationem mirum in modum coluit; ex quâ id conſecutus legitur, vt de rebus Diuinis tàm altè, atque ardenter diſſereret; vt cùm Tutici aliquandò apud Mercatorem quendam de ijs ſermonem haberet, in mentis exceſſum raptus, hoc modo ad Monaſterium delatus fuerit. Demùm ſanctimoniâ clarus ad Dominum migrat, anno 1589.

In Genuenſi Prouinciâ Fr. ROCHI GENVENSIS, Sacerdotis, adhuc floret virtutum memoria: qui cùm orationis dono excelleret, quædam Franciſco Rotarino Albiciolenſi, noſtri Ordinis benefactori, ventura prędixit, quæ reipsâ euenêre. Obijt anno 1589.

Fratres IOSEPHVS, & BERNARDVS Celtiberi, Sacerdotes, cùm in Cathaloniæ Prouinciâ ad perfectam Regularis obſeruantiæ diſciplinam virtutum cumulos addidiſſent; ad eum tandem charitatis apicem conſcenderunt, vt pro Fratribus ſpontè animas ponere non dubitauerint. Lue namque per totam ferè Celtiberiam ſæuiente, cum peſte laborantibus ſuâ operâ, ac miniſterio adfuiſſent, Deo gratiſſimum opus tam feruido charitatis æſtu patrauêre; vt voluntario charitatis martyrio occubuerint; ſeque ipſos hoc modo Deo, tanquam gratiſſimas hoſtias in odorem ſuauitatis immolauerint, anno 1589.

Fr. HIERONYMVS à BILBILI-NOVA, Sacerdos, in Cathaloniæ Prouinciâ vitam incredili cum pietate tranſactam, æquâ pietate concluſit, Anno 1588.



FRATER LVDOVICVS AB ALCAMO FF.um CAPVCINOR.um
SACERDOS.

Fr. LVDOVICI AB ALCAMO,
SACERDOTIS.
VITA, ET GESTA.

FRATER LVDOVICVS AB ALCAMO, Sacerdos, nobili ortus proſapiâ, vix primum iuuentutis florem attigit, cùm à Deo ad meliora vocatus, mundo cum ſuis relicto, in eremum Montis, cui Alcamus adiacet, ſeceſſit: vbi cùm biennij ſpatio ſolitariam vitam, magnâ cum oppidanorum ædificatione, duxiſſet; inde ad Capucinos ſe contulit: vbi ſub Geruaſio, eximiæ ſanctitatis Magiſtro, ita in virtutibus profecit, vt nihil eo humilius, nihil obedientius, nihil honeſtius, nihil tandem ad omnem virtutem aptius haberetur. Paupertatis tam eximius cultor fuit, vt tunicâ nullo vnquam tempore vſus fuerit: ad ſomnum nudas tantùm ſibi tabulas, vel mattam ſubſterneret; cætera quoque altiſſimæ paupertati reſponderent. Abſtinentiâ tam admirabilis erat, vt cùm quotidiana ferè ieiunia coleret; Aduentus tamen, & Quadrageſimæ tempore, tres cuiuslibet hebdomadæ dies, abſque cibo tranſigeret. Geminâ ante Matutinum horâ, quod à Geruaſio Magiſtro didicerat, ad orationem ſurgere conſueuerat. Hinc plurimas illum à Deo reuelationes, ac cœleſtes viſiones hoc tempore accepiſſe, communis omnium olim fama fuit. Hinc cùm in Conuentu Caſtri Veterani aliquandò ſeorſim in nemore corpus flagellis cæderet; Chriſtum Dominum præſentem, atque hæc ſibi dicentem audit: Ludouice, animum ad tentationem para: multa enim pro nomine meo moleſta paſſurus es. Is igitur, cùm ſolidas iam in omni virtutum genere radices ageret, Superiorum iuſſu ad Portum Velinum in Lucaniam adnauigans, in Turcarum triremes incidit, qui captiuum in Africam ducunt. Vbi à Barbaro quodam pretio emptus, crudelem, omnisq; humanitatis expertem Dominum ſortitus eſt; à quo quotidiano, & frequenti fuſte excipitur; nautico pane præduro, ac perſæpè à vermibus corroſo, pro Regum delicijs parcè veſcitur; quotidiè ad improbos labores compellitur, verborum contumelijs afficitur; feſſus, verberibus recreatur; quieſcens, à nudâ humo refouetur. Hæc porrò Ludouico, qui fortiſſimâ animum patientiâ imbuerat, iucunda videbantur, atque Apoſtolorum inſtar, prorsùs animo

exultabat; quandoquidem has pro nomine IESV contumelias ferebat. Chriſtus verò, qui ad maiora pugilem ſuum certamina vocabat, ne animum deſpondeat, duro hoc ſeruitutis iugo preſſum, ſuâ aliquando præſentiâ conſolatur, ac ſuâ illi ope nunquam defuturum pollicetur. At teterrimus Satan, qui olim, vt Ioſephi caſtitatem perderet, Putipharis vxorem ad Ioſephi amorem accenderat; eodem quoque modo, ac conſilio Turcæ huius animum, turpi ac venereâ ita Ludouici cupiditate inflammat; vt interdiu ſæpiſſimè blanditijs illum ad peccatum pelliceret. At Ludouici animus, tamdiu fœminæ impudicitiæ obſtitit, quoad amorem in odium conuerteret; Ludouicumq; apud virum multorum ſcelerum reum accuſaret: quo fiebat, vt vir crudelis, frequentiùs fuſtibus contuſum, ac ferreis catenis reuinctum, ita clauis humi affigeret; vt ibi proſtratus ſeipſum mouere nullo modo poſſet. Hæc fortiſſimus caſtitatis athleta, æquo animo ferens, diabolicam acriùs in ſe rabiem concitabat: dum enim ferreis catenis onuſtus humi iacet; en complures mulieres, venere ipsâ impuriores, in eum laſciuiunt; ac impudicis actibus inclytum caſtitatis pugilem ad turpia prouocant. Quis non dictum, nedum factum horreat? cùm nulla Ludouico, vinculis vndique obſtricto, præterquam animi vis ineſſet, nec vim alio modo repellere valeret; oculis fulgurare, caput mouere, voces horrendas edere, aſperioribus illas verbis aggredi, putrida in earum facies ſputa contorquere. His tandem cùm illarum impudicitiam repuliſſet; ſecundò in hoc certamine victor glorioſus de hoſte triumphat. Intereà Deus benigniſſimus, qui militis ſui agonem è Cœlo ſpectabat, Angelum mittit, qui Ludouicum catenis vinctum è ſomno excitans, à vinculis ſoluit, eumq; ſtatim in ſpiritu ſequi iubet. Præcedit Angelus ſub ſpecioſi iuuenculi formâ; Ludouicumq; in ampla quædam plana campeſtria ducit, acutis vndiq; ſilicibus obſita: quos dum is nudis pedibus calcare cogitur, maximo hinc dolore cruciabatur; cumq; cruore vndiq; illi è pedibus defluente, longius progredi non poſſet; mox ab Angelo manus contactu ſanatur. Inde Angelus in alteram eum campanorum planitiem ducens, quæ nouaculis exacutas acies cœlum verſus protendentibus, per totum conſita erat, ſecum eam percurrere compellit: qui cùm per aliquod temporis ſpatium, incredibili pedum dolore, præeuntem Angelum proſecutus eſſet; ab Angelo tandem eodem modo curatur. Tertiò quoque ab Angelo per anguſtiſſimam pontis cuiuſdam viam ductus, ſub quo igneum flumen,

ignitis draconibus, ac ſerpentibus ſcatens effluere videbatur; cùm primùm Angeli veſtigijs inhærens, ad pontis dimidium peruenit, eo ad alteram pontis partem euolante, tantus ipſius animum terror inuaſit; vt Angeli opem mox lachrymis implorare cœperit: qui dexteram porrigens, animum ab anguſtiâ liberat, eumq́; ad alterum pontis extremum, ſaluum perducit. Hinc Angelus Ludouicum ad inferorum loca ſequentem præcedit: vbi primùm Abrahæ ſinum, olim habitatione ſanctorum Patrum celebrem, nunc verò ſine habitatore vacuum oſtendit: tum puerorum, qui abſque Baptiſmo deceſſerunt, limbum omni luce orbatum: tertiò, Purgatorij ignis locum commonſtrat; in quo is nonnullos, quos viuentes agnouerat, conſpexit. Hinc demùm ad Damnatorum locum, Angelo ductore peruenit. Ex his dum Ludouicus haud leui horrore percutitur, ab Angelo ad Paradiſi gaudia, quantùm viuenti fas eſt, inſpicienda ſubleuatur: vbi inter alia, cùm ſedem quandam illuſtrem, ac gemmis ornatam conſpexiſſet; cuius in proſpectu columna procerior, regio diademate coronata erat; cuinam ea parata eſſet, ignorans, ab Angelo audit; eam Philippo II. Hiſpaniarum Regi, qui etiamnum ſuperſtes erat, ſeruari: columnæ verò myſterio, ipſius in Fide Catholicâ tuendâ, ac propagandâ pietatem, & conſtantiam ſignificari. Hinc ad Altiſſimæ Trinitatis Thronum aſſumptus, ab æterni Patris dexterâ librum intùs legendum accipit; in quo ſuum ipſius, atq; aliorum nomina inſcripta perlegit. His itaque haud leuiter recreatus Ludouici animus, Diuinam ſedulò opem efflagitabat; agonemq́ue ſuum Domino commendans, ad maiora ſe indies certamina parabat. Attamen, cùm caſtitatis prælia nullâ re meliùs, quàm fugâ ſuperari, non ignoraret, clam aufugere, & in Siciliam adnauigare cogitat: res verò domino innoteſcens, apprehenſus diris verberibus afficitur. Diuino tandem conſilio fit, vt crudelis herus, pacto cum altero inito, Ludouicum pretio diſtraxerit. Mitior hic ſecundus dominus erat. At verò ſatan rursùs in pace bellum parat: huius enim heri filia nubilis, ac formâ pulcherrimâ, tanto illius amore capta fuit; vt intempeſtâ nocte, clam ipſius cubiculum ingreſſa, ſeſe in ipſius ſtratum iniecerit; nihilq́; blanditiarum, minarumq́; prætermiſerit, quò Ludouicum ad turpes actus alliceret. Is verò protinùs è lecto exiliens, iuuenculam repellit, arguit, totq́; illi honeſtatis virtutem verbis perſuadere cœpit, vt ab eo tandem lachrymans diſceſſerit. Alia quoque poſt hæc, quamdiu ſecundo huic domino famulatus fuit, ipſius pro caſtitate certamina referuntur. Dum igitur

Ludouicus inter hos, licet mitiores, ſeruitutis labores verſatur; contigit, vt in iuuenem quendam Hetruſcum, qui Chriſtiana nuper fide abnegatâ, ad Mahometanam ſectam acceſſerat, haud ſine Dei conſilio incideret: huic enim tam efficaci ſermone priſtinam fidem perſuaſit; vt ſuis ille verbis accenſus, Chriſtianam fidem publicè profeſſus fuerit. Quamobrem à populo lapidibus obrutus, Martyr occubuit. Intereà, cùm mutuâ captiuorum permutatione initâ, heræ germanus ad ſuos in Mauritaniam rediјſſet; Ludouicus, & ipſe liber dimittitur, atque in Panormitanam Prouinciam reuertitur. Tot igitur duriſſimæ ſeruitutis ærumnis preſſus, ac probatus, totq; diabolicarum tentationum fluctibus per integrum triennium iactatus; cùm primùm Ludouicus ſe Fratribus, priſtinæq; cellæ redditum videt; quis facilè enarrare queat, quantis tunc Deum laudibus accumulet? quales orando flammas eructet? quamq; feruido Diuinæ charitatis æſtu animum inflammet? Tanta ſanè, ac tam profuſa ab eo tempore in eum Dei dona effluxêre, vt Cœleſtem potiùs cum Angelis, quàm inter homines humanam vitam ducere videretur: ſæpiſſimè enim ex tunc cum Angelo familiaria colloquia miſcens, Cœleſtibus delicijs potiebatur. Altiſſimâ quoque Trinitatis, quemadmodum homini fas eſt, orans præſentiâ fruitur. Sæpè etiam in Cœlum raptus, de rebus altiſſimis, quæ ſenſum omnem ſuperant, inſtruitur. Beatiſſimæ Virginis aſpectu aliquando dignatus, ab eo IESVM infantulum impetrat; diuq; ipſius amplexu potitur. Denique, tot, ac tam perpetuis ad obitum vſque è Cœlo delicijs affluxit; vt illius mens iuge quoddam conuiuium eſſet, Cœleſtibus ſemper dapibus refertum. Quædam Prophetico ſpiritu hoc tempore futura prædixit. Poſtremò, vitâ ac ſanctimoniâ clarus, Vibonæ mortalem cum immortali vitâ commutauit Anno 1590. cuius pallio mira pleraque poſt ipſius mortem patrata fuiſſe ferunt.

Conſentinam Prouinciam Fr. IOANNES à Petrâ fictâ, Sacerdos, ſuis virtutibus illuſtrat; cuius duo præſertim miracula referuntur. Primum, dum is moribundi cuiuſdam, qui cum morte colluctabatur, capiti corollam imponit, eidem protinus amiſſos ſenſus reſtituit, atque incolumitatem reddit. Alterùm, congeſtas nubes, quæ horrendam tempeſtatem minabantur, ter ſigno Crucis obſignans, mox diſſipat, ac diſpergit. Obijt Anno 1590.

Fr. CANDIDI BRIXIENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER CANDIDVS BRIXIENSIS, Sacerdos, honeſtis parentibus natus, ab adoleſcentiâ clarum virtutis ſpecimen edidit: omnes enim illius ætatis illecebras fugiens, Eremitæ cuidam, viro probo ac Diuinarum rerum haud ignaro, operam dabat: quo ductore prima ſpiritualis vitæ tyrocinia poſuit; duodevigeſimum verò annum agens, noſtrorum Familiæ adiunctus, tantâ humilitate, patientiâ, obedientiâ, ſui, ac rerum omnium contemptu, ſolitudinis, atque orationis ſtudio vitam inſtituit, vt cæteris ad virtutum normam, & exemplar datus videretur. Viri Dei ſanctimoniam Deus Cœleſti teſtimonio confirmatam voluit: cùm enim ſacris aliquando myſterijs incumbens, ſacroſanctum Domini Corpus, populo ſpectandum attolleret; Cœleſtis ſplendor ex ipſius vultu emicare viſus eſt. Hoc virtutum profectu, cùm tertium decimum Religionis annum attigiſſet, in Sardiniam miſſus, tam præclarâ ibi omnium virtutum luce enituit, vt magnam ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparauerit. Saſſari tandem, cùm ſupremum diem admirandis patientiæ. pietatis, ac reliquarum virtutum exemplis exornaſſet; Vrbs tantoperè ipſius occaſu commota fuit, vt Archiepiſcopus Pontificalibus indutus, vnà cum Clero, ac immensâ populi multitudine ad illius funera accederet; defunctiq; habitum præſcindentes, ſummam in eum animo conceptam deuotionem teſtarentur. Inter hos Canonicus quidam illius Metropolis, cùm canabacei cinguli ipſius fruſtulum in cotilâ repoſitum ſeruaret, ſuauiſſimum ex eo odorem diffundi ſæpè teſtatus eſt: quo, cùm aliquâ moleſtiâ afficeretur, mirificè recreabatur. Eâdem quoq; odoris fragrantiâ Breuiarij ipſius codicem poſt mortem perfuſum, plerique teſtantur. Poſtremò, Seruinus Bochinus, cum famulæ à Dæmone obſeſſæ habitus particulam impoſuiſſet, illa protinùs Dæmone effugato, ab eâ vexatione libera fuit.

Obijt Vir Dei Anno 1591.

***

Fr. IACOBI CREMENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER IACOBVS CREMENSIS, Sacerdos, in Amadeorum olim familiam adſcriptus, cùm grauiſſimè ad mortem ægrotaret; Dæmones ſub æthiopum formâ, qui in eum irruentes, ad Tartara rapere conabantur, conſpiciens, ad Beatiſſimæ Virginis opem confugit: quæ eò confeſtim aduolans, Tartareos ſpiritus fugat, ægrotantemq; his verbis conſolatur: Ne metuas Iacobe: non hic vitæ tuæ exitus erit: verùm cura, vt ſtudioſiùs mihi famuleris. His cùm illa dictis exceſſiſſet; Iacobus præterito periculo edoctus, ad Capucinos ſe contulit. Totus huius viri vitæ curſus, fragrans quoddam myrothecium, ex quo virtutum omnium odor erumpere viſus. Hic enim inprimis abſtinentiâ tam ſuauiter olebat; vt quotidianis ieiunijs, S.P.N. Franciſci Quadragenæ inediæ, quæ 5. enumerantur, ſolo pane, & fructibus pingues accederent; his terni in qualibet hebdomadâ dies, cultu perpetuo, aquâ tantùm, & pane celebres, adnecterentur. Feſtorum Domini Sabaoth, Beatiſſimæ Virginis, atque aliorum Sanctorum peruigilia præterea, quæ eodem ieiunij ritu ab eo celebrantur. Hic altiſſima paupertas, dum hominem vnâ tantùm tunicâ, ac plerumque lacerâ, ipſo brumali tempore, contegit; & nudas tabulas quieſcenti ſubſternit; dum rerum omnium cupiditate animum ſpoliat; arctumque neceſſariorum illi tantùm vſum indicit. Poſtremò, dum varijs illum corporis afflictionibus, ac ſenſuum mortificationibus ſubijcit; quid, præterquam cœleſtis odoris fragrantiam efflat? Inſuper Diuina Myſteria celebrans, vberrimis ſemper Altare lachrymis conſpergebat. Horas Canonicas, quaſi inter Angelorum Choros perſoluebat. Denique ardentiſſima in ſacram Deiparam veneratione ferebatur; vt omne in eâ colendâ, & laudibus celebrandâ, ſtudium ſollicitudinemq; conferret. Hîc humilitas, hîc obedientia, hîc rerum aduerſarum tolerantia, hîc morum honeſtas, hîc pudicitia, hîc iuge orationis ſtudium; & ſi quæ alia Euangelica virtus ad perfecti odoris compoſitionem exquiritur, ſuam hîc odorum ſuauitatem comportabat. Tot itaq; virtutibus cùm Iacobus flagraret;

haud mirum, quod ſæpè Beatiſſimæ Virginis aſpectu, ſæpe etiam B.P.N. Franciſci præſentiâ, & colloquio potiretur. Demùm, cùm prolixæ ægritudinis patientiâ probatus, in Piſtorienſi Crucifixi Conuentu nonagenarius, ad extremam vitæ lineam perueniſſet, quatriduo cum morte colluctatur. Quo tempore, cùm primùm, ob Dæmonis præſentiam, exterreri cœpiſſet, B. P. Franciſco ad filij opem aduolante, pulſi Dæmones, B.P. Franciſco etiam annuente, ad ſacrorum ſtigmatum oſculum admittitur; tùm paulò poſt Beatiſſimæ Virginis aſpectu dignatus, vix eâ conſpectâ, ſuauiter in Domino quieſcit. Neque illius poſt obitum, ſicut cæterorum carnes obriguêre; ſed molles, ac teneræ, artusq́; flexibiles, perinde ſi viueret, apparuêre, vt æternum viuentem oſtenderent. Decimo quoque poſt ipſius obitum die, cùm ſepulchri os apertum eſſet, ſuauis ex Iacobi corpore, etiamnum integro, & incorrupto, odor erupit. Obijt Vir Dei Anno 1591.

MARCVS à MARALDO, Sacerdos, ſimplicitatis, humilitatis, atque orationis ſtudio clarus, prænunciato ſui obitus die, in Hetruſcâ Prouinciâ è viuis excedit, Anno 1591.

Fr. HIERONYMVS FOROLIVIENSIS, eiuſdem Prouinciæ Sacerdos, cùm plurimos Religionis Tyrones in virtutum paleſtrâ exercitatiſſimos, & ſui imitatores reliquiſſet, rude donatus tandem in pace quieſcit, Anno 1591.

Fr. BONAVENTVRA VALENTINVS, Sacerdos; cùm in Coſſetanâ Prouinciâ, vitam ſummâ cum auſteritate, paupertate, atque omni cum virtute traduxiſſet, poſt mortem Seraphinæ, piæ mulieri, ſtellato pallio ornatus apparet. Obijt anno 1591.

Fr. VINCENTII ANDRIENSIS SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER VINCENTIVS ANDRIENSIS, Sacerdos, tantâ fuit innocentiâ, tantâ mentis puritate, tam ſimplici obedientiâ, tamq́; ingenti Regularis diſciplinæ cuſtodiâ, vt inter ſuæ conuerſionis initia, Coſmas à Martinâ, Nouitiorum Magiſter, eo tempore è viuis excedens, poſt aliquot dies ſæpe eidem apparuerit, ab eoqúe preces poſtulauerit, quo à Purgatorijs pœnis, quibus

ob minuta quædam delicta detinebatur, liberari valeret. Id verò cùm omni pietate peregiſſet, Coſmæ anima à pœnis libera, in Cœlum euolat. His itaque, cùm crebra ieiunia, Chori frequentiam, orationis aſſiduitatem, linguæ cuſtodiam, quam nec in otioſum quidem verbum elabi patiebatur; profundam mentis humilitatem, paupertatis amorem, ac totius Regularis obſeruantiæ ſtudium; ac præſertim ardentiſſimum in Beatiſſimæ Deiparæ cultu animum adnecteret; Euangelicum planè, ac Seraphicum virum ſe induiſſe indicabat. Quamobrem, cùm tot virtutibus exornatus, ad extremam vitæ metam perueniſſet; ſerpens ille Tartareus, ægrè ferens, quod tam ardenter is in Beatiſſimæ Virginis venerationem fouetur, eidem viſibilis apparens, perſuadere nititur, haud maiori Virginem, quàm reliquas Cœleſtium animas dignitate, atque orationis potentiâ excellere. Quod dum is velut horrendim & Diabolicum commentum, deteſtatione proſequitur; ille è cubili tractum, per Dormitorij viam vix ſemiviuum raptat: quo tempore Beatiſſima Virgo, luce vndique perfuſa, adſtans, Dæmonem abigit; ſuumq́; athletam ſuauiſſimis verbis recreans; certum illi gloriæ præmium pollicetur; ſeq́; in ipſo ſuæ Annunciationis die, qui proximus erat, redituram, atque in ſuum ipſius ſinum animam excepturam ſpondet. Quod & reipsâ præſtat: nam eâ ipsâ die, dum Vincentius Beatiſs. Virginem lætis vocibus inclamat, ex hac luce migrat, Anno 1592.

Fr. GABRIELIS AB INSVLIS BALEARIBVS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER GABRIEL AB INSVLIS BALEARIBVS, Prouinciæ Cathalonienſis Sacerdos, propheticum illud ſibi accidiſſe, gloriari poterat: *Audite, Inſulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me.* Cùm enim illius progenitores prole carerent; voto ad Deum emiſſo, ſi prolem maſculam progignerent, eam B.P. Franciſco conſecraturos, Gabrielem accipiunt; eumq́; vix ſeptimum annum agentem, in Minorum Conuentualium Familiâ, B.P.N. Franciſco vota exoluentes offerunt. Puer tamdiu in omni puritate, atque animi ſimplicitate Domino inter Conuentuales famulatus eſt, quoad ijs ex Inſulâ & Hiſpaniâ migrantibus, Capuci-

norum

norum nomen in Italiâ celebre audiret. Quamobrem meliori regularis obſeruantiæ ſtudio accenſus, Genuam proficiſcitur, vbi Religionis albo inſcriptus, tam pręclara in eâ Prouinciâ virtutum fundamenta iecit, vt obedientiâ, humilitate, patientiâ, oratione, ac pręſertim vitæ innocentiâ, ac puritate omnibus antecelleret. Cum autem Cathalonię Prouincia à fundamentis exurgeret, Gabriel Barcinonem mittitur. Hîc ille maiora virtutum ſtudia amplexatus, tantâ ciborum abſtinentiâ, tam durâ carnis maceratione, tam rigidâ vitæ auſteritate, ac cæteris virtutibus, quæ Euangelicum virum exornant, alijs pręlucere cœpit; vt omnes in eo virtutis ſimulachrum ſpectarent. Hinc vt perpetuum ſe virginitatis cuſtodem eſſe oſtenderet, eâ morum honeſtate fulgebat; vt virgineum in oculis, in verbis, in vultu pudorem pręſeferret. Hoc virtutum ſplendore cùm per aliquos annos Cathalonienſi Prouinciæ illuxiſſet, in oratione à Deo pręmonitus, vitæ ſuæ occaſum imminere, Guardiano ſuo, nec non alteri, pręnunciat. Anginâ igitur correptus, magnâ apud omnes ſanctimoniæ famâ relictâ, Deo ſpiritum reddit Anno 1592. Poſt Gabrielis verò mortem, plurima ipſius interceſſione miracula patrata ſunt. Etenim, quo tempore illius corpus in ſepulchro conditum fuit, tantùm in eo aqua excreuerat, vt ad trium circiter palmorum altitudinem aſcenderet. Decem verò, aut 12. annorum poſt hæc tempore elapſo, cùm ſepulchri os patefactum eſſet, Gabrielis corpus ſuo habitu contectum, & integrum, ita aquæ ſupernatare viſum eſt; vt arundine compulſum, velut cymba, huc illuc per ſepulchrum vndequaq; ferretur; illudq; Clericis, ac Sęcularibus circumſpicientibus maximè admirationem augebat, quod aqua non putris, non fœtida, ſed clara, conſpicua, ac ſuaueolens conſpiceretur. At neq; id ad Viri ſanctimoniam demonſtrandam ſatis: nam mox ſigna erumpunt, morborumq; curationes diuinitus fiunt: quarum nonnulla placet hic exempla referre. Petrus Paulus, Agnetis Barbarę filius, paralyſi laborans, cùm huius aquæ paululùm hauſiſſet, à paralyſi curatur. Alter huius Agnetis filius, Gaſpar nomine, mutus, cùm à matre Gabrielis ſuffragijs impenſiùs commendatus fuiſſet, ceſpitans, IESV nomen clarè protulit; atque ab eo tempore diſtinctè omnia proloquitur. Eadem cùm ad Melchiorem filium alendum lacte careret, venerato Gabriëlis ſepulchro, & illius aquâ nouem dierum ſpatio epotâ, lac recipit. Hæc ipſa deniq; cùm graui febre, & pituitæ fluxu laboraret, hauſtâ ſepulchri aquâ conualeſcit. Legiſperitus quidam Sulſunenſis, Sanou nomine, ſæpè colico dolore vexatus, aquę eiuſdem lotione curatur.

 Catha-

Catharina Caſtellaria, 60. annorum virgo, graui epiphorâ laborans, huius aquæ potu ſanatur. Hieronymus Petri Guidoti filius graui febre tenebatur, ſepulchri aquam poſtulat, ebibit, ac protinùs incolumis redditur. Poſtremò, quædam ad Gabrielis ſepulchrum tabella appenſa fuit, in qua hæc verba exarata habentur: Vir quidam honeſtus, cùm in hoſtes incidiſſet, mortis periculum ſe euadere poſſe deſperans, ad Beatiſs. Virginem, Angelorum dictam, & Gabrielis opem confugiens; vtrumq; ſibi apparuiſſe, eumq; ab hoſtibus liberâſſe, affirmat. Quapropter in huius beneficij memoriam, & gratiam actionem hanc tabellam appendit. Aliæ quoque tabellæ appenſæ varia ab eo miracula patrata teſtantur.

Fr. VINCENTII A SALVDECIO,

SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER Vincentivs à Salvdecio, Sacerdos, cùm ſæcularis necdum vitæ ſtatum exuiſſet, religioſam & virtute plenam vitam agens, maioris virtutis ſpem in hominum animis alebat; hiſque viam ſibi ad Religionis amplexum ſternens, eius gremio, cùm iam duotrigeſimum ætatis annum attingeret, excipitur. Religionis verò habitum aſſecutus, piam anteactæ vitæ rationem tantâ Euangelicarum virtutum perfectione exornauit; vt ſe omnibus admirabilem, & velut virtutis prodigium præberet. Quotidianam enim à vino & carne abſtinentiam; crebra panis, & aquæ ieiunia; diras ac frequentes carnis flagellationes, lectuli, ſolis tabulis ſtrati, duritiem; cilicij, ac ferrei cinguli, quo perpetuò lumbos conſtrinxit, aſperitatem; longas noctis vigilias, & cætera corporis incommoda, pro nihilo ducere videbatur. Cæteras verò animi virtutes tam ingenti ſtudio proſequebatur; vt quod in his durum, ac difficilè paſſim ſe offerre ſolet, leue illi ac iucundum planè eſſet. Id verò illi potiſſimùm ex aſſiduo orationis ſtudio, cui plures diei, ac noctis horas vacabat, comparatum fuiſſe, nemo dubitat. Hæc quoque in Vincentij animo ardens quædam, potiſſimùm in ægrotos, charitas pullulauerat, quâ cùm infirmos quoſdam, ſuæ curę commiſſos, ardenter aliquando proſecutus eſſet, ea Diuinis oculis ita grata fuit, vt poſtmodum oranti B. Virgo Deipara, & B. P. N. Franciſcus apparuerint; piumq; charitatis opus ab eo ægrotis exhibitum commendantes, Cœleſti cohortatione in eo illius magis animum

confirmauerint; atque vt frequentiores pro ijs, qui Purgatorias pœnas luunt, preces ad Deum funderet, commendarunt. Poſt hæc in Pariſienſem Prouinciam miſſus; quo tempore lues Lutetiæ Pariſiorum graſſabatur, eodem charitatis æſtu, peſte laborantibus miniſtrat. Quo in miniſterio, eodem cùm morbo correptus fuiſſet; plagam contrahit, quam ad mortem vſque ſaniem effundentem, patientiſſimè tolerat. In hoc maximarum virtutum ſtudio dum Vincentius animum intendit, ſuas in eum inuidus Satan artes experitur; vtque hominem in amentiam propellat, varijs infeſtationibus ſomnum illi intercipere conatur. At Vincentius tartarea monſtra oratione expellens, vniuerſos Dæmonum aſtus, atque impetus irritos reddit. Cumq; longâ horum patientiâ probatus, præclara de hoſtibus trophæa reuexiſſet; tandem Nouaræ ſupremâ ægritudine correptus, cui nunquam intermiſſa comes oratio fuit; ſimul & orationis, & vitæ curſum confecit; ac tum primùm circulus ferreus, quem eoѕque occultum geſtauerat, circa lumbos apparuit; vt ſe non Dæmonis tantùm, ſed & carnis quoque victorem demonſtraret. Obijt Anno 1592.

Fr. Angelvs à Bvrino, Lucanæ Prouinciæ Sacerdos, cùm diu contagioſi morbi fœtorem patientiſſimè tuliſſet; eo conſumptus, poſt mortem tam ſuaueolentem odorem effundit, vt qui priùs viuentis odorem ferre non poterant, nouo, & Cœleſti mortui odore mirificè recrearentur. Obijt Anno 1592.

Fr. Seraphinvs Novocomensis, cùm magnis in Genuenſi Prouinciâ virtutibus præfulſiſſet, hoc poſt mortem ſuæ ſanctimoniæ teſtimonium poſteris reliquit; quod Antonium Ciaponem, ad Medicorum deſperationem ægrotantem, atque ipſius ſuffragia implorantem, cuiuſdam corporis ſui reliquiæ contactu, ad ſalutem reuocauit. Obijt Anno 1592.

Fr. CHRYSOSTOMI ALBIDONENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER CHRYSOSTOMVS ALBIDONENSIS, Sacerdos, cuius vitæ curſus, perpetuus cum tartareo hoſte conflictus, ac virtutum omnium diſciplina fuit; breue quidem habuit vitę curriculum: at longam meritorum ſeriem; non annorum, ſed virtutum numero computatam: quam tanta vitę innocentia, tantusq; animi candor exornauit; vt peruigil hoſtis, nihil in morte, quod in eo carperet, ſibi vendicare potuerit; pręterquàm, quod à litterarum ſacrarum ſtudijs mentem, animumq; reuocauerit, quibus pleriſque prędicando prodeſſe potuiſſet. Hac cùm tentatione grauiter illum in morte pulſaſſet, ab eâ tandem Diuinâ virtute liber, Beatiſſimæ Virginis, & SS. Ioannis Baptiſtæ, & P. N. Franciſci aſpectu, & conſolatione potitur: dumq; extremo agone cum morte luctatur, Cœleſtis in morientis cellâ melodia percipitur; quo tempore Chryſoſtomus Deo animam reddit, Anno 1593.

Fr. CORNELIVS à SALVE, Hydruntinæ Prouincię Sacerdos, cùm Diuinâ luce perfuſus ſeni cuidam poſt triduum repentinum obitum prænunciâſſet, Regulari obſeruantiâ, & virtute clarus occumbit, Anno 1593.

Fr. BENEDICTVS SALVENSIS, Sacerdos, cùm Panormitanam Prouinciam, abſtinentiæ, pietatis, ac pręſertim erga ſacram Deiparam religionis exemplis exornaſſet, obitus ſui horâ pręſignificatâ, ad Dominum migrat, Anno 1593.

Lucaniæ Prouinciam Fr. AVGVSTINVS à SICINIANO, Sacerdos, ſuis virtutibus illuſtrat; qui cùm nobilis cuiuſdam tibiam, graui dolore oppreſſam ſigno Crucis oppetijſſet, protinus ab eâ morbum ſimul cum dolore effugauit. Obijt Anno 1594.

In Neapolitanâ Prouinciâ Fr. FOELIX PONGADIENSIS, Sacerdos, cùm multæ orationis vir eſſet, atque ob ſummas animi virtutes Deo charus; Fratris cuiuſdam Iacobi animam, quæ ab eo ſuffragia poſtulauerat, ter perſolutâ B. Virginis corollâ, à purgatorijs pœnis liberat: annisq; ac virtutibus grauis, paulò poſt Iacobum Superatenſem, in Conuentu Immaculatæ Conceptionis, rebus humanis valedicit, Anno 1594.

Fr. MODESTI MVTINENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER Modestvs Mvtinensis, Sacerdos, vitam duxit perpetuâ auſteritate, & iugi orationis curſu præditam. Cùm ſtrenuè aduersùs tartareos hoſtes, cibi abſtinentiâ, vigilijs, oratione, ac durâ corporis caſtigatione dimicaret; illi ex aduerſo tam graue illi bellum intentare viſi, vt nonnunquam cum eo cominùs conflictarentur. Dum enim Modeſtus, in Dominicæ Paſſionis memoriam, diris corpus flagris perſequitur ſæpiſſimè Dæmon flagellum intercipiens, pium opus impedire ſtudet: Modeſtus tamen victor euadens, acerbius vtrumque, & domeſticum hoſtem, & tartareum flagellabat. Orationem, cùm ſibi quaſi indiuiduam comitem elegiſſet, in eâ diuinis interdum viſionibus potitur: inter quas hæc haud aſpernanda narratur. Orabat in Eccleſiâ aliquando poſt Matutinas Horas Vir Dei, cùm adoleſcentulam ſplendidam, ac formâ prꝗſtantiſſimam in viſu cernit; quæ cùm incredibili vndique pulchritudine præcelleret; quoſdam tamen in pectore pulueres geſtabat, quas veſtiariâ ſcopulâ ſibi aſtergere nitebatur. Puellæ ſpeciem Modeſtus maximè admiratus, quo pacto ſordes illas in pectore gereret, à puellâ ſibi declarari poſtulans, ait illa: Si me ignoras, Modeſte, tua Capucinorum Religio ſum, Deo, & hominibus amabilis. Quam in me Cœleſtem pulchritudinem cernis, hanc mihi veri Obſeruatores, atq; homines virtute prꝗclari apud Deum, & homines comparârunt; ac quotidie ſuæ Euangelicæ perfectionis ſtudio comparant. At quandoquidem virtutum ſtudio in nonnullis refrigeſcente, Religionis odor aliquantulum minuitur; hinc hi meo pectori pulueres inhærent, quos præclaris cæterorum exemplis, velut ſcopulâ, abſtergendos curo. Mea mihi quidem ſemper pulchritudo integra erit: at ſibi magnoperè caueant, qui rerum cupiditate, ac ſæcularibus curis ducti, bonum meum nomen, ſummo aliorum labore comparatum, commaculant, haſq; ſordes mihi in ſinu reponunt. His dictis viſio finem accepit. Cùm Fidentiæ aliquando Modeſtus moras traheret, tres nubiles puellæ, quotidianis cantilenis Fratrum animos ab communi oratione diſtrahebant. Has cùm Modeſtus ſæpè monuiſſet, vt orationis ſaltem tempore à

cantu abſtinerent; nihili illæ monita Patris facientes, cantus iterant; quibus is poſt hæc aliquando: Vos (inquit) nunc veſtras ad cantum voces componitis, & cantu veſtro Seruorum Dei orationem turbatis: at vix quindecim elabentur dies, cùm veſtrum omnium ora claudentur, voxque perpetuo mortis ſilentio intercepta, vltrà à Fratribus non audietur. Id eum non alio, quàm prophetico ſpiritu prædixiſſe, ipſe rei exitus probauit: præſcripto enim tempore elapſo, vnà omnes iura morti perſoluunt. Hic tandem, cùm vitæ curſum multâ cum virtute exegiſſet, illuſtre in eâ Prouinciâ nomen ſortitus, rebus valedicit humanis, Anno 1595.

Fr. BENEDICTI A VENAFRO, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER BENEDICTVS à VENAFRO, Sacerdos, tam ſingulari à Deo naturæ manſuetudine, ac benedictione præditus fuit, vt nemo vnquam turbatum, nemo à conſuetâ vultus ſerenitate immutatum viderit. Hac mentis tranquillitate cùm ad iuge orationis ſtudium ſe contuliſſet; diu ſæpè à ſenſibus aberrans, à toto corpore in ſublime elatus conſpicitur: frequenter inediâ, atque aſpero cilicio corpus affligit, ſomnumq; prolixioribus vigilijs fallit. Dum ſacris Myſterijs deuotiſſimè incumbit, Chriſtus inter ipſius manus, pueri formam geſtans, ab Altaris miniſtro cernitur: qui cùm hilari vultu ijs, qui Miſſæ intererant, dexterâ benediceret; eo aſpectu, diabolica de Sacramenti illius veritate tentatio, quæ illius diu animum exagitauerat, protinùs expellitur. Manfredoniæ mulierem, cuius vir interfectus fuerat, dum varijs argumentis ad deponenda cum interfectore odia inducere ſtudet, illâ pertinaciùs obſiſtente, Benedictus Diabolum ſub Æthiopis ſpecie, iuxta eam ſtantem, ac virgam manu gerentem, ſpectat; qui cùm primùm mulierem rationibus deuictam nonnihil ad concordiam propendentem aduertit, virgâ linguam eius percutiens, priora odia inſtaurat; odijs verò concitatam, charis amplexibus proſequitur. Poſtremò, cùm ſanus, ac valens, proximum ſui obitus diem præſignificâſſet, pleuritide correptus, inter illius morbi dolores, nihil aliud, præquàm IESV nomen, ex ore perſonat: quod cum eò dulciùs proferret, quò acrioribus doloris aculeis pungebatur; cùm eo tandem extre-

mum Deo ſpiritum reddit: atque ante Eccleſiæ limen, vti eo tempore mos Fratribus erat, humo opertus, ſepelitur. Poſt multos ab ipſius obitu annos, cùm effoſſo ſepulchro Benedicti oſſa, vt in nouum ſepulchrum inferrentur à Fratribus ſollicitè quærerentur; fortè accidit, vt qui ligone terram fodiebat, ferro in ipſius humerum peretraret: quo ex vulnere protinus viuus ſanguis erumpit, Benedictiq; corpus detegentes, integrum, & incorruptum Diuinâ virtute ſpectant. Obijt Anno 1595.

Fr. AMBROSII ZISONIENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER AMBROSIVS ZISONIENSIS, Prouinciæ Gallobelgicæ Sacerdos, Vir omnium virtutum laude clarus, cùm inter Canonicos Regulares Cœnobij Ziſonienſis, eam ſibi virtutis, ac prudentiæ famam comparâſſet, vt facilè eiuſdem Abbas eligendus foret; Cœleſti quodam viſu permotus, ad Capucinos ſe contulit. Viſus autem hic fuit. Orans aliquando ſibi in amœniſſimo quodam prato conſiſtere viſus eſt; in quo cùm vniuerſi Regularium Ordines, ſuis familijs diſtincti verſarentur; inter eos Capucini quoque, qui eatenus illi nomine, & habitu ignoti fuerant, recenſebantur. Dum hoc ille aſpectu delectatur, inclytam Cœlorum Reginam è Cœlo deſcendentem intuetur; quæ cùm vniuerſos illos Regularium Ordines ſingillatim ſalutâſſet, cumprimùm ad Capucinos venit, ijs non modò ſalutationem impendere; ſed & familiariter cum ijs colloqui, ac domeſticè conuerſari videbatur. Id ille animaduertens, & ſecum perpendens, ita ſecum in viſu ratiocinabatur: ſi tanta Beatiſſimæ Cœlorum Reginæ cùm Capucinis eſt neceſſitudo, & familiaritas, vt cùm his præ cæteris conuerſetur; id planè argumentum eſt, eam Capucinorum Ordinem maximâ beneuolentiâ complecti. Quamobrem è viſu reuerſus, cùm rem altiùs reuoluens, eam ſibi in viſu idcircò demonſtratam fuiſſe intelligeret, vt in eam ſe Religionem transferret; nullâ interiectâ temporis mora, Capucinorum Ordini nomina dedit; in quo tam præclarè, tantâque cum virtutum laude verſatus eſt, vt cùm vitę innocentiâ, integritate, morum honeſtate, ac præſertim Diuinæ Charitatis æſtu pręcelleret, ſæuâ lue in Inſulenſi vrbe graſſante, peſte ſauciatis, tum animæ, tum

corporis

corporis neceſſaria miniſtrat: quo in miniſterio, cùm aliquot menſes, impigrè, maximâq; omnium ædificatione laboraſſet, eodem morbo ex humanis ſublatus, charitatis martyrij præmium aſſequitur.

In Aquitaniæ Prouinciâ, Fr. PETRVS BELGA, & EMANVEL TAVRINENSIS, Sacerdotes, eximiæ virtutis commendantur. Obierunt Anno 1595.

In Aprutienſi Prouinciâ, clara SYLVESTRI CINGVLANI, Sacerdotis, etiamnum memoria viget; qui ſacræ Deiparæ cultu, ac religione præclarus, tam feruido quoq; in Deum mentis affectu ferebatur, vt cùm in eundem ſæpè ſpiritu ac ſenſibus raperetur, ex diuturno Diuinę Charitatis hauſtu, tam ſplendidam eo tempore faciem præferret, vt in eum vix oculi defigi valerent. Dæmonem in obſeſſæ mulieris corpore ſuo imperio compeſcuit. Quædam etiam, antequam acciderent, futura prędixit. Poſtremò, ſui obitus horâ prænunciatâ, æternùm victurus, è morientium regione migrat, Anno 1595.

In Pariſienſi Prouinciâ Fr. NICOLAVS AVRILOTVS, Sacerdos, Vir Seraphicâ paupertate, orationis ſtudio, ac prępſertim obedientiæ virtute celebris; de quo id memorabile traditum eſt, quod cùm obedientiam tam perfectè coleret, vt nihil niſi eâ duce ſibi agendum pręſcriberet; neq; ipſum vitę occaſum abſq; obedientia ſubire voluit. Quamobrem ad vitæ finem properans, à Guardiano obedientiæ meritum, & pręceptum ad vniuerſæ carnis viam præcurrendam expoſcit: quo accepto, mox Vir obediens vitę finem imponit, Anno 1595.

In Hetruſcâ Prouinciâ IOANNES LVSITANVS, Sacerdos, virtute præcelluit; qui ex Obſeruantium nuncupatorum familiâ, ad Capucinos migrans, vitæ auſteritatem, quam apud Religioſiſſimos Patres inſtituerat, aliarumq; virtutum ſortem, tam multiplicato fœnore auxit, vt quamplurimos ætatis annos integros, ferè rigido panis, & aquæ ieiunio traduxerit. Quod ſi in Dominicæ diei cœnâ, acetario interdum vteretur; tum ſequenti die, ab omni prorſus cibo abſtineret. Abſtinentiæ cùm rerum paupertas, perfectę Regularis obſeruantia, orationis, omniumq; virtutum ſtudia accederent, inter pręſtantiores illius Prouinciæ viros locum ſortitus, meliorem, ac fœliciorem hoc anno, mortalis corporis exuuijs in Senenſi Conuentu depoſitis, apud immortales ſibi comparat. Huius rei argumentum fuit, quod poſt ipſius obitum, habitus ipſius particula duos à quartanâ febri, tertium à graui capitis dolore Diuinâ virtute curauit. Obijt anno 1597.

Fr. FRAN-



FRATER FRANCISCVS A PATERNO FRAT^vm^ CAPVCINORVM SACERDOS.

Fr. FRANCISCI A PATERNO, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS à PATERNO, Sacerdos, cùm in ſæculo ruri vitam ageret, die in agrorum labore conſumpto, noctu è ſtrato ſurgens, binas, ac ternas horas in oratione inſumebat. Veruntamen ab aratro, ad meliorem à Deo animi culturam vocatus, ad Capucinos ſe confert: apud quos admirabile planè vitæ tyrocinium inſtituit. Neq; enim oculis ab eo tempore, præterquàm ad neceſſaria, viſum; neq; auribus, niſi ad obediendum, auditum permittebat: linguam verò tam arctâ cuſtodiâ coërcere exorſus eſt, vt ab omni etiam bonorum colloquio, ne quando in mala defluerent, abſtinere cogeret: ita vt perpetui ſilentij cuſtos eſſet. Quo fiebat, vt cùm ab aliorum ferè ſemper conſortio ſemotus ſolitudinem coleret, hinc Eremitæ apud Fratres nomen ſibi comparauerit. Gulam perpetuo, & quotidiano ieiunio, ac ſæpiſſimè ad panis, & aquæ inediam contracto, velut fræno pręſtringebat; molliaq; omnia, quibus carnis vitia foueri ſolent, tanto ſtudio refugiebat; vt præter dura, tam in veſtitu, quàm in cæteris vitæ neceſſitatibus proſequendis, nihil admitteret. Adeò quoque ad propriæ voluntatis interitum anhelabat, vt nihil ſibi vnquam, aut ſequendum, aut fugiendum, niſi ad ſuperioris arbitrium, pręſtitueret. Hinc ſæpè illam Pauli vocem orando vſurpabat: *Domine, quid me vis facere?* Ita animum ab omni honoris, ac propriæ exiſtimationis cupiditate exuerat, vt & probra, & contumelias auidè optaret. Denique, dum vniuerſa animi vitia perpetuæ mortificationis aratro ſuffodit, omnium virtutum in eo ſemina pullulare cœperunt; ipſo pręſertim orationis ſtudio accedente: quo fiebat, vt quod improbo labore in virtute aſſequi non poterat, à Deo ſibi orando compararet. Quid mirum, ſi copioſo Cœleſtium munerum à Deo rore perfundebatur. Hinc enim, vt Diuinâ multarum rerum reuelatione, plurimisq;, præter ſtatum rerum ordinem patratis miraculis, illuſtrabatur: quæ hic breuiùs à nobis enarranda erunt. Nonnulli, vt hinc exordiar, Paterni oppidi Sacerdotes inter ſe de obſcœnis rebus ante Eccleſiæ fores ſecretò colloquebantur, cùm eò forte Franciſcus pręteriens, his illos verbis increpat: O Domini Sacerdotes, quid veſtro honore, & gradu indigna tractatis?

Eloquia veſtra eloquia caſta ſint. Atque his dictis, iter ſuum proſequitur. Poſt hæc Franciſco Samperio, nobili viro, quædam, quæ ſecretò cum vxore colloquia contulerat, diuino ſpiritu aperit. Auguſtino quoque Feracio Paternenſi intimas animi cogitationes patefacit, vt ab his abſtineat. Hoc quoq; tempore, cùm Antonius Michaël, nobilis Paternenſis, mulionem, qui muſtum ruri collectum domum veheret, quantacunq; diligentiâ adhibitâ, non offenderet; ac apud Franciſcum ob id maximè conquereretur, quod illud in vappam euaſurum pertimeſceret; Franciſcus Antonio mulionem è Cœlo ſuâ oratione impetrat. Cumq; mulio ad vecturæ mercedem exoluendam vbique ſummâ diligentiâ quæreretur, nullibi reperitur. Cuiuſdam mulieris Paternenſis filius, qui Religionis ſe voto adſtrinxerat, cùm in grauem morbũ incidiſſet; deterius quotidie habebat: quem cùm mater Franciſci precibus commendaſſet, is protinus matri filij incolumitatem, Religionis ingreſſum, ac poſt aliquot Religionis menſes mortem pręnunciat. Octauius Cardonetus, vtriuſque Iuris peritus, & Auguſtinus Fararius, ciues Paternenſes, Franciſcum aliquando conuenientes, cum eo conquerebantur, quod propter Dominicanorum, & Minorum Patrum diuerſam de Beatiſs. Virginis Conceptione ſententiam, quid ſibi ſentiendum eſſet, non intelligerent. Quibus ille reſpondens, quod cùm eadem dubitatio animum ipſius aliquando ſollicitaret, diuq; Deum cum lachrymis precatus fuiſſet, vt claro veritatis lumine, huius ab animo dubitationis tenebras depelleret, hanc tandem in Cœlo vocem perſonantem percepiſſe: Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes, ſub honore B. Virginis, de cuius Conceptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. Ciuis cuiuſdam Paternenſis filium, ab equo ferociente humi proſtratum, vngulis confoſſum, vixque ſemiuiuum ereptum, ſigno Crucis ita mox incolumem reddit, vt ne quidem vulnerum cicatrices remanerent. Hoc modo, & Vincentium Octauij Cordoneti filium, qui ex caſu grauiter ſibi caput læſerat; mulierem quoque Paternenſem, vehementi febre correptam; tertium quoque Vrbanum, ex eodem oppido, graui capitis dolore laborantem; quartam denique Agatham Marchiſiam, capitis vulnere ſauciam, Crucis ſigno incolumitati reſtituit. Bartholi quoque Cæmerelli Paternenſis dolium vino vacuum ſuâ oratione plenum reddit. Vincentij etiam Calaſtij Paternenſis vxor, tres tantum telæ vlnas in arcâ gerebat; cuius cùm vnam Franciſco erogaſſet, eius meritis telæ illud reliquum tantoperè Diuinâ virtute excreuit; vt cùm ex eâ mulier familię

abundè neceſſaria ſuppeditâſſet, ea finem nunquam habitura videretur. Hoc pacto cùm ſerui ſui merita ac ſanctimoniam Deus ſignis illuſtrat; is l'aeterni, peracto virtutum curſu, mortali tandem vitæ finem imponit: prænunciatâq; ſui obitus horâ laboris mercedem accepturus, ad Dominum migrat, Anno 1598. tantaq; poſt illius obitum Paternenſis vrbis populi ad ipſius corpus frequentia, & deuotio fuit; vt habitum, quo ille contegebatur, ijs in fruſta conſcidiſſe non ſufficeret; niſi ipſius vngues, capillos, barbam, præ ſanctitatis opinione abradentes, ſibi in reliquias reponerent.

Fr. OBITII BRIXIANI, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER OBITIVS BRIXIANVS, Sacerdos, cùm à teneris annis Deum timere cœpiſſet, vix iuuentutis florem attigit, cùm in Canonicorum Regularium S. Laurentij Iuſtiniani religionem, à Deo tranſplantatur; in quâ dum vberes obedientiæ, ſilentij, ſolitudinis, cæterosq; religioſæ vitæ fructus afferret, contigit aliquando, vt Obitio, illius familiæ Canonico, viro pio, ac probo defuncto, nocturnas excubias præſtante, is egregiam quandam Religioſorum ſupplicationem Eccleſiam ingredientem intuetur; eosq; tantâ ſpiritus voluptate Hymnos, ac Pſalmos ſuauitet canentes, atque alios Eccleſiaſticos ritus, qui circa defunctorum corpora obſeruari ſolent, exercentes cernit, vt nihil vnquam iucundius illi aſpectâſſe videretur: qui tandem ſacro hoc munere functis in Cœlum abeunt. Hoc aſpectu Obitius ad præſtantiota pietatis ſtudia prouocatus; cùm de Capucinorum vitâ plurima aliquando ſibi commendari percepiſſet; his permotus ad Capucinos migrat, perfectiusq; vitæ tyrocinium amplexatus, in omni virtutum genere, humilitate ptęſertìm elucere cœpit. Sanctis Brixianæ Eccleſiæ ita deuotus fuit, vt nunquam de ijs eo præſente mentio fieret, quin protinùs in lachrymas erumperet. Tam ingenti quamlibet temporis iacturam, ac inutilia verba odio proſequebatur; vt quo tempore honeſtæ animi remiſſiones ante ieiunia Fratribus condonantur, à cœnâ præſertim, Sacerdote aliquo ſecum eiuſdem ſpiritus aſſumpto, in Eccleſiam ſecederet; ibiq; Sanctorum Litanias cum eo decantans, ab inutilibus ſeſe colloquijs ſubtraheret: neque enim fas eſſe aiebat,

vt dum alij, honeſtis licet, animi remiſſionibus indulgent, Dei Eccleſia Diuino oratore vidua lugeret. Dei, ac Sanctorum honos, tam profundè illius animo inſculptus erat; vt ſi quando eum periclitari cerneret, aſperius interdum delinquentes obiurgaret: cuius eum poſtmodum tantopere pœnitebat, vt ex profundiſſimâ humilitate, habitu ſibi detracto, ac fune collo alligato, proſtratus, ſupplex veniam peteret. Cæterùm, tam ingens erat Diuinæ Charitatis flamma, quâ Dei ſeruus intus animo ardebat, vt cùm in Vertuæ Conuentu, in ipsâ Dominici Natalis nocte, ſolemnem Miſſam decantaret; cùm primùm Angelorum Hymnum: *Gloria in excelſis Deo.* inchoauit: vix hiſce verbis altâ voce prolatis, protinùs excedens, diu immobilis, ac mente alienatus perſiſteret. Quo tempore populus, qui ad Miſſarum ſolemnia confluebat, procul ingentem, velut accenſæ fornacis flammam ex Eccleſiæ tecto ſurſum erumpentem cernit: quo aſpectu territus, cùm Eccleſiam conflagrare exiſtimaret, turmatim Eccleſiam ingrediens, nullum materialis ignis incendium; ſed Dei ſeruum tantùmmodo ſacris Myſterijs incumbentem, ac Diuini amoris flammas eructantem ſpectat. Hâc Cœleſti charitatis flammâ, cùm is in omnes, præſertim ægrotos exardeſceret, cuiuslibet diei veſpere, eos aquâ benedictâ aſpergere conſueuerat. Inter quos aliquando Fratrem Martinum ab Alaxano, Laicum, tertianâ febri congeminatâ laborantem, præmiſsâ oratione à febre liberat. Is denique cùm multos in vitæ puritate, auſteritate, paupertate, ſimplicitate, ac perfectâ regularis diſciplinæ obſeruantiâ, annos in Religione traduxiſſet; Brixiæ ex huius vitæ procellis, ad tranquillam æternæ ſtationem concedit, Anno 1599. quod Cœleſti viſione Fr. Benedicto Albinenſi, Sacerdoti declaratum fuit; qui antequam de Obitij morte quicquam illi renunciatum fuiſſet, in ipsâ illius obitus horâ, Obitium inter multorum Sanctorum agmina, in modum ſupplicationis diſpoſita, ac palmarum ramos geſtantia, Cœlum conſcendentem cernit. Sexto ab ipſius ſepulturâ anno, ipſius corpus integrum, atque incorruptum conſpicitur.

In Lucania Prouinciâ Fr. Joannes à Ferandina, Sacerdos, Vir ad miraculum obediens; qui cùm hâc inter alias viuens virtutes præcelleret, eam quoque poſt mortem exhibuit: cùm enim illius germana ſoror Corollam, quam defunctus manibus geſtabat, magnoperè optaret, ea nullâ vnquam vi ab ipſius manibus auelli potuit; at accedente Superioris præcepto, protinùs Corollam reddidit. Obijt anno 1599.

Fr. PETRI ALENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

Frater Petrvs Alensis, Sacerdos, cùm omnes, communi omnium Fratrum voce, virtutum gradus conſcendiſſet; inſigni tandem quadam probatione à Deo examinatur: diuturno namque grauiſſimæ elephantiæ morbo affectus, qui labra, naſum, totumque ipſius faciem depaſtus fuerat; cùm lingua duntaxat illi integra relicta eſſet, eâ laudes Deo aſſiduè decantare, illius ſtudium erat, donec perfectas, Cœleſti coronâ donatus, Deo laudes reddidit. Neque id fruſtrà dixerim: cùm enim euulgatâ Petri morte, ingens populorum turba ad illius corpus confluens, habitum illi, vngues, capillos obtruncaret, ac velut reliquias ſibi reponeret, ijs plerique ægroti à morbis curantur. Inter hoc Franciſci Riſtucię famulus recenſetur; qui cùm comitiali morbo diù laboraſſet, Petri corollâ ipſius collo impoſitâ, ſtatim à morbo conualuit. Alter quoque eodem morbo correptus, reliquiarum eius contactu liberatur. Catharina denique Pitella, quæ cùm fœtum emittere non poſſet, maximis iam per aliquot dies doloribus tenebatur; vix aquam, in quâ nonnulli barbæ illius pili immerſi fuerant, ebibit, cùm fœtum ſalua, & incolumis peperit. Obijt Vir Dei, Anno 1600.

Fr. Ioannes Alexanientis, Hydruntinæ Prouinciæ Sacerdos, Vir ſummæ auſteritatis fuit; ita abſtinentiâ clarus, vt carnes nunquam attigerit; 15. annorum ſpatio à vino abſtinuerit; binos, ternosq; hebdomadæ dies abſque cibo tranſegerit; ab Angelo in neceſſitate panem acceperit. Denique inuictâ diutini, ac horrendi morbi patientiâ probatus, ad coronam euolat, Anno 1600.

Fr. Dominicvs Veronensis, Sacerdos Venetæ Prouinciæ, ob aſſiduum orationis ſtudium, multas à Dæmone infeſtationes patitur: dolium vino vacuum ſuâ oratione plenum reddit, & in morte B. Virginem cum B. Clarâ ſibi occurrentem cernit, Anno 1600.



FRATER AEGIDIVS ENNEVS FRATRVM CAPVCINORVM
SACERDOS.

Fr. ÆGIDII ENNEI, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ÆGIDIVS ENNEVS, Sacerdos, Vir omnibus ferè naturæ, & gratiæ donis ornatiſſimus, cùm maturè ſub adoleſcentulæ crepuſculum ſe Deo in Clericatus ordine conſecrâſſet, ac velut Dei virgultum prima pietatis germina protuliſſet, in Seraphicam Capucinorum Religionem inſertus, abundantes fructus protulit. Cùm enim altas in humilitate radices egiſſet, in amplos facilè obedientiæ, manſuetudinis, paupertatis ſpiritus; totius denique iuſtitiæ fructu onuſtos, ſeſe ramos extendit. Præcipua verò ſacram Virg. Deiparam, & B. Ioſephum ipſius ſponſum, veneratione proſequebatur: quibuſcum aliquando locutum fuiſſe, communis inter fratres fama fuit. Nam quod ad Beatiſſimam Virginem ſpectat, id proculdubio certum: ei ſiquidem aliquando oranti, ab illâ reuelatum fuiſſe conſtat, ipſius matrem, quæ paulò ante obierat, purgatorijs pœnis, tametſi leuibus, detineri: pro quâ cùm is aliquamdiu Deum rogâſſet, ab ijs tandem liberata fuit. Vir ita ſolitarius, & ab omnium familiaritate ſemotus erat; vt nullo vnquam tempore præterquàm in publicis functionibus, inter Fratres conſpiceretur. Cùm autem à rerum omnium curâ, & ſtrepitu ſemotus, liberiùs, ſuauiusq; orationi, ac rerum Diuinarum contemplationi vacaret; pleriſque etiam ab eo Cœleſtibus donis cohoneſtabatur: ita, vt Diuinâ ſæpè luce perfuſus occulta penetraret, ac futura prædiceret: quod nonnullis exemplis exploratum fuit. Cùm enim Fr. Bonauentura Enneus, ex noſtris Sacerdos, per id tempus ex humanis conceſſiſſet, Ægidius à Fr. Alfio, ipſius germano, vt pro ipſius anima Deo ſacrificium offerret, rogatus, id agere liberè recuſauit. Cuius rei cauſam percunctatus: Bonauentura (ait) noſtris precibus non indiget. Ex his ille Ægidij verbis, cùm Fratrem Cœleſti iam gloriâ donatum intelligeret, impenſiùs ab eo poſtulat, vt ſuâ apud Beatiſs. Virginem, prece interpoſitâ, ſibi defuncti Fratris aſpectu frui liceat. Suffragium ille pollicetur: Deiparam Virginem precibus interpellat: Bonauenturam cœleſti gloriâ perfuſum ſibi oranti adſtantem cernit: diu cum eo colloquitur: Fratris illi deſi-

derium exponit. Cui ille: Haud hæc Alſij Fratris Deo curioſitas placet: quapropter illum admone, vt ab eâ abſtineat; ſed Deo viuere, regulari obſeruantiæ diligenter inſiſtere, & quæ ſui officij ſunt, omni ſollicitudine perficere curet. Poſt hæc Marſilio Bellonio, Enneæ Eccleſiæ Sacerdoti, vniuerſas animi cogitationes aperit; moxq; eam cogitationum procellam, quâ hactenus penè obrutus fuerat, ſibi in animo ita ſedatam ſenſit; vt deinceps ijs nunquam perturbatus fuerit. Nonnulla quoque futura prædixit, quæ ſuum deinde euentum ſortita ſunt. At his prætermiſſis, ad miracula accedo, quæ ab eo copioſiùs patrata leguntur. Quidam octo annorum puer, Halyciæ, Siciliæ oppido, ex arbore dilapſus, delumbus euaſerat: quem mox parentes ad Ægidium delatum, ab eo Crucis ſigno, & Salutatione Angelicâ adiuuari poſtulant. Id cùm Ægidius ex humilitate, agere recuſaret, ne ſibi pueri curatio adſcriberetur; vrgent illi vehementiùs, ſolamq; Salutationem Angelicam ab eo, puero exhiberi poſcunt. Quibus ille: ſi de Beatiſsimæ Virginis imperio, & virtute agitur, quis eam maiora efficere poſſe dubitet? Quare Angelicâ Salutatione perſolutâ, cùm puerum Crucis ſigno obſignaſſet, incolumem protinùs dimittit; curationemq;, vti ſemper ſolebat, Beatiſsimę Virgini acceptam reddit. Hoc modo, dum hoc in oppido commoratur; quotquot illi ægri infantes à matribus offerebantur, omnes Angelicâ Salutatione, Crucisq; ſigno adhibito, perſanabat. Capotarſi Baroniſſæ, quædam filia erat, quinque annorum puella, quæ cùm à natiuitate oculos tam imbecilli lumine præditos tuliſſet; vt ne lucem quidem aſpectare poſſet; eâ Ægidio oblatâ, is aquam hauriri iubet, ac Salutatione Angelicâ ſuper illam recitatâ, cùm primùm puellæ oculos lauit, ac ſigno Crucis benedixit, illicò claros, ac perſpicuos reddidit. Angelica Curra Halycienſis graui anginâ laborabat; quam ſimul atque Ægidius Crucis ſigno benedixit, & Angelicam Salutationem perſoluit, ab eâ poſt horam perfectè conualuit. In eodem quoque oppido Paulus Riccius, periculoſo apoſtemate in inguine ægrotabat; cuius cùm dolore grauiſſimè cruciaretur, ab Ægidio Crucis ſigno benedictus, atque oratione confirmatus, ſtatim à dolore, tùm paulatim à morbo liberatur. Ibidem quoq; Marcellus puer, qui ob renum imbecillitatem inceſſu frui non poterat, renibus illi ab Ægidio obſignatis, paulò poſt rectus, ac valens incedit. Ennam Ægidius aliquando proficiſcens, in mulierem ex veneficio amentem incidit; cui cùm arundineum baculum, quo fulciebatur, porrexiſſet, vix ea illum manu contigit, cùm ſanæ menti reddita

fuit. Hoc miraculo per vrbem euulgato, cùm baculus ille religiosè aſſeruatus fuiſſet, eo plures fœminæ partus difficultate laborantes, partus facilitatem aſſequuntur. Maximus Maltenſis Enneus vir nobilis, cùm ex papulâ illi in altero oculo exortâ, oculi palpebra ita inuerſa fuiſſet, vt monſtruoſa planè videretur, ſignum Crucis ei Ægidius adhibet, & Angelicam Salutationem recitat, paulatimq; palpebra priſtino ſtatui reſtituitur. Hoc ipſo tempore Ioanna Mediolanenſis Ennæ, quartodecimo die partus doloribus laborans, Ægidij pallio operta, ſtatim ſalua enititur. Per id tempus, Matthæus Baro Cotominæ, qui plurimâ in Capucinos deuotione ferebatur, cùm vini dolium, pio tantùm Fratrum vſui deſtinaſſet, accidit, vt vinum in dolio aceſceret; ita vt nec Baronis, nec Fratrum vſui aptum eſſet. Quod cùm Ægidio aliquando retuliſſet; is vini illius acidi cyathum ſibi adferri poſtulat: quem vbi ſigno Crucis benedixit, ac ſuper eo Angelicam Salutationem protulit, in dolium refundi iubet: ex quo vinum, ex acido, & corrupto, mox vehemens, ac melioris notæ generoſum euadit. Nec multò poſt, Ioſepho Nicaſio vini dolium, ſigno Crucis ex acido, tam pretioſum, ac copioſum reddit, vt ad tertium vſque annum familiæ, Fratribuſque vinum fuderit. Eodem quoque ſigno equi fronti impreſſo, ex feroci, & indomito, mitem ac lenem Domino reſtituit. Antoninæ præfati Ioſephi vxoris, animi anguſtias ſpiritu prophetico prænoſcens, ad eam pergit, eiq; quamprimùm locum, vbi claues, quas perditas lugebat, reperiret, indigitans, cunctis admirantibus reddit. Mulum quoque, Nicolai Valentis Ennei, ita aduerſus ſolearum fabrum calcitrantem, vt nullo modo illi ferrea ſolea induci poſſet, ſolo verbo compeſcit. Tanto itaque ſignorum ſplendore Ægidius à Deo illuſtratus, cùm eam apud populos ſibi ſanctimoniæ famam comparaſſet, vt paſſim Sancti Viri apud ſæculares, & apud Fratres Pij, ſibi nomen vendicaret; ad Calaſibettæ Conuentum profectus, orans à Beatiſſimâ Virgine non modo futuri obitus tempus; ſed & eum, nullo præſente, diem ibi extremum clauſurum accipit. Quapropter maiori ſtudio animum ad Cœleſtia intendens, cumprimùm morbo corripi cœpit, mente Sacramento expiatâ, & Diuino pane refectâ, quo die Beatiſſima Cœlorum Regina ſe in Hieroſolymitano templo purificatam oſtendit, eodem Ægidius, Dei gratiâ purificatus, cœli adyta penetrauit. Huius ſerui Dei corpus, cùm Guardiani diligentiâ, qui irruiturum in ſe populum pertimeſcebat, antelucanâ horâ, ſepulchro conditum

fuiſſet; obitus deinde famâ per vrbem diffuſâ, ad ſedandum populi murmur, quæ illius olim vſui inſeruierant, in plurimos diſpertiri opus fuit: quibus plurima quoque poſt illius mortem Diuinâ virtute miracula edita fuêre. In his Viola Falconia, quæ mortuum fœtum in vtero geſtabat, cùm magno in vitæ diſcrimine verſaretur, Ægidij baculum ſibi admouens, protinus mortuum fœtum ſalua peperit. Hoc ipſo tempore, cùm Ioſephus huius Violæ filius, ſtranguriâ laborans, lotij retentione ad funera raperetur, eodem illi adhibito baculo, mox lotio effuſo à mortis periculo liberatur.

Fr. LAVRENTIVS, Sacerdos in Hetruriæ Prouinciâ, Vir fuit omnibus virtutibus ornatus: diu Nouitiorum curam præclarè egit: Diuino amore ebrius ſaxa, ac ſtipites amplectebatur: ecſtaticâ, quoque contemplatione clarus, ſui obitus tempore prænunciato, plurimâq; ſanctimoniæ famâ poſt ſe relictâ, Turtichij mortales exuuias deponit, Anno 1602.

Piceni Prouincia Fr. ELIAM AB ANTICO, Sacerdotem, regularis obſeruantiæ, patientiæ, ac perpetuæ orationis commendat; qui cùm extremo neceſſitatis tempore, Cœleſtem annonam familiæ ſuâ oratione à Deo impetrâſſet, multis à Dæmone infeſtationibus probatus, prædicto ſui obitus die, hinc feliciter emigrat, Anno 1602.

Fr. ANTONII A FRANCICA, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS à FRANCICA, Sacerdos, nobili proſapiâ natus, generis nobilitatem maiori virtutum ſplendore accumulauit. Huius tanta mentis puritas, & animi ſimplicitas fuit, vt cùm Ieracium aliquando Religionis gremio excipiendus proficiſceretur; lepus, qui inſequentes canes fugiebat, in ipſius ſinum, velut in tutum locum proſilierit. Inter Religionis Tyrones conſcriptus, tantâ mox cœpit morum honeſtate, obedientiæ, ſimplicitate, ſenſuum mortificatione, paupertatis zelo, vitæ auſteritate, totiusq; regularis obſeruantiæ diſciplinâ fulgere; vt in nouo palæſtritâ Fratres veteranum militem; & in iuuene ſenis prudentiam, ac perfecti hominis ſimulacrum ſuſpicerent. At cùm Antonius hinc nobis celeriùs eripiendus eſſet, breui etiam virtutum

omnium faſtigium aſſecutus viſus eſt: Neque enim trigeſimum adhuc ætatis annum expleuerat, cùm Poliſteni acutâ febre correptus, ſupremùm ægrotare cœpit. Mente igitur Sacramento expiatâ, atq; ad Domini occurſum paratâ, pridiè quàm è vitâ migraret, dum Fratres circa illum nocturnas excubias obſeruant, in mentis exceſſum raptus, Diuinâ hac viſione potitur, quam Fratribus poſtulantibus, his ille verbis narrat: Videbar mihi (inquit) cœmentarium fabrum conſpicere, qui celerrimè ſcalas ſuis gradibus diſtinctas ad Cœlum vſque pertingentes conſtrueret: quibus feſtinatò abſolutis, Angelus mihi Cuſtos manu apprehenſum, me per eam ducens, in Cœlum vſque perduxit: atque in Dei, Beatiſſimæ Virginis, B.P. Franciſci, ac multorum Angelorum conſpectu ſtatuit, quorum mihi videbar gloriâ frui. Hoc me gloriæ dono cùm honeſtatum cernerem, protinus exclamo: Heu me! quia homo peccator ſum. Vnde tanta mihi gloria, cui potius pœna, quàm præmium debetur? At mihi Beatiſſima Virgo: Fili (ait) æquo animo eſto: iam pœnas in corpore exoluiſti, nunc te gloria manet. Mox Dominus à B. P. Franciſco, num me inter filios ſuos cooptatum agnoſcat, percunctatur. Cui ille: Vtique Domine: quandoquidem pauperculus ſemper fuit, ac paupertatis amator. Tunc mihi inter Martyres, & Confeſſores ſedes collocata fuit. Inter Martyres quidem, ob vitam cruce & martyrio plenam, quam in Religione duxeram: inter Confeſſores verò, propter religionis habitum, quem à conuerſationis meæ exordio hactenus, nullâ graui culpâ labefactatum detuli. His ita Dei decreto ſancitis, huc ab Angelo iterum reductus ſum, eò breui rediturus. Hæc Dei, ac beatæ Virginis iuſſu vobis aperui: vos ea, donec ſpiritum egerim, continete. Cumq; per dimidiæ horæ ſpatium, quaſi quieſcens, conticuiſſet; poſt hæc in lectò genuflectens, Cruce ligneâ manu apprehensâ, cùm eam diu defixis oculis, ſilens contemplatus eſſet; tandem in ipſius oſcula ruens, tam tenerè eam complectebatur, vt in eius amplexu animo liquefieri videretur. Poſt hæc in quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem oculos defigens, inter Crucis amplexum & Beatiſſimæ Virginis aſpectum Deo ſpiritum reddidit, æternâ in Cœlo gloriâ coronandum. Poſt mortem verò, tanta illius vultus pulchritudo fuit, vt intuentes maximè exhilararet; ita vt nemo (Deo ſerui ſui gloriæ teſtimonium perhibente) illius obitum lugere poſſet. Tertio poſt Antonij obitum annò, eiuſdem corpus tam incorruptum in ſepulchro viſum fuit, perinde ac ſi eodem die in eo conditum fuiſſet. Obijt anno 1603.

Fr. VIN-

Fr. VINCENTII AB INTERAMNIA, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER VINCENTIVS AB INTERAMNIA, Sacerdos, vitæ innocentiam à ſæculo exorſam, tantâ poſteriorum virtutum copiâ in Religione auxit, vt inter humiles humilior, inter pauperes pauperior, inter obedientes obedientior, inter honeſtos honeſtiſſimus, ac virtutibus omnibus ornatiſſimus haberetur. Huic aſſidua orandi conſuetudo, tam ingens callum genibus obduxerat; vt cùm frigore interdum diſrumperetur, copioſus ex eo ſanguis efflueret. Aſſiduâ quoque virtutum exercitatione, eam tandem animi tranquillitatem aſſecutus fuerat; vt nullum in ipsâ virtutum actione laborem, aut ſenſus repugnantiam perciperet. Cuidam Fr. Bonauenturæ, qui leui ex qualibet occaſione equitabat, futurum aliquando prædixit, vt equitando extremum ſpiritum duceret: quod, vti prædixerat, re ipſa accidit. Sulmone Aquilam profecturus, Nouitijs ſui obitus tempus prædicit. Poſt mortem verò corpus ipſius tam ſuaui odore fragrare cœpit, vt ipſam quoque cellam, in quâ iacebat, odoratam redderet. Caro quoque, ieiunijs, & vitæ auſteritatibus obdurata, tunc ita mollem ac palpabilem ſe contingentibus præbuit, vt pueri carnem æmulari videretur. Sancti huius Viri conſpicilia, cùm ad Petrum, germanum fratrem, qui anguſtâ oculorum facultate tenebatur, delata fuiſſent, his clarum viſum recipit. Eius quoque vxor, quæ capitis vertigine laborabat, hæc ſibi ſpecularia adhibens, ab eâ ſubleuatur

Obijt Anno 1603.



FRATER CHERVBINVS A CASTRO S. PETRI FRATRVM CAPVCINOR SACERDOS.

Fr. CHERVBINI A CASTRO S. PETRI, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER CHERVBINVS à CASTRO S. PETRI, in Æmiliâ Sacerdos. Vir illuſtris, cum à ſæcularibus vitijs purus ad Religionem acceſſiſſet; in eâ verus Iſraëlita, ſimplex, ac ſine dolo, vitam duxit; atque adeò hac mentis ſimplicitate floruit, vt cùm de nullo vnquam malum ſuſpicari poſſet, in Capucinis præſertim, nullam omninò culpæ labem ineſſe, ſibi certò perſuaderet. Quo tandem factum eſt, vt hoc ſtimulo actus, tam ingentes in omni virtutum genere profectus ediderit; vt Fratres hominem tot virtutibus ornatum ſuſpicientes, ipſius ſimplicitatem, non tam à naturâ, quàm à virtute proficiſci, animaduerterent. Paupertatis tam auarus exactor fuit; vt panni, ac corij præſegmina, fili fruſta, lignuncula, quæ in Conuentu interdum pereunt, ſollicitè colligens, ea velut paupertatis reliquias, ſibi reponeret. Præter communes orationis horas, ſæpè vſque ad tertiam, & quartam horam, in cellâ orans, noctu præſertim, diuinarum rerum contemplationi vacabat: ex quâ tam præclarum diuinæ lucis à Deo donum hauſerat; vt & futura prænoſceret, & cordium occulta nonnunquam penetraret: quod certis aliquando exemplis comprobatum fuit. Is enim Antoniæ cuiuſdam Scalpellinæ, quæ maſculum filium pepererat, Foroliuij domum ingreſſus, cùm infantulum vlnis excepiſſet, celerem illius occaſum prænuncians, ita illum alloqui cœpit: In Cœlum, infantule, in Cœlum tibi eundum. Neque id fruſtra: infantulus enim ipsâ nocte, è viuis ſublatus, cœleſtia petijt. Bartholomæo Angelerio Foroliuienſi, nec non Iuliæ Guiſellæ, occultos defectus, vitæquè in melius mutationem aperit. His pleraque etiam ſigna, & miracula accedunt, quibus D. O. M. huius ſerui ſui ſanctimoniam teſtatam eſſe voluit. In his Margarita Foroliuienſis, Ioannis Botargæ vxor, quæ diu febre, ac cordis deliquio laborauerat, cùm à Cherubino ſigno Crucis conſignata fuiſſet, vtriuſque morbi curationem ſtatim aſſequitur. Huius puer infantulus ad mortem ægrotans, vix à Cherubino Crucis ſignum in fronte acci-

pit, cùm

pit,cum integram ſalutem vendicatur. Liuia Guiſella,iam extremæ Vnctionis Sacramento roborata, eò ægritudinis euaſerat, vt ipſius tantum vitæ occaſus expectaretur; quo tempore Cherubinus ad ægrotantem accedens, vbi aliquantiſper orauit, ouum ei propriâ manu abſorbendum porrigit: quo hauſto, Diuinâ virtute miteſcit morbus,ac breuiſſimo tempore, magnâ cum Medicorum admiratione,è lecto ſurgit incolumis. Iulia Guiſella, huius Liuiæ filia, ſæpius matricali dolore ita torquebatur; vt contractis membris ſpumas ex ore euomeret. Ad eam cùm Cherubinus aliquando hoc morbo ægrotantem acceſſiſſet,chartulâ,in quâ illa Euangelij verba: Super ægros manus imponent, & benè habebunt, conſcripta erant, adiuncto B.P.Franciſci nomine, ad ipſius collum appensâ, ita ab eo morbo illam diuinitus curauit; vt nunquam deinceps ab eo afflictata fuerit. Ludouici Angelerij ancilla, grauiſſimâ ægritudine oppreſſa,& ab omni ſpe vitæ deiecta, in lecto iacebat: quo tempore Cherubinus ſtipem quotidianam exigens, ad Ludouici domum accedit: qui vbi ad ægrotantem deuenit, Centurionis Euangelium ſuper eam legit. Quo lecto,ſtatim ægrotans reſpirare viſa, breui tempore vitam, incolumitatemq; conſequitur. Hoc modo & puerum hydropiſi laborantem, cùm hydropici à Christo perſanati Euangelium ſuper ipſum pronunciaſſet,illicò incolumem reddidit.Huius quoque pueri patrem ſigno Crucis ab ægritudine liberat. Poſtremò Ludouicus Porcius Foroliuienſis, quadriennij ſpatio ſtomachi dolore ita elanguerat; vt Medicorum iudicio morbus incurabilis haberetur: quo tempore eò Cherubinus aduentans, cùm de more Euangelium de puero Centurionis à Chriſto Domino curato, ſuper eum pronunciâſſet; hoc ipſo tempore dolor cœpit miteſcere; ac breui dierum interiectâ morâ,cum dolore morbus abſceſſit. Hæc, & pleraque alia, cùm ad ſerui ſui interceſſionem D. O. M. miracula edidiſſet,quibus ipſius apud homines vitam, & virtutes commendaret;hunc tandem in Foroliuienſi Conuentu, ad Cœleſtes ſedes acceſſens,maioribus etiam in morte donis coronat.Poſtremò namque morbo ægrotanti, cùm horribilis Dæmonum turba, quaſi metum illi inceſſura, apparuiſſet; his illos inuicto animo verbis aggreditur: ô ſceleſti! tot in me vnum condenſato agmine, veſtris velut faucibus abſorbendum irruitis? At ego veſtros, neque vultus, neque impetus reformido: tot enim hîc Chriſti milites adſumus, vt nulla veſtrum,licet ingens,nos copia terreat.His dictis cùm in eos aquam benedictam aſperſorio immiſiſſet, actutùm vniuerſos ad fugam

compulit. Nec multò poſt Dominus ſub infantuli ſpecie cellam, in quâ iacebat, ingreſſus; ſeruulum ſuum Diuinâ pręſentiâ conſolatur: Socius verò, qui tunc aberat, rediens, Cherubinum hæc tantùm verba proferentem audit: O quàm pulcher infantulus! ô quàm formoſus puer! Cœleſti itaque Cherubinus hac conſolatione recreatus, quæ ad maiora illum Paradiſi gaudia pararet, mundo tandem eripitur vt in Cœleſtibus ſedibus collocetur. Cuius rei præter Angelicam vultus pulchritudinem, quæ poſt obitum in eo elucere cœpit, & confluentis populi multitudinem, qui rumore de ipſius obitu diffuſo, vndique tùm ex vrbe, tum ex vicinis oppidis, ad corpus tanto deuotionis impetu irruit; vt niſi maturè à Fratribus ereptum fuiſſet, habitu iam maiori ex parte in fruſta conciſo, corpus quoque ipſum diſcerptum fuiſſet, pręclara teſtimonia fuerunt, pleraque, quæ ipſius interceſſione patrata ſunt, miracula; quorum aliqua duntaxat exempla, quæ certâ fide commendata fuêre, referre libet. Flaminia Angeleria, nobilis Foroliuienſis, tam vniuerſali corporis morbo tenebatur, vt vndique doloribus obſeſſa, magno in vitæ diſcrimine Medicorum ſententiâ verſaretur; cùm domeſticorum perſuaſione, cannabaceo cingulo, quo Cherubinus viuens præcingebatur, à Bernardino Zaulio, apud quem aſſeruabatur, mutuò accepto; dum illius è Cœlo ſuffragium poſtulat, & cingulum induit; eodem temporis momento, effugatis doloribus, ita à morbo libera eſſe cœpit, vt deinceps eo nunquam affecta fuerit. Eliſabethæ Carariæ Foroliuienſi, nepos paruulus erat, qui cùm grauiſſimâ cephalalgiâ laboraret; æreâ Crucifixi imagine, quam olim Cherubinus geſtauerat, illius capiti impoſitâ, tam repentè ac perfectè ab eâ liber euaſit, vt nunquam deinceps illius moleſtias ſenſerit. Obijt Sanctus Vir Anno 1603.



FRATER STHEPHANVS A TIPHERNO FRATRVM CAPVCINORVM SACERDOS.

Fr. STEPHANI A TIFERNO METAVRENSI, Sacerdotis.

Vita, et Geſta.

FRATER Stephanvs à Tiferno Metavrensi, Sacerdos, Vir vitâ, ac ſignis clariſſimus, ex honeſtâ Beuilaquorum progenie ortus, diuinâ ita benedictione præuentus fuit, vt à puerili ætate, ipſâ ætate maior, ſenilia tantùm in animo verſaret: & qui necdum inter bonum & malum diſcernere, aut diuinorum capax eſſe poterat; ita optima quæque ſibi eligeret, ac Diuinis rebus ſtuderet, vt ad Diuina tantummodò natus videretur. Adoleſcente verò ætate, ea illius perpetua vox erat, ſibi ad Capucinos eundum, & cum ijs commoriendum. Porrò, vt ſe tum animo, tùm vitâ, tùm, quod caput eſt, Diuinâ vocatione iam Capucinum oſtenderet; ſolitudinem ſibi in quodam domus columbario parauerat; in quo ante ligneam Chriſti Crucifixi imaginem, quæ in eo clauo affixa pendebat, quotidie orans, quotidie etiam ſe ob Dominicæ Paſſionis memoriam plagis & verberibus onerabat. His in pietatis præludijs cùm maiorem adoleſcentiæ partem conſumpſiſſet, cùm primum duodeuigeſimum annum attigit, quam animo, ac voce iam amplexus fuerat, tum vitâ & habitu Capucinorum tandem Religionem induit. Admiranda ſunt obedientiæ, ac patientiæ exempla, quibus cæteris Religionis Tyronibus præluxit, vt in omni virtutum genere probatus, præclaram Euangelicæ perfectionis molem altis hiſce fundamentis ſuperſtruxerit ipſiuſque vita ad Cœleſtem propiùs, quàm ad humanam accederet. Etenim humilitas eum viliſſimâ ſui exiſtimatione omni ſuperbiæ ſenſu expoliauerat: Cœleſti ſapientiâ emicans, Diuina mente conſpicere, & humana omnia virtute tranſcendere didicerat: obedientiæ aures ad omnem ſuperioris nutum, ac voluntatem patebant: taciturnitas, linguam à noxijs extorrem, & ab otioſis verbis alienam effecerat: abſtinentia perpetuam inediam continuâ refectione condiebat: inuicta conſtantia ad duros quoſque aduerſæ fortunæ caſus prominebat: in eo quoque tam candida pudicitia eniteſcebat, vt virginitas, quam

ex matris vtero tulerat, eandem abſque labe in morte reddiderit. Auſteriatis, ac paupertatis cultor, triginta, & octo annorum ſpatio, tres tantum habitus conſumpſit: Orationi tam aſſiduus incumbebat, vt illi potius orationi tempus, quàm oratio tempori deeſſet: Hanc verò compunctio tot lachrymis vberem reddebat, vt vix etiam poſt orationem ab ijs ſeipſum continere valeret. In Deum tantâ charitate ferebatur, vt nihil illi iucundius contingeret, quàm durum, ac moleſtum aliquid pro Chriſto tolerare. Proximum verò tam tenerâ charitate proſequebatur, vt ſe totum in omnium, ac præſertim pauperum, ægrotorumq; commodum, & vtilitatem effunderet. Hunc igitur præclariſſimarum virtutum, cum Stephanus in ſeipſo cumulum circumferret; ex eo mox Cœleſtium ſignorum, quæ illuſtrem vitæ illius ſanctimonium teſtarentur, fulgor emicare cœpit: quorum etſi maior pars, nullis commentarijs tradita, deperierit; aliqua tamen, quæ certâ fide probata fuère, ne cum cæteris in interitum ruant, hìc commemoranda duxi. In Conuentu Gradariæ, cùm cuidam ex noſtris ægroto, qui ciborum in appetentiâ laborabat, turdus à Medico præſcriptus fuiſſet, ignorarentq; Fratres, quo pacto eum venari poſſent: en turdum per aëra volantem, atque in Eccleſiæ areâ, iuxta Crucis, quæ in eâ erecta eſt, baſin conſiſtentem, Stephanique manum expectantem, apprehendit, ac coquinæ Magiſtro ægroto parandum tradit. In Montiſmonaci oppido, Petri Pauli Capotiſtæ hoſpitis vxori, lacte in ipſius vberibus areſcente, Crucis ſigno in aëre à Stephano impreſſo, mox copioſum illi ex vberibus effluit. Eandem quoque lactis copiam, Nouanæ, Lauræ ſilentiæ, quæ lactis penuriâ laborabat, bis ſigno Crucis, atq; oratione contulit. Pelacina Feretta, nobilis Anconitana, graui febre laborans, Crucis ſigno, ſimul cum Iesv nomine à Stephano accepto, ſtatim conualuit. Geria Guidonia, Petri à Monte Vlmi vxor, iam triennio grauiſſimis corporis doloribus afflictata, in lecto iacebat: quibus cùm humana remedia, quæ ſibi abundè (fruſtra tamen) miniſtrata fuerant, non prodeſſent; cùm poſt orationem Stephanus pleriſque Crucis ſignis ægrotam conſignaſſet, dolores ſtatim miteſcunt: tùm breui poſt hæc ægrotam ita liberam relinquunt, vt ad eam deinceps nunquam redierint. Bradamas, Andreæ à monte Vlmi vxor, tam graui cachexiâ iam per annum oppreſſa fuerat, vt cùm morbus Phyſicis ipſis ignotus eſſet, viribus omnibus deſtituta, ad vitæ occaſum properaret: cum igitur Stephanus aliquantiſper oràſſet, nonnullaq; illi Crucis ſigna adhibuiſſet, nullâ interiectâ temporis morâ, ita à

morbo

morbo conualuit, vt quæ prius aliorum ope eò deuecta fuerat; mox confirmatâ totius corporis valetudine, cęteris velocior ſuis pedibus domum redierit. Lucas oppidi Montiſcodri incola, cùm ex paralyſi alterius corporis partis vſu, ac ſenſu careret, à Stephano ſigno Crucis per totam illius corporis partem extenſo, perfectæ mox incolumitati reſtituitur. Poſtremò tandem Fr. Ioannes Maceratenſis, ex noſtris Laicus, continuâ febre, ſimulq; graui ſtomachi languore correptus, iam extremum ſibi adeſſe diem arbitrabatur; cùm Stephanus manum ſtomacho admouens, protinùs ab eo dolorem pellit; ac febris, quæ nullis eatenus remedijs fugari potuerat, poſt alteram diem, nullo pharmaco adhibito curatur. His & alijs pleriſque miraculis clarus, cùm trigeſimum octauum in religione; ætatis verò quinquageſimum quintum annum explêſſet, Maceratę pleuritide corripitur: quo tempore obitus ſui diem, & horam ad amuſſim Fratribus, pręſignificatis, Cœleſtibus totus inhęrere cœpit. Intereà Fratribus, qui ob morbi violentiam de repentino ipſius occaſu dubitabant, viciſſim noctu vigilantibus ait: Fratres mei, quid fruſtrà vexamini? cùm nondum profectionis meæ maturum tempus ſit: id ego, cùm aduenerit, renunciabo. Idipſum ijs quoque, qui extremam, iuxta Eccleſiaſticum ritum, animę ſuæ commendationem perſoluere vellent, affirmabat. Cùm verò Sabbathum, quem ſupremum ſibi diem fore pręd ixerat, eluxiſſet, ſolq; iam à meridie declinaret: en (inquit) iam appropinquat hora. Ac tunc primò ſe in ſtrato extendens; hactenus enim ſemper genuflexus Hymnos, ac Pſalmos muſſitauerat, manusq; in Crucis formam componens, ſuprema animę commendationis verba ſibi legi poſtulat. Quo tempore cum aliqua lætitię ſigna ederet, à Felice Pedonenſi, Sacerdote, qui adſtabat, interrogatus, num Diuinum quidpiam conſpiceret. Annuit ille: at tam alta ſunt, ait, quæ video; vt ea humana lingua explicare nequeat. Animæ verò commendatione abſolutâ, cùm ad ea verba ventum eſſet: Subuenite, ſancti Dei: occurrite Angeli ſancti &c. os abſque vllâ vultus mutatione, aut turbatione aperiens, oculis in Cœlum erectis, pręclariſſimè animam efflat. Caro eius longè poſt obitum tam mollis, ac palpabilis fuit, vt demortui nihil prorſus præ ſe ferret. Nonnullis ab obitu annis elapſis, Stephanus, Fr. Dionyſio à Tiferno Metaurenſi, Concionatori, qui ſæpè Guardiani, ac Definitoris in Piceni Prouinciâ munere functus fuit, magno gloriæ ſplendore ornatus, apparuiſſe legitur, his eum verbis admonens: Dionyſi, iam, tempus eſt, vt teipſum à Fratrum curâ excipias; diligentiusq; ea, quæ animę tuæ ſunt, cures.

Hæc quippe Dei voluntas eſt, vt diuinis potiùs, quam humanis rebus incumbas. Obijt Vir Sanctus Anno 1603.

Fr. DIONYSIVS MEDIOLANENSIS, Sacerdos, ex nobili Puſteolorum familiâ ortus, Vir omni patientiâ & pietate ornatus fuit. Eloquij ſuauitate, ac prudentiâ ita pręcelluit, vt & illuſtrium Virorum odia, & ſimultates ad concordiam pertraheret, & multos maximis vitijs implicatos, ad pietatem perduxerit. Medici Canobienſis filium, deſperatâ ſalute ægrotantem, cùm ſigno Crucis B.P.N. Franciſci ligno conſignâſſet, mox incolumem reddit. Demum omnibus ſui deſiderio relicto, Mediolani ſuæ neci iura perſoluit, Anno 1603.

Fr. PAVLINVS à CLVSONIO, Brixienſis Prouincię Sacerdos, vitam inter Fratres planè admirabilem duxit, ijs omnibus virtutibus ornatam, quæ Euangelicum, ac perfectum hominem pręſtant. Cremę cùm extremum diem obijſſet, vir ſtrumis laborans, ipſius dum corpus in feretro iacet, manum morbo admouens, à ſtrumis liberatur. Obijt anno 1603.

Hydruntina Prouincia Fr. BONAVENTVRAM ALETINVM, Sacerdotem multis laudibus haud immeritò celebrat: eâ namq; abſtinentiâ fuit, vt duos hebdomadæ dies panis, & aquæ victu tranſigens, cęteros quotidianis ferè ieiunijs conſecraret. Porciæ Guarinę ſocrum à brachij morbo, ſolo brachij contactu liberat: obitum ſuum prędicit: Hydrunti moritur; corporeq; in Eccleſiam delato, cùm Porcia Guerina graui humerum dolore laboraret, Bonauenturæ brachio ſibi in humeros extenſo, dolor miteſcit, ac poſtridie omninò fugatur. Pleriſque etiam alijs ægrotis, ipſius habitus particulas, quæ illi poſt mortem obtruncatę fuerant, curationes contuliſſe, communi famâ peruulgatur. Obijt anno 1603.

S. Angeli Prouincia Fr. GERARDVM Venetum, Sacerdotem, plurimę auſteritatis, orationis, & charitatis commendat; cui ea conſuetudo erat, vt à Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, ad Dominicam vſque Reſurrectionis nihil omninò cibi deguſtaret. Ad quartam is vſque horam in mentis exceſſum raptus conſpicitur. Tantâq; in Beatiſſimæ Virginis Conceptionem deuotione ferebatur, vt ad ipſius confirmationem, ardentem rogum, abſque vllâ ignis lęſione ſe intraturum ſpoponderit. Demùm Lutetię meritis apud Deum diues decedit, Anno 1603.

Fr. IOANNES EVANGELISTA Mechlinienſis, Belgicæ Prouinciæ Sacerdos, cùm virtutibus ornatiſſimus, humilitate potiſſimùm,

& charitate præcelleret, obitum ſuum longè antea prænuncians, Gandaui, dum peſte laborantibus omni pietatis officio miniſtrat, animam fudit, Anno 1603.

In eadem Prouinciâ Fr. Gregorius Bruxellensis, Sacerdos, à telonio ad Seraphicam noſtrorum militiam vocatus, poſt ſtrenuam omnium virtutum exercitationem, aſſiduumq; orationis ſtudium, raptu ecſtatico ſæpiſſimè à Deo cohoneſtatus, Gandaui itidem lue ægrotantibus miniſtrans, pro fratribus animam ponit, Anno 1603.

S. Angeli Prouincia Fr. Bernardum Eccanensem, (vulgò Troia) Sacerdotem, haud immeritò ſummis laudibus celebrat: cuius vita poſt Religionis amplexum, perpetuus quidam virtutum curſus fuit: quædam prophetico ſpiritu, quæ euenêre, prędicit: maſculam prolem Cæſari cuidam Lucerenſi pollicetur, & oratione impetrat: mira quoque nonnulla exantlat. Obijt anno 1605.

Fr. FRANCISCI A RIPA, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

Frater Franciscus à Ripa, Sacerdos, vix Religionis ſtadium ingreſſus (cùm ſpiritus, à quo potior hominis vita pendet, partes ſibi defendendas ſuſcepiſſet) carnem ſuam perpetuam perduellem, tot auſteritatum telis oppugnare cœpit, vt vix illi vitæ neceſſaria, eaque tam parcè indulgeret, vt nullum abſque arctiori abſtinentiâ diem traduceret: ſæpè quadragenaria B.P.N. Franciſci ieiunia, quæ maiorem anni partem complectuntur, ſolo pane, & aquâ, ſeu vino contentus celebraret; interdum ſecundâ quaque die, ſolum pani pulmentum adderet; plerumque etiam ter tantùm in hebdomadâ, ſolo pulmento, aut acetario ſibi adhibito, cibum ſumeret; reliquis verò vnicâ tantùm panis buccellâ ſub veſperum veſceretur: denique extremos tres hebdomadæ maioris dies abſq; vllo cibo ieiunijs tranſigere illi familiare erat: cùm id prętereà, velut legitimum ſempiternum haberet, perpetuò à carnibus, piſcibus, & caſeo, ad quæ ſenſus appetitu ferebatur, abſtinere. Cum corpore verò, perinde ac cum aſino agens, aſpero illud cilicio obtegebat, dirisq; quotidie verberibus ad ſanguinem vſque iteratis, premebat;

ac parcam illi ſomni menſuram præſcribens, nudas tantùm illi tabulas ſternere; capiti, puluilli loco, vitis ſarmentum ſupponere, nudisq; pedibus abſq; ſandalijs, inter ipſos hyemis algores incedere ſolebat. Hoc modo, dum corpus domat, & ad ſpiritus ſeruitutem compellit, animũ ita virtutibus exornat, vt humilitatis, obedientię, paupertatis, patientiæ, charitatis, atq; aliarum virtutum cæteris exempla præberet. Animarum zelus mirum in modum illius viſcera depaſcebatur. Somnum cùm ad tertiam non ampliùs horam produceret; reliquam noctis partem in oratione, ac rerum Diuinarum contemplatione inſumere conſueuerat, in quâ velut ex conſortio ſermonis Dei, Cœleſtis tantum lucis diuinitus ſibi inditum hauſerat, vt plerumque futuros rerum euentus prænoſceret, atque ipſas animi cogitationes rimaret; quemadmodum nonnullis aliquando exemplis probatum fuit. Cùm enim Apuæ (vulgò Pontremoli) Franciſcus commoraretur, Stephanus quidam barbitonſor, in Ordinem beneuolus, peſtilenti febre correptus, abſque vllâ incolumitatis ſpe, ad vitæ occaſum properabat. Eodem porrò tempore alter Michaël Angelus Armonius, cuius domus Stephani domui propinqua erat, grauiter in lecto ægrotabat, quos cùm Veronica Stephani vxor enixè Franciſci precibus commendaſſet; is ad Conuentum reuerſus, Deum precibus pulſat, pro vtroque ægroto lachrymas fundit, in oratione pernoctat: denique quid de vtroque diuino conſilio decretum ſit, ſupernâ reuelatione addiſcit. Quapropter ad Stephanum poſtridie rediens, incolumitatem ipſi, Armonij verò vitæ metam à Deo conſtitutam eſſe annunciat. Porrò, & Stephani incolumitas, & Armonij poſt hæc mors ſecuta, nihil ab eo fruſtrà enunciatum confirmârunt. Huic & alterum exemplum accedat. Lazarina quædam faſcino illigata, eo grauiter torquebatur: quæ cùm ſolitò vehementiùs quâdam nocte afflictata fuiſſet, manè adoleſcentem filium ad Dei ſeruum deſtinat, ſuperioris illi noctis anguſtias renunciaturum. Necdum matris nuncium adoleſcens Franciſco explicauerat, cum vniuerſa, quæ à matre renuncianda acceperat, eidem aperit: quæcunque illi ſuperiori nocte acciderant, ſingillatim narrat; eorum cauſam explicat; vt cuncta pro Dei gloriâ ſuſtineat, hortatur; haud tamen ſemper (inquit ad Adoleſcentem) inter has corporis anguſtias verſabitur: Dei enim virtute tandem Satanæ opera diſſoluentur. Eodem quoq; veneficio cùm duæ illius ſorores, Veronica, & Dominica deuinctæ teneantur; eas etiam diuina virtus, diuerſo tamen tempore, priùs quidem Lazarinam matrem, tùm Veronicam abſoluet: Dominica

autem poſtremò liberanda erit. Tu verò, fili, Deo gratias age, qui te in domeſticorum ſuorum, qui in domo obedientiæ, inter delicias paupertatis, & lilia caſtitatis connumerantur, aliquando numerum eſt cooptaturus. Plura hic tum futurorum vaticinia, tum occultorum reuelationes complicata habentur, quæ conſentaneus rerum euentus vera, atq; à Deo profecta eſſe comprobauit. Nonnullis quoq; miraculis Deus viri huius ſanctimoniam, tam in vitâ, quàm poſt mortem illuſtrare voluit. Apuæ namq; Maria quædam Cariſia, quæ diabolico veneficio iam diu conſtricta fuerat, cùm Franciſci apud Deum opem efflagitaret, ſigno Crucis ab eo accepto, ſtatim à veneficio liberata fuit. Aquæ Statellæ cùm à noſtris puteus foderetur, foſſores aquæ reperiendæ ſpem penitus abiecerant; cùm Franciſcus in foſſam deſcendens, cùm aliquantiſper orâſſet, tam copioſa extemplò aquæ vena ſcaturijt, vt vicenorum cubitorum menſura altiùs conſcenderet: ex quo vrbis illius Epiſcopus illum orationis puteum appellare ſolebat. Plurimos igitur Dei ſeruus cùm maximâ in vitæ auſteritate annos exegiſſet, multis cœpit morborum generibus exerceri, in quibus ſingularis illius patientiæ virtus ita elucebat; vt quò magis ab ijs affligebatur, eò in ampliores Dei laudes ora ſolueret: morbo verò ingraueſcente, cùm ſe à Deo vocari perciperet, Eccleſiæ Sacramentis ſummâ pietate ſuſceptis, antequam extremum halitum effunderet, antiquum humani generis hoſtem, ſibi ſub Medici ſpecie adſtantem conſpicit, qui his illum verbis circumuenire ſtudet: Franciſce (aiens) iam duodevigeſimus annus elapſus eſt, ex quo auſteriſſimum hoc vitæ genus à te inſtitutum, plurimam tibi apud populum, & tui ordinis Fratres ſanctimoniæ famam comparauit: corporis incolumitatem ſi petieris, à me protinùs accipies; quâ fretus orbem peragrare, ægrotosq; tuâ virtute curare, & clarum tibi nomen reponere abſq; dubio poteris. Cui ſtatim Franciſcus: Medicum te vultus, ac veſtes præferunt: at verba tetrum, ac fallentem Dæmonem te detegunt. Quid auſteritates? quid miracula? quid incolumitatem? quid clarum nomen polliceris? Nihil à me hactenus actum. Magis Chriſto commori, quam tibi viuere mihi iucundum. Quapropter hinc velociùs apage. His, alijsq; dictis, cùm tentatorem expuliſſet, paulò poſt extremum Deo in pace ſpiritum reddit, Anno 1606. Poſt huius ſancti Viri obitum, Comitiſſa quædam Mediolanenſis, cui filia erat membris omnibus capta, voto de illius ſepulchro venerando piè emiſſo, filiæ incolumitatem confeſtim impetrat.

Fr. MICHAELIS A VALENTIA, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER MICHAEL à VALENTIA, Hiſpanus, Sacerdos, cùm priùs in clericali Ordine multarum virtutum ſemina iecíſſet, in Capucinorum Familiam cooptatus, ea tanto ſtudio coluit, totq; alijs accumulauit, vt communi Fratrum omnium voce, Vir vitâ & virtute præſtantiſſimus prædicaretur. Obedientiæ ſiquidem humilitas, humilitati paupertas, paupertati caſtitas, caſtitati charitas, charitati vitæ innocentia; atque huic tam perfecta regularis obſeruantiæ diſciplina adiuncta erat; vt cùm virtus virtutem duceret, in eo coaceruata quædam virtus conſpiceretur, quæ admirabilem, ac planè cœleſtem hominem præſtaret. Hoc virtutum ſplendore cùm nonnullos in Religione annos traduxiſſet, orans aliquando in Conuentu S. Mariæ Magdalenæ, ſecum animo verſari cœpit, num Deus longioris illi vitæ curſum largiturus, vel celeriùs, quod magis optabat, hinc eum abducturus eſſet. Dum hac in cogitatione animus occupatur, cœleſtem protinùs vocem, ſemel, bis, terq; hæc verba repetentem percipit: Michaël, poſt ſex, non ampliùs, menſes. Quo ille nuncio pręmonitus, cùm ſe in id tempus, ardentiori ſpiritus æſtu, atque aſſiduâ oratione pręparaſſet; ſemeſtri expleto, cum eo, & ipſe plurimâ cum ſanctimoniæ famâ, in Conuentu Auleſiæ vitæ curſum abſoluit. Clarior verò poſt mortem huius viri ſanctitas enituit. Michaëlis enim corpus cùm humi conditum fuiſſet, biennio elapſo, vndique integrum, & incorruptum reperitur, capillis, barbâq; tenaciùs cuti hęrentibus. Quod verò in eo admirandum fuit; in dextro ipſius latere, quadrangulare vulnus, velut lanceâ inflictum, ex quo in pręcordia aditus patefieret, tunc primùm conſpicitur. Erat vulnus apertum, candidum, cuſpidis lanceæ formam gerens: quodq; admirationem augebat, habitu, chorda, ac cęteris corporis operimentis iam putredine conſumptis, habitus portio, quæ vulnus tegebat, conſtans, atque integra cernitur; ipſumq; vulnus, & caro circumſtans mollis, ac palpabilis, ex quibus ſuauis odor efflueret, pertractatur. Res porrò noua, ac miraculo plena cunctis viſa fuit: ita vt Phyſici corpus iam biennio ſepultum,

ſepul-

ſepulturæ locum vliginoſum, vulnus, ac vulneri adiacentia conſiderantes, hæc præter naturam facta, ac pleraque ſibi ſupernaturalia miracula conglobata eſſe faterentur. Hoc verò laterale vulnus, inſtar vulnerati lateris Saluatoris, viuentem illum à Deo impetrâſſe, tunc omnibus perſuaſum fuit. Poſt hæc ſtatim nonnulla coruſcare miracula cœperunt: cùm enim quædam oſſis particula è Michaëlis corpore detracta, in Ioannis Pla, in Ordinem beneuoli poteſtatem deueniſſet, eo plura ſigna patrata fuêre. In his Ioannes quidam Cerdan, qui ægrotans in mortis limine verſabatur; iamq; oleo ſalutis illitus, vitæ finem præſtolabatur, Michaëlis ſuffragia inuocans, osq; illud contingens, confeſtim ad incolumitatem reuocatur. Catharina Pla vehementi febre laborabat, cum ſancti huius Viri ope è Cœlo imploratâ, eodemq; oſſe ſibi admoto, protinùs à febre curata fuit. Eliſabetha Alberta, Ioſephi Pla vxor, cùm ita opthalmiâ laboraret, vt vtroque lumine careret, vix hoc ipſum Michaëlis os oculis adhibuit, cùm breui temporis interuallo integram oculorum lucem recipit. Obijt Vir Dei Anno 1606.

Fr. Franciscvs Tyrolensis, Sacerdos, Vir admirabili ſimplicitate, patientiâ & charitate præditus fuit; atq; adeò ergo animas, quæ in purgatorijs pœnis detinentur, charitate affectus; vt quicquid pij operis præſtaret, aut indulgentiarum ſumeret, totum in earum liberationem conferret; quamobrem ter, quaterq; ab ijs viſibili formâ apparentibus, grâtiæ illi redditæ fuerunt. Sanctum martyrem Laurentium ſub iuuenis ſpecie ſe aliquando alloquentem cernit. Denique graui ſeptem menſium ægritudine maximâ cum animi patientiâ toleratâ, à Deo probatus, ad patientiæ coronam peruenit. Cuius habitus, qui præ morbo grauiter fœtebat, poſt mortem ſuauiſſimum odorem efflat. Obijt Anno 1606.

Fr. Alexander à Lavro, Neapolitanæ Prouinciæ Sacerdos, omni virtutum genere, ac præſertim obedientiâ floruit: cui cùm à Superiore, vt Dæmonem ab obſeſſo corpore expelleret, iniunctum fuiſſet, eodem obedientiæ præcepto Dæmonem expulit. Obijt 1606.

Fr. Bonaventvra à Petraficta, Sacerdos Conſentinæ Prouinciæ, eâ vitæ ſanctimoniâ præcelluit, vt Silliani mulieri oculorum lumine orbatæ, ſuâ oratione lucem reſtituerit. Obijt Anno 1606.

Fr. Liberatvs Mylensis, Sacerdos, perfectus regulæ cultor, maximâq; in ſacram Deiparam religione feruens, cùm ab eâ ſui obitus diem, & horam accepiſſet, eâdem vitam cum morte commutat, Anno 1606.

Fr. AVGVSTINVS à TYRACENO, Sacerdos, plurimis, ac maximis virtutibus Valentinam Prouinciam illuſtrat. Turiaſoni Raphaëlem Iuriſperitum, oſculo, ac ſigno Crucis à podagræ dolore liberat. Ioſepho Luquiano, Ordinis S. Dominici, grauiſſimè ægrotanti, incolumitatem prædicit. Alia quoque nonnulla, quæ euenêre, cùm futura prænunciâſſet, cum pietate vitæ curſum abſoluit, Anno 1606.

Fr. DAVID à GASSACO, Brixienſis Prouinciæ Sacerdos, Vir apprimè humilis fuit, perfectus regulæ cultor, ac tam eximius caſtimoniæ cuſtos, vt varijs à Satanâ mulierum formis illuſus, vt Satanam deluderet, haud ſemel ſe nudum in niuem proiecerit. Hic tam feruenti in Deum charitate præditus fuit, vt Chorum aliquando ingrediens, diuino quodam ſplendore ſeptus viſus fuerit; ac demùm inter lætitiæ ſignum purum animum exhalat, Anno 1607.

In Conſentinâ Prouintiâ Fr. ANTONINVS CONSENTINVS, Sacerdos, cùm omnem vitæ ſuæ curſum bonis virtutum odoribus reſperſiſſet, paulò ante mortem, oculis illi ſtellarum inſtar coruſcantibus; cella, quæ ob morbum fœtorem tetrum olebat, ſuaueolens redditur, corpusq́; poſt mortem ſepulchro, in quo reconditur, odorem adimit. Obijt Anno 1607.





FRATER MATTHAEVS CVM SOCIO FF.^tem
CAPVCINORVM SACERDOTES.

Fr. MATTHÆI SACERDOTIS, ET EIVS SOCII

MARTYRIVM.

FRATER MATTHÆVS SACERDOS CVM SOCIO Anno 1608. inter veros, ac legitimos B.P.N.Franciſci filios, qui B.Patris veſtigia ſectantes, fortiter pro Chriſtianâ fide, ac iuſtitiâ dimicarunt, ſibi locum obtinent: qui à piratâ, dum mare Mediterraneum nauigant, cum alijs capti, & captiui Algeriam ducti, cùm cæteros Chriſtianos concaptiuos ad Fidei conſtantiam, & laborum tolerantiam verbis prouocarent, ac pijs omnibus officijs proſequerentur, ad necem damnati, ſæuo Martyrij genere, fidei agonem fœliciter conſummarunt: Matthæus enim vſque ad vmbilicum humi ſepultus excoriatur: Socius verò extructo rogo, comburitur. Hoc modo duri certaminis victores, illuſtrem à Deo martyrij coronam accipiunt. Horum martyrum agonem Gregorius quidam, Melitenſis nauicularius, qui in eo tempore captiuus Algeriæ detinebatur, cum Tricaſſium liber redijſſet, ita accidiſſe noſtris ſub iureiurando affirmauit.

Fr. ANGELI A VISSO, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ANGELVS à Viſſo, Sacerdos, Vir immortali memoriâ dignus, tam admirabili vitæ innocentiâ inter Capucinos floruit; vt Angeli nomini, angelica facies, angelica honeſtas, angelicus candor, angelici mores, angelica tandem vitæ ratio reſponderet, Huius cùm potiſſimum ſtudium eſſet, vtramque & corporis & animi munditiem illibatam ſeruare; immundus ſpiritus varijs, ac diris, tentationibus corporis illius honeſtatem aggredi cœpit. Reluctabatur ſtrenuè nomine, ac virtute Angelus: Quare deuictus Satan, orantem aliquando ita premit, vt penè præfocare videretur: quo tempore viribus, ac ſenſibus omnibus deſtitutus, ſacram Deiparam clariſſimâ luce circumfuſam cernit; quę cùm aureâ illum virgâ

attigiſſet protinus in priſtinum ſtatum vindicauit, atque ab omni deinceps huiuſmodi carnis tentatione liberum præſtitit. Integrâ itaque hac mentis, & corporis munditiâ potitus, cùm tot alijs virtutibus coruſcaret, vt Angelicum planè hominem illum cuncti ſuſpicerent, cœleſtibus quoque à Deo, tum Prophetici ſpiritus, tum miraculorum donis illuſtrari cœpit. Inter Propheticas illius prædictiones ea primùm refertur: quod cùm Nurſiæ puer quidam quatuor circiter annorum, ſæpè ad Monaſterij fores accederet, ac tintinnabulum pulſaret; cùm eâ mente ianitor aliquando, vt puerum grauiter obiurgaret, ad ianuam procederet, Angelus Ianitori: Caue (inquit) ne puerum duriùs verbis accipias: is enim & Capucinus, & Concionator in Religione non aſpernandus eſt futurus. Nec alium res exitum tulit. Cuidam etiam Sacerdoti diutino morbo laboranti, mortem, quæ ſequenti die futura erat, prænunciat. Ab eodem in Collepepis oppido, cùm Victoria Vignata nubilis puella, conſilium poſceret, num ſibi ad Moniales potiùs, quàm ad nuptias accedere expediret; huic ille: Victoria (inquit) neque ad nuptias, neque ad Moniales perges; ſed mecum breui iter ad cœleſtia carpendum. Neque id fruſtra: etenim vix menſe elapſo, cùm Angelus è viuis emigrâſſet, paulò poſt & Victoria rebus humanis valedicit. Ipſius quoque oratione quamplurimos ægrotos perſanatos fuiſſe, noſtra Ordinis monumenta teſtantur. Curtij Saluoli filius quadrimeſtris deſperatâ ſalute ægrotabat; qui cùm ad Angelum ægrotantem delatus fuiſſet, cùm infantuli verbis adblandiretur, infans primùm videre, tùm perfectè conualeſcere viſus. Nurſiæ quoque Fr. Chriſtophoro, ac Fr. Bernardo Spoletano, Sacerdotibus febre laborantibus, ſuâ oratione repentinam incolumitatem confert. Denique cùm tam ſingularis huius viri ſanctimonia eſſet, vt ad eum quamplurimi ægrotantes curandi accederent, his Angelus benedictione, ac chartulâ, in quâ hæc verba ſcripta erant: Potentia Dei Patris, ſapientia Dei Filij, virtus Dei Spiritus ſancti, liberet te ab omni malo, à morbis perſanabat. Multis tandem in omni iuſtitiâ, & ſanctitate annis tranſactis, Vir præclarus in Tudertino Conuentu, octogenarius obdormiuit in Domino, Anno 1608.

Fr. GREGORIVS à MANFREDONIA, ſeu Sipunto nouo, Sacerdos, clariſſimis virtutibus, ac cœleſtibus donis enituit. Prophetico ſpiritu nonnulla prædixit, quæ deinde euenêre. Charitate in pauperes eximius, pleraque à Deo ſuâ oratione miraculosè obtinuit. Mulierem impudicam, illum ad turpia pellicentem, procul abiecit. Demùm

perpetuâ virginitate, ac Beatiſſimæ Virginis cultu clarus, Tutici, magnâ cum ſanctimoniæ laude, vitæ curſum abſoluit, Anno 1608.

Fr. ZACHARIAS MONTENSIS BELGA, Sacerdos, humilitate, paupertate, charitate, virginitate fuit illuſtris. Nouitij cuiuſdam occultam animi cogitationem eidem aperit. Panem è Cœlo ſuâ oratione impetrat; ac tandem prę nunciatâ ſui obitus die, ad Deum migrat, Anno 1608.

Fr. FRANCISCVS à GRANDESA, Cathaloniæ Prouinciæ Sacerdos, Vir fuit omnium virtutum genere clarus. Oratione ita apud Deum potens, vt vas fictile in fruſta comminutum, integrum reſtituerit; ac per imbrem abſque imbre inceſſerit. Vir apud omnes ſanctimoniâ celebris, cùm è ſæculo migraſſet, poſt ipſius obitum puer quinquennis cum morte colluctans, dum parentes defuncti Franciſci ſuffragia pro moribundo implorant, extemplò incolumis redditur. Aquæ quoque gutta, à lapide, quo eius ſepulchrum obtegebatur, in cuiuſdam Fratris pedem vlcere ſaucium defluens, eundem continuò perſanat. Obijt anno 1608.

Fr. IOANNIS BERGOMATIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES BERGOMAS, Sacerdos, magnæ humilitatis ac ſanctimoniæ Vir. Hic inter eos numeratur, qui in Sardiniam miſſi, ſolidiora illius Prouinciæ fundamenta ſuâ virtute poſuerunt: tantæ autem humilitatis Vir fuit; vt tametſi Sacerdos, etiam ætate prouectus, queſtuarium onus, quamdiu in eâ Prouinciâ commoratus fuit, ſibi obeundum elegerit: quo in adminiſtrando, tantâ ſenſuum mortificatione, tantâ oculorum cuſtodiâ, tantâ vitæ innocentiâ, tantâ pietate; tam denique pręclarâ virtutum omnium luce enituit; vt in eum cuncti, velut in lucidum quoddam Apoſtolicę perfectionis exemplar oculos intenderent, ſanctumq; proclamarent. Huic Viro Dei mos erat, vt poſt ſtipem poſtulatam, per id temporis interuallum, quo ea ſibi erogari differebatur, pro benefactore preces ad Deum funderet, ac priùs orationis pretium exſolueret, quàm benefactum acciperet. Ardens ipſius deſiderium, quo ad dura omnia pro Chriſto perferenda ferebatur, nullæ carnis

mace-

macerationes, aut corporis auſteritates exſaturare poterant: cùm enim panis & aquæ ieiunijs ſæpiſſimè carnem maceraret, cunctas quadrageſimas ſolâ pulte contentus tranſigeret, atque in eâ, vt inſipidam redderet, ſæpè aquam infunderet; cum Nouitijs humum lamberet; ſe flagris cæderet; baculos in ore deferret; ac cetera pœnitentiæ genera, quibus illi probari ſolent, vltrò & ipſe ſubiret: His haud contentus, frequenter ante Refectorij fores, cùm Fratres, ac Nouitij ad refectionem accederent, ſupinus iacebat, vt ab introëuntium Fratrum pedibus conculcaretur. Aſſiduâ verò orandi conſuetudine ad eam orationis, ac Diuinæ contemplationis excellentiam pertigerat, vt ſæpè in mentis exceſſus raperetur. Calaritano Conuentu ædificato, diu in eo commoratus, tantam ſibi in eâ vrbe ſanctimoniæ famam comparauit, vt vndique ad ægros inuiſendos, ac benedicendos quæreretur: ex quibus quamplurimi ab eo benedicti perſanabantur. Inter hos Bernardi Lombardi filia enumeratur: quæ cùm ad Medicorum deſperationem ægrotaret; Ioanne accedente, ac pro eâ, brachijs is modum Crucis protenſis, Deum rogante, protinùs reuiuiſcere viſa, breuiq; incolumitatem adepta fuit. Alter quoque Leander de Torres, qui graui febre laborabat, à Viro Dei crucis ſigno, præuiâ oratione obſignatus, à febre liber, integrâ incolumitate fruitur. Eodem ſigno Crucis, cùm Michaëlem Vlyſipponenſem, qui tam acerbo capitis dolore cruciabatur, vt humi ſæpè dilaberetur, proſecutus fuiſſet, ab eo perpetuò liberum, & incolumem reddidit. Ioannam quoq; Hieronis filioli vxorem, quæ ſeptem filios mortuos enixa fuerat, cùm poſt orationem ſigno Crucis benedixiſſet; eam puellam viuam & incolumem peperit, quæ miraculi filia appellari cœpit; ac deinceps pleroſque filios viuentes tulit. Communis denique rumor in Calaritanâ vrbe percrebuit, Ioannem, mortuum filium aliquando ad vitam reuocaſſe. Qui cùm ſexagenario maior in S. Franciſci Prouinciam redijſſet; clarus virtute, & ſanctimoniâ, Hiſpelli, mortalem cum immortali vitam commutauit, anno 1609.

***



FRATER ANTONIVS EBOLENSIS FRATRVM CAPVCINORVM SACERDOS.

Fr. ANTONII EBOLENSIS, SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS AB EBOLO, Sacerdos, Vir miraculorum gloriâ illuſtris, cùm ex ſæculari Clero, in quo Sacerdotio inunctus, omni virtutum laude florebat, ad Capucinorum ſinum emerſiſſet, ita ſe ad omnem Apoſtolicæ vitæ rationem compoſuit, vt nullum illi, ad perfectam Euangelici, ac Seraphici viri formam, virtutis ornamentum deeſſe videretur: cùm enim humilitati obedientia, obedientiæ paupertas, paupertati morum honeſtas, huic patientia, manſuetudo, vitæ auſteritas, patiendi cupiditas, charitatis ardor, ac iuge orationis ſtudium accederent; hâc virtutum coronâ, Cœleſtem animum ita exornauit, vt cùm inter homines verſaretur, diuinam planè imaginem in ſeipſo referret. Hinc Dei in eum abundantiùs dona fluere cœperunt; quibus & longè à nobis remota conſpicere, & futura præuidere; ac demùm ſigna, & miracula patrare valeret. Singularia verò huius Viri geſta in MS. noſtris deſiderantur, quibus illuſtrior illius vita, & ſanctimonia apparerent, quæ vel temporum iniuria, vel Scriptorum incuriâ interiêre. Plurima tamen huius Viri miracula referuntur, quæ minimè reticere æquum eſt. In his Franciſcus Antonius Ebolenſis, ob catharri fluxum, toto corpore dolore affectus, cùm ab Antonio Crucis ſigno benedictus fuiſſet, catharri fonte arefacto, à dolore curatur. Hoc ipſo Crucis ſigno, ligneâ Cruce, quam is ſecum geſtabat, exhibito, Hieronyma Iuliana, Franciſci Antonij vxor, à cordis palpitatione: atque huius filius à gemino abſceſſu, quo grauiter afflictabatur, incolumes redduntur. Hieronyma Gentiliora Ebolenſis, quo tempore morbo Comitiali ſtridebat, ab Antonio Cruce obſignata, ac pro eâ Antiphona: *Salue Regina &c.* ſemel adſtantibus indictâ, ita ab eo morbo curata eſt, vt eo deinceps nunquam vexata fuerit. Anno 1601. Antonia Cerona, cùm Eboli, Medicorum iudicio, neci adiudicata, iam linguæ vſum amiſiſſet, vbi Antonius aliquantiſper pro eâ orauit, ſermo illi reſtitutus, ac poſt octauum diem, integra incolumitas reddita fuit. Anno 1605. Iulia Paganeta, Ebolenſis, maximis

per totum ferè corpus doloribus afflicta, cùm ligneâ Cruce, quam ab Antonio acceperat, membra dolore affecta attigiſſet, ab his in momento libera fuit. Anno 1607. Claudia Maſſa, Ebolenſis, grauiter ligni caſu in capite ſauciata, cùm ab Antonio Crucis ſignum poſtulâſſet, eo accepto, protinùs à dolore, tùm paulò poſt à vulnere conualuit. Eodem anno Victoria Rhoana, Ebolenſis, à diuturnâ cephalalgiâ; ac Petrus Ioannes, eius Nepos ab odontalgiâ, quâ ad inſaniam adigebatur, ligneâ Cruce ab Antonio illi capiti impoſitâ, huic molaribus admotâ, nullâ interiectâ morâ curantur. Anno 1608. Thomas Manfredus, 15. annorum adoleſcens, ex alta turri campanariâ in imum ſolum delapſus, caput, ac totum ferè corpus ita ſibi labefactauerat, vt nulla ipſius vitæ ſpes Medicis ſupereſſet; at cùm Antonius ligneâ ſuâ Cruce bis ter illius caput, ac membra obſignâſſet, mox conualeſcere cœpit, ac breui integram incolumitatem aſſecutus fuit. Eodem anno Hyppolita Vitolia acerbo humerum dolore cruciata, cùm nullis Medicorum remedijs curari poſſet, Antonius ſuâ illi Cruce humeros contingens, ſtatim ab his dolorem fugat. Antonius Scius, Ebolenſis acutâ febri ad mortem ægrotans, Medicorum ope deſtitutus, ab Antonio eâdem Cruce obſignatus, qui moribundus erat, in vitam, & incolumitatem reſpirat. In vrbe Campaniâ, Alexandri Maſcrutti filius, quatuor annorum puer, ex alto delapſus, breui expiraturus credebatur, cùm Antonius inter manus aſſumptum, Crucis ſigno conſignat, patriq; incolumem reddit. Idem Decium Corcionem, Ebolenſem, humeri dolore grauiter vexatum, Crucis illi ſigno adhibito, ſtatim à cruciatu liberat. Alteram quoque Antoniam Arminiam, Eboli, ab anginæ morbo, ſolo Crucis ſuæ contactu vendicat. Ibidem Antonius quidam Papatatta, nouem annorum puer, vtroque lumine orbatus, ſpem omnem videndi abiecerat; cùm Antonius IESV, Mariæ, ac B. P. Franciſci nomne inuocato, vtrumque pueri oculum viuifico illo ſigno obſignâſſet, illi protinus viſum reſtituit. Iulia Sorentina, Ebolenſis, cùm ex catharri fluxu ceruicem ita curuam gereret, vt eam nullâ ratione erigere valeret; ab Antonio Crucis ſignum accipiens, confeſtim à catharri fluxu perſanatur. Plura alia huiuſmodi ſigna ab hoc Dei ſeruo patrata referuntur, quæ breuitatis ſtudio prætereo; vt Prophetici ſpiritus, quo is abundè à Deo donatus fuit, nonnulla etiam exempla hiſtoriâ proſequar. Ac inprimis Ferrantem Landulphum, Cilenti Baronem, homicidij accuſatum, Neapoliq; in vinculis detentum, poſt breue tempus liberum è carceribus emerſurum,

matri prænunciat. Anno 1608. cùm inter Hyppolitæ cuiuſdam Vitoliæ fratres, & peditum Ducem, tam capitales inimicitiæ graſſarentur, vt mutuas ſibi cædes machinarentur; Hyppolita Antonium, vt ſuâ illos oratione ad concordiam adducat, cum lachrymis rogat: Antonius verò Hyppolitę filiæ adhuc puellæ, vt nouem dierum ſpatio ante beatæ Virginis iconem, Salutationem Angelicam deuotè recitet, iniungit; quod cùm illa prętitiſſet, craſtinæ diei ſextadecimâ horâ, pace inter fratres, & peditum Ducem firmatâ, omnia ſimul odia, ac inimicitias reſtinguendas pręnunciat. Rem exitus probauit. In oppido, quod vulgò, Rocca dell' Aſpido, appellatur, Laurâ Horatij vxore, diu ægritudine vexatâ, Horatium veneficium ſuſpicatus, Antonium adit, vxoris languorem, veneficij quoque ſuſpicionem aperit. Vterq; Antonio ignotus erat: at pro eâ preces ad Deum fundens, quid de Lauræ ægritudine ſentiendum, quæue illius cauſa ſit, diuinâ reuelatione agnoſcit. Quamobrem Horatio non veneficium, ſed vxoris culpę labem haud illi plenè perſpectam, diutinę ægritudinis cauſam eſſe ſignificat: cùm enim illi germanus frater eſſet, qui turpem iamdiu cum pellice vitam duceret, rem illa tantoperè exhorrebat, vt & fratrem odio proſequeretur. Quare Horatium, vt vxorem moneat, hortatur, vt à fratris odio abſtineat, longioremque, quàm putabat, vitam pollicetur. Denique poſt Laurę mortem, certam illius ſalutem Ioanni Angelo, Horatij germano aperit, anno 1607. Cùm Ioannes Felix, Ebolenſis tabernarius, tam acerbè colico dolore premeretur, vt à Medicis vix duarum horarum vitę ſpatium illi præſcriptum fuiſſet; vbi Antonius aliquantiſper pro illo Dominum rogauit, breui incolumem futurum ſpiritu prophetico prędicit. Anno 1608. Deianira, Lucretiæ Corcione filia, ita febri, ac totius corporis tumore laborabat, vt ipſius apud Phyſicos vita potiùs ad deſperationem, quam ad ſpem propenderet; Hanc cùm Antonius Cruce obſignâſſet, longioris adhuc vitæ curſum à Deo conſecuturam pręnunciat: quæ omnia, prout ſanctus Vir prędixerat, euenêre. Poſtremò, cùm fidelis hic Dei ſeruus, ad vitæ finem accederet, decimo antè ipſius obitum die, Eboli per oppidum incedens, Iulię Clariæ, ſedecimâ die ad Deum migraturum prędicit. Poſt hæc ſtomachi dolore corripitur; cui cùm pleuritis ſucceſſiſſet, eo, quem prędixerat die, eximijs patientiæ exemplis, magnoq; ſanctimonię odore poſt ſe relictis, Eboli mortalis vitę curſum abſoluit, immortalem apud Deum inchoaturus. Porrò obitus eius famâ per oppidum diffuſâ, magnâ vtriuſque ſexus virorum, ac mulierum

multitudo ad illius funus confluere viſa; tantaq; in Dei ſeruum populi deuotio efferbuit, vt magna ipſius habitus pars in fruſta conciſa fuerit; illuſtrioresq; oppidi Viri illius Cellam deprædati, ſandalia, cingulum, papyraceas imagines, libellos manuſcriptos, ſtrophiola, & quæcunq; ipſius vſui olim inſeruierant, ſecum abſtulerint, & velut Reliquias ſeruauerint. Nec fruſtra: his enim plerique ægrotantes curati fuêre, ac mulieres à partus doloribus liberatæ. Poſt huius ſancti Viri obitum, cùm Fr. Bonauentura Melfitanus, Clericus, biduo Dominum rogâſſet, vt Antonij animæ ſtatus ſibi ſignificaretur; Fr. Antonium candidâ ſtolâ ornatum inter duos Angelos conſpicit, alterumq; Capucinum Fratrem hæc ſibi dicentem audit: Bonauentura, hic, quem inter Angelos cernis, Fr. Antonius eſt Cœleſti gloriâ donatus. Obijt Vir Sanctus Anno 1609.

Fr. MARCELLI PISTORIENSIS.

SACERDOTIS.

VITA, ET GESTA.

FRATER MARCELLVS PISTORIENSIS, Sacerdos, è Congregatione S. Gregorij ad Capucinorum familiam à Deo vocatus, tam præclaris Religioſæ vitæ curſum moribus, ac virtutibus exornauit, vt in illuſtrium Hetruſcæ Prouinciæ Virorum albo conſcribi meruerit. Orationis, à ſuæ conuerſionis exordio, tanto ſtudio tenebatur, vt cùm familiare illi eſſet, ſeptem, vel octo quotidiè horas in oratione inſumere, ad duodevigeſimam vſq; horam aliquando orans, ita immobilis perſeuerauerit; perinde ac ſi omni ſenſu careret. Cùm verò ab oratione ſurgeret; tantò facies eius ex conſortio, ſermonis Dei interdum ſplendore emicabat, vt non terreſtris, ſed Cœleſtis planè hominis imaginem præſeferret. Cortonæ dum in cellâ orat, ex eâ tam ingens ſplendor erumpere aliquando viſus, quaſi è Solis globo intus incluſo proficiſceretur: quo ceſſante ſuauiſſimus inde odor emanare cœpit. Tam familiares illi erant mentis exceſſus, vt vix vnquam abſque illis orationi incumberet. Aliquando verò cùm Florentiæ in Eccleſiâ Immaculatæ Conceptionis orationi vacaret, à Religioſo quodam, cui nomen Euangeliſta, ordinis Seruorum B. Mariæ, qui eo tempore in eâdem Eccleſiâ orabat, toto corpore in aëra ferri conſpicitur.

Hinc plurimis à Satanâ artibus, vt eum ab oratione auocaret, impetitus, omnium victor extitit: ac tandem Piſtorij ſanctimoniâ clarus, è viuis exceſſit, anno 1610.

Fr. Pavlvs à Vernia, Sacerdos Hetruſcæ Prouinciæ, Vir fuit omnium virtutum genere ornatiſſimus. Dum ſacra Myſteria celebrat, Angelos pſallentibus coniunctos in Choro canentes audit. Florentiæ dum orat, vultu, ac manibus ſolis inſtar refulgens, conſpicitur. Sui obitus diem; ac nonnulla alia prędicens, Florentiæ plurimâ cum pietate dormitionem accepit, anno 1610.

Fr. Ioannes Franciscvs à Lodronio, Sacerdos, ex illuſtri Comitum Lodronij ſtirpe progenitus, virtute illuſtrior fuit: qui cùm ante Religionis ingreſſum, in Luſitanâ expeditione Tribuni equitum, ſub Catholico Rege, munus præclarè obijſſet; ab eo inter S. Iacobi Equites cooptatus, Cæſarei Oratoris deinde Romæ apud Pontificem officio fungitur; quo tempore ad Diuiniora pietatis ſtudia à Domino vocatus; cùm ſe ſpontè ab eo munere abdicâſſet, mortuâ coniuge ad Capucinos aduolat, Crucis ignominiam cunctis mundi honoribus præferens. Plurimis deinde in Religione virtutibus clarus, Tridenti mortalem cum immortali vitam commutat, anno 1611.

Fr. Philippvs Constantiensis, Sacerdos, in Pariſienſi Prouinciâ magnis virtutibus floruit: qui cùm eximio Beatiſſimam Virginem cultu proſequeretur, ab eâ ſui obitus horæ præmonitus, in Cadomenſi Conuentu omni cum pietate animam Deo reddidit, anno 1611.

Fr. Angelvs Tolentinvs, Sacerdos Picentis Prouinciæ, angelicam planè omnium ſententiâ, inter Capucinos vitam duxit; cumq; certum ſui obitus diem prænunciaſſet; quo die è vitâ exceſſit, cuiuſdam ſui propinqui morte, atque æternâ ſalute, quæ tunc ei diuinitus reuelata fuit, renunciatâ, piè in Domino quieuit, anno 1611.

Fr. Avgvstinvs Nvrsinvs, Sacerdos, vitæ auſteritate, oratione, atq; omnium virtutum laude clarus, in Vmbriæ Prouinciâ celebratur: de quo id inter alia fertur, quod fratrem Ioannem Mariam à Nurſia, Sacerdotem, grauiſſimis colicæ paſſionis doloribus cruciatum, ſigno Crucis in priſtinum ſalutis ſtatum vendicauerit; ac Hieronymo germano fratri, qui maſculam prolem optabat, geminos liberos futuros prædixerit. Qui tandem vitæ curſu in virtutibus conſummato, Ameriæ mortales corporis exuuias deponit, anno 1611.

In Romanâ Prouinciâ Fr. CLEMENS VELITIENSIS Sacerdos celebratur; qui cùm eximiâ vitæ integritate, perfectaq; Regularis obſeruantiæ laude floreret; orationis potiſſimùm ſtudio addictus, ecſtaſis plerumque dono potitus fuit, in quâ ſæpè ad quartam vſque horam inſenſibilis permanſit: ac demùm ſublaci, virtute plenus è viuis exceſſit, anno 1612.

In Cathaloniæ Prouinciâ Fr. HILARION BRITANNVS, Sacerdos, miris virtutibus enituit. Virginitatem perpetuò coluit: diem mortis prædixit; ac Perpiniani corporis exuuijs depoſitis, pulchrior poſt mortem molli, ac tenerâ carne, membris flexibilibus præditus apparuit. Obijt Anno 1612.





FRATER IOANNES GERVNDENSIS FF.^rum CAPVCINORV
CLERICVS NOVITIVS.

Fr. IOANNIS GERVNDENSIS, CLERICI, NOVITII.

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES GERVNDENSIS, Cathalauniæ Prouinciæ Clericus nouitius, honeſtis parentibus ortus, 17. circiter annum natus, primo iuuentutis flore erumpente, ſibi à delicijs, ac voluptatibus cauens, præclara virtutum ſemina iacit: dum enim alij ludis, ac ſpectaculis vacant; is ſelectam adoleſcentum manum, quam ad pia omnia ſibi conciliauerat, ad hoſpitalem vrbis domum ſecum ducens, quotidiana ferè ægrotis cum his obſequia præſtat. Cùm verò aliquando mulierem in eo Xenodochio extremum iam iam ſpiritum agentem, apprehensâ Chriſti Crucifixi imagine, ad diuinæ miſericordiæ ſpem prouocaret, geminas meretrices, pijs ſuis hortationibus compunctas, ad pœnitentiam reuocat. Cùm primùm 18. annum attigit, parentibus, ac ſæculo valedicens, ad Capucinos accedit. Vix autem nouus Religionis Tyro Seraphicâ veſte, velut cœleſti loricâ ſe contectum videt; cùm inuictam virtutum aciem aduerſus vniuerſa vitiorum genera omni ſtudio ſibi comparare parat; tamq; præclaram à Deo virtutem conſequitur, vt non nouus paleſtrita; ſed in hoc ipſo probationis anno iam veteranus, ac rude donatus cenſeretur. Cùm enim inter alia virtutum ſtudia, maximè orationi, ac rerum Diuinarum contemplationi vacaret, non ſemel à ſenſibus excedere, atque extra ſeipſum ferri viſus eſt; ita vt Diuina illa amoris vis illum penitus in Deum transferret. Quo fiebat, vt ob frequentes raptus ſæpiſſimè ſui compos non eſſet; quod inter alia hoc aliquando exemplo manifeſtum fuit. Dato enim Completorij ſigno, cùm Ioannes ab his verbis: Iube Domine benedicere, Horam inchoaturus eſſet, cæteris de more ſurgentibus, is genuflexus manens, tam ſuauiter in hæc verba, (prætermiſſis illis) erumpere cœpit: Benedicant te Angeli, ô Maria ſanctiſſima, Benedicant te Cœleſtes ſpiritus, ô Virgo virginum Deipara. Vt eum Fratres vel ſpiritu ebrium, vel diuinâ aliquâ Beatiſſimæ Virginis viſione potitum exiſtimarent. At Vicarius Prouincialis, qui facto præſens erat, cùm ipſius ſpiritum probare vellet, ſeuerè in Refectorio obiurgatum, totam illam Refectorij humum linguâ

lambere iubet. Cuius cùm Ioannes dicto citiùs iuſſa impleuiſſet; Prouincialis ſeorſim in cellam vocatum interrogat, quid eum ad inſolita illa verba in Choro pronuncianda compulerit. At Ioannes, oculis in Cœlum ſublatis, repentè in ecſtaſin rapitur. Quo facto Prouinciali innotuit, non ab humano; ſed à Diuino ſpiritu profectum fuiſſe, quod ab eo intempeſtiuâ, vt videbatur, illâ Beatiſſimæ Virginis laude proditum fuerat. Neque id ſemel duntaxat accidit: eundem namque quidam Ordinis noſtri Concionator, ante Beatiſſimæ Virginis imaginem extra ſenſus raptum offendit. Dum itaque diuinis hiſce muneribus cohoneſtatus Ioannes, adhuc Nouitius ad maiores virtutum profectus tenderet; laterali pleuritidis morbo correptus, grauiter ægrotare cœpit. Quo tempore accidit, vt Fr. Antonius à Neapoli, Laicus, qui ſedulò illi miniſtrabat; dum in cellæ ipſius angulo, facie ad feneſtram verſâ, orationi vacaret, alterum cum Ioanne colloquentem audiret. Quâ re obſtupeſcens, cùm neminem ibi præſentem adeſſe ſciret; vultum repentè ad ægrotum conuertere, & quis cum eo colloqueretur, agnoſcere curat. At quantâcunque vi ſibi adhibitâ in id adniteretur; nunquam tamen, virtute quâdam Diuinâ obſiſtente, aut loco dimoueri, aut faciem ad ægrotum conuertere potuit; donec communis oratio, quæ de more tunc poſt Completorium fiebat, abſoluetetur. Porrò oratione peractâ, Antonius à Ioanne percunctatur; quiſnam is eſſet, qui cum eo nuper ſermones miſcebat. Cui ille: Dummodo rem, ait, ſilentio tegas, aperiam. Adfuit (inquit) hîc Cœlorum Regina, multis Virginum ſtipata Choris: quæ, cùm plurimis conſolationis verbis ægrum proſecuta fuiſſet; tandem velocioris me meæ diſſolutionis admonuit, quæ craſtinæ diei horâ ſextâ, proculdubio futura eſt. Poſt hæc cùm ad extremum ſe vitæ exitum deuotiſſimâ Sacramentorum ſuſceptione, ac oratione paraſſet; poſtridie, quâ prædixerat horâ, purus ex hoc ſæculo migrat, Religionis Profeſſione ante obitum emiſsâ. Hoc modo Ioannes breuioris vitæ, ac Religionis ſtadio decurſo, longa annorum curricula ſuâ virtute præcurrit, veloxq; ad metam peruenit.

Anno 1581.

Fr. NICOLAI HISPANI, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER NICOLAVS HISPANVS, Prouinciæ Panormitanæ Clericus, illuſtriſſimâ Stirpe progenitus, dum Siculis Triremibus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege præficitur, cùm is honorem fugiens, meliorem ſibi, ac diuturniorem apud Seraphicos Chriſti pauperes gloriam quærit. Quâ igitur die ſæculo valedicturus pauperum habitu apud Capucinos donatur; vt ſe iam nihil cum mundo commune habere oſtenderet, illudq; Apoſtoli ſibi vſurpare valeret, dicentis: *Omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora; vt Chriſtum lucrifaciam.* Philipp. 3. pretioſiſſimas veſtes, aurum & gemmas, quibus magnificè ornatus acceſſerat, velut mundi exuuias pauperibus erogari iubet. Mox tam incredibili ſtudio ad omnium virtutum tyrocinium ſe contulit, vt mira de ipſius obedientiâ, humilitate, paupertate, vitæ auſteritate, ſui, ac rerum omnium contemptus & prǽſertim charitate, mentisq; in Deum ardore apud Ordinis monumenta legantur. Porrò hoc Diuini amoris æſtu tam mirum in modum agebatur, vt cùm Cœleſtes animi impetus, quibus in oratione conficiebatur, ita cohibere non poſſet, quin in clamores erumperet; ne cæteros perturbaret, in ſyluam plerumque ſecedere cogeretur. Cæterùm inter alia orationis exercitia, quibus animum ad Diuini amoris incendium prouocabat, cùm Crucis Chriſti meditationem ſummâ pietate proſequeretur; id Chriſti charitate vrgente ſibi aliquando in animum induxit, vt geminas trabes, quas in ſyluâ iacentes offendit, ſimul fune, quo præcinctus erat, in Crucis modum colligatas, humeris imponeret; ac per longos ſyluæ tractus, duarum, vel trium horarum ſpatio, qualibet nocte, nemine ſpectante, raptaret: quo tempore maximis fletibus, ac ſingultibus Domini Paſſionem lugebat. *Sed, quoniam Deo placita erat anima eius,* Sap. 4. Breui illum ex huius mortalis vitæ ærumnis eduxit. Vix enim ad tertium Religionis annum peruenerat, cùm Politij ſupremo morbo correptus, vitam ſummis in virtutibus tranſactam, iuſtorum fine concluſit: & qui Domini Crucem dilexerat, ad Crucis prǽmia, Domino velociùs vocante, euolauit, Anno 1581.

In Mediolanenſi Prouinciâ Fr. Avgvstinvs Brixienſis, Clericus, regulari obſeruantiâ, ac lachrymarum dono clarus, Obijt 1582.

In Piceni Prouinciâ, Clericus quidam Florentinus, apud omnes morum diſciplinâ, ac virtutum ſplendore clariſſimus, obitus ſui horâ prænunciatâ, ex humanis feliciter migrat, Anno 1582.

Fr. MAVRITII A MONTE MONTANARIO, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRater Mavritivs à Monte Montanario, Clericus, qui ab ouium caulis ad Religionis gremium à Deo vocatus; cùm agni inſtar ſimplex, innocens, ac purus ſæculum euaſiſſet; purior, ac innocentior in Religione vixit, multarumq́; virtutum laude conſpicuus fuit. Cùm verò Clericalem vitam varijs, ac præſtantiſſimis Euangelicæ perfectionis exemplis exornâſſet, quibus non modò Clericalis ſtatus gloriam auxit; ſed & æternum omnium Clericorum formæ apud Fratres omnes nomen, ac famam ſibi comparauerat; puriſſimus tandem, poſt ſextum Religionis annum, ad puritatis totius fontem euolat. Sed haud illi inter mortis anguſtias defuit Cacodæmon, terrificam illi ſpeciem obijciens: at verò, cùm in eo nihil accuſandum inueniſſet, ab eo vacuus, & confuſus abſcedit. Is autem vitam omni cum virtutum laude tranſactam, in Conuentu Nouanæ meliori fine coronat, ac digna virtutum præmia adipiſcitur. Quod deuoto cuidam Fratri poſthæc oranti, Diuinâ viſione declaratum fuit, qui Mauritium ſimul cum duobus alijs eiuſdem Ordinis Fratribus, inter Angelorum Choros cœleſti gloriâ donatum conſpexit. Illud verò haud leue ipſius ſanctitatis argumentum fuit; quod pluribus ab ipſius morte elapſis menſibus, cùm illius corpus in ſepulchro conditum à fratribus, qui ipſius ſanctitatem nouerant, exploratum fuiſſet; omni ex parte integrum, & incorruptum, nullâq; praui odoris maleolentiâ affectum reperitur. Cuius rei teſtes fuere, quotquot ex capitulo illâc permeârunt. Obijt Anno 1583.

Fr. SEBASTIANI VRANIENSIS, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER Sebaſtianvs Vranienſis, Clericus ſanctimoniâ illuſtris fuit. Tanta erat huius adoleſcentis ad omne bonum propenſio, tamq́; ardens ad omnes virtutes ſtudium; vt iam à primo Religionis curriculo metam aſſecutus videretur: ita, vt nihil in eo, quod ad virtutem ſpectat, præter maturiorem ætatem, qua virtus aucta ſeneſceret, expetendum eſſet. Vitæ auſteritas, oculorum demiſſio, ſenſuum cuſtodia, membrorum compoſitio, verecundiæ pudor, qui in facie elucebat; morum honeſtas, & facilitas, mentis humilitas, ſemper ad omnia parata obedientia, & quædam modeſti animi venuſtas, quæ ſeſe per omnes illius actus diffundebat, vniuerſos ad ipſius amorem, & admirationem rapiebat: maximè verò apertiſſimus quidam mentis candor, & puritas; quo factum eſt, vt quo tempore immaturus occaſus præcocem hunc nobis religionis fructum intercipiebat, candidula columba ex illius ore euolare viſa fuerit; vt qui columbæ ſimplicitate, & candore vitam exornauerat, eandem ad Cœlum comitem haberet. Obijt Anno 1583.

Fr. LVDOVICI ALETINI, CLERICI, NOVITII.

VITA, ET GESTA.

FRATER Lvdovicvs Aletinvs, Hydruntinæ Prouinciæ Clericus, tametſi necdum Seraphicæ militiæ cingulum accepiſſet, perfectumq́; in militem euaſiſſet; militum tamen legitimè certantium à Deo coronam meruit. Is Aletiæ Salentinorum, honeſtis parentibus ortus, adhuc adoleſcens iugum Domini, tantâ Diuini ſpiritus affluentiâ in Capucinorum Congregatione ſubeundum ſuſcepit; vt vitæ puritate, ſimplicitate, innocentiâ, ad Angelicum propiùs, quàm ad humanum vitæ genus accederet.

In hac virtutum palæſtrâ, cùm Ludouicus ad nonum vſque menſem animum exercuiſſet; corpus, quod animo impar vehementiores ſpiritus exercitationes ferre non poterat, ægrâ valetudine premi cœpit: ex quâ tandem cùm in hecticam febrem incidiſſet, Fratrum familia Medicorum conſilio, illum à Religione dimittere, ſuiſq; reſtituere cogitant: at cùm hoc primùm Ludouico innotuit, is vota omnia ad Deum intendens eum aſſiduè deprecabatur, ne à Religione, cui ſe iam animo ſaltem deuouerat, alienum eſſe pateretur; atque eodem tempore pro Maximino ſocio, qui & ipſe probationis annum agebat, Deum rogat; tamq; ardentes ad Deum preces fundit, vt B.P.N. Franciſcum ſibi præſentem aſpicere, atque ab eo audire meruerit, ſe in Religione diem extremum clauſurùm; verùm ante expletum probationis annum vnius menſis ſpatio intercipiendum. Maximinum verò ſocium, pro quo Deum rogauerat, ad profeſſionis vota peruenturum; verùm tertio poſt profeſſionem menſe illum ſibi comitem habiturum. Ludouicus itaque cùm ad vndecimum vſque probationis menſem æquo virtutum, atque Angelicę vitæ curſu perueniſſet; diutini morbi duratione probatus, ad cœleſtis vitæ tandem coronam euocatur: cui tertium poſt menſem, Maximinus Aletinus ſocius, expreſſo Religionis voto, quemadmodum B. P. N. Franciſcus prædixerat, haud minori virtutum laude aſſociatur, Anno 1584.



FRATER PAVLVS BARCINONENSIS FF.rum CAPVCINORVM CLERICVS.

Fr. PAVLI BARCINONENSIS, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER PAVLVS BARCINONENSIS, Prouinciæ Cathalauniæ Clericus, Vir Apoſtolicus, ac virtutibus clarus, inter Barcinonenſis vrbis Ciues enumeratus; cùm primum iuuentutis florem attigiſſet, ſæculo cum ſuis concupiſcentijs forti animo contempto, floreſcentem ætatem Deo, ac virtuti in Religione Capucinorum conſecrauit. Mira in hoc Tyrone ad omnium virtutum ſtudia amplexanda cupiditas erat, admirabilisq; ad omnem pietatem, regularisq; obſeruantiæ diſciplinam animi ardor; quo fiebat, vt ad obedientiam, humilitatem, patientiam, altiſſimam rerum paupertatem, vitæ auſteritatem, ſenſuum mortificationem, ac cæteras Euangelicæ perfectionis virtutes ſectandas, tanto ſtudio ferretur; vt quæ longioris temporis diuturnitate ab alijs comparari ſolent, is in ipſo religioſæ vitæ tyrocinio adeptus videretur. Corpus ſuum quotidianis flagellis, ac ieiunijs caſtigabat, durasque illi, ac nudas ad ſomnum tabulas ſternebat. Potiſſimum verò illius ſtudium erat, animum ad diuina transferre, ac cœleſtium rerum meditatione, quæ diuinæ in eo charitatis flammam accenderet, ſaginare: vnde accidit, vt nonnunquam ad ecſtatici raptus delicias, preſertim in die Cœnæ Domini, ante ſepulchrum orans, euectus fuerit. Hos verò Pauli progreſſus cùm Satan haud ferre poſſet, ab eo mirum in modum viſibiliter infeſtabatur. At intrepidus Tyro Dæmonis conatus paruipendens, familiari flagro, quod ſecum ſemper gerebat, Dæmonem appetens, illum in fugam compellebat. Porrò hinc Paulus Dæmoni tam formidabilis euaſerat, vt iam illum palàm aggredi non auderet. At D. O. M. qui Tyronem ſuum idcirco tot præcocibus victorijs illuſtrauerat, vt celeriùs ad coronam euocaret; haud diuturna ipſius certamina eſſe voluit; neque enim tertium in Religione annum exceſſerat, cùm graui morbo vexari cœpit. Moxque Fratri Cherubino à Neapoli ſocio, velociorem fore corporis ſui depoſitionem ſignificat: ingraueſcente verò morbo, Deo ob innumera ſibi collata beneficia, ac præſertim ob Religioſam vocationem, quam velut ſalutis ſuæ pignus agnoſcebat,

gratias agens, cœleſtibus deſiderijs æſtuans, de Diuinis rebus altiſſimè cœpit diſſerere. Quintâ verò die, antequam ſupremam obiret, cùm Paulus de Chriſti ſanguine, in quem is ſummâ religione ferebatur, cum Fratre Cherubino à Neapoli colloqueretur; inter hæc verba in mentis exceſſum rapitur: in quo cum diu immobilis, oculisq; in cœlum defixis permanſiſſet; extemplò è ſtrato ſurgens, ligneâ Cruce manu arreptâ, exclamare cœpit: Deoſculare Crucem hanc, Canis immanis: Deoſculare inique. Cumque hæc ardentiori ſpiritu diceret; vix ab adſtantibus teneri poterat, quin in medium proſiliret. At tandem ſibi redditus, cùm à Fratribus, quidnam eo ecſtaſis tempore vidiſſet, interrogaretur, reſpondit: Beatiſſima illa Roſarij Virgo (cui ille deuotiſſimus erat) tam pulchra ac ſplendida mihi apparuit, vt ſuo me aſpectu protinùs extra ſenſus adegerit: etenim præter cœleſtem vultus elegantiam, ad quam nulla humana ſpecies, aut pulchritudo propiùs accedere poteſt; eam alba veſtis, niue candidior, atque aureum diadema, in capite fulgens, cui ſpecioſiſſima ex roſis, ac lilijs compacta corona inſidebat, tam venuſtâ varietate diſſimilis, vt quemlibet decem roſarum vernantium numerum, lacteum, ac renitens lilium concluderet; ingens præterea lucis ſplendor, quo tantopere emicabat, vt totum orbem illuſtrare videretur; tam admirabilem præſtabant, vt cum eam mente conſpicerem, breuem mihi ad has cœleſtis aſpectus delicias capiendas animum habere viderer. At verò repentè ex aduerſo canis quidam ater, atque horribilis, quem Satanam mox eſſe agnoui, in me inſiliens, guttur dentibus peruadere conabatur. Quapropter vt me à Tartareo illo cane liberarem, Crucem arripui: cuius aſpectum cùm is ferre non poſſet, per feneſtram fugâ ſibi conſuluit. Hæc ille vbi effatus eſt, morti appropinquans, cùm Deiparæ Virginis rurſus ſibi apparentis præſentiâ potitus fuiſſet omnium opinione Cœlo dignus, terrenis rebus valedicit, Anno 1584. Viri huius encomium celebrat Sebaſtianus Verdeius, ordinis Minorum, qui de Obſeruantiâ nuncupatur, Concionator, libello, quem inſcripſit: *Inſtructio ad Officium de S. Cruce rectè perſoluendum*, quem Hiſpano idiomate conſcripſit.

In Bononienſi Prouinciâ Fr. Matthæus à Baſſeio (qui primi Generalis ex ſorore nepos fuit) vitâ magnis in virtutibus tranſactâ, cùm in morte Dæmonum multitudinem in ſe irruentem expaueſceret; geminos è cœlo Capucinos Fratres delapſos cernit, qui impiam turbam fugantes ſerenum reddunt, viamq; illi ad ſupernam patriam oſtendunt. Obijt anno 1585.

Mediolanenſis Prouinciæ monumenta Fr. MATTHIAM ANESINVM, Bergomatem Clericum, plurimâ virtutum laude celebrant. Qui cùm paucos in Religione annos, magnâ cum vitæ innocentiâ, ac puritate tranſegiſſet; in ipsâ ſui obitus horâ, quæ nocte contigit, germano fratri, qui alterâ in cellâ vigilabat, Solis inſtar lucidiſſimus apparet; atque eodem tempore à matre, quæ cum viro in lecto iacebat, quaſi ſtella refulgens, quæ Cœlum verſus conſcenderet, conſpicitur. Obijt Anno 1586.

Vmbriæ Prouincia Fr. IOANNEM AB AMERIA, Clericum, Angelicę puritatis inter alias virtutes potiſſimùm commendat; ex cuius vultu cùm lucis fulgor in morte emicuiſſet; poſt mortem ſuauiſſimus ex ipſius corpore, in nitidę ſuæ puritatis ſignum, odor emanat. Obijt Anno 1588.

Fr. ARCHANGELVS à MEDIAVILLA, & PETRVS DERTRVSANVS, Cathaloniæ Prouinciæ Clerici Diaconi, cùm in oppido Vallis peſte laborantibus ſuâ operâ, ac miniſterio adfuiſſent, ipſi quoque voluntario charitatis martyrio occubuerunt, Anno 1589.

Fr. SERAPHINI ANTVVERPIENSIS, CLERICI,

VITA, ET GESTA.

FRATER SERAPHINVS ANTWERPIENSIS, Clericus, Angelico ſpiritu imbutus, cùm purus & innocens ad Religionem acceſſiſſet, vitæ innocentiam in Religione tot alijs virtutibus accumulauit; vt omnibus obedientiæ humilitatis, patientiæ, ſolitudinis, ſilentij, orationis prodigium eſſet. Stupebant Fratres tam pręclara virtutum tyrocinia, quæ in iuuene ſpectabant; maximamq; futurę ſanctimoniæ ſpem animo concipiebant. Neque id fruſtra: Virginitatis namque donum, quo propiùs ad Angelos accedere videbatur; morum honeſtas, eloqnij ſuauitas, vitę auſteritas, deuotionis feruor, aſſiduum orationis ſtudium; demùm cœleſtis vitę ratio, quâ in primo illo iuuentutis flore præfulgebat, Seraphicum planè illi animum ineſſe indicabant. Pręclarum itaque hoc Religionis lilium cùm cœleſtem vndique odorem efflaret; necdum è turgentibus gemmis emerſerat, cùm illud intempeſtę necis pruina decoxit: dyſenteriæ namque morbo correptus, quem maio-

rem ad corporis caſtigationem, quoad potuit, celatum tenuit, cùm ad occaſum deflueret; antequam ex humanis migraret, in mentis exceſſum rapitur: ex quo poſt aliquod temporis ſpatium ſibi reſtitutus, tam altè cœpit de perfectione, ac virtutibus diſſerere, vt adſtantes Fratres maximam in admirationem raperet: atque inter hæc, Angeli inſtar, in beatæ æternitatis ſinum rapitur. Quod piæ cuidam mulieri, quæ cœca erat, diuinitùs manifeſtatum fuit: quæ cùm eodem planè tempore, quo Seraphinus Deo animam reddidit, fulgentem quandam Beatorum ſupplicationem Cœlum verſus incedentem, Seraphinumq; inter duos venerabiles Viros poſtremùm incedentem; denique magnam in Cœlo ſolemnitatem parari in viſu conſpexiſſet; eâ re obſtupeſcens, manè ad Capucinos filiam deſtinat; vt, ſi eorum quiſpiam eâ nocte è viuis migraſſet, quamprimùm referat. Illa verò ad Capucinos profecta, cumprimùm Seraphini corpus in Eccleſiâ iacens offendit. Obijt Seraphinus annos natus 22. tertiumq; in Religione annum agens, Anno 1590.

Fr. IOANNIS FRANCISCI ÆSINI, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES FRANCISCVS ÆSINVS, Clericus, ex nobili Gritiorum familiâ ortus, cùm in ſæculo ad iurgia propenſus ſæpè cum alijs rixaretur; accidit, vt famoſi cuiuſdam libelli aduerſus vrbis Epiſcopum euulgati, is, tametſi falsò, auctor accuſatus, in carcerem coniectus fuerit. Re tamen diligentius examinatâ, cùm is patrati ſceleris inſons deprehenderetur, liber dimittitur. At is, noxiam ſæculi iam libertatem exhorrens, Dei ſibi ſeruitutem eligit, & Capucinorum iugo collum ſubdit. Vix ille vigeſimum ætatis annum attigerat, cùm virtutum palæſtram ingreſſus, certamen vitijs omnibus indicit, membra aſpero cilicio premit; & gulæ ſenſum maiori, quàm cæteris conſuetudo eſt, abſtinentiâ coërcet, ſextâq; feriâ, omnem ſibi cibum ſubtragit. Adhæc communi Fratrum flagellatione non contentus, cùm is Horologium excitatorium moderaretur, illud ita componere conſueuerat, vt vnâ ante Matutinum Officium hora diſſolueretur: quo tempore ſolus in Eccleſiâ per dimidiæ horæ ſpatium, aſperrimo verbere,

totum corpus conterebat. Hac in virtutum palæſtrâ dum fortis Athleta viriliter ſe exercet; carnemq; cum vitijs domans, animam maximis virtutibus parat; ad maiora, ac præſtantiora properantem Anno 1590. mors immatura intercipit, & ad Cœli præmia adhuc pugnantem tranſmittit. Hanc ſuo pugili coronam, paulò ante ipſius obitum, diuina vox, ac præſentia confirmauerat: Chriſtus enim illi ſub noctis principium apparens, cùm plurima de cœleſtis gloriæ præmijs eidem aperuiſſet; ſtatâ noctis horâ ad eum ſe rediturum, & cœleſti gloriâ donaturum pollicetur. Id cùm ille Fratribus retuliſſet; haud cœleſte oraculum tempus fefellit: nam præſcriptâ noctis horâ, Ioannes Franciſcus humana deſerens, Cœleſtibus aſſociatur.

In Belgicâ Prouinciâ Fr. HIERONYMVS LIRENSIS, Clericus, tantâ vitæ innocentiâ floret, vt ſui obitus, die prædicto, ſummâ cum pietate vitæ curſum abſoluerit, Anno 1590.





FRATER IOANNES FRANCISCVS BONONIENSIS FF.^rum CAPVCINORVM CLERICVS.

Fr. IOANNIS FRANCISCI BONONIENSIS, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES FRANCISCVS BONONIENSIS, Clericus, tam horridam à natiuitate vultus ſpeciem tulit, vt animi ad vitia propenſi deformitatem indicans, cùm iram proderet, aſpectantes ſolo aſpectu terreret. Ad omnia igitur ſcelera procliuis, maximis ſe temporis ſucceſſu vitiorum maculis labefactauit. At inter tot criminum ſpinas, aliqua virtutum ſemina in animo illi integra remanebant: iniurias enim ſibi illatas facilè condonabat; aliorum diſcordias ſedulò componebat; eleemoſynam petenti nunquam denegabat; quæ ſanè haud minima ſuæ conuerſionis radix, & origo fuit. Cùm enim ex Hungariâ rediens, nonnullas Venetijs moras traheret; contigit, vt mulier quædam, quæ puerum in ſinu geſtabat, quo ſpecioſiorem ſe nunquam conſpexiſſe meminerat, ab eo eleemoſynam peteret: qui pueri illius formam admirans mulieri argenteum ducatum largitur. Poſtridie verò, cùm eadem mulier cum puero ad eum iterum eleemoſynam quærens acceſſiſſet; conſtitit Thadæus, (hoc enim nomen in Baptiſmo ſortitus fuerat) multoq; quàm pridie elegantiorem in puero formam ſpectans, ab eo lumina auertere non poterat. Quamobrem, vbi mulieri alterum ducatum argenteum tribuit, abeuntem proſequitur, vt illius domicilium agnoſcat. At illa, cùm vix paululùm proceſſiſſet, repentè ex ipſius oculis euaneſcit. Hanc verò ſacram Deiparam cum puero IESV, qui ad meliorem illum vitæ frugem prouocarent, extitiſſe, multis ille ſibi argumentis perſuaſit. Adhæc, licet tot vitijs immerſus, quoslibet tamen veneris dies, ob Dominicæ Paſſionis memoriam, perpetuo panis, & aquæ ieiunio celebrare conſueuerat. Poſtremò, ſummo in animo Catholicæ Religionis tuendæ igniculo caleſcebat. Veruntamen cùm tam exilia hæc virtutum ſemina eſſent, vt maioribus vitiorum ſpinis obruerentur; Thadæi mater, perpetuis in oratione lachrymis, à Deo filij ſalutem poſtulabat. Deus autem tantarum lachrymarum filium haud perire voluit. Etenim cùm ſemel quendam Ordinis S. Dominici Prædicatorem concionantem audiret; qui vel vnam ex tot, qui Concioni intererant,

peccatoris animam à Deo ſibi condonari poſtulabat, ſecum ita loqui cœpit. Heus Thadæe, audiſtin'? tuam hic Prædicator animam à Deo expoſcit. Quid cunctaris? aut cur tuam ad Deum conuerſionem differs? Hoc ipſo igitur temporis momento, vitam in meliorem frugem conuertere ſtatuens, generalem ſcelerum ſuorum confeſſionem inſtituit, arma deponit, ſolitarius incedit, amicorum conſortia fugit; frequens ad Sacramenta accedit; coram Crucifixo adgeniculatus, ad tertiam, & quartam horam orationem producit. Denique tam mira omnibus viſa eſt huius hominis mutatio; vt eam ab Excelſi dexterâ citra dubium profectam agnoſcerent. A Satanâ verò in ipſius conuerſionis primordio, incontinentiæ tentatus, mulieri, quæ ſe in ipſius lectum nudam iniecerat, fortiter obſiſtens, trophæum de caſtitatis hoſte glorioſè reportat. Poſt aliquod verò tempus, cùm anteactæ vitæ maculas maiori pœnitentiâ delere, ſibi in animum duxiſſet; contigit, vt aliquando de Capucinorum Religione amplectendâ Dei voluntatem expoſcens, coram Crucifixo feruentiùs oraret: quo tempore illa Crucifixi imago caput bis inclinans, Thadæum compulit, vt quamprimùm à Generali Miniſtro Religionis habitum poſtularet: à quo præter Fratrum omnium expectationem, ſtatim ad Religionis gremium admittitur. Poſt multas igitur Dæmonis infeſtationes, Thadæus mutato nomine, ſub Ioannis Franciſci appellatione, tam cœleſte in eâ vitæ genus inſtituit, vt prioris non ſolum maculas abſterſerit; verùm maiori poſteriorem gloriâ accumulauerit. Tot namque pœnitentiæ lachrymis, tam mirâ cordis humilitate, ac patientiâ; tanto denique ſuiipſius deſpectu, nouum religioſæ vitæ ſtatum auſpicatus eſt, vt ad ſacros Ordines promoueri renuens, humiliorem inter perpetuos Clericos vitam duxerit. Nemo illo pauperior, nemo honeſtior, auſterior nemo. Tam rigidus regularis obſeruantiæ cultor fuit, vt in eâ ſeruandâ omnem propè modum excederet. Vnicâ, ac obſoletâ contectus tunicâ, aſperrimo hyemis tempore, gelû penè conſtringebatur. Diuinarum rerum contemplationi ſedulò vacans, ſæpiſſimè tùm orans, tùm in Choro pſallens; atque alibi, in mentis exceſſum rapiebatur; in quo tam profundè à ſeipſo abalienatus conſpiciebatur, vt nullo ſtrepitu, nullâ membrorum diſtortione, nullâ denique vi, donec impetus ſpiritus miteſceret, ad ſenſus reuocari poſſet. Veruntamen, ſi ſuperioris imperium accederet, ac aut Dei, aut Beatiſſimæ Virginis, aut alterius ſancti nomine compellaretur, protinus ſibi redditus reſpondebat. Poſt hæc in Conuentu Caſtri Bononienſis,

nienſis, dum in Choro noctu ecſtaſi correptus eſſet, Frater quidam in eum impudenter offendens, vi ad ſolum impellit: is verò, neque Fratris impulſum, neque vim ſibi illatam ſenſit. Mirandulæ, dum in Choro Horæ Canonicæ decantantur, is palmis ad ſydera tenſis, ſolisq; pedum pollicibus innixus, in exceſſum aſſurgit. Rurſumq; in eodem Conuentu, dum diutiùs ſolito ecſtaticus perſeueraret; purgatoriȩ illi pœnæ in exceſſu demonſtrantur. Iterum ſub primum noctis crepuſculum, in Choro ſenſibus excedens, tamdiu in exceſſu immobilis perſtitit; quoad Matutinȩ Horæ pulſarentur. Mirandulȩ Principiſſa, Ioanne Franciſco aliquando præſente, citharam pulſabat: cuius ſimul atque is harmoniam percipit, protinus à ſenſibus aberrat: quo tempore cùm diurnarum Horarum codicem apertâ, atque extensâ manu geſtaret; haud tamen is è manu excidit: ſed perinde, ac ſi palmæ infixus eſſet, ei ſtabilis adhȩret. Id ei quoque ſæpiùs aliàs contigit. His adde, quod in Presbyterio orans, à Magdalenâ, & Clarâ, tertij Ordinis Sororibus, Mutili cubito altiùs à ſolo eleuatus conſpicitur. Hinc illi tam familiaris ecſtaſis euaſit; vt cùm eam ſub ipſorum ſæcularium hominum oculis pateretur, etiam Fratribus nonnunquam moleſta eſſet. Obitum ſuum prȩdicens ſubobſcurè, ecſtaſis ſuæ Dei donum probat. Prophetico ſpiritu illuſtratus, pleraque eorum, quæ futura erant, vel intimos animi motus, & cogitationes perſcrutabatur. Denique cùm breui ſe hinc migraturum intelligeret, Barbaram Mirandulȩ Principiſſæ honorariam famulam, his aliquando verbis compellat: Mihi, ô Barbara, quamprimùm longum iter auſpicandum eſt: an non te mihi comitem iunges, vt vnâ iter hoc conficiamus? At illa, cùm hæc haud malè de vitæ curriculo conficiendo, verba intelligeret; quȩdam inter labia muſſabat; cùm eidem Franciſcus: Quid muſſas, Barbara? ita planè erit: ſimul pergamus. Quàm verò id ad amuſſim contigerit, vtriuſque vitȩ occaſus, qui eadem die accidit, non obſcurè comprobauit. Pleraque alia futura, & occulta reuelâſſe, certo teſtimonio confirmatum fuit, quæ hic breuitatis ſtudio prȩtereo. His quædam tantùm miracula, ab eo in Dei virtute patrata, accedant. Cœciliam quandam, Franciſci Sentonij filiam, oculi ita argemate laborantem, vt ſe illius vſu breui deſtituendam maximè extimeſceret, ſuâ oratione, in ipſo temporis momento, integrȩ incolumitati reſtituit. Marthæ tertij Ordinis S. P. Franciſci ſororis bombycinum agmen, velut fame enecatum, poſt biduum, nondum frondeâ fartum ſaginâ, Franciſci oratione,

ramos conſcendit, ac membranaceo folliculo conficto, bombycea circùm ſtamina orditur. Poſtremò, Eliſabethæ Pepolæ, illuſtris mulieris famulum, ſubſtillo affectum, eoq; grauiſſimè cruciatum, Crucis ſigno adhibito; mox illum à dolore liberat. His igitur Vir Sanctus à Deo donis abundè cumulatus, cùm vitam ad canos vſque ſummâ cum virtutum laude traduxiſſet, in Mirandulæ Conuentu, extremo morbo correptus, patientiâ, & ſanctimoniâ clarus ad Dominum migrat, Anno 1594. ac poſt mortem nonnullis à Deo miraculis illuſtratur. Paulus enim ab Argentâ, ex noſtris Concionator, graui odontalgiâ oppreſſus, cùm ipſius dente molares ſibi dentes attigiſſet, confeſtim pulſo dolore conualuit. Rurſus, cum pedum dolore vexaretur, cannabaceo eiuſdem cingulo ijs adhibito, curatur. Denique, poſt aliquot ipſius ſepulturæ menſes, ipſius corpus tam molle, ac tractabile, nulloq; prauo odore imbutum repertum fuit; vt ſoporantis potius, quam demortui ſpeciem referret.

Fr. ANGELICVS à Caſtro Veterano, Panormitanæ Prouinciæ Clericus, cùm ſeptem in Nouitiatu menſes, tantâ vitæ innocentiâ, mentis puritate, morum excellentiâ, ac virtutum ſplendore exegiſſet, vt ipſi Magiſtro maximæ admirationi eſſet; ante mortem in mentis exceſſum raptus, diſtrictam rerum omnium, quæ in Dei iudicio fit, diſcuſſionem conſpiciens, eam poſt exceſſum enarrat. Poſt hæc animam exhalans, in ſplendoris flammæ modum, rectà cœlum conſcendere cernitur, Anno 1594.

Lucaniæ Prouinciam Fr. DAMASCENVS à Riuello, Clericus, ſuis virtutibus illuſtrat: qui cùm vitam magno cum virtutum ſplendore in Religione duxiſſet, ſplendida quoque in ipſius morte lumina è Cœlo delapſa cernuntur, Anno 1594.

Fr. CLEMENTIS PANORMITANI, CLERICI.

VITA, ET GESTA.

FRATER CLEMENS PANORMITANVS, Panormitanæ Prouinciæ Clericus, vix ex vaginâ erumpens, tantâ virtutum fragrantiâ in domo Dei olere cœpit; vt cùm adoleſcente etiamnum ætate, vitæ innocentiâ, morum præſtantiâ, virginitatis candore, obedientiâ, humilitate, patientiâ, ſuiipſius contemptu, orationis ſtudio, omni tandem virtute excelleret; inde maximam omnium animis futuræ ſanctimoniæ ſpem inſculptam relinqueret. Veruntamen, cùm ſeptimo poſt Profeſſionem editam menſe, Nari in ſupremum morbum incidiſſet, anteactæ vitæ curriculum, tantâ cum virtute peractum Deus ita illuſtrare voluit; vt cùm eodem tempore Graſta Baroniſſa, quæ plurimâ in eâ vrbe virtute florebat, in lecto ægrotaret, eidem Clemens per nuncium obitum, obitus horam, & poſt celerem mortem gloriam, quam poſt aliquas purgatorias pœnas conſecutura erat, ad amuſſim prędixerit. Alteri quoque mulieri Narenſi Tertiarię, quæ Franciſca appellabatur, vitæ occaſum, eodem anno futurum, prędixit. Demum præſcriptâ ſibi quoq; mortis horâ, quæ poſt Baroniſſę obitum, in eiuſdem noctis aurorâ, futura erat, Fratribus pręſignificatâ; quo tempore Baroniſſę anima è corpore migrat, ita adſtantes affatur: En iam Baroniſſę anima in cœlum conſcendit: modicâ enim Purgatorij pœnâ toleratâ, eam B. P. Franciſcus celeriùs in cœlum extulit. Paucis poſt hæc elapſis horis, cùm aurorâ appropinquante, iam ad vitæ occaſum accederet, ſenſibus excedens, ad cœleſtia contemplanda ab Angelo effertur; tùm placidè in Domino obdormiuit, Anno 1595.

Fr. CLEMENS PLACENTINVS, Clericus, in Bononienſi Prouinciâ, haud minori virtutum luce emicat; qui cùm in Placentinâ Vrbe, nobili Ruſticorum genere ortus eſſet, maiori virtutis nobilitate in Religione præfulſit: Dum enim Chriſti Domini probra, ignominias, atque illatas contumelias aſſiduè in animo verſat; tanto in eas ſtudio, & cupiditate ferri cœpit; vt ſæpè, quo ab alijs deſpici, derideri, ac ludibrio haberi poſſet, occaſiones captaret. Hinc, cùm

& perfecta mentis humilitas, & patientia, & ſuiipſius odium, ex quo cæteræ virtutes exordium ſumunt, in eum proficiſcerentur: tùm maximè feruens quædam in eo charitas ardebat; quæ cùm ad illum ad ſedulum orationis ſtudium pelleret, ad maiora illius animum, proculdubio indies virtutum incrementa parabat. Verùm, cùm necdum octauo in Religione anno peracto, in Conuentu Ferrariæ morbo correptus fuiſſet breui conſumptus, expleuit tempora multa plurimâq; virtute ſenem, dum Iesvm Christvm ſibi in morte occurrentem lætus cernit, in ipſius ſinum animam fundit; octauoq; circiter ab ipſius ſepulturâ anno, inter ſepulchri aquas, incorruptus conſpicitur. Obijt Anno 1597.

In Conſentinâ Prouincia Fr. Ioannes Baptista à Biſciniano, Clericus, genere, & virtute illuſtris celebratur: cui magno ſanguinis vomitu in itinere correpto, cùm Angelus, ſub elegantiſſimi iuuenis formâ, equum, quoad Monaſterium veheretur, miniſtrâſſet, vitam propemodum Angelicam, Aciri, fine haud diſſimili concludit, Anno 1558.

Fr. FRANCISCI NARENSIS, CLERICI
VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS NARENSIS, Clericus, tantâ in Beatiſſimam Virginem deuotione efferbuit, vt cùm de eâ aliquid ſibi narrari audiret, præ amoris æſtu, animo quodammodò liquefieri videretur. Huic tam ardenti in Beatiſſimam Virginem pietati, cùm virginitatis, & reliquarum virtutum, quibus omni ſtudio trium annorum ſpatio inſudauerat, cumulus accederet; vberius à Beatiſſima Virgine præmium accipit; extremo enim morbo correptus, triduo, antequam è vitâ excederet, Beatiſſimam Virginem albâ veſte indutam, Regioq; duodecim ſtellarum diademate coronatam, quam multa Virginum agmina ſequebantur, ad ſe venientem cernens; Fratres, qui lecto adſtabant, mox admonet; vt inclytam Cœlorum Reginam, ac Dei Matrem magnâ reuerentiâ excipiant: cumq; ſæpiùs in triduo appareret, atque ita cum eo familiariter conuerſaretur, vt pleraque eum etiam Cœleſtia doceret; tandem ſui, ac duorum Fratrum obitus, horâ prænunciatâ, eadem ipſe,

atque alij quoque ſua morti tributa perſoluunt. Obijt igitur Franciſcus, Anno 1599.

In Genuenſi Prouinciâ, Fr. Ioannes Maria Genuenſis, Clericus, miræ obedientiæ, ac innocentiæ Vir; qui Taurini peſte laborans, antequam è vitâ migraret, candida in ipſius feneſtrâ columba conſpicitur; quæ tam diu ibi immobilis ita perſtitit, donec is animam efflaret. Anno 1599.

Ex eâdem Prouinciâ accedit Fr. Michael Angelus Genuenſis, ex nobili Nigrorum familiâ, Nouitius Clericus; qui vſque adeo in Beatiſſimæ Virginis amorem exarſit, vt eam, etiamnum in paternâ domo exiſtens, ſibi aureo annulo deſponſauerit. Poſt hæc à Domino ad Religionis gremium vocatus, Barulo Genuam profectus, inter Nouitios aſſcribitur, & in Corſicam mittitur: vbi poſt vndetrigeſimum probationis diem, pietate, & vitæ innocentiâ clarus, ad Dominum migrat. Anno 1599.

In Panormitano Conuentu, cùm multorum Fratrum corpora, quæ diu in antiquo ſepulchro iacuerant, in nouum translata fuiſſent; quinquagintaquinq; Fratrum corpora integra reperta fuêre; atque inter ea cuiuſdam Seraphini Panormitani, Clerici, qui 32. abhinc anno obierat, corpus vultu ita rubicundo, ac flauis capillis, perinde ac ſi viuum eſſet, reperitur. Anno 1599.

Alterius quoque Avgvstini Tyracenienſis, qui trigeſimo ante anno diem extremum clauſerat, carnem ita incorruptam, ac ſolidam experiuntur; vt nec ab eo capitis, nec barbæ pilos, niſi violenter, auellere valerent.

Fr. Franciscvs à Molliario, Clericus Picentis Prouinciæ, tantâ præſertim erga infirmos charitate præditus fuit; vt dum Fratris cuiuſdam vlcus, ex quo ſanies copioſa fluebat, abſtergeret; illud oſculo petens, confeſtim ſanauerit; tantæq; auſteritatis extitit, vt poſt mortem aſpero cilicio contectus apparuerit. Obijt 1601.

Hydruntina Prouincia Fr. Petrvm à Martinâ, Clericum, magnum virtute celebrat; qui vitæ auſteritate, abſtinentiâ, carnis, ac ſenſuum mortificatione, patientiâ, & præſertim humilitate ita inſignis fuit; vt cùm ſe Sacerdotis dignitate indignum iudicaret, ab eâ ſponte abſtinuerit: duos Diabolico faſcino illigatos Coniuges oratione, & ſacri Agni cerei virtute ſoluit; ac demum Maſſafræ magnâ cum virtutum laude ſupremum Deo ſpiritum reddidit. Anno 1602.

Fr. Basilivs Genuenſis, Clericus Genuenſis Prouinciæ, tam inſigni vitæ innocentiâ præditus fuit, vt cùm vix Religionis votis

ſolemni ritu nuncupatis, in ſupremum morbum incidiſſet, Beatarum Virginum Chorus eidem apparens, poſt conſolationis verba, ſuum illi obitus diem indicauerit: atque hoc pacto, qui purus, & Virgo ad Religionem acceſſerat, virginum Choro copulandus, præſcriptâ die è vitâ emerſit, Anno 1603.

Fr. FRANCISCVS Rhegienſis, Gallo-Ligur, Clericus in S. Ludouici Prouinciâ, cùm Equitum S. Ioannis Hieroſolymitani numero adſcribendus eſſet, S. P. N. Franciſci, & B. Antonij Olyſiponenſis viſione, ad Capucinorum Ordinem prouocatur: in quo obedientiâ, humilitate, patientiâ, vitæ innocentiâ, & præclaris omnibus virturibus fulgens, amplioris adhuc profectus ſpem immaturo vitæ occaſu intercepit: eadem verò ſui obitus horâ, Dominico cuidam ſæculari viro, ſuo olim condiſcipulo, iucundus, ac feſtiuus apparet; quo factum eſt, vt & is ad Capucinorum Ordinem tranſierit. Obijt 1604.

Fr. IOSEPHVS Valentinus, Clericus, virginitatem, quam inter ſæculi pericula illibatam ſeruauerat, integram, ac perpetuam ad obitum vſque perduxit. Vir perpetuæ orationis fuit; in quâ ſæpe ecſtaſes, & raptus paſſus, nonnunquam toto corpore in ſublime elatus cernitur; finemq; vitæ conſimilem ſortitus, Olberiæ mortales exuuias deponit, Anno 1605.

Fr. ÆGIDIVS Mediolanenſis, Clericus, plurimæ in Mediolanenſi Prouincia, innocentiæ, & orationis commendatur; in quâ plerumq; ecſtaſes paſſus, vitæ occaſum, quem ſibi prædixerat, magnâ virtutum laude illuſtrauit, Anno 1607.

In Cathaloniæ Prouincia Fr. IOANNES à Preſſanâ, Clericus, tantâ honeſtate, puritate, ac mentis innocentiâ, vitam in Religione duxit; vt angelicam vitæ rationem æmulari videretur. Quo factum eſt, vt in ipſius obitu Angelorum cantus auditi fuerint, Anno 1607.

In eadem Prouincia Fr. BONAVENTVRA Barcinonenſis, Clericus, obedientiæ virtute ita inſignis fuit, vt non ſemel pedes in ardentes prunas illæſus intulerit. Humilitate, patientia, charitate, oratione, ac cæteris virtutibus diues, cùm ad vitæ finem perueniſſet, obitus ſui die prænunciato, hinc purus emigrat, Anno 1609.

Fr. ANGELI VALENTINI, CLERICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANGELVS VALENTINVS, Clericus, flos multarum virtutum odore fragrans, quò breuior ei vitæ, ac Religionis curſus, eò copioſior, ac cumulatior virtus fuit. Cùm enim in ipſo iuuentutis flore, pretioſo virginitatis theſauro locuples, plurimâque tum pietatis, tum innocentiæ, tum morum honeſtatis ſuppellectile comparatâ, ad Religionem acceſſiſſet, adeo breui tempore in eâ ſibi virtutum opes auxit; vt facilè percipi poſſet, breuem eum annorum ætatem coaceruatę virtutis vſurâ compenſare. Obijt hic nomine, & re Angelus in Conuentu Valentiæ; vixq; illius anima è corpore ſoluta, matri intempeſtâ nocte, glorioſâ, ac Cœleſti luce coruſcans apparet. Nonnullis poſt Angeli obitum diebus, cùm ipſius Pater, Vir multâ pietate prędítus, extremo cum morte agone conflictaretur; Beata Virgo ſimul cum Angelo filio, ægrotanti apparet, eundem ad Cœleſtia præmia alliciens. Poſt verò Patris obitum, cùm filius eius iunior Garrides, matre inuitâ, ac reluctante, vxorem duxiſſet; ob idq; à matre domo eiectus, matris imperium, ac reuerentiam contemneret; graui, ac inſanabili à Deo morbo mulctatur. Cuius dum partes Theodora ſoror aduerſus matrem tuetur, nocte intempeſtâ ſomno vacans, capitis comam ſibi vehementiùs extorqueri ſenſit: quæ dolore expergefacta, Angeli vocem ſibi dicentem audit: Theodora, Theodora, quid in animo verſas? Tunè praua fratris veſtigia ſequi tibi in animum inducis? Scito, Fratrem noſtrum ob indignum facinus æternæ gehennæ ignibus à Deo mancipandum fuiſſe, niſi mea, ac Patris ſuffragia, Dei in eum iram placâſſent. Idcircò hoc tam graui morbo à Deo caſtigatus reſipiſcat: quod ſi id egerit, maturè ab eo liberabitur. Atque his dictis abſceſſit. Poſt hæc, cùm eadem Theodora in ſuperiori domus cubiculo circa meridiem nonnihil operis ageret, cuiuſdam vocem percipit, ſe proprio nomine appellantem: Theodora. Cui illa, quiſnam ille ſit, reſpondet. At vox iterùm vehementius inclamans: Theodora, Theodora, eam, vt ſtatim egrediatur, compellit. Quæ vt Angeli fratris vocem eſſe agnouit, ſtatim egreditur. Vix autem

paruo poſt ipſius egreſſum tempore elapſo, cubiculi tectum corruit: ex quo fratrem ſibi è cœlo patrocinatum fuiſſe intelligens, eidem pro beneficio gratias reddit. Obijt verò Vir Dei Anno 1609.

Fr. IOANNES à Verſuchio, Clericus Bononienſis Prouinciæ, patientiæ, honeſtatis, atque omnium virtutum laude ornatiſſimus, maturiùs à Deo ad cœli præmia vocatur; atque eâdem ſui obitus horâ, Claræ ſorori, tertij Ordinis Moniali, lætus, ac feſtiuus apparens, eam, ob nonnullas, quas patiebatur, moleſtias, mœſtam conſolatur. Obijt Anno 1611.

Fr. ALEXII A VIGLEBANO, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ALEXIVS à VIGLEBANO, Vir plurimâ virtute, ac ſanctimonia illuſtris, in humili Laicorum ſtatu, Domino deſeruiens, integerrimo paupertatis cultu, quam ſibi ad arctiſſimam neceſſitatem contraxerat, diuinarum ſibi rerum cumulum auxit. Singularis abſtinentiæ exempla poſteris relinquens, ſe orationis, ac deuotionis ſpiritum eovſque ignoraſſe affirmabat, quoad gulæ appetitum ſibi coërcendum propoſuiſſet, ſenſusq; ab omnibus corporis oblectationibus ſubduxiſſet. Hinc in ſeipſum rigidus, Euangelico odio tàm ſeuerè proprium corpus proſequebatur; vt nullas non modò illi voluptates indulgeret, verùm etiam improbis laboribus fatigaret, flagellis tereret, vigilijs extenuaret, ac varijs carnis macerationibus conficeret. Tantâ erga omnes, ac præſertim ægrotos, charitate flagrabat, vt omnibus, velut Angelis Dei obſequendum; infirmos verò, tanquam Chriſtum Dominum totâ animi pietate curandos ſuſcipiendosq; doceret. Humilitatis autem & obedientiæ virtutes ita coluit; vt cum vtrâque præcelleret, quænam in eo clarius emicaret, facilè dignoſci non poſſet. Ad orationis cùm primùm ſe ſtudium contulit, nullâ in eo ſuauitate ac guſtu fruens; ſemel in ipſâ ſacrâ Dominici Natalis nocte, in quâ Deus cum filio omnia nobis donare paratus eſt, profuſis lachrymis, quibus & totius corporis flagellationem adiungebat, orationis, & compunctionis ſuauitatem poſtulat; quam hoc ipſo tempore à Deo tam affluenter accepit; vt ſæpe vſque ad ſextam, ac

ſepti-

ſeptimam horam deinceps in oratione defixus perſtaret. Ante Matutinas horas ſurgens, diu etiam his peractis, in oratione perſeuerans, longas in eâ vigilias ducebat: tantopereq́; rerum diuinarum ſtudio affici cœpit, vt ab ijs diuelli vix poſſe videretur: vniuerſis Miſſarum Sacrificijs deuotiſſimè intererat; quotidie Chriſti Domini corpore ſaginabatur: ex quo, eximia in ipſius animo erga Sacroſanctum illud diuini amoris Sacramentum, religio aſſurgebat. Hominum ac Fratrum, quoad fieri poterat, colloquia fugiens, ad ſolitudines, orationis amicas, lubentius ſecedebat. His tametſi animi virtutibus ſedulo, ac indefeſſo labore Alexius totus inſiſteret; imprudens tamen, minùs eâ charitate præditus erat, quâ aliorum infirmitatem & imbecillitatem ferret: quo fiebat; vt & ad alios iudicandos pronior, & ad corripiendos acrior, ac ſeuerior eſſe ſoleret. Ab hoc itaque animi morbo cùm Alexium D. O. M. curare vellet, tempus opportunum expectat, quo is Epiphaniæ ieiunium, cuius iam inſtabat exordium, auſterius ſolitò aggredi cogitat; Semel igitur, cùm ardentiores ad Deum preces funderet, quibus de ſalutis ſuæ ſtatu ab eo certior fieri poſtulabat, Dominum IESVM indignatione plenum ſtantem videt, qui duris his illum verbis increpat: Tune, Alexi, inter ſeruos meos recenſeri poſtulas, qui, quod meum eſt, tibi vſurpas? cæteros iudicas, ſi quando minùs auſterè viuant, atq; alia corporis ſolatia ſibi indulgeant? Qui ſpiritu infirmos; haud eâ, quâ decet charitatis lege, ſuſcipis, neq; eorum imbecillitatem ſuſtines? Qui tandem acriorem te cenſorem præſtas, quos orationi minùs inſiſtere, vel in eâ remiſſius ſe habere tecum iudicas, quorum orationes fortè mihi longè tuis gratiores ſunt? Tu ergo, ſi inter ſeruos meos adnumerari optas, ſatage, vt ab his omni ſtudio caueas, ne tibi aliquando grauius iraſcar. Atque his ſtatim dictis abſceſſit. Alexius verò, & Domini indignatione, & proprio crimine, quod hactenus ignorauerat, perterritus; tot lachrymis, tantâq́; mentis humiliatione, per totum illud Quadrageſimale tempus culpam eluit; vt cunctorum ſeſe fratrum pedibus ſubſterneret; nullis tandem apud Deum lachrymis parceret, quibus delictum abſtergeret. Denique tam perfecta ipſius pœnitentia fuit; vt ſub huius ieiunij finem, eundem Dominum ſereno vultu ſibi apparentem conſpexerit, atque ita placatum acceperit; vt poſt conſolationis verba, quibus & ipſius apud alios humilitatem velut ſibi gratiſſimam commendauit, & ad bonorum operum perſeuerantiam eum excitauit, illi tandem ſalutis certitudinem promiſerit. Conſenuerat tandem Vir ſanctus,

illuſtriorisq; vitæ curſus, tot præclaris virtutibus conſummatus, ad iuſtitiæ coronam vocabatur, cùm Bergomi extremo languore corripitur: quo tempore, poſtquam iunioribus perfectioris vitæ documenta reliquiſſet, animæq; domicilio pœnitentiæ ſcopis mundato, & ad Domini aduentum Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, atque ardentioribus cœleſtis patriæ deſiderijs præparato, ad vitæ occaſum properaret; nonnullas ſibi in cella rogat faces accendi. Cuius rei cùm ab eo cauſa quæreretur: Quamprimùm, inquit, huc Beatiſſima Deipara, ac S. Ioſephus acceſſuri ſunt, quos digna veneratione proſequi oportet. Vix hæc effatus fuerat, cùm extemplò clamare cœpit: En cœlorum Regina, ac S. Ioſephus adſunt. Aſſurgite, fratres, genuflectite, ac dignis illos honoribus excipite. Hæc vbi in ſtrato aſſurgens deuotiſſimè protulit, iterum caput in puluinum inclinans Anno 1581. atque ipſâ die, quæ S. Ioſepho ſacra erat, & quem per totum vitæ curriculum multâ ſemper veneratione proſecutus fuerat, extremum Deo ſpiritum reddidit.

Fr. BONAVENTVRÆ VERONENSIS LAICI GVARDIANI *VITA, ET GESTA.*

FRATER BONAVENTVRA VERONENSIS Laicus, Vir regulari obſeruantiâ, & ſanctimoniâ clarus, cùm in Venetâ Prouinciâ Capucinorum militiæ nomina dediſſet; præclara in eâ pudicitiæ omnibus exempla reliquit. Hic enim Venetijs ſtipis collectorem agens, quandoquidem vultus elegantiâ, & corporis pulchritudine, nec non morum venuſtate præcellebat, à mulieribus ſæpè incontinentiæ tentatus, tam ſtrenuè contra domeſticum hoſtem pugnauit; vt inde non aſpernandum morbum contraxerit: blandum tamen hoſtem magis fugiendo, quam colluctando deuincere ſperans, è Veneta Prouinciâ in Picentem tranſmigrat, vbi carnem quotidiano labore fatigans, panis, & aquæ ieiunijs vt plurimùm extenuat; aſperioribus flagellis cædit; tamq; dirè exagitat, vt nullam prorſus ei requiem aut ſolatium indulgeat. Æſtiuo tempore, tametſi laboribus defatigatum, ardentiſſima eum ſitis inuaderet, haud tamen vel aquæ frigidæ calicem vnquam ſibi indulgendum voluit; & cùm inter brumales glacies cuncta frigore rige-

rent,

rent, vix vnquam præterquam improbo labore, membra calefacere conſueuerat. Somnus breuis, longas illi noctu vigilias miniſtrabat: cùm enim ante Matutinas horas ſurgeret, poſt illas à ſomno abſtinens, ea omnia horarum ſpatia, quæ vſque ad diei ortum interfluunt, orationi, acrerum diuinarum contemplationi dare ſolitus erat: quam copioſæ ſemper lachrymę aſpergebant: cum autem nullum vnquam tempus illi abſque oratione eſſet, aſſiduo hoc orationis ſtudio Dęmon pertæſus, varias illi ob id moleſtias inferebat, quas Vir patiens cùm æquo animo fert, haud vulgares de hoſte triumphos reportat. Altiſſimam paupertatem zelans, ne pannis Fratrum comparandis pecunia inſumeretur, pannos, qui totius Prouincię fratribus ſatis eſſent, texebat; Id verò quàm diuinæ Maieſtati gratum fuerit, Dominus eidem aliquando oranti apparens, ac cum eo familiariter colloquens, declarauit: quo in colloquio tam multa eum de Euangelicâ Minorum paupertate docuit; vt vir Dei poſt hæc nihil ardentiùs, quàm paupertatem quęreret. Humilitatem verò paupertatis amicam vſque adeò coluit, vt viliſſima quæque domus officia, etiam cum Guardiani officio fungeretur (quo in munere tametſi Laicus ob ſingularem animi prudentiam, ſæpenumero verſatus fuit) iucundiſſimè pręſtabat. Denique cùm omnium in ſeipſo virtutum formam præſeferret, gratiſſimum Deo, Angelis & hominibus, ſuæ vitæ innocentiâ, morum integritate, obedientiâ, ſimplicitate, charitatis ardore, & perfectâ regularis obſeruantiæ normâ ſpectaculum pręberet, Angeli ſui cuſtodis haud rarò viſione, ac colloquio potitur; à quo inter cętera cœleſtis vitæ documenta, cùm perfectam regulæ obſeruantiam didiciſſet, ab eodem æternæ tandem ſalutis certior redditur. Cùm autem nonnullis ante obitum annis, grauiſſimo ac moleſtiſſimo morbo, qui illi ab Angelo prędictus fuerat, probatus fuiſſet, ſtranguriâ laborare cœpit, cuius morbi acerbitatem, cùm diu patientiſſimè tuliſſet, hoc probationis igne expurgatus, Loris ad immortalis vitæ coronam peruenit, Anno 1581.

***

Fr. SERAPHINI RHEGINI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER SERAPHINVS RHEGINVS, Laicus, cùm admirabili animi pietate præditus, ſimplicitate conſpicuus, paupertate, obedientiâ, oratione, humilitate, ac præcipuâ erga Domini Sacerdotes, ad quos propiùs accedere verebatur, reuerentiâ clarus; vas demum omni virtutum, ac pretioſo regularis obſeruantiæ lapide ornatum eſſet, ita in Seraphicæ Religionis domo per quatuor & amplius annos verſatus eſt, vt illius decorem maximè, præclaraq; cœleſtium virtutum exempla poſteris imitanda reliquerit. Huius vita quàm Deo grata extiterit, duo præ cæteris diuina teſtimonia oſtendunt, quæ illius tum in vita, tùm poſt mortem, apud Dominum merita teſtantur. Rhegij enim in morbum incidens, certa illi à Domino ſui obitus dies, & hora, quæ poſt octauam diem, nonâ Sabbathi horâ futura erat, præſignificatur. Quapropter toto hoc temporis ſpatio, cùm ſe ardentioribus deſiderijs ad Domini aduentum præparaſſet, fœlix in Domino quieſcit. Alterum porrò Dei teſtimonium fuit, quod illius caro, quæ ieiunijs, ac plurimis vitæ auſteritatibus contracta aruerat, ſibiq; ex ſenectâ nigredinem conciliauerat; quaſi futuram immortalitatis ſtolam iam adepta eſſet, tam candida apparere, tamq; mollis, ac tenera pertractari cœpit, vt non mortui, aut octogenarij ſenis: ſed viuentis ac lactantis pueri eſſe videretur: ex quo, quanta vitæ illius innocentia, ac vitæ puritas fuerit, velut cœleſti argumento cuiq; facilè perſpicuum eſſe potuit. Obijt Vir Dei Anno 1581.



FRATER VITVS HYRMINIENSIS FRATRVM CAPVCINORVM
LAICVS.

Fr. VITI HYRMINIENSIS, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER VITVS HYRMINIENSIS Laicus, qui tametſi humili genere apud homines natus, cœleſti tamen proſapiâ clarus, toti Seraphicæ Religioni, nedum maioribus ſuis, virtute ſuâ, ac ſanctimoniâ præluxit. Hic cœleſti benedictione præuentus, adoleſcentem ætatem à communibus illius ætatis vitijs alienam, tanto Domini timore, ac ſingulari pietatis ſtudio tranſegit, vt cum diem, vt patris imperio pareret, in agri laboribus inſumeret, nocte duobus ſocijs, qui & ætate & ſpiritus conſanguinitate illi coniuncti erant, ſibi adſcitis, in Ædem quandam Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte, quæ inde non minùs, quàm ſex millia paſſus aberat, proficiſcebatur, in eâque noctem ferè totam in oratione inſomnem cum ijs ducens; manè ad conſuetos agri labores, perinde ac ſi è domeſtico ſtrato ſurrexiſſet, impiger accurrebat; At cum primùm vigeſimum annum attigit, ardentioribus à Deo ſtimulis excitatus, ad Capucinorum caſtra euolat, atque ex Antonino ad Viti nomen commigrans, aratrum cum Seraphicâ militiâ commutat: in quâ ipſius vita perpetua fuit vitiorum cenſura, perfecta morum diſciplina, cœleſtiſque ac clariſſima Seraphicæ Religionis imago, diuinâ virtute celata, in quâ omnium Euangelicarum virtutum ſculptura, mortalium oculis expoſita emineret. Atque inprimis altiſſima paupertas, veſtis aſperitas, cui perpetuum cilicium iungebat, auſterior ciborum abſtinentia; communibus enim ieiunijs non contentus, B. P. N. Franciſci Quadragenas, inuiolabili lege ſibi conſtitutas, obſeruabat, cunctaq; ſextæ feriæ ieiunia ſolo pane, & aquâ conſecrabat, ac ſæpiſſimè nullo cibo tranſigebat: atque inſolentem hoſtem adhuc acrius vrgeret, inſuetis eum loris cedere, propriaſque manus flagellis armare, perinde verò ac ſi id illi minimè ſufficeret, robuſtos prætereà aliorum lacertos interdum acerſere, ac velut auxiliares ſibi adhibere ſolitus erat. Ad hoc porrò arduum, ac difficile mortificationis opus, cùm aliquandò in Conuentu Claromontano, Fratrem Matthæum à Linguâ Groſſâ.

quo familiariter vtebatur, auxiliarem ſibi ſocium adſciuiſſet, ab eo in popinâ ad columnam alligari, noctuque tamdiu ſuniculis cædi, ac verberibus contundi voluit, quoad is gemitus aliquot ederet: quos Matthæus præſentiens: Num, inquit, Vite, ob verberum dolorem gemis? Cui Vitus: Quid de gemitu, Matthæe, interrogas? ait. Non Vitus, ſed hoſtis gemit. Tu opus tuum viriliter proſequere: nec te fallacis hoſtis gemitus ad commiſerationem moueant. Inter hæc tam profunda, ac perfecta in eo mentis humilitas elucebat, vt non ſolum ipſos honores, & gloriam contemneret, verùm probra & ignominias vltrò ſibi propter Chriſtum accerſeret. Etenim Tyraceni in Glorioſiſſimæ Deiparæ Aſſumptionis ſolemnitate, nudus ſolis ſibi fœmoralibus, relictis, in maximâ populi frequentiâ ante Eccleſiæ fores deambulare cœpit, vt tanquam delirus, ac mente captus haberetur; cùm autem ob id durius à Guardiano his inter alia verbis increparetur: Heu infelix! quâ te nunc pœnitentiâ proſequar? Confeſtim Vitus: Dignâ ſane, Pater, ſi me eo planè modò, quo me nunc in Conuentum recepi, eo redire iuſſeris. Quâ ex voce Guardiano, ac cæteris perſpectum fuit, id non leuitate animi, ſed ſummâ virtute, atque Euangelico, quo in ſeipſum ardebat, odio, ab eo patratum fuiſſe. Spineam quoque coronam, dumis acutiſſimis obſitam, in cellâ repoſitam habebat, quam ſæpe, vt Saluatori languorem pro languoribus viciſſim rependeret, capiti impoſitam, & compreſſam ſecretò geſtabat; Cùm verò quadam die Fratres omnes honeſtæ animi recreationi vacarent, ſolusq; cum Euſebio popinæ præfecto domi relictus eſſet, ita Euſebium affatus: Euſebi, vides cæteros Fratres varia ſibi ſolatia eligere, nùm & nobis noſtra ſolatia non erunt? Haud ſane: quapropter ſi mecum ſentis, ego mihi meum, tu tuum tibi, quod magis vnumquemque delectat, animi ſolatium eligamus. Annuente Euſebio, Vitus ait: Prior ego ſupinus proſternar; tu verò bis, terque ſuper os vultum, ceruicemque pedibus gradiens, meque conculcans: Religionis dedecus, ac ignominiam appellabis. Cui mox Euſebius: ſi id à me tibi præſtari optas, tu humeris nudatum egregiè tuâ manu flagellans, me ſeruum nequam, contumacem, pluribuſque plagis dignum nuncupes, neceſſe eſt. Hæc dùm vterque præſtitiſſet, qualia horum virorum ſolatia eſſent, perſpectum eſſe poteſt. Tam arctâ quoque ſilentij lege, Vitus, ſeipſum obſtringebat; vt per triennij ſpatium, lapillum, linguæ cenſorem, ac pædagogum in ore

geſta-

geſtaret, Areopagitaq; taciturnior deinceps ſolitaria duntaxat loca, ſilentio amica quæreret. Vt autem mentis puritatem perfectius ſibi acquireret, quanquam illi familiare eſſet, à mulierum ſibi colloquio, aſpectuq; cauere: aliquando tamen id ſibi animo præſtituit, per triennium nullius, neque hominis, neque mulieris vultum prorſus intueri: quod cum reipſâ præſtitiſſet, Deo nihilominus ad exercitium permittente, in eo tam ardens libidinis flamma à Dæmone excitata fuit; vt cùm eam, Vir Dei, nullo ieiunio, nullâ corporis caſtigatione, nullâq; orationis vi reſtinguere poſſet, habitum exutus, nudum ſe, aſperrimo hyemis tempore, ſub gelido aëre, in profundam aquæ foueam, penè gelu conſtrictam, immittens, non victus, ſed victor, illuſtre de Dæmone, ac domeſtico hoſte trophæum reuexerit. Frater itaque Humilis Abulenſis, Sacerdos, qui multorum annorum ſpatio, Vito à Confeſſionibus fuit, quique illius vitam, & conuerſationem accuratiſſimè obſeruauit, atque alij ex Fratribus complures, id ſub iureiurando affirmarunt, Vitum ita omnium virtutum genere ornatiſſimum extitiſſe, vt in eo quid homines carperent, aut reprehenderent, prorſus non haberent: quid verò laudarent, aut imitarentur; abundè conſpicerent. Porrò, inter alia virtutum genera, quibus is præcellere videbatur, quatuor potiſſimùm referuntur. Primum, ſimplex quidam oculus, quo cuncta, non niſi meliori ſententiâ iudicabat. Secundum, honeſtiſſima corporis compoſitio, ac morum diſciplina; vnde cum triennio nullius vnquam Fratris vultum, lege ſibi conſtitutâ, contemplatus fuiſſet, eo expleto, aliquando Eccleſiam ingreſſus, Dei vocem in animo ſibi loquentem audire viſus eſt: Vite, quandoquidem propter me hominum aſpectum ſubtraxiſti, æquum eſt, vt deinceps meo aſpectu fruaris. Quo ex tempore cœleſtes animo cogitationes experiri cœpit. Denique illud ſingulare ipſius honeſtatis argumentum fuit, quod cùm decem & ſeptem annos cum Imarâ Ruffâ, Hyblienſium Principiſſâ, familiariter conuerſatus eſſet, nunquam ſe illius vultum conſpexiſſe; neque eam ex facie, ſed ex verborum tantùm ſono agnouiſſe, Fratri cuidam familiari faſſus fuerit. Tertium præſtantiſſima mentis obedientia, quam D. O. M. illuſtri facto commendare voluit, vt quantopere eâ præcelleret, agnoſceretur. Quo tempore Tartarici Conuentus ædificabatur, contigit, vt lectio in menſâ legeretur, in quâ de cuiuſdam Monachi obedientiâ agebatur, qui cùm ex Abbatis præcepto vas olearium è feneſtrâ proieciſſet, in perfectæ obedientiæ teſtimonium, nec vas confractum, nec oleum effuſum fuit:

Guardianus verò, vt Viti obedientiam probaret, eo audito miraculo,protinùs ad Vitum: Quid, Vite, (inquit) num ſi hoc ipſum tibi præciperem,huius obedientię meritum aſſequerêre? Cui Vitus: Ego quidem (inquit) iuſſa abſque cunctatione pręſtarem: Deus autem potens eſt, & vas, & oleum, ſicut olim, ita & nunc integrum ſeruare. Age igitur (ait Guardianus) lecythum oleo plenum è feneſtrâ proijce, vt qualis tua obedientia ſit, nobis innoteſcat. Mox Vitus acceptum lecythum è feneſtrâ præcipitem dat: qui cùm ex alto emiſſus in ſaxa impegiſſet, nihil tamen ab his læſus, ac ne guttâ quidem olei effuſâ, integer à Fratribus reponitur. Quartum denique, iugis, ac indefeſſa oratio, ac pene perpetuus in Deum aſcenſus erat, cui Vitus inter prima illa ſui tyrocinij exordia vacare cupięns, cùm grauiori vt plurimùm ſomno impediretur, vt tandem victor euaderet, venas vtriuſque brachij pulſatiles tenui funiculo ſibi obſtringere ſolebat; vt quem rerum cœleſtium amor, indefeſſaq; animi vigilantia ſuperare non poterat, ſaltem dolor effugaret. Ex omnibus Orbis creaturis, velut ex floſculis, Vir Dei, apis inſtar, Dei laudes colligere ſolitus erat: atque adeo in hac rerum conſideratione mente excedebat, vt plerumque popinæ miniſterio incumbens, ardentes ipſas prunas manu caperet, atque igni circumfuſos Fratres ad diuinas laudes prouocans, diceret: Cernite, Fratres, quàm pulchrum, quàm ſplendidum, quamq; vtile elementum nobis maxima Dei clementia protulit? cumque diutiùs prunas manibus geſtaret, haud tamen ab his vllum vel damnum, vel ignis aduſtionem patiebatur. Tam etiam ardenter, ac tanto ſpiritus impetu in Deum, vt plurimùm, orando ferebatur, vt non ſolùm in frequentes mentis exceſſus raperetur; ſed toto corpore in aëra ſepè efferri contingeret. Frater enim Franciſcus à Calataniſſetâ, Vitum aliquando in cellæ angulo orantem, cœleſti luce circumfuſum, & ad cellę vſque tectum corpore ſubleuatum cernit, idq; ſequenti nocte ſecundò conſpicit. Rurſùs in Conuentu Tyraceni, Fratres aduenæ, qui à Vito nonnulla, quæ ſui muneris erant, poſtulatum acceſſerant, luminibus in cœlum arrectis, ac toto corpore humo altiùs ſubleuatum vident, ac in eodem Conuentu, ipſo ſacrę Pentecoſtes die, mens illius humana tranſcendens, in Deum tota abſorpta: corpus etiam in ſublime elatum, tam fulgenti vndique luce rutilare cœpit, vt non humanam, aut mortalem, ſed cœleſtem prorſus, ac immortalem formam indueret. In Panormitano verò Conuentu, aperto Viri ſancti cellę oſtio, Vitum in aëra vſque ad lacunar elatum, clariſſimumque illius capiti

lumen inſidere conſpicit, ac tandem ab eo, ſilentio prius impoſito, diſcit: lucem illam, quam ipſius capiti circumfuſam conſpexerat, claram ſui ipſius cognitionem à Domino fluentem fuiſſe, quam diuturnis ab eo precibus poſtulauerat. Verùm & geminorum quoque Fratrum, qui nuper ex hac luce migrauerant, ſalutem ſibi tunc reuelatam fuiſſe, quorum tamen necdum ad eos nuncius peruenerat, aperit. Vix autem poſtea dies illuxerat, cùm Fratrum illorum obitus familiæ per literas innotuit; vt vera, quæ Vito reuelata fuerant, probarentur. In eodem quoque Panormitano Conuentu, cùm ſemel in Conuentuali Miſſâ, cui tota Conuentus Familia intereſſe ſolet, ſacrum Chriſti Corpus de more à Sacerdote extolleretur, is quoq; in omnium oculis altius corpore efferri cœpit. Motucæ ibidem cùm in lecto Vitus ægrotaret, Frater Bapt. Motucenſis infirmorum præfectus, ad eum ſtatâ noctis horâ accedens, illum recto corpore ſuprà lectum orantem, nec tamen lectum pedibus contingentem, extra ſenſus raptum intuetur. At neq; hæc Dei dona oranti tantummodò communicari conſueuerant; nam quotieſcunque vel de rebus diuinis confabularetur (de quibus interdum, tametſi ab omni literarum notitiâ longè abeſſet, tàm altè diſſerebat, vt humano ſenſu capi non poſſet) vel alios ſermocinantes audiret, ita ſpiritu excedere viſus eſt, vt cùm plerumque in multorum oculis extra ſenſus ageretur, paulatim toto corpore è ſolo aſſurgentem, donec cubito altiùs in aëra extolleretur, conſpicerent. Plurimas hunc Virum à Deo, tùm futurorum reuelationes, tùm cœleſtes viſiones accepiſſe, communis ac conſtans illorum temporum fama fuit. Fr. Archangelus à Calathahieronis, Nouitiorum Magiſter, dubitans de Nouitij alicuius in Religionis gremium aſſumptione, Fr. Vito mandat, quatenus Beatiſs. Virg. quid in eâ re facto opus ſit, in oratione conſulat. Vitus Guardiani mandatum explet, ad orationem ſe confert, quam necdum expleuerat, cùm illuſtri Beatiſſimæ Virg. nec non Angelorum viſione potitur, ab eâq; mandatum accipit, ne Guardianus hominem recuſet, illiusq; conuerſionem ædificatoriam fore affirmans, ad ſuperos redijt. Dæmonem ſæpè in orationibus Fratribus inſidiantem vidit, eiusq; verſutias ac dolos detegit. Cæterùm inter cœleſtes viſiones, quibus benigniſſimus Deus fidelem ſeruum ſuum frequentius conſolari conſueuerat, quædam illuſtris refertur, in quâ cœleſtis patria ſub typo nouæ Ciuitatis Hieruſalem, qualis à Ioanne in Apocalypſi deſcribitur, illi demonſtrata fuit; quæ autem in eâ ab eo viſa ſunt, tàm altè hominis ſenſum excedebant, vt diuinitus illi præceptum fuerit, ne ea

morta-

mortalium vlli aperiret. Hoc verò rerum diuinarum intuitu,quo ſæpe inter orandum fruebatur, præ voluptate ſpiritus liqueſcens ,cœleſtis patriæ delicias animo , velut præſentes deguſtabat. Summâ, Vitus, quoad vixit, Virginem Deiparam veneratione proſequebatur; at cùm aliquando, numero roſariorum apud ſe præſtituto necdum abſoluto,ad orationem acceſſiſſet; Virgo Deipara pręclarâ quidem, ſed minus illuſtri, quàm aliàs veſte amictam ſe illi ſpectandam offert. Cuius rationem cùm is à Beatiſſimâ Virgine humiliter ſibi aperiri poſtulaſſet;his ei verbis Deipara reſpondit: Me quidem mea me pulchritudo non deſerit; ſed cùm integra, ac perfecta necdum abs te orationum, ac ſalutationum, quibus me ornare ſoles, ornamenta acceperim, ne mirêre, quod ſemiornata apparuerim. Porrò ſimul atq; integra ornamenta contuleris, glorioſam me, &, vt optas, perfectè ornatam perſpicies. In Conuentu Gibilmannæ, cùm lampas, quæ ante Sacroſanctiſs. Sacramentum ardere ſolet, oleo exhauſto, iam iam flammę interitum minaretur, nihilq; olei in lecytho ſupereſſet, lecythum oleo vacuum,Beatiſſimæ Virginis interceſſione, plenum reddit. Iterum in Conuentu Tyracenienſi popinæ lecythum oleo vacuum,obedientiæ merito plenum præſtat. Mira ergà afflictos, atque anguſtiâ aliquâ preſſos, in Viro Dei pietas elucebat, quod multiplici exemplo manifeſtum fuit. Atque inprimis in ſuo Hyrminij oppido, cùm ex Ioſepho Mazzâ, honeſtiſſimo viro, & Margarethâ coniuge, filius adeò deformis, ac monſtro ſimilis natus eſſet, vt vix quicquam humanæ formæ præſeferret, eo maximè parentes affligebantur, quod eum familiæ dedecus eſſe exiſtimarent, remque deſperatam eſſe crederent. At Vitus, cùm ipſos conſolatus fuiſſet,inſtaurare animos, atque in meliorem ſpem erigere iubet; mox ad Conuentum rediens, Deum impenſius nocte pro puero orare cœpit. Necdum Vitus orationem abſoluerat, cùm puer repentè totâ facie ac corpore mutari; & qui monſtri formam præferebat, perfectâ membrorum compâge, ac honeſtâ vultus ſpecie dein conſtare viſus fuit. Hoc modo & alteri Hyrminienſi puero, qui tàm graui oculorum morbo laborabat, vt eo ad vitæ occaſum pertraheretur, luminum incolumitatem à Deo precibus obtinet: nam quo tempore pro illo Vitus ad Deum preces fundit, ægrotans leui quodam ſopore detentus, longiori poſt quietem ſpicæ tritici ariſtâ, quam in oculo gerebat, inde proiectâ, protinus oculorum incolumitatem recipit. At celebre illud, quod in oppido Tartarici poſt hæc accidiſſe, probatiora noſtra M. S. ferunt. Cùm enim noſtris tunc

Conuentus ædificaretur, Vitus ædificationi præerat: quo tempore contigit, vt is in Philippum Seuilium, & Iacobum filium de vineâ redeuntes, incideret, qui, cùm ingens damnum, quod à porcorum grege tulerant, qui ante vindemiæ tempus, tunc vineam ipſam deuaſtauerant, præter omnem modum lugerent, eos Vir Dei primùm verbis ſolari, animosq; in meliorem ſpem erigere conatur; ſed cùm ij exilis ac tenuis fortunæ eſſent, omnemque ſibi vindemiæ ſpem ereptam viderent omnem prorſus conſolationem reſpuere, maioriq; dolore obrui videbantur. Quibus tandem Vitus: Quid (inquit) tantopere illata vineæ damna deploratis? Mœrorem abijcite, nulla certè damna ſunt: vnà, amabo, ad vineam pergamus. Hoc pacto, ſimul ad vineam redeuntes, vineam totam perluſtrant, vt qui eam proprijs oculis prius magnâ ex parte deuaſtatam viderant, ſummâ admiratione vberes ex pampinis vuas pendentes, integros racemos, luxuriantemq; botris vineam cernunt. Hoc eodem tempore, cùm Iacobus & Paſchalis Fratres, Philippi Seuilij filij, viro Dei præſente, proceram quandam arborem conſcendiſſent; accidit, vt ramo, cui Iacobus altius inſidebat, perfracto, cadens is in Paſchalem impingeret. Quo caſu ambo in terram delapſi cùm mortui crederentur, ita Viti oratione ſeruantur, vt nullum prorſus ex lapſu detrimentum ſenſerint. Iam Vitus ſeptuageſimum circiter annum agebat; ex quibus in Religionis agro proprijs virtutibus excolendo quinquaginta ſtrenuè ac fideliter laborauerat; cùm eum Deus ad laborum præmia euocans, ipſam naturalium agentium conditionem imitatus, quorum motus celerior eſt in fine, perinde ac ſi tunc primùm virtutum tyrocinium ponere cœpiſſet, cuncta auſteriùs ac diligentius proſequi cœpit. Poſtquam verò diutinum languorem maximâ cum patientiâ, & alacritate ſuſtinuiſſet; quo tempore tam præclara virtutum exempla, cœleſtisq; vitæ documenta Fratribus reliquit, vt vniuerſos ad ſui admirationem raperet; purus tandem, ipſâ octauâ die, in quâ Beatiſſimi P. N. Franciſci tranſitus diuinis officijs celebrari ſolet, ſub lucis occaſum, vitæ curſum peregit, cum B. P. perpetuò (vt creditur) regnaturus. Poſtridie verò, corpore ipſius in Eccleſiam delato, dum Fratres pro eo diuina officia perſoluunt, Donata, Buturenſis Principiſſæ mater, quæ fiſtulâ in pectore laborabat, cùm Viti merita, ac ſuffragia implorans, ipſius manum ſibi pectori admouiſſet, ſtatim à plagâ, Dei virtute ſanata, ad Dei laudes prædicandas omnes excitauit. Aliquot verò diebus elapſis, cum Franciſcus Sanctapax, Princeps Buterenſis,

acri dolore podagræ cruciaretur, pulueris pugillum ex ſepulchro, in quo Viti corpus conditum fuerat, ſibi adferri, ex eâque balneum ſibi parari iubet, quo cùm pedes lauiſſet, mox dolore effugato, à podagrâ liber euaſit. Poſt nonnullos verò ab ipſius obitu annos, cùm Viti corpus in aliud ſepulchrum, quod deinde in Eccleſiæ ſacello extructum fuit, à Fratribus translatum eſſet, Fr. Franciſcus Platienſis, Laicus ex noſtris, aliquot barbæ pilos illi à genis auulſos, ſibi ex deuotione reponit: quibus aquâ intinctis, cùm aquam febricitanti cuidam potandam obtuliſſet, mox is incolumitatem eſt adeptus, vt quantopere ipſius ad Deum merita valerent, omnibus exploratum eſſet. Obijt 1582.

Fr. ARSENII MEDIOLANENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ARSENIVS MEDIOLANENSIS Laicus, Helueticæ Prouinciæ, ex illuſtri & antiquâ Cruciorum ſtirpe progenitus, quò perfectius ac maturius paterni generis nobilitatem, ac ſæculi delitias calcaret, in ipſo iuuentutis flore, ad Crucis vexillum euolans, Capucinorum Religionem ingreſſus, in humili Laicorum ſtatu, Crucis cognomentum non mutauit; ſed vitâ ac opere ipſo illuſtrius reddidit. Arſenius igitur, cùm primum ſub Crucis vexillo ſe militare agnoſcit, tàm ſtrenuè carnem, ſenſus, corporis commoda, ac cæteros Crucis Chriſti inimicos perſequitur, vt nihil vnquam aſperum, nihil durum, nihil denique graue ac laborioſum refugeret, quò illos vſque ad internecionem profligaret. Nodoſa funis nudos ipſius lumbos perpetuò conſtringens, Crucis athletam aduerſus caſtitatis hoſtes armabat. Horrens acutis pilis cilicium, quo pro thorace diu noctuque vtebatur, carnis inſolentiam cohibebat. Quotidiana ferè panis & aquæ ieiunia, quibus corporis laſciuiam edomare conſueuerat, maiores indies & glorioſiores illi de hoſte victorias parabant. At neque his contentus fortiſſimus Tyro, acriora prælia intentat, aſſiduiſque domeſticum hoſtem flagellis, ne inſoleſcat, vſque ad ſanguinem cædit: cumque vix tabulas illi ad quietem permitteret; poſt breuiſſimum

tamen ſomnum, illum ad ſacras vigilias compellit. Vnicâ tantummodò tunicâ viliſſimâ, ex varijs præſegminibus contextâ, abſque pallio, quoad vixit, contentus fuit. Haud minori ſanè animi fortitudine, tartareos hoſtes ſedulo orationis ſtudio proſequebatur, longeq; à contubernio hominum, ac Fratrum conſortio, auidius ſolitudines quærens, tantâ interdum ſuauitate intet orandum à Deo perfundebatur; vt plerumque immobilis, atque inſenſibilis diu in oratione permaneret, ſæpeq; dicere ſoleret; ſe id pactum libentiſſimè cum Domino initurum, vt ille quidem nunquam intermiſſam ſibi orationis quietem concederet; ipſe verò perpetuò à cibo & potu abſtineret. Hinc tantum mentis candorem, ac puritatem aſſecutus fuerat, vt cùm Deum in rebus omnibus præſentem intueretur, vniuerſos hominum actus tam candidè acciperet; vt in ijs malum aliquod cogitare, nedum ſuſpicari poſſet. Vix quoque credibile eſt, quantâ Vir Dei, auguſtiſſimum illud ſacræ Euchariſtiæ Sacramentum religione complecteretur. Cum enim quotidie cœleſti illo Angelorum pane, ſummâ cum humilitate, ac reuerentiâ reficeretur; eo tamen ſemper magis famelicus à ſacrâ mensâ recedebat. Poſt verò diuinæ charitatis officia, nullâ re magis, quàm infirmorum curâ delectabatur, quos etiam pro cœleſti quadam eloquij gratiâ, quam à Domino acceperat, ita conſolabatur; vt ijs dolorem omnem propemodum lenire videretur. Erga pauperes quoque mirâ charitate afficiebatur. Tot denique in eo virtutum ornamenta fulgebant, vt quiſquis in eum oculos intenderet, perfectiſſimum hominem, maximisq; à Deo donis ornatum, procul dubio agnoſceret. Quàm verò efficax illius apud Deum oratio eſſet, manifeſtum fuit; cùm duos nauicularios Deum, ac diuina ſacrilegis verbis lædere aſſuetos, malâq; illius vitij conſuetudine ita alligatos, vt iam vitium pro naturâ inoleuiſſe videretur, ſuâ oratione tam mirabiliter curauit; vt ab eo tempore nunquam deinceps in crimen illud impegerint. Pleraſque illum à Deo viſiones, & cœleſtes reuelationes accepiſſe, olim conſtans fama fuit: quarum memoria (vnâ duntaxat ſuperſtite) apud noſtros perijt. Orabat Arſenius intempeſtâ ipſâ noctis horâ, quæ diem Beatiſſimo P. N. Franciſco ſacrum antecedit, cùm magnæ cuiuſdam fornacis os aperiri cernit, atque inde quàm plurimas Fratrum defunctorum animas, piaculari igne detentas, ipſius ſuffragio à purgatoriâ illâ flammâ ſolutas, ſcintillarum inſtar, tunc liberè cœlum petere. Nocte verò quadam, cùm Dæmon in hoſpitio, quod etiamnum à Fratribus incolebatur, tàm

ingentes ſtrepitus repentè excitaret; vt hoſpitium è fundamentis concuti, atque euelli videretur: Satanæ artes Fr.Fabritio Luganenſi concionaturo aperit, ipſumq; timore compulſum, ne ab inſtitutâ concione deſiſtat, monet. Hoc itaque in hoſpitio, dum Arſenius maioribus ſemper virtutum ſtudijs animum intendit; accidit, vt in ipſâ nocte Beatiſſimæ Virginis Aſſumptioni ſacrâ, vbi animam peccatorum confeſſione expiâſſet, per altiora,ac difficiliora illius hoſpitij loca incederet; quæ dum tutò ſe calcare putat, tabula pedem fallens, grauiſſimæ illi ruinæ caſum parat; quapropter præceps ex alto ruens, vix ex caſu ſemiuiuus euaſit. Porrò vulnerario medico ſtatim accito, cùm is habitu expoliatus eſſet, quò facilius corporis ſtatus, qui ex caſu illi relictus fuerat, deprehendi poſſet, cilicium, quo contectus erat, apparuit: in eoq; confractis dextri lateris coſtis, ac inteſtinis ſauciatis, ea nobiliorum partium diſſolutio deprehenſa eſt, quæ nullâ ratione, aut medicamento inſtaurari poſſet. Hoc pacto Arſenius, qui diuinâ charitate flagrans, ſæpè hinc martyrio tolli à Domino poſtulauerat, martyrij præmium longâ ægritudinis huius tolerantiâ, in quâ admirabilem ſemper patientiæ virtutem exhibuit, à Domino conſecutus eſt; ac magnâ ſanctitatis opinione, quæ tùm apud Fratres, tùm apud Lucernates percrebuerat, mortali vitæ finem impoſuit. Arſenij obitu per vrbem euulgato, tàm ingens in eum irruit populi deuotio, vt quiſque illius habitus, ac corporis reliquias ſibi quæreret. Pleraq; Deum, ob illius merita, poſt mortem miracula patrâſſe, noſtra M.S. tradunt; eo quoque humi ſepulto, cum poſt ſeptennium ipſius oſſa, in noui Conuentus ſepulchrum translata eſſent, in illius capite cerebrum tàm incorruptum, rubicundum, ac recenti ſanguine reſperſum repertum fuit; vt viuentis, non mortui hominis eſſe videretur. Obijt Vir Dei, Anno 1583.

***

Fr. ANTONII VEREGRANENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS VEREGRANENSIS, Picentis Prouinciæ Laicus, Vir omnium virtutum genere ornatiſſimus, ac perfectus Regulę cultor, cùm primùm è ſæculi pelago ad Religionis littus, Deo afflante, appulit, in humili Laicorum ſtatu, ita vitam ad virtutem compoſuit, vt humilitate, obedientiâ, ſimplicitate, ſuiipſius contemptu, vitæ auſteritate, nulli vnquam ſecundus fuerit; communibus enim Regulę ieiunijs, communis menſæ frugalitate, ac victus aſperitate non contentus, ad maiores ſemper, tùm B. P. N. Franciſci Quadragenas, tùm arctiores panis & aquæ inedias inhiabat. Atque hoc pacto, dum ſenſus perſequitur, longas in oratione, pręſertim poſt Matutinas horas, vigilias ducit: quo tempore acrioribus etiam flagellis carnem affligat, ne in ſpiritum inſoleſcat. Paupertatis eximius ſectator, paucis, ijsque viliſſimis contentus, atque à rerum omnium cupiditate ſolutus, liberum ſemper animum, ita cœleſtium contemplationi affixum gerebat; vt inter moleſtas popinarij muneris curas, abſque curâ, quę animum, à cœleſtibus auocaret, verſaretur. Cùm verò officio ſuo perfunctus fuerat, vel ſe in Eccleſiam proriperet, vel nemoris ſecreta peteret. Erga egenos infirmosq́; ſummâ charitate flagrabat. Hoc tantarum virtutum ſplendore cùm Antonius, tùm apud domeſticos, tùm apud exteros, magnam ſibi ſanctimonię laudem comparaſſet; qui ex ſęcularibus viris, ac mulieribus, morbo aliquo detinebantur, ad eum curandi cauſa confluebant; quibus ille, ſigno Crucis impertito, paſſim incolumitatem reddebat. Tanta autem erat Antonij animo indita virtus, vt animalia rationis expertia ipſius dicto quantociùs parerent. Verùm neque D. O. M. illi teſtimonium defuit: cùm enim Maceratæ aliquando grauius ægrotaret, atque ex Phyſici præcepto iuſculum, ex capo ad ſupremum decocto, illi parandum eſſet, nullus tunc in vrbe capus ad iuſculum aptus reperiebatur; cùm mulier quædam textrix lintearia, quæ capum farturæ addixerat, nocte euigilans vocem repentè ſibi dicentem audit: Mulier, capum illum fartum quamprimùm ad Capucinos mitte. Cumq́; illa vocem, vnde

erumperet, ignorans, iuſſa implere differret; iterum atque iterum vox mulierem ad iuſſionem compellit. Dei tunc illa vocem agnoſcens, capum ad Capucinos deſtinat: quo opportunè Antonij imbecillitati diuinâ benignitate prouiſum fuit. Is denique, cùm in perfectâ diuinæ ac Seraphicæ legis obſeruantiâ, vſque ad canos vitam duxiſſet; Auximi octogenarius, ac virtutum ſanctimoniâ clarus, ad Dominum migrat, Anno 1583.

Fr. PAVLI A CALAVELLO
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER PAVLVS à CALAVELLO, Laicus, à primo ſuſceptæ Religionis exordio, ad extremam vſque vitæ lineam, tàm perfectâ Regulæ obſeruantiâ, tantoq; virtutum omnium ſtudio, ad Euangelicæ perfectionis verticem contendit; vt non vulgarem ſanctimoniæ famam ſibi apud omnes comparauerit. Nullum, quantumlibet arduum, ac difficile virtutis opus excogitari poterat, in quod is animum non intenderet, ac ſummâ mentis contentione non proſequeretur. Hoc modo inuictus Pauli animus omnes, tum auſteritatis, tùm propriæ deſpicientię actus tàm ſtrenuè amplectebatur, vt multorum annorum ſpatio, nuda humus illi ad quietem lectum ſtrauerit; prolixiores vigiliæ ſomnum eriperent; quotidianæ flagellationes vſque ad ſanguinis effuſionem, corpus excarnificarent; ieiunia nunquam ferè intermiſſa carnem excoquerent; nullum denique tam durum auſteritatis genus eſſet, quod ad carnis petulantiam vi omni retundendam, refugeret. Hunc fidum ſemper Achatem Euangelica paupertas ita ſibi coniunctum habuit; vt abſque illâ is, neque ſtare, neque viuere poſſe videretur. Ad conſuetos, vel coquinæ, vel alterius officij labores accedens, nunquam opus auſpicabatur, quin prius flexis genibus, Deo operis illius laborem offerret. Eo verò obedientiæ opere abſoluto, ſolitaria ſemper loca quærens, atque hominum conſpectum fugiens ad rerum diuinarum contemplationem totus anhelabat; in quâ præter conſuetas Religionis horas, quatuor quotidie horarum ſpatia genuflexus, ac nulli prorſus rei innixus, inſumere ſolitus erat. Dum illi per otium licebat, toto matutino tempore,

ſacris Altaris myſterijs deuotiſſimè adſtans, ſummâ ea religione, ac pietate proſequebatur. Pleraſque illum cæleſtes viſiones à Deo accepiſſe, apud omnes communis olim fama fuit. Dum aliquando in Eccleſiâ oraret, Virgo Deipara, quam is præcipuâ religione colebat, è cœlo tenui nubeculâ ad ipſum euecta, ſeruum ſuum cœleſti præſentiâ, ac verbis conſolabatur: quo tempore is ægrotum Fratrem, cuius à Guardiano illi cura commiſſa fuerat, clamantem audiens, ſtatim, relictâ Virgine, ad ipſum feſtinat: cui vbi debita obſequia exoluit, ad Eccleſiam rediens, ſacram Deiparam etiamnum expectantem reperit. Cui Paulus: Beatiſſima Virginum (inquit,) quæſo, ne indigno famulo tuo ſuccenſeas, quod te prætermiſsâ, ad infirmum acceſſerim. Cui illa: Ne te, fili, facti pœniteat: rem mihi tantopere gratam feciſti, vt gratiorem nunquam: charitatis enim, & obedientiæ opus, quo ægrotum Fratrem proſecutus es, in maximum meum ac Filij mei honorem redundat. Idcircò perge viriliter, cœptis inſiſte, & cœleſti coronâ te dignum præſta: non enim deerit, qui operi tuo mercedem reddat. His cùm inclyta Cœlorum Regina ſeruum ſuum dictis ſolata eſſet, velox in Cœlum redijt: Paulus verò cùm plures in Religione annos omni cum iuſtitiâ, ac virtute traduxiſſet; Neapolim tandem profectus; ibi, Domino vocante, ſupremum mundo, ærumnarum pleno, valedicit; atque in Conuentu Immaculatæ Conceptionis B. V. corruptibilem corporis ſarcinam deponit.

Anno 1583.



FRATER VITALIS HERBITENSIS FRATRVM CAPVCINORVM
LAICVS.

Fr. VITALIS HERBITENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER VITALIS HERBITENSIS, Meſſanenſis Prouinciæ Laicus ex honeſtâ illius vrbis familiâ natus, cùm inter ferociores iuuentutis tempeſtates, periculoſiſſimè iactaretur; accidit, vt is ſacræ cuidam concioni aliquando intereſſet; in quâ cum Prędicator in huiuſmodi duros, ac difficiles homines, qui pro re interdum leuiſſimâ digladiantur, ac iurgia quærunt, illis ſcripturæ verbis: Prouerb. 17. 11. *Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum*, acrius inueheretur; Vitalis velut diuino gladio ſauciatus vitam eo vitio diu contaminatam acerbius ſecum deflere cœpit: Deus verò, qui ferocientem, ac indomitum animum ſuauius ad cœleſtis diſciplinæ iugum compellere dęcreuerat, hoc ipſo tempore, cùm ſacra in Ecçleſiâ Myſteria peragendà eſſent, Vitalem in mentis exceſſum rapit, templumq; vniuerſum Angelorum choris refertum illi oſtendit, qui cùm ſuauiſſimas Deo laudes decantarent, auguſtiſſimum illud Miſſæ Sacrificium venerabundi præſtolabantur. Interim verò, dùm Vitalis ſpiritus eo rerum cœleſtium aſpectu exultat; Sacerdote ad ſacra Myſteria accedente, eodem quoque temporis momento animam ſibi è corpore euolare, celeremq; ad Sacerdotem pergere viſum; cuius cùm pedibus proſtrata integram ſcelerum ſuorum confeſſionem præſtitiſſet, omnium abſolutionem adepta, ad corpus redire parabat, cumq; illud fœtens animaduertiſſet, id velut ſtomachabunda cœpit reſpuere; ac denuo regredi compulſa, cùm ab exceſſu redijſſet, tanto deinde illud odio proſecuta eſt, vt immortales deinceps cum eâ inimicitias geſſerit. Dum igitur ſibi redditus, ſacris illis Miſſarum ſolemnijs, præteritæ viſionis haud immemor, ſummâ veneratione intereſt, CHRISTVM IESVM ſub ſpecioſiſſimi pueri formâ Sacerdotis manibus, dum ſacra Hoſtia eleuatur, geſtari conſpicit. Cuius aſpectu ita ipſius anima liquefacta, atque in melius commutata fuit; vt confeſtim mundo valedicens, vitamqúe ob præterita crimina, pœnitentiâ plenam, ſibi apud Capucinos, quos auſterioris vitæ eſſe audierat, eligere ſtatuerit. Hoc apud ſe inito conſilio, tantâ mentis humilitate, tamqúe perfecto

rerum omnium contemptu ad Religionis gremium acceſſit; vt qui illius anteà vitam, & conuerſationem nouerant, non Vitalem, ſed alterum prorſus ab eo eſſe exiſtimarent. Etenim præter communem veſtitus auſteritatem, aſperrimum ſibi ex pilis ſuillis, ad imum vſque abraſis, cilicium contexuit, illud diu, noctuq; ſub lacero habitu geſtans, carnem coërcebat, loris perſtringebat, perpetuâ pedum nuditate, ſandalijs abiectis, fatigabat, inediâ conficiebat: tantæ namque abſtinentiæ vir fuit, vt, communia Ordinis ieiunia, & pleraque alia rigidè obſeruans, à carnibus perpetuò abſtineret; cumqúe famelicus, ſemper à menſâ recederet, nunquam à ieiunio & abſtinentiâ vacabat. Quæ autem ſuiipſius deſpicientiam attingunt, tantâ humilitate, ac tàm ſtudioſè amplexus eſt, vt nullam ſuiipſius deſpectui metam conſtitueret. Hanc verò mentis humilitatem, quæ omnem ſuperioris vitæ ſuperbiam calcauerat, tàm aſſiduo orationis ſtudio confouebat; vt quod in die, propter quotidiani muneris laborem, atque obedientiæ opera, tempus in oratione inſumere non poterat, pluribus in nocte horis compenſaret. Quàm verò pura, quàm feruens, quàm efficax illius oratio eſſet, ipſum Satanæ odium, quo eum modis omnibus perſequebatur, non obſcurè demonſtrat. Geminâ is ante Matutinum officium horâ ante alios ſurgere, atque in Eccleſiâ orare illi familiare erat; quo tempore, tot à Dæmone aliquando fuſtis ictibus cæditur, vt ſemimortuus in Eccleſiâ iaceret. Rurſus in Tyracenſi Conuentu Diabolus ſub alti, ac ſæui cuiuſdam viri ſpecie apparet; iterum ſub cuiuſdam vetulæ mulieris, horribili formâ præditus, eum minis inſectatur: rurſus, cùm à Dæmonum multitudine grauiter in cellâ vexaretur, in Eccleſiam fugiens, eum ſub moloſſorum formâ aggrediuntur. Denique dum iterum in Conuentu Herbitæ noctu orat, à Cacodæmonibus apprehenſus, habitu expoliatur; longius à Conuentu ad puteum quendam perducitur, dumq; vim omnem ſimul conferunt, vt illum in puteum demergant; is Beatiſſimæ Virginis opem implorans, oratione aduerſus Dæmones pugnat, fortiorque, ac validior, quàm Dæmonum impetus, Vitalis oratio fuit; repentè enim Virgo Deipara apparens, impiam illam Dæmonum nubem diſperſit; ſuumqúe athletam manu apprehendens, ac verbis cœleſtibus recreans, ad Monaſterium reduxit. Rurſus, in ipſâ refectionis horâ, dùm in refectorio genuflexus benedictionem expectat, à Dæmone arreptus, per totum refectorij pauimentum raptatur. Alias quoq; ſub ementitâ tùm Medici, tùm Parochi cuiuſdam ſpecie, Dei ſeruum delu-

dens, varijs illum moleſtijs afficit, illiusque ad viuum vſque patientiam examinat. Nullus itaque Viro Dei locus à Dæmonum infeſtatione liber erat: ſiue enim in Eccleſiâ, ſiue in cellâ, ſiue in nemore verſaretur, vbique paratos eorum inſultus, ac moleſtias patiebatur. At is, dum IESV, ac MARIÆ ſibi nomina ad præſidium implorat, Crucisque in eos ſignacula vibrat, quaſi nebulas diſpergit. His autem Dei ſeruus, dum ſatanæ tentationibus probatur, tot virtutibus auctus fuit; vt eum diuinæ amicitiæ, ac familiaritatis gradum conſcenderet, quo prophetico ſpiritu clarus, futura, & occulta, quæ intra diuinæ Sapientiæ duntaxat ſinum latent, paſſim penetraret. Plura huius rei apud M. S. noſtra leguntur, ex quibus nonnulla tantum ſeligere lubet. Vitali enim oranti, triennio, antequam ſæua illa lues, per totidem annos, Siciliæ Inſulam occupaſſet, reuelata fuit, quam is Aſcanio Tertij Ordinis B. P. N. Franciſci Religioſiſſimo Viro indicauit, atque eidem futurum prædixit, vt eâdem quoque ipſe lue aliquando affectus, Herbitenſis Magiſtratus decreto, in antrum quoddam, longè ab hominum frequentiâ remotum, propellendus eſſet; vnde erumpere non poſſet, donec è morbo conualeſceret. Vincentij quoq; Herbitenſis, qui in manus proſcriptorum inciderat, propinquis reditum prenunciat: attamen eum perperam egiſſe, cùm iniquo ſe illis promiſſo obſtrinxit, (puluerem ſcilicet igniarium, ac funalem fomitem ſe illis miniſtraturum) ſignificat. In Herbitenſi vrbe quidam S. Iacobi Dynaſta, reluctante vxore, integrum caſeum ad Capucinos deferri iubet, quem, cùm famulus Vitali obtuliſſet, is caſeo cultro bipartito, partem famulo reddit, hæc addens verba: Ne mirere, inquit, quod partem caſei reſtituam: quod enim vltro hilaris animus dat, lubens accipio; quod verò à triſti, vel coacto profectum eſt, haud fruſtrâ recuſo: quare mediam hanc caſei partem heræ tuæ redde. His cùm eum dictis dimiſiſſet, famulus ad heram rediens, caſei partem refert; quæ repentè tot vermibus ſcatere cœpit; vt cùm eo veſci nemo valeret, in communes ſordes, ac domus purgamenta proiecta fuerit. Mulier quædam, Fr. Matthæi Herbitenſis Sacerdotis mater, pretioſum annulum amiſerat, Vitalem adit, afflicti animi anguſtias patefactura, cui Vitalis, antequam ea effari inciperet, vt mœrorem exuat, monet, annulum recepturum promittit. Tum oculis in Cœlum erectis, cùm pauliſper oráſſet, mulieri ait: Iam domum redi; latentisq; annuli locum indicans: Si ibi, inquit, annulum quæſieris, proculdubio reperies. Eadem, cùm

mulam

mulam noctu è ſtabulo egreſſam,ac diu conquiſitam, quònam euaſiſſet, ignoraret, triſtis iterum ad Vitalem confugit; cui necdum factum enarrauerat, cùm vir Dei mulæ fugam, locumque, vbi ea quærenda ſit, indigitat. Poſt hæc viro cuidam Herbitenſi, quartanâ febri iam dudum moleſtiſſimè laboranti, ipſiusque vt opem imploraret, properanti, antequam appuliſſet, crimen ſecretum aperit, pœnitentiæ Sacramentum iniungit, ac tandem febris curationem pollicetur. Iuuenem quoque in eâdem vrbe occulti criminis arguit, Dei vindictam, ac mortem ante annum prænunciat, quæ omnia, prout Vir ſanctus prædixerat, euenêre. Quorundam etiam Nobilium Panormitanorum occulta peccata redarguens, cùm ſecretum ſibi crimen virum Dei detegentem audiunt, liberâ hominis increpatione deterriti, illius verbis meliores, quàm venerant, abſcedunt. Aſcanij Tertiarij (cuius ſuprà memini) tentationem agnoſcens, citò ad Eccleſiam pergere iubet, atque, vt quinquies orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ ante Sacroſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſoluat, monet; quod cùm ille celerius præſtitiſſet, mox liber à tentatione fuit. Bartholomæi cuiuſdam Pictenſis intimam cogitationem conſilio præuenit. Adoleſcentum quorundam Herbitenſium, qui nonnulla ſimul inhoneſtè patrauerant, occultum crimen aperit; qui cùm haud ſecus, quàm in flagranti delicto deprehenſi fuiſſent, quò ſe verterent, ignorarent, meliores ab eo, quàm acceſſerant, recedunt. Mulier quædam etiam Herbitenſis, Lazari Labrutij vxor, mulos, inſcio coniuge, exteris quibuſdam hominibus pretio locauerat: quos cùm diu ex itinere reduces fruſtra expectaſſet, velut amiſſos deplorans, Vitalem adit, atque eidem anguſtias animo conceptas aperit. Cui Vir Dei: Mulier, inquit, quid mulos deperditos luges? haud hinc longè abſunt, ſi in eum agrum miſeris, qui mulos requirant (agrum ex nomine indicans) hos arbori funibus alligatos reperient: hoc ſigno & muli inuenti, & ſancti Viri virtus perſpicua fuit. Hoc pacto altera quoque fœmina, quæ ob torquem aureum amiſſum, grauiter animo angebatur, vbinam torquis eſſet, quemve in locum à domeſticâ picâ delatus, diuinitus indicat. Neque abſimile eſt, quod pauperculo cuidam, cui iumentum, quo tenuem ſibi victum quærebat, ſubreptum fuerat, Deo reuelante aperuit. Sublatis enim pauliſper in Cœlum oculis: Feſtina, inquit, iumentum in tali agro perquire; ibi enim ſub ficu herbis paſcitur. Perſimile quoque & alteri viro Herbitenſi accidit; cui cùm aliqua mulorum copia à latronibus vi ſub-

repta

repta eſſet, Floridam filiam ad Virum Dei deſtinat: qui vt ab eâ factum audiuit: ne de mulis, inquit, ſollicita eſto; cras enim prædonibus ab armatâ Magiſtratus familiâ diſperſis, muli omnes domum redibunt; quæ omnia ad amuſſim, haud ſecus quàm prædixerat, contigêre. Sacerdoti, qui ementito habitu, ſutoriæ arti operam dabat, ac ſeipſum hominis cæde fœdauerat, crimen aperit, ad pœnitentiam incitat, Dei vindictam, ac mortem prænunciat; Fr. verò Hieronymo Politiano, cùm adhuc ſæcularis eſſet, vt probum ſe præſtet, hortatur, & ſtudijs incumbat, ac tandem in Religionis gremium ſuſcipiendum iri prædicit. Porrò ex his nihil prorſus ſuo rerum exitu fruſtratum; primus enim poſt aliquot menſes crudeliter trucidatus, ſceleris pœnas luit: Hic verò poſt annum ſæculum deſerens, Capucinorum militiæ adſcribitur, in eâq; aliquando Generalis Vicarij officium ſortitur. Duobus alijs germanis fratribus, qui honeſtæ mulieris famam in vitâ confictis criminibus lacerauerant, cùm illos vehementius obiurgaſſet, omnia ad amuſſim, quæ illi mutuò inter ſe prolocuti fuerant, refert. Aſcanio quoque, qui Vitalem ſuas illi miſerias patefacturus accedebat, antequam is effari cœpiſſet, vniuerſa, quæ illi aduerſa acciderant, ſigillatim aperit. Valentinus Caprinus, Nobilis Herbitenſis, criminis homicidij apud Iudicem accuſatus, inde procul aufugerat; cuius nullo, poſt diuturni temporis ſpatium, accepto nuncio, cum pater eum videndi ſtudio teneretur, Viro Dei, quem ſanctitatis famâ vbique celebrem non ignorabat, animi deſiderium aperit. Cui Vitalis, patris ſenectam commiſeratus: Si natum, inquit, videre optas, Meſſanam tibi quam primùm eundum eſt, atque inde Conſentiam adnauigandum, quò vbi appuleris, Valentinum in vrbis portâ obuium tibi habiturum certò ſcias. Haud dubiam pater viri Dei verbis fidem adhibuit; aut profectionem diſtulit: Conſentinam namque pergit, filijq; præſentiâ in ipſo vrbis veſtibulo, vbi Vitalis prędixerat, potitur. Accidit etiam aliquando, vt Viro Dei obuiam fieret Ioſephus Ameſtratenſis, vir Nobilis, cui Vitalis poſt ſalutationem futuram obitus diem prænunciat, nec non Floridæ puellæ patri obitum vicinum deſignat. Poſtremùm tandem S. Iacobi Baroni ægrotanti prius incolumitatem, tùm mortem prędicit. Res verò eum, quem prædixerat, finem ſortitæ ſunt. His & pleraque alia addenda eſſent, quæ Vir Dei Vitalis, diuino ſpiritu inſtructus, tùm occulta, tùm futura præſignificauit, quæ ne ingens volumen conficiam, conſultò prætereo. Veruntamen, haud ſilentio obuoluenda ſunt quàm plurima ipſius

miracula, ac virtutes, quibus D. O. M. præclara ſerui ſui merita, ac ſanctimoniam cunctis teſtatam eſſe voluit. Inter hæc Vir quidam Herbitenſis, tenuis fortunæ, ex graui ægritudine oculorum cæcitatem contraxerat; iamq; de valetudine deſperauerat: extremum tamen remedium tentaturus, ad Vitalem confugit, lumina lumine orbata oſtendit, genu flectit, orat, obſecrat, obteſtatur; At Vitalis fidem expoſcit; quam cùm ille firmam oſtendiſſet, Vitalis laneum pannum, quo pro ſtrophiolo vtebatur, è manicâ arreptum, cùm ſuâmet oris ſaliuâ humeſtâſſet, eo ipſius oculos defricans ait: En fides tua tibi viſum reſtituit; iam Deo gratias age. Extemploque lux illi reddita fuit. Alter quoque, qui graui oculorum morbo laborabat, cùm aquâ, quâ linei panniculi, qui huius viri Dei cauterio tergendo aliquando inſeruierant, expurgati fuerant, oculos lauiſſet, protinus incolumes recepit. Atque eodem tempore quendam ex noſtris, quem acerbus oculorum dolor inuaſerat, Crucis ſignaculo ipſius oculis impreſſo, à languore curat. Mulier quædam Herbitenſis, Magdalena nomine, haud ignobili familiâ orta, ob vnici filij necem, quam illi hoſtis intulerat, in eam mentis deſperationem arrepta fuerat, vt ſibi ipſi laqueo mortem conſcire decreuiſſet; quò nato, quem ad orcum damnatum eſſe perſuaſerat, eâdem quoque ipſâ apud inferos pœnâ conſociaretur. Dum igitur hac animi tempeſtate iactata reſtim quærit, quam trabi alligatam ſibi collo inijciat; en Vitalis diuino (vt putatur) ſpiritu ductus eò appellit, Magdalenamque, quam familiariter agnouerat, acrius obiurgans, corporis, non animæ, filium vitâ defunctum eſſe affirmat; viuum illum, ac poſt purgatas animi ſordes, inter Beatorum ſedes Deo in æternum victurum ſuperſtitem. His auditis, Magdalenæ ſpiritus, quaſi qui è graui maris procellâ emergit, reſpirauit, moxq; in has voces erupit: Res ſi ita eſt, ô Vitalis, ſat mihi eſt; haud plura expeto, quàm quod chariſſimum filium æternâ ſalute donatum, te impetrante mihi cernere liceat. Cui Vir Dei; ſi conſilium mutaueris; delictum quoque Sacramento abſterſeris, ac demum teipſam totam ad Dei voluntatem compoſueris; id fortè ex Dei miſeratione conſequi poteris. Annuit illa, iam facti pœnitens; remq; Vitalis in poſteræ lucis tempus reijcit; quo Magdalena, ſcelere Sacramento expiato, ad ſacram Capucinorum ædem ſe conferat. Interea Vir Dei, cœlum ardenti oratione pulſat, nocteq; ferè totâ in diuinis obſecrationibus conſumptâ, rem à Deo impetrat. Haud cunctanter illa, nonnullis ſibi honeſtis fœminis adiunctis,

animoq; in meliorem mutato, manè ad Eccleſiam pergit: vbi, cùm primùm eam Vitalis ad pacem cum hoſte, filij ſui interfectore, ineundam compulit, illiusq; animum ad rei tolerantiam, ac diuini beneplaciti legem lubentius amplectendam incitauit. Iam (inquit) ſi defuncti filij tui præſentiâ frui optas, ad Altare propius accede. Quò cum illa progreſſa eſſet, filium vitâ functum, à dextrâ Altaris parte, ijſdem planè vulneribus, quibus confoſſus fuerat, affectum, hilari vultu ſeſe efferentem, ac matri ſubridentem conſpicit; quo illa aſpectu tàm ingenti lætitiâ perfuſa fuit; vt eo poſt breue temporis ſpatium euaneſcente, ad Vitalem rediens, in has linguam voces ſoluerit: Quid iam reliquum eſt, quod optem? En læta moriar: quandoquidem inter viuos filium meum his oculis conſpexi. Tibi autem, ô Vitalis, pro tanto beneficio Deus præmium tribuat. Haud ſanè explicari poteſt, quantâ præclarus hic Dei ſeruus in oratione virtute præcelleret; in eo enim aliquando manifeſtum fuit, cùm in Herbitenſi Conuentu Fratrum familia panis inopiâ laboraret, annonam Fratribus ſuâ oratione impetrat. At memorabile illud, quod Traianopoli eiuſdem oratione accidit. Quorundam militum, qui eò à Siciliæ Prorege deſtinati fuerant, tam effrænis licentia, ac inſolentia erat, vt perruptâ ſepe, quâ Conuentus termini cingebantur, liberè in hortum irrumperent, nihilque in eo integrum relinquerent. At neque eâ vi contenti, inhoneſtas mulieres, ac meretrices eò introducentes, religioſum locum obſcœnitate, ac, turpitudine fœdabant. Hos cùm plerumque Vitalis, impietatis redargutos, nullâ ratione à ſcelere compeſcere potuiſſet; vt ſacrum locum à profanis vindicet, ad ſupremum tandem orationis præſidium confugit; quâ id tandem diuinâ virtute præſtat; vt dum ex ſcortis quoddam audacius hortum perambulans, ocymum hortenſem colligit, repentè ex illius ramis flamma erumpens in ipſius veſtes exiliret, ac miſeram mulierem combureret. Clamabat illa, non tam humano, quàm diuini furoris igne ſuccenſa; ſtatimque, qui haud procul aberant, milites ad voces accurrunt, flammasq; extinguere conantur; at fruſtra: quò enim magis ignem comprimere tentant, eò vehementius accendunt. Ardet miſera, & eiulatus ingeminat: poſtulatur aqua, quæ ignem extinguat, protinusq; ad horti puteum infœlix ducitur, cuius cùm aqua parum à ſolo abeſſet, tota in vndam demergitur. At verò hic faces in Dodonæo fonte ſuccendi, atque in Lamoſatenſi ſtagno linum comburi dixiſſes: aqua enim, quæ ignem ſolet compeſcere, hic flammas augebat. Quid plura? haud priùs flamma ab eâ arceri

potuit,

potuit, quàm è Conuentu eiecta, alienâ vndâ vndique perfuſa eſſet. Hic & aliud lubet adnectere, quod cùm Antonij, Tertij Ordinis S. Franciſci, vxor à Dæmone poſſeſſa grauiter vexaretur, eam Vitalis ſuâ oratione à Dæmone liberat. Brandus quidam etiam, qui ſeptem menſium ſpatio quartanæ febris moleſtias paſſus, Vitalem tandem pro morbi curatione adit; quem ille ter Oratione Dominicâ illi ante ſacrum Altare indictâ, ab ægritudine liberat. Poſt hunc Nobilem quendam virum, Alexandrum nomine, ab eodem morbo, ſuâ oratione curat. Verùm alteram illi poſt hanc ægritudinem prænunciat, cui nulla prorſus curatio profutura ſit: à quâ cum poſt aliquot tempus correptus fuiſſet, is tandem è medio tollitur. Plerumque eum quoque, dum à Sacerdote in miſsâ ſacrâ Hoſtia ſpectanda attollitur, Chriſtum Redemptorem, ſub pueri formâ in Sacramento conſpexiſſe, communi M. S. noſtrorum conſenſu vulgatum eſt. Cumq; Ioannes Maria à Tiſſa Generalis aliquando Herbitenſe Monaſterium viſitans, in communi Refectorio de more omnium accuſationes audiebat, Vitalis Chriſtum Dominum ante Franciſcum Herbitenſem, Guardianum, ſtantem intuetur. Cum itaque tot, ac tam præclaris Vir ſanctus donis à Deo cohoneſtatus fuiſſet, vt ſpiritu potius, quam carne viuere putaretur; ſpiritus tamen ille impurus, iam ſenem, ac ieiunijs confectum, rurſus ad prælia vocat, tamq; ardentes in ipſius carne libidinis flammas ſuccendit; vt cum eas neq; ieiunijs, neq; oratione, neq; vllâ corporis afflictatione extinguere, aut compeſcere valeret, candens igne ferrum carni admoueret, vt ignem igne pelleret, & aduſtionis dolore ſenſus voluptatem, atque ardorem extingueret. Cum itaque caro aduſta ob ignis cocturam doloris ſenſu afficeretur, is velut corpori inſultans: Heus, frater Aſine (inquit) quid noui tibi accidit? Iam iam carnis illecebris ducebaris, modo præ dolore gemis; Iam caſtigatus diſce, illicita non quærere. Inter hæc maxima virtutum ſtudia, ac pręclara Dei dona, cùm vir Dei conſenuiſſet; æger tandem Herbitæ graui morbo decumbit: quo tempore ſui obitus die Fratribus prænunciato, ardentius in Deum ferri, ac totus rebus cœleſtibus inhiare cœpit. Verum cùm Philippus Tertiarius, vir eximiæ mentis, puritate ac virtute præditus, totus in ſancti Viri morte deflendâ occupatus, ad feneſtram, vnde illi ad Conuentum aſpectus aperiebatur, inſomnis pernoctat; en ſub mediæ noctis tempus, clariſſimam è Conuentu lucem ſeſe offerre conſpicit, quæ cum per quartam horæ partem, loca omnia circum colluſtraſſet, paulatim tandem in cœlum conſcen-

dens illius ſe obtutibus ſubripuit. Horam is tunc ſtudioſè obſeruans, manè cum ſe ad Monaſterium contuliſſet, eandem eſſe comperit, quâ dilectus Deo Vitalis ex huius ſæculi tenebris ad puriorem lucem euolauerat. Obijt Vir hic pręclarus Herbitæ, octogenarius, cum ex his 50. circiter annos, in omni iuſtitiâ & ſanctitate Domino conſecraſſet Anno 1583. Euulgatâ porrò per vrbem ſancti Viri morte, tanta mox populi frequentia ad Conuentum confluxit, vt vidua ciuitas, atque incolis vacua videretur. Corpore verò in Eccleſiam delato, dum Fratres defuncto iuſta perſoluunt, agminatim turbæ pręcipiti deuotione in corpus irruunt, alijq; habitum in fruſta diſſecant, alij capitis capillos euellunt, alij barbam radunt, alij vngues perſcindunt: tantaq; mox populorum vndiq; confluentium multitudo augetur, vt triduo corpus inſepultum manere neceſſe fuerit: quo tempore tam ſuauis ex eo odor manare cœpit, vt vniuerſos ad cœleſtium rerum deſideriũm aç voluptatem raperet. Statim vero poſt Vitalis obitum, necdum humato corpore, mulier quædam Herbitenſis à Dæmone arrepta, cum ad Vitalis corpus acceſſiſſet, nefarius ſpiritus altius ita fari cœpit: Miſer, quid adhuc moror? diſceſſit Vitalis: Is mẹ iam egredi compellit. Prô quam dura neceſſitas! his dictis erumpens, mulierem liberam relinquit. Conſtans apud omnes fama eſt, ſancti huius Viri cingulo funali Ameſtratæ pleraque patrata eſſe miracula, quamplurimis ægrotis incolumitatem redditam, ac mulieres non paucas è partus doloribus ſolutas. Id etiam memoriæ traditum eſt, fœminam quandam Ameſtratenſem, quæ oculorum morbo laborabat, ſimul atq; ſtrophiolo, quo Vitalis adhuc ſuperſtes vtebatur, ſibi oculos alligaſſet, protinus à morbo perfectè curatam fuiſſe.

Fr. LEONIS MATTEOLENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER LEO MATTEOLENSIS, Laicus, cum per calcatum patrem, cuius vix iras, ac furias euaſit, ad crucis vexillum in Capucinorum caſtris euolaſſet; illuſtre ſuæ militiæ nomen ac omen dedit: nihil enim eo purius, nihil humilius, honeſtius nihil videbatur: quo factum eſt, vt illum veræ ſimplicitatis atque animi candoris gradum conſcenderet, vt communi omnium voce Dei

ouicula appellaretur. Seraphicæ paupertatis cultor ſeueriſſimus fuit; orationis ac ſolitudinis amator. Nouitium, qui in antelucanis horis graui ſomnolentia tenebatur, indictis eidem illis Canticorum verbis: *Surge, propera, amica mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ*, ante horas recitandis, à ſomni oppreſſione liberat. Varijs denique ſub vitæ finem morbis afflictatus, cum in ijs nihil vnquam, niſi virtute dignum, ac cæteris imitandum prætuliſſet, illuſtri patientiâ probatus vitæ tandem coronam accepit, Anno 1583.

Fr. BENEDICTI A COLLEAMATO LAICI GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER BENEDICTVS à COLLEAMATO, Laicus, ex honeſtâ Antoniorum familiâ natus, cum Deum ab infantiâ timere cœpiſſet, in ipſo adoleſcentiæ flore, antequam lubricæ ætatis vitijs contaminaretur, purus è ſæculo euaſit, & Capucinorum caſtris adſcriptus, ſummas Euangelicæ vitæ virtutes breuî aſſecutus fuit. Vniuerſa B.P.N. Franciſci ieiunia, velut ſacrâ lege ſibi obſeruanda prȩſcribens, reliquo anni tempore, vnica tantum in die refectione vſus, à carnibus, ac omni obſoniorum genere perpetuò abſtinebat, nihilq; præter pulmentarium cibum, pani addebat. Præclara his reſpondebat mentis humilitas, quæ quamuis ſæpe Guardiani in Picenti Prouinciâ munere fungeretur, in eo tamen ſemper coquinæ officium ſibi aſſumens, viliſſimum domus officium, cum Superioris dignitate coniungebat. Nec minor in altiſſimâ rerum paupertate curandâ, illius ſollicitudo elucebat. Vir quoque admirabili patientiâ fuit; dum enim ſemel Camerini ligna in nemore cæderet, forte accidit, vt quercus exciſa caſu in eum dilapſa, immani illo pondere adeo oppreſſum teneret, vt cum penè illi ſpiritum adimeret; Fratres, qui haud longe aberant, eum graui illo onere obrutum exiſtimarent. Inter hæc tamen nulla ipſius vox prorſus audita, nullus clamor, quo Fratrum opem efflagitaret: ſed agni inſtar ſub pondere gemens, tamdiu ſub eo ſilens iacuit, quoad Fratres ad eum conuolantes, quercum altius attollerent, quò is tandem inde erumpere valeret. Deus vero Optimus Maximus, qui ſeruum ſuum non ad ruinam, aut interitum, ſed ad patientiæ coronam probare voluerat, diuinâ virtute præſtitit, vt, qui omnium opinione,

eo quercus pondere conterendus erat, nullum prorſus ex eo damnum ferret. Hunc autem patientiæ ſpiritum humilitate, & charitate illuſtrans, facile ad omnium virtutum apicem peruenit, quarum autem ſi parentem inquiras, non alteram profectò, præter vnam orationem, reperias, quam propterea à primis ſuſceptæ Religionis annis, tam ſtudiosè colere cœpit, vt familiarem eam ſibi vbique, ac ſemper adſciret; potiſſimum vero ſilente ipſo noctis tempore, quod paucis duntaxat horis exceptis, quas breui quieti dabat, totum in rerum diuinarum contemplatione tranſigere conſueuerat. Quo tempore ſæpe raptus, ac ecſtaſes, atque alia pleraque Spiritus dona, quæ D. O. M. amicis tantum diſpertiri ſolet, accepiſſe legimus. Inter hæc illud enumeratur, quod cum in Faneſtri Conuentu aliquando degeret, in mentis exceſſum raptus, vallem Cœnobio vicinam, totam armatâ Tartareorum ſpirituum acie obſeſſam, conſpexit, qui aduerſus integrum S. P. N. Franciſci ordinem dirum bellum parabant. Cæterum cum tanta eſſet viri humilitas, vt Dei dona omni ſtudio celare, atque ab omnium oculis abſcondere conaretur, cum primum præuia ipſa raptus, ac ecſtaſis ſigna præſentiret; protinus in cellam ſecedens, in eâ tamdiu occluſus latere conſueuerat, donec diuina illa ecſtaticæ actionis vis terminaretur. Hinc vero ardentiſſima in ipſius animo erga infirmos potiſſimum charitas exoriebatur. Verumtamen haud minori erga incolumes Fratres ſtudio afficiebatur, quod quam Deo gratum fuerit, diuino aliquando teſtimonio manifeſtum fuit. Coquinæ, in Conuentu Montis Filatrani, miniſterio vacabat, cum Benedicto, à beneuolo quodam Ordinis benefactore ad Monaſterium columbi mittuntur. Fratrum tunc illius familiæ numerus nouenarius erat: quare Benedictus ſecum ita ratiocinari cœpit: Nouem huius familiæ Fratres enumerantur: quid eſt, Benedicte, quod octo tantummodo hic columbi ſunt, num id abſque Dei conſilio accidiſſe exiſtimas? haud ſane: tuus, ô Benedicte columbus non adeſt: nam, ſi te Dominus columbo veſci voluiſſet, nonum profectò addidiſſet. Quid plura? alij ſuo columbo veſcantur, tu à columbo abſtineto. Vix id in animo plenè deliberauerat, cùm repentè columbus ex alto volans, in parietem, cui vir Dei columbos deplumans, adhærebat, tam fortiter alliditur, vt extinctus ad illius pedes ceciderit. Inuidebat Sathan maximè Viro Dei, cumq; ipſius ſanctimoniam æquo animo ferre non poſſet, pleraſque illi technas ac inſidias ſtruit, quas tamen is ſupernâ luce illuſtratus, dum detegit facile diſpergit. Sexageſimum-

ſextum

ſextum Benedictus iam ſuæ ætatis annum attigerat, cum in Nouanæ vrbis Conuentu, ab Hieronymo à Monte Florum, extremum ſibi diem prenunciari audit, quo nuntio exultans, in id deinceps toto ſtudio incumbere viſus eſt, vt eum ſupremus ille dies, qui haud longè aberat, lachrymis, orationibus, ac feruentioribus diuinæ charitatis flammis incenſum, ac purum, diuino conſpectui exhiberet. Poſt hæc cum in morbum incidiſſet, ægritudine ingraueſcente, vitam, quam plurimis in virtutibus, ac ſanctimoniâ, communi Fratrum teſtimonio traduxerat, in ipſo Paraſceues die, in quo Chriſti Domini funera celebrantur, fine haud abſimili concluſit. Cuius ſuprema vox fuit, Requiem æternam dona ſeruo tuo Domine, & lux perpetua luceat ei: quam etiamnum, dum in ore verſat, placidiſſimè in Domino quieſcit. Huius ſancti Viri animam, Hieronymi à Monte Florum, & Mauritij à Monte Montanario Clerici, animabus aſſociatam, cum Frater quidam orans, inter paradiſi gaudia exultantem conſpexiſſet, id velut certo nobis teſtimonio probatum reliquit, eum æternam cœli gloriam conſequutum. At neque illud prætereundum eſt, quod anno poſt ipſius ſepulturam elapſo, Fratres, qui etiamnum Benedicti ſanctimoniam venerabantur, illius corpus in ſepulchro explorantes, integrum, ac ſuaue olens, ſimul cum Hieronymi ac Mauritij corporibus ſummâ admiratione reperiunt, Deoq; ob id in odorem ſuauitatis, laudis ſacrificia offerunt. Obijt Vir Sanctus, Anno 1584.

Fr. ONVFRII PISTORIENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRater Onvfrivs Pistoriensis, Hetruriæ Prouinciæ Laicus, Vir omni memoriâ dignus, cum etiamnum inter ſæculares viros vitam omni virtute plenam duceret; ad Religionem accedens, tot eam perfectis virtutum exemplis exornauit, vt illuſtre in eâ Prouinciâ nomen ſibi comparauerit. Communem cæterorum vitam, quadam ſpiritus generoſitate tranſcendens, cum quotidiana ieiunia coleret, in his præter pultem, nihil ad cibum ſibi vnquam obſonij adhibere voluit. Communi quoque paupertatis lege haud contentus, cum ſandalia ſibi ſuperuacanea

iudicaret, ijs carere,ac nudis pedibus,etiam brumali tempeſtate, ſolum terere perpetuâ ſibi lege præſcripſit. Animi vero virtutes, tam ardenti ſtudio proſequebatur, vt in eo Fratres perfectum, tum humilitatis tum obedientiæ,tum patientiæ, tum charitatis, atque aliarum virtutum ſimulacrum ſuſpicerent. Hac tandem ſpiritus magnanimitate, cum ſe ad orationis ſtudium contuliſſet, ad eum diuinæ contemplationis gradum conſcendit, vt frequenter animo & corpore excederet. Etenim in Conuentu Montelienſi, dum noctu, ante Matutinas horas, in Eccleſiâ orat, extra ſenſus raptum, & quatuor cubitis ſolo altiorem, Fratres conſpiciunt. Florentiæ quoque Baſilius Florentinus, eiuſdem Conuentus Guardianus, dum orantem intuetur, eum vſque ad Crucifixi ſtatuam, quæ ſuper Presbyterij cancellos eminet, ſublatum cernit. Idipſum & alij quoque frequenter. Poſtremo cum eum charitatis gradum attigiſſet, vt nullo poſt huius vitæ occaſum culpę impedimento teneri expeteret, quo minus Deo perfectè frui poſſet; oratione à Deo impetrat, vt quamdiu mortale hoc corpus gerit, ab omni, tum culparum, tùm pœnarum labe expurgetur. Quapropter diutinâ trium annorum ægritudine, in quâ mira ipſius patientia,ac virtus eluxit,probatus, ac purgatus,& ante obitum, Domini aſpectu dignatus, piam in Domino Montelij dormitionem accepit. Anno 1584.

In Hetruriæ Prouinciâ Fr. IOANNES PISANVS Laicus, cùm virtutum omnium ſtudia proſequeretur, graui carnis tentatione à Dæmone preſſus, Dominum ſedulò rogabat, vt is carnis ſtimulus ab eo dimoueretur: cui Dominus apparens, his illum verbis alloquitur: Abſque certamine, Ioannes, nemo coronam aſſequitur. Tibi optio datur, quod malueris, elige: aut carnis, aut ſcrupulorum tentatione probari. At Ioannes, qui carnis vexatione carere cupiebat, cùm ſcrupulo potiùs, quàm libidine angi ſibi elegiſſet; tam dirâ, ac vehementi ſcrupulorum tentatione exagitari cœpit, vt Laicorum officium, quod ex orationibus Dominicis conſtat, nonniſi ſummo labore perſoluere valeret. Cumq; ob multiplices animi tempeſtates, culpas diſtinguere, & explicare non poſſet; vix Sacerdotem offendebat, qui ſacramentalem ipſius Confeſſionem vellet excipere. Hac itaque tentatione ad obitum vſque probatus, cùm ab eâ paulò ante mortem liber euaſiſſet, vitæ tandem coronam accepit, Anno 1584.

Fr. FRANCISCVS à NVCIBVS, Oppido Diœceſis Cuperſanenſis, Laicus, in Barienſi Prouinciâ, etiamnum in ore hominum, non ſine laude verſatur: cuius vita omnibus virtutibus exornata in huius

ProuinciæM.S.commendatur.Nihil Viro huic ad ſummam rerum pauperiem,nihil ad obedientiam, nihil ad honeſtatis cuſtodiam, nihil ad mentis humilitatem, ac ſui contemptum, nihil ad orationis ſtudium, nihil denique ad perfectam Regularis obſeruantiæ formam illi addi poſſe videbatur.Quapropter cùm tot virtutum ornamentis præditus,ſuam Domino, quoad vixit, in domibus fabricandis operam locâſſet, prænunciato ſui obitus die, ſuorum tandem à Domino laborum mercedem aſſequitur, Anno 1584.

Lucaniæ Prouincia Fr. Philippvm à Marsico Veteri, Laicum, virtutibus clarum celebrat, qui cùm vitam in omni humilitate, obedientiâ, paupertate, ac præſertim in oratione, cuius ſtudio,mirum in modum tenebatur, vſque ad canos perduxiſſet, præſignificatâ ſui occaſus horâ, purus hinc à Domino euocatur, Anno 1584.

Fr. Mansvetvs à Novellaria, Piceni Prouinciæ Laicus, poſt plurimos auſteritatis annos, quibus vitam omnium opinione prorſus irreprehenſibilem duxit, Romam profectus, cùm Ioannis Mariæ à Tiſsâ Generalis, qui tunc ægritudine premebatur, ſuæ quoque mortis horam prędixiſſet ibi mortales corporis exuuias deponens,vitæ immortalitatem nanciſcitur, Anno 1584.

Fr. SANTI MONTOPOLITANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER Santvs à Montopoli, Laicus, Vir vitæ ſanctimoniâ celebris, cum vſque ad 25. annum, in Minorum, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, Familiâ ſine querelâ verſatus eſſet, inter Capucinos conſcriptus, ita ad omnium virtutum ſtudia, ad illius præſertim, quæ omnium Reginâ eſt, ac Laicorum Fratrum peculiaris, charitatis nimirum animum contulit, vt ſummum eius faſtigium aſſecutus eſſe videretur. Nullâ parens tam filiorum amans, quam hic ægrotorum fuit; tanta verò erga eos, pauperesq; charitate ferebatur, perinde ac ſi Domino ipſi ægroto, aut pauperi ſuam operam miniſtraret. Inde quoque tam perfecta Seraphicæ legis obſeruatione, humilitate, paupertate, ſui deſpectu,obedientia,morum honeſtate,vitæ auſteritate, atque inte-

gritate præcelluit, vt nihil non ſolum minus honeſtum, ac virtute dignum deprehendi in ipſo valeret, verum & inter illuſtriores Religionis viros haud immeritò recenſeri deberet. Id verò, quo ſe cunctis admirabilem præbuit, perpetuum fuit diuinæ contemplationis ſtudium, cum actione coniunctum, paucos enim inuenias, qui Mariæ otium cum Marthæ operoſitate coniungant, actionemq; contemplationi aſſocient. Is vero Marthę miniſterio vacans, tam perfectè eodem tempore diuinarum rerum contemplatione potitus legitur, vt ſæpenumero in Florentino Conuentu, intempeſtâ noctis horâ, dum orationi in Eccleſia vacat, in mentis exceſſum raptus, altiùs è terrâ ante ligneam Crucifixi imaginem, quæ ſupra Presbyterij cancellos prominet, efferri viſus ſit. Quod & altiſſimam contemplationem & ardentiſſimam diuinæ charitatis incendium indicabat. Huius rei probationem auget, quod aliquando etiam, cum ad Sacroſanctam Synaxim accederet, oculos, quaſi clariſſima quædam lumina, cœleſtem fulgorem irradiantia, prę ſeferret. Nec minorem huic fidem aſtruebant, tum diuinæ reuelationes, tum etiam ſigna, ac virtutes, quas is ſuâ oratione diuinitus operabatur, ex quibus nonnullas hic recenſere lubet. Florentiæ enim pictoris cuiuſdam haud ignobilis, Iacobi nomine, ex Ligutiorum familiâ, vxori, quæ partus doloribus cruciabatur, maſculum iam iam pariturum prędicit. Poſt hæc grauiter ægrotabat, Franciſcus magnus Hetrurię Dux, qui cum nobiliſſimo viro ad Monaſterium miſſo, Fratrum apud Deum ſuffragia, pro ſui incolumitate poſtulaſſet, eodem quoque tempore Vir Dei ægrotus in lecto iacebat, qui ſimul atque indictas à Guardiano preces accepit: ſero nimis (ait) ad Deum itum: iacta eſt alea, Dux morte occumbet. At neque ſolus cadet. Neque id fruſtra dictum: Franciſco enim eâ ægritudine è viuis ſublato, Blanca vxor paulo poſt ex humanis excedens, viro comes acceſſit. Verum quæ de mutuis huius viri Dei & Fratris Ioſephi Ordinis Prędicatorum vaticinijs referuntur, plane admiratione digna ſunt. Santus enim cùm Florentię, in Iacobi Ligotij pictoris domo, Fratris Ioſephi, viri in Dominicanorum familiâ illuſtris, quem tamen anteà nunquam viderat, pictum ſimulacrum conſpexiſſet, mox Iacobo, qui huius (inquit) picturę prototypon gerit, haud diu inter viuos commoraturus eſt. Pauci, poſt hæc dicta, dies elabuntur, cum per Florentię vicum, Santo, Ioſephus occurrit, cumq; alter alterum non noſſet, mutuis tamen ſalutationibus ſeſe excipiunt. At prior Ioſephus: Sante Frater (inquit) non ſolus ego

abſque comite hinc euocor; comes dabitur. Da dexteram, Amice: tu comes eſto; vnà ad Dominum pergamus. Tu quidem poſterior, ego prior. Reddidit quippe Ioſephus Santo vicem, atque vtriuſque dictum, mors poſt aliquot dies vtriuſque ſecuta, confirmauit. Turcam ſuâ quoque oratione conuertit. Iuuenem venereâ lue infectum, prius vt ſcelus ſuum Sacramento eluat, cum iniunxiſſet, manu capiti impoſitâ, ac Crucis ſigno impertito, eum confeſtim à morbo curat. Pleraque alia ſigna prætereo, quæ nullo ſcripto conſignata, ſola ſuperſtes fama commemorat. Tot igitur donis cœleſtibus à Deo honeſtatus, quæ illius apud homines vitæ ſanctimoniam non obſcurè teſtatam reddunt; cum iam octogeſimum annum attigiſſet, Montunij charitatis, ac cæterarum virtutum præmia laturus, ex huius corpuſculi domicilio migrat. Anno 1585. Poſt ſancti Viri obitum; Medici filia, quæ ſtrumis laborabat, cum ſancti Viri corpus adhuc in feretro iacens deoſculata eſſet, protinus ſanato gutture, à morbo liberata fuit. Aliud quoque miraculum eodem tempore patratum ferunt, cuius cùm certior à nobis fides deſideretur, illud conſulto ſilentio præterimus. Certiſſimum verò id eſt, ſancti huius Viri corpus poſt annum, in ſepulchro integrum repertum fuiſſe.

Fr. LVCIDVS à CORTONA, Hetruriæ Prouinciæ Laicus, multis virtutibus, ac præſertim oratione illuſtris, ad immortales conceſſit, Anno 1585.

Ex Mediolanenſi Prouincia Fr. LVCIDVS à LVCINIANO, & Fr. LVDOVICVS MEDIOLANENSIS, vterque Laicus, varijs laudibus commendati conſurgunt; Ex quibus Lucidus vitæ auſteritate, ac Regulari obſeruantiâ plurimùm excelluit. Ludouicus verò eximius obedientiæ cultor, necnon abſtinentiâ inſignis; cùm pari curſu carnem auſteritatibus extenuâſſent, ac mentem virtutibus saginâſſent, eodem anno vitæ iter conficiunt, 1585.

In Hydruntinâ Prouincia Fr. BENEDICTI MANDVRIENSIS, Laici, etiamnum in omni memoriâ florent virtutes: quibus cùm clarum ſibi apud illius Prouinciæ Alumnos, Viri vndequaque perfecti, ac Seraphici nomen viuens adeptus fuiſſet; eidem mors non vitam ademit, ſed meliorem comparauit,

Anno 1585.

Fr. IACOBI RHEGIENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER IACOBVS RHEGIENSIS, Laicus, inter ipſa ſæculi pericula, tam integrum, ac inuiolatum pudicitiæ florem ſeruauit, vt cum ad ipſius honeſtatem labefactandam, ſcortum à ſodalibus in eius lectum immiſſum fuiſſet, intactam tamen dimiſerit. Quamobrem futura pericula cauens, ſæculo cum ſuis illecebris deuicto, ad Minorum, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, Ordinem accedens, in eo per aliquot annos cum laude verſatur. At regularis obſeruantiæ cupidus, cum celebre Capucinorum nomen audiret, ad eos ſe confert. Admiranda ſunt, quæ de huius viri virtutibus noſtra M.S. tradunt: nulla etenim virtus erat, quæ in eo prȩclarè non eluceret. Varijs in Picenæ Prouinciæ Conuentibus Guardianus, licet Laicus, ob eximiam virtutem creatus, tantum abeſt, vt ex dignitate intumeſceret, quod ex eâ maioris potius humilitatis anſam captans, dum Subditus vni tantum Domus officio vacaret, Prælatus infimo, coquinæ ſcilicet munere ſibi ſpecialiter delecto, vniuerſa Domus officia ſuo labore ſubleuaret. Sic dignitas, quæ pleriſque tumoris vitium ingenerare ſolet, Iacobo ampliora humilitatis incrementa miniſtrabat. Paupertas vero hominem ita rebus omnibus expoliauerat, vt vix illi neceſſaria relinqueret, quæ regula ipſa, velut neceſſaria indulget, iiſq; tam parcè, ac cynicè vteretur, vt cum ipſo rerum vſu contendere, eumq; è medio tollere velle videretur. Caſtitatis virtus, quæ ipſius animum iam ab exordio communierat, ab omnium, potiſſimum mulierum colloquio, nedum familiaritate, ita alienum præſtabat, vt neque illarum aſpectum ferre valeret, adeoq; omnem pudicitiæ tabem exhorrere viſus eſt, vt cum feles ipſos cicures nimis impudicos, & ad venerem propenſos eſſe cerneret, quadam Guardiani facultate captatâ, cunctis abeundi mandatum dederit: qui mox ita iubentis imperio paruêre, vt nunquam deinceps in Conuentu viſi fuerint. Sic gulæ quoque appetitum cohibere ſolitus erat, vt nec vnquam ſaturitatem agnoſceret; cumq; nullo frequentius, quam panis & aquæ cibo, ac potu vteretur, meliori, ac honeſtiori pane alijs Fratribus diſpertito, is ſibi mucidum, ac ignobilem tantum reponere conſueuerat. Tanta denique

vitæ illi auſteritas fuit, vt nullam ei metam præfixiſſe videretur. Membra eius brumali tempore, glaciali frigore rigentia, igne nunquam, vel perrarò fouebantur: corpus diris flagris, ac verberibus afflictabatur: quies feſſis membris, ſomno ad breue tempus contracto, eripiebatur. Deniq; cum vniuerſa carni, ac ſenſibus commoda & voluptates ſubriperet, cœleſtem potius, quam terreſtrem inter ſuos vitam colere videbatur. His flagrans quædam, tam erga pauperes, quam ægrotos charitas accedebat, quam feruens generabat oratio, quæ hominem nocturno tempore ſæpiſſimè cum Deo pernoctare, longasq; vigilias ducere, die vero ſyluam, ac ſolitudinem ad rerum diuinarum meditationem quærere, compellebat. Hæc virum Dei frequenter in mentis exceſſum pertrahens, cœleſtibus Angelorum choris inſerebat; cuius rei pleriq; teſtes fuêre, inter quos Frater Bonifacius Callienſis, cum in Conuentu Murſi, Iacobi aliquando operâ indigeret, eum in cellâ, oculis in cœlum elatis in ecſtaſim raptum, ac penitus inſenſibilem offendit. Fratres etiam quidam aduenæ, è Conuentu Montis Sancti diſceſſuri, cum Eccleſiam ingreſſi, Iacobum in Eccleſiæ angulo orantem viderent, ad eum ſalutationis gratiâ accedentes, omni illum ſenſu carentem reperiunt. Iacobo conſuetudo erat, ter, quaterq; infra hebdomadam ad ſacram Synaxim accedere, quo tempore vix Dominico corpore refectus, ſenſibus conſopitis, in Domini ſinum euolabat, diuq; cœleſtibus hiſce delitijs fruebatur. Hæc tandem Dei ſeruum, poſt quadragenarium ieiunium, quod ad Spiritus ſancti honorem inchoauerat, aliquando impulit, vt ab eo ipſo charitatis ardore accendi poſtularet, quo is Apoſtolorum corda in die Pentecoſtes inflammauerat. Hoc dono, cum in Conuentu Faneſtri S. Eliæ, diuinâ tandem benignitate potitus fuiſſet, tam ingenti ab eo tempore diuinæ charitatis flammâ exuri cœpit, vt ſimul atque ad orandum accederet, tantâ Spiritus ſancti flammâ exæſtuaret, vt neque halitum ducere, animamq; propè agere videretur. Hinc ſæpiſſimè clamores edere compellebatur, quibus cum cæterorum oratio perturbaretur, ſolitarius in cellâ orans, in tam ingentes interdum, ob internum cordis æſtum, oris rugitus erumpebat, vt vox ad Eccleſiam pertingeret. At neque id ſatis, diuinæ ſiquidem illa charitatis flamma in pectore ardens, virum Dei tam ſui impotem reddere conſueuerat, vt ſæpe à cellâ ad Eccleſiam, ab Eccleſiâ ad ſyluam anhelans, ac vociferans excurreret, quo cœleſtis ignis ardorem mitigaret. Hoc ipſo, ac maiori animi æſtu agitabatur, cum ad ſacram Euchariſtiæ refectionem accederet.

Haud raro quoq;, dum in menſâ quicquam ad Dei amorem inflammans legeretur, ex eâ velocius ſurgens, ad conſuetos, vel in Eccleſiam, vel in ſyluam clamores edendos properabat. Deniq; cum frequentiores hoc tempore illum mentis exceſſus exciperent, inter homines viuens, cum cœleſtibus potius, quàm cum hominibus agere videbatur. At verò cum immoderatum diuini illius amoris æſtum humana imbecillitas ferre nullo modo poſſet, Clementiſſimus Dominus, hæc vehementioris charitatis fulgura in pluuiam fecit. Poſt hæc enim tot cœpit lachrymis perfundi, vt nulla oratio, nulla paſſionis Dominicæ memoria, nulla pia lectio, abſq; lachrymarum imbribus præteriret. A primo Religionis amplexu, cum graui Iacobus ſomno opprimeretur, Deum aſſiduè precabatur, vt ab hac eum turpi ſomnolentiæ ſeruitute liberum redderet. Quamobrem, cum ſemel orans, hac eàdem ſomnolentià captiuus teneretur, dexteram aurem tam valido ictu, quaſi qui ab aliquo compreſsâ manu pugno percuteretur, contundi ſentit, vt diu illius dolorem, ac in aure ſonitum tulerit, atq; ab eo tempore omni prorſus in oratione ſomnolentià caruit. Beatiſſimæ Virginis aliquando, ac B. P. N. Franciſci præſentiâ potitum fuiſſe, alijsq; viſionibus, ac reuelationibus, nec non miraculis illuſtrem extitiſſe, noſtra paſſim monumenta affirmant, quorum nonnulla libet exempla referre. Tolentini, nobilis cuiuſdam erga Ordinem deuoti, Petri Pauli nomine, cognomine Pittorij, vinum acidum ſuâ oratione in optimum commutat. In Crucichij Conuentu panem è cœlo, Familiæ ſuis precibus impetrat. Infœlicem cuiuſdam exitum prophetico ſpiritu prędicit. Poſtremò cum ex Amendulæ Conuentu Firmum migraret, Bernardum à Muſſo, qui in eo illi itinere comes erat, his verbis alloquitur: Bernarde Frater, iam ad meum quietis locum pergo. Firmana tellus oſſa mea conteget. Id ſæpè anteà, quaſi ſui obitus diem pręnuncians, Fratribus aiebat, ſe libentiſſimè ipſo die, qui B.P.N. Franciſco eſt ſacer, carnis ſuæ ſarcinam depoſiturum. Cum igitur ad Firmanum Conuentum appulíſſet, modico temporis ſpatio elapſo, febre correptus, in ſolemni S.P.N. Franciſci die, diem quoq; is, tantâ cum ſanctimoniæ opinione, extremum claudit, vt Fr. Pacificus à Seſtino, vir Dei ſpiritu clarus, cuius geſta narrauimus, qui ſæpe Iacobi confeſſiones exceperat, eo adhuc ſuperſtite aſſereret, ſe illum, niſi Eccleſiæ auctoritas prohiberet, S. Iacobum abſque vllo veritatis periculo appellaturum. Obijt Vir Sanctus,

Anno 1586.

Fr. GHE-

Fr. GHERARDI FLORENTINI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER GHERARDVS FLORENTINVS, Laicus, inter primos illos connumeratur, qui priorum temporum anguſtias fortiter, & æquo animo ſuſtulêre. His ille probatus, tantum in omni virtutum genere profecit, vt non aſpernandum inter illuſtres noſtrę Religionis Viros locum ſortitus fuerit. Tota ipſius vita apud Capucinos aſperitate plena fuit. Paupertatis namque ſtudio, abſtinentiâ, carnis maceratione, dum robuſta ætas corpus vegetaret, reliquos illius tempeſtatis Viros, quos aurea illa ætas, ad maxima quæque corporis incommoda ſuſtinenda, protuliſſe videbatur, (ſi noſtris M.S. credimus) facile ſuperauit. Caſtitatis tam inſignis propugnator fuit, vt gemina in periculoſo prelio de hoſte Trophęa, bis iuuenculis quibuſdam, quæ ad ipſius honeſtatem labefactandam ad quieſcentem acceſſerant, longe propulſatis, reuexerit. Tanta in ægrotos charitate efferbuit, vt Prouinciali Miniſtro annuente, vniuerſa Prouincię loca percurreret, quo ſuâ infirmos operâ iuuaret. Nullum illi tempus inane defluebat; die ſiquidem laboribus vacans, quos ſacrâ meditatione leuabat, noctem interdum in oratione inſomnem ducebat: quo tempore, cum dura illi quies eſſet, ac parcus ſomnus, prolixa tamen rerum diuinarum contemplatio erat: Diuinis nonnunquam reuelationibus potitum, id inter alia declarat, quod is Franciſcum Maceratenſem, poſt obitum, ad quintumdecimum vſque diem, in Purgatorio detentum pœnas exoluiſſe, atque indè ſtatim in cœlum euolaſſe, cuidam Fratri Iacobo Æſculano aperuit. Ipſius quoque orationi adſcriptum fuit, quod octo Ordinis noſtri Clericis ad ſacros Ordines proficiſcentibus, quibus is in itinere præerat, de annonâ diuinitus prouiſum fuerit. Eundem quoque, Crucis ſigno pleriſque ægrotis beneficia contuliſſe, noſtra M.S. ferunt, ex quibus, cum non mediocris ſanctimonię fama illi apud omnes acceſſiſſet, tandem annis, ac virtutibus grauis, Æſij mortales exuuias deponit.

Anno 1586.

Fr. HONORII A SESTINO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER HONORIVS à SESTINO, Laicus, Religionis Capucinorum albo inſcriptus, ſub Magiſtro auunculo duriſſimum probationis genus patientiſſimè pertulit, quoad ſcoriam vſque probatus, tantâ virtutum perfectione vitam inſtituit, vt cæteris, quoad vixit, obedientiæ, humilitatis, paupertatis, abſtinentiæ, charitatis, ac totius Regularis obſeruantiæ exemplar fuerit. Vir ad miraculum patientiſſimus extitit: neque iniuriâ aut contumeliâ laceſſitus vnquam è tranquillo mentis ſtatu deijci potuit. Quamobrem ab impio aliquando viro colapho percuſſus, nullum perturbati animi ſignum oſtendit. Orationis cum primis ſtudio vacabat, fœdusq; inter mentem, & corpus compoſuiſſe videbatur, vt, dum hoc diurnis laboribus inſudaret, illa diuinas illi meditationes ſuggereret. Cum vero illa nocturnis vigilijs, atque orationi incumberet, hoc impigrè ad omnia officia concurreret. Hic fratri Eliæ, Sacerdoti, futurum obitum prænunciat, ac ſe licet ætate multo prouectiorem aliquo poſt eum tempore ſuperſtitem inter viuos futurum aſſerit, quod ipſe deinde rei euentus demonſtrauit. Longum Honorius vitæ, ac virtutis iter vſque ad nonageſimum ætatis annum produxit, in quo honorabile, tum apud Deum, tum apud homines nomen adeptus, eo tandem confecto, veros virtuti debitos honores, morte conſequutus eſt, in Conuentu Sarnani, vbi illius oſſa ſepulchro condita iacent.

Obijt Anno 1586.

Fr. ALEXII A BVTRIO
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER ALEXIVS à BVTRIO, Laicus, diu in Romano Conuentu Ianitoris munere functus fuit, Vir mitiſſimus, tamq; ſingulari patientiâ, ac manſuetudine præditus, vt nemo eum vnquam, aut iratum, aut turbatum viderit; cum his quoque tantam vultus hilaritatem, & charitatem in omnes, ac pauperes potiſſimum præ ſe ferre viſus eſt, vt nullum vnquam egenum ad Conuentus fores accedentem, abſque eleëmoſynâ immũnem dimiſerit. Hac ſingulari charitate, dum Chriſti pauperes excipit, alijsq; animum perfectis virtutibus imbuit; Romæ quoque à Domino cum ſuis pauperibus in æterna tabernacula recipitur. Poſt obitum Fr. Antonio Bergomenſi cum Beatiſſima Virg. S. P. Franciſco, ac S. Antonio ſtolis pretioſiſſimis ornatus, glorioſus ſecundò apparet, diemq; mortis prænunciat. Obijt Vir Dei Anno 1586.

Fr. ANTONII BERGOMENSIS
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS BERGOMENSIS, Laicus, cùm mortuâ vxore, qua cum plures vitæ annos abſq; prole tranſegerat, è ſæculi pelago ſeſe ad Religionis portum recepiſſet, vitam omni humilitate, obedientiâ, paupertate, patientiâ, charitate, perfectâq; virtute plenam auſpicatus, maximam ſanctimoniæ ſpem pollicebatur, cùm quinto poſt ſuſceptam Religionem anno, Romæ in grauem morbum incidit, quo tempore totus hilaris, Sacerdoti, qui illi à confeſſionibus, diem obitus ſui reuelat, cùm vero Confeſſarius diuturniorem ei vitam futuram perſuadere conaretur: Erras Pater (inquit Antonius) non animus, aut æternorum cupiditas tantummodò hanc mihi vocem extorſit, ſed cœleſtium hæc vox eſt, quæ neminem fallit. Etenim Beatiſſima Virgo Deipara.

S. P. Franciſcus, S. Antonius, ac Frater Alexius, nuper defunctus, qui hac mihi nocte apparuêre, primum hunc Sabbathi diem mihi ſupremum fore prænunciarunt. Confeſſarius verò, cum Sathanæ dolum hic latere ſuſpicaretur, cum pleriſque alijs Patribus ad ægrotum accedit, atque ab eo præteritæ noctis viſionem percunctatur. Qui cùm dicta confirmaſſet, eidem Guardianus, qui & ipſe præſens erat; Num Antoni (inquit) Alexium à Butrio ſtantem agnouiſti? cui Antonius: quid de Alexio (inquit) Pater dubitas? Is tam certò mihi agnitus fuit, vt cum in eum oculos potiſſimum intenderem, admirabilis planè is mihi viſus fuerit; tot enim illùm ſtolis pretioſiſſimis ornatum conſpexi, vt inter alios is mihi præclarus videretur. Mox vero nouam vultu hilaritatem præferens, ait: En iterum vobis Beatiſſimæ Virg. S. P. Franciſci, S. Antonij & Fratris Alexij præſentiam, en hic præſentes adſunt: iam illos vobis licet conſpicere. Cui Guardianus: Eſtne cum Beatiſſimâ Virgine puerulus IESVS? eſt profectò (inquit) & quidem Sole omni ſplendidior. O quàm lucidus, ô quàm pulcher in Virginis ſinu geſtatur! Rurſus cùm ab eo Guardianus quæreret, num adeſſet Alexius, olim Romani Conuentus ianitor: Adeſt proculdubio (ait) poſt S. Antonium ordine quartus: iiſdem quibus anteà, pretioſiſſimis veſtibus indutus: atque idem plane, qui apud nos Ianitoris munus agebat; verumtamen multo ſpecioſior, quàm cùm inter nos mortalis verſaretur. Admirabantur Fratres, ac Beatiſſimæ Virg. atque aliorum Sanctorum præſentiam veriti, quanquam inuiſibilem venerabantur: cùm eâ die, ſummâ cum mentis voluptate ab Antonio tranſactâ, maximis cœpit Dæmonum prælijs exagitari, ac demum facie in pallorem conuerſâ horreſcere, ac velut aſpectu aliquo territus exclamare: O qualia cerno! ô quales cruciatus! quale ſulphur! quales flammas! Heu miſeras damnatorum animas demerſas inter flammarum globos ſtridentes audio! mox cùm iterum Dæmonum tentationibus fatigari cœpiſſet, inter hæc Beatiſſima Virg. iiſdem Beatis, videlicet, S. P. N. Franciſco, S. Antonio, & Alexio ſtipatą, Antonio apparens, vniuerſam illam Dæmonum turbam ſuâ præſentiâ fugans, eum cœleſtibus verbis conſolatur. Quæ, is Fratribus narrans, ſummâ illos voluptate affecit. Antonius igitur optatâ tandem de hoſtibus victoriâ potitus, cùm totum Veneris diem in Dei laudibus, ac Fratrum cohortatione, quâ illos à Dæmonum fraudibus cauere, & Regulæ obſeruationi ſollicitè incumbere

admo-

admonebat, vſque ad veſperam Sabbathi inſumpſiſſet, dato Angelicæ Salutationis ſigno, quaſi is abeundi ſignum accepiſſet, quemadmodum anteà præſignificauerat, ex hoc ſæculo migrat. Anno 1586. cum Iuſtis (vt creditur) in æternum victurus.

Fr. CONSTANTINI PATRICENSIS LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER CONSTANTINVS à PATRICIO, Laicus, Vir ſimplex, humilis, ac plurimâ virtute ornatus: cum vitam omni pietate plenam in ſæculo duxiſſet, ad Dei ſeruitutem in Capucinorum Religione accedens, tot eam virtutibus accumulat, vt vniuerſi in viro Idiotâ, ac imperito, copioſam Dei gratiam, ac vitæ perfectionem admirarentur. Tam incredibili erga Beatiſſimam Dei Matrem amore, ac veneratione ferebatur, vt cum ſua ad eam, vt plurimum in oratione vota dirigeret, illius quoque aſpectu, colloquio, ac prçſentiâ fruitur. Singulari quoque cum Michaëlem Archangelum veneratione proſequeretur, haud raró eius quoque colloquio, ac præſentiâ potitur. Quo tempore aliquando Conſtantinus his eum verbis affatus legitur: O te terque, quaterq; Beatum Archangelum, qui inter ſummos illos Cœlorum Principes adnumeratus, beatâ illâ Dei gloriâ frueris. Cui Archangelus: Tu quoq; Conſtantine, hac aliquando cœli fœlicitate frueris: verumtamen, antequam ad eam pertingas, tibi diu, multumq; laborandum. Multæ, ac magnæ Vir hic orationis fuit, atq; adeo in eâ animo efferebatur, vt ſæpè mente excederet. Quod aliquando Fr. Matthæo à Leoniſſa iuniori, S. Annæ Guardiano innotuit; qui cum Conſtantini operâ indigeret, eum in cellâ orantem, atq; à ſenſibus ita alienatum cernit, vt ſui omnino compos non eſſet. Quapropter cum poſt aliquot tempus ad eum redijſſet, tam incenſo illum vultu è Cellâ exeuntem offendit, vt Seraphicum potiùs, quam humanum aſpectum præ ſe ferret. Neque id huic viro Dei nouum, aut inſolitum fuit, tantus enim illius orationis ardor erat, vt ex eo cœleſtes flammæ exurgere viderentur. Hinc Fulginij, dum orat, Fr. Pacificus Eugubinus Sacerdos, flammarum globum ipſius capiti inſidentem cernit. Rurſus, eo in Conuentu Spoletano orante, ipſius facies flammæ inſtar ardere,

caputq; velut Iride coronari conſpicitur. Sæpe etiam Fratres eundem orantem obſeruantes, illius vultum Solis inſtar, emicantem intuentur. Idq; potiſſimum in Conuentu Spoletano S. Annæ perſpicuum fuit, in quo dum Conſtantinus poſt matutinas horas, in Eccleſiâ orationi vacat, Fr. Thadęus Tifernas Laicus, in quo tempore oraturus Eccleſiam adibat, cum aperto Chori oſtio, vtrumque, & Chorum, & Eccleſiam clariſſimo lumine coruſcantem cerneret, ratus ille, Sacriſtam, accenſa in Altari lumina facile oblitum reliquiſſe, in Eccleſiam pergit, vt lumina extinguat. At cum neque in Altari, neque alibi lumina vlla ardere conſpiceret; Conſtantinum ſolum in Eccleſiæ angulo orantem animaduertit, è cuius vultu, quaſi Solares radij erumpentes, totam Eccleſiam illuſtrabant. At quoniam vera Dei charitas afflictionibus, atque infirmitatibus probatur, cum iam Conſtantinus annis, & virtutibus conſenuiſſet, horribili à Deo carcinomatis morbo afflictatur, qui cum dextrum illius brachium inuaſiſſet, grauiſſimum, ac intolerabilem propemodum illi dolorem afferebat. At Dei ſeruus, cùm in eo Diuinum conſilium, cuius ab Archangelo anteà monitus fuerat, non obſcurè agnoſceret, tam inuictâ illum animi patientiâ ſuſtinet, vt inter grauiſſimos morbi languores, nihil præter Diuinas laudes, perſonaret. Diu igitur hac ægritudine probatus, cum Peruſiæ ad vltimam vitæ metam perueniſſet, Medicus, haud amplioris, quam illius diei, qui tunc Dominicus erat, illi vitæ ſpatium pręſcribere videbatur, cui Conſtantinus: Haud ita erit (inquit) ſed Martis tantummodò dies mihi ſupremus erit. Id cum diuinâ tantum reuelatione accepiſſet, in eo quoque extremum vitæ curſum morte confecit. Anno 1586.

***

Fr. Ber-



FRATER BERNARDINVS A CHERIO FRATRV CAPVCINORVM LAICVS

Fr. BERNARDINI A CHERIO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER BERNARDINVS à CHERIO PEDEMONTANVS, Laicus, ex honeſtâ familiâ originem ducens, vix adoleſcentiâ tranſactâ, ſuis omnibus cum ſæculo relictis, inter ipſa Religionis initia, Capucinorum ſe numero adiungit. At prioribus illis ſuſceptæ Religionis annis cum minus regularis diſciplinæ ſtudio incumberet hinc Sathan maioris tentationis anſam arripiens, illum acrius vrgere cœpit, vt è Religione aufugeret. Iam tertium Bernardinus in Religione à probatione annum abſoluerat, cum Dæmonis tentatione ingraueſcente, plurimo in ſalutis diſcrimine verſabatur. Is vero ad Dei opem confugiens, ante ſacræ Euchariſtiæ Altare noctu procumbit, Deiq; impenſius cum lachrymis auxilium implorat. Adfuit mox ſeruulo inter has animi anguſtias oranti clementiſſimus Dominus, viſibilemq; ſui ipſius ei ſpeciem obijciens, durius illum increpat. Demum, vbi afflictum verbis ſuauioribus conſolatus eſt, illum à tentatione liberat. Hic Chriſti Domini aſpectus & correptio, tantopere Bernardini animum commouit, vt is in alterum protinus virum mutatus fuerit. Vaniloquia ac diſſolutiones mox in ſilentium, ac ſolitudines euadunt, comeſſationibus ieiunia, ac diuturnæ inediç ſuccedunt: corporis caſtigationes, vigiliæ, ſenſuum mortificationes, paupertatis incommoda, omnigenaq; vitæ auſteritas, omne voluptatum genus procul effugant; iam nullus Bernardino humilior, nullus pauperior, nullus taciturnior, nullus abſtinentior, atque ad omnem regularis obſeruantiæ diſciplinam, nullus eo tempore magis compoſitus. Cumq; rebus omnibus mortuus appareret, ſolâ oratione, ac iugi mentis contemplatione, quæ illi poſt hæc cœleſti Dei dono elargita fuit, viuere, ali, ac vigere videbatur: tanta enim hoc tempore Dei luce ac cœleſtium rerum voluptate perfundi cœpit, vt dum in menſâ cum alijs recumberet, ſi forte vel de Paſſione Domini, vel de cœleſti gloriâ, aut de amore Dei, lectio ab eo audiretur, mox in mentis exceſſum raptus, biduo interdum, læuâ panem, dexterâ cultrum in manu geſtans in eo immobilis permaneret. In Genuenſi S. Barnabæ

Conuentu, cùm in cœna libellus S. Ioannis Climaci, vbi de gloriâ paradiſi agitur, à Fratribus legeretur, iam is nonnihil ex lance pulmenti cochleari hauſerat, atque ori admouere parabat, cum repentè exclamare cœpit: ah, ah, paradiſi gloria! moxq; extra ſenſus actus, manum ſimul cum cochleari in aëre tamdiu ſuſpenſam tenuit, quoad circa noctis medium dato primo Matutinæ Horæ ſigno, ad ſenſus rediret. Pleriſq; etiam ex his, qui in Genuenſi Familiâ degebant, olim exploratum fuit, quo tempore prima in ſacra Natalis Domini nocte Miſſa celebratur, Virum Dei priùs in cœleſtem quendam riſum, tum protinus in mentis exceſſum raptum, in eo totum illud noctis ſpatium fœliciter tranſegiſſe. Denique cùm aliquando podagræ morbo afflictatus in lecto decumberet, duobus fratribus vt dolorem lenirent, ſpiritualem quandam cantiunculam concinentibus, tantâ ipſius ſpiritus vi ſurſum actus fuit, vt conſopitis ſenſibus, Vir Dei penitus exanimis videretur. Sæpè id quoque alibi, cùm de diuinis rebus inter Fratres, eo præſente ageretur, eidem contigit. Quo fiebat vt in huiuſmodi mentis exceſſu integros, plerumque dies tranſigeret. Hac rerum diuinarum contemplatione abſorptus, plerumque ad octauum vſque diem in Cellâ ſolitarius degens vix terno quoque die, cibi aliquid, quo corpus ad mentis actionem aptum redderet, ſumere ſolebat. Porro tam vehemens illa mentis actio erat, præſertim cùm ſolus oraret, vt ſæpenumerò in clamores erumpere cogeretur: quo ebulliens ille pectoris æſtus, qui ex diuini amoris flammâ efferueſcebat, tamquam effuſo halitu miteſceret. Ex tam præclaro hoc cœleſtis contemplationis dono, diuina quædam lux Bernardini animo exoriebatur, qua & arcanæ hominum cogitationes illi manifeſtæ erant, & futuros rerum euentus interdum certo prænoſcebat: cuius rei nonnulla referre liceat exempla. Frater Valerianus Pineroliensis, qui inter Genuenſis Prouinciæ Patres olim connumeratus fuit, Vir grauis & prudens, cùm ſemel mentis anguſtiâ preſſus, ad Bernardinum accederet, Vir Dei totâ tentationis ſerie, antequam ab eo explicaretur, apertâ, ſuauibus illum tandem verbis conſolatum, & opportunis conſilijs munitum dimittit. Adhæc, quo tempore Chriſtianorum claſſis inſignem illum de Turcâ, triumphum tulit, tribus diebus, antequam de eo, in eâ vrbe nuncius appelleret, Fratribus de Turcâ proſtrato victoriam manifeſtat. Circa hæc tempora, ſæua quædam lues Genuenſem vrbem inuaſerat, quæ cùm nullo conſilio, aut ratione ſedari poſſet, innumeros quotidie homines depaſcebatur. Quamobrem Fr. Auguſtinus Al-

nus Albintemilienſis, qui tunc eam Prouinciam moderabatur, Fr. Zacharia Trebinenſi, ac Bernardino Cherienſi accitis, cum ijs ſecretum conſilium init, vt totam noctem in oratione inſomnem ducerent, in qua à Deo opem pro eâ vrbis calamitate poſtularent. Tribus igitur hiſce Patribus, quorum apud Deum plurimum merita valebant, in oratione pernoctantibus, adfuit clementiſſimus Dominus, ſingulisq; quid pro vrbis liberatione agendum eſſet, reuelat: nimirum, vt Genuenſis Senatus publicè ad Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virg. honorem, ſupplicatione inſtitutâ, voto ab omnibus nuncupato, illius diei feſtum perenni cultu celebraret. Quod cùm piæ Reipublicæ Duci, ac cæteris Senatoribus ab ijs indicatum fuiſſet, illis cœleſti conſilio acquieſcentibus, vrbs protinus à peſte liberatur. Quamplurimis præterea Chriſti, Angelorum, ac Beatiſſimæ Virg. viſionibus, hunc Dei ſeruum potitum fuiſſe, conſtanter Genuenſis Prouinciæ M. S. ferunt, inter quas ea refertur. Dum Matutinæ Horæ in Choro aliquando decantantur, is in Eccleſię angulo attentius orans. Angelum è Cœlo delapſum, his ſe verbis alloquentem audit: Bernardine, animum atque oculos diuinis viſitationibus para, mox aderit Dei filius, cum Virgine Matre. Tum vero Virgo Deipara clariſſimo lumine coruſcans, ad eum accedit, Filiumq; quem in ſinu gerebat, eidem porrigit, quem vbi Vir Dei humillimè exceptum amplexatus fuit, tantâ in eius amplexu cœleſti voluptate perfunditur, vt totus in dilectum abſorptus, iam non ſibi, ſed Chriſto tantum viuere putaretur. Iterum dum in Eccleſiâ orat, Chriſtus tam benignum ſe illi aſpectandum offert, vt Vir Dei, præ vberiori ſpiritus voluptate, animam ſibi è corpore ſoluendam fore exiſtimaret. Idipſum quoque illi in Conuentu S. Barnabæ accidit, dum Podagræ morbo laborat: cùm enim recentioris aliquando panis appetitu teneretur, en Chriſtus immenſâ luce perfuſus ægrum ſuâ prę ſentiâ ſolatur, his eum verbis compellans: Bernardine, quid tu recentem panem optas? An non ego, qui vitæ panis ſum, ſolus tibi ſufficio? quibus, tam cœleſti quodam panis odore ægrum recreauit, vt vir Dei materialis illius panis appetitum protinus abiecerit. Vir hic cùm in Hoſpitali S. Columbani domo, in infirmorum miniſterio, inter cæteros illuſtriſſimis patientiæ; & charitatis exemplis effulgeret. Id ſibi accidiſſe narrabat. Paratum is aliquando pharmacum ægroto cuidam propinandum ſuſceperat, quod cùm ille ſępius recuſaſſet, Bernardini animus quodam impatientiæ motu percelli cœpit; at is illum, antequam ad voluntatem appelleret,

virtute

virtute coërcens; mox Dæmonem tentatorem ſibi à ſiniſtris ſtantem intuetur, qui cum primum ab eo ſe deuictum ſentit, protinus fugam arripuit. Semel inter ipſa ſuæ conuerſionis primordia, dum in Eccleſia orat, Dæmon pueri formâ aſſumptâ ſcamnum conſcendit, ex quo cũ ſe dilapſum fingeret, quaſi ex caſu grauiter læſus ploratum edit: mox Bernardinus, Dęmonis adhuc artis ignarus, intermiſsâ oratione, ad puerum accurrit, quem dum à caſu ſubleuare ſtudet, Sathan, qui vel tantillum illud temporis ſpatium ipſius orationi ſubripere optauerat, ſeipſum prodens, riſu Virum Dei eludit, ac protinus in cognatas ſe tenebras recipit. Idem quoque haud raro Dei ſeruo, dum corpus flagello caſtigat, vel flagellum è manibus eripit, vel flagelli ictus intercipit, vel tandem funiculos perrumpit: quo tempore is fune, quo pręcinctus eſt, flagellationem inſtaurans, Dęmonem ipſum deludit. Poſt has Sathanæ infeſtationes, quibus D. O. M. Seruum ſuum varijs triumphis illuſtrare decreuerat, nè perfectâ illi corona deeſſet, quæ ex integrâ interioris, atque exterioris hominis probatione proficiſcitur; cùm is in Hoſpitali S. Iacobi incurabilium Domo, Romę aliquamdiu ægrotis miniſtrâſſet, vt gratum illud Deo miniſterium fuiſſe cunctis innoteſceret, incurabili & ipſe morbo à Deo donatus, ac omnibus ferè membris captus, quatuordecim annorum ſpatio, qui illi vſque ad obitum ſuperfuêre, in lecto decumbit. Mira equidem in tam diuturnâ ægritudine Viri patientia fuit; mira quoque vultus hilaritas, quam inter grauiſſimos artuum dolores, toto hoc tempore præferre viſus, Dei tantummodo laudes, benedictiones, & gratiarum actiones, ex ipſius ore perſonabant; ita vt, quo acrioribus morbi doloribus afficeretur, eo dulcius, IESV, ac MARIÆ nomen efferret, adſtanteſq; ad pietatem ſummoperè commoueret. Poſtremò, Vir hic tot virtutibus illuſtris, ac diutinâ patientiâ probatus, cum quinquageſimum in Religione annum attigiſſet, in Genuenſi S. Barnabæ Conuentu ad vitæ coronam euolat,

Anno 1586.



FRATER ANTONINVS RHEGINVS FRATRVM CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. ANTONINI RHEGINI
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONINVS RHEGINVS, Laicus, ex honeſtâ Tripodorum familiâ Rhegij progenitus, cum vitam vſque ad quintum ſupra vigeſimum annum omni cum pietate traduxiſſet, ad ſacram Minorum, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, familiam confugiens, poſtquam in eâ per annum, omni cum virtutis laude verſatus fuiſſet, quo tempore Ludouicus Rheginus, ac Bernardinus Georgius in Capucinorum Reformatione inter Calabros ſtatuendâ impigrè laborabant, is horum Patrum, quos perfectæ Regulæ obſeruatores eſſe non ignorabat, exemplo permotus, ac purioris obſeruantiæ ſtudio incenſus, cum his ad Capucinorum gremium ſe confert. Ab ipſis ſuæ conuerſionis incunabulis, tanto ſtudio virtutibus, ac præſertim humilitati & charitati, quæ præcipua ſunt Laicorum Fratrum ornamenta, cœpit incumbere, vt nihil præterquam humillima de ſeipſo ſentiret, & vniuerſos ſibi Superiores eſſe exiſtimans, omnibus ad nutum pareret: Sacerdotes velut Dei miniſtros, tantâ veneratione proſequebatur, vt cum eis conſedere nunquam viſus fuerit. Vera porrò hæc cordis humilitas, tam perfectam illi mentis obedientiam parauerat, vt voluntate, nèdum voce Superioris perceptâ, aures auditui, linguam voci, manus operi pararet. Aliquando accidit, vt Rhegij Conuentus Superior, neceſſitate compulſus Antoninum, qui tunc ſeptuagenarius erat, comite illi Bonauenturâ Rhegino adiuncto, Araſium properare iubet. Iam nox tenebras offuderat, nubesque ita Cœlum obduxerant, vt vehementem breui imbrem minarentur. Haud tamen cunctatur Vir obediens, ſed mentem obedientiæ, ac pedes itineri parans, Araſium proficiſcitur. Vix medium iter confecerat, cùm graui ventorum, ac imbrium procellâ iam imminente, cœloq; vndique tonitruis perſtrepente, Antoninus ad Occidentem conuerſus, vnde aëris tempeſtatem erumpentem cernit, flexis genibus tantiſper Deum precatus eſt; tempeſtati (in Dei nomine, & ſanctæ obedientiæ, quam explendam acceperat) nè propius ad eos accedat, præcipit;

donec ab eis iter perficiatur. Mirabile dictu, ſtat tempeſtas, ſilent tonitrua, ac tamdiu ſerenum ipſis itinerantibus cœlum exhibent, quoad obedientiæ opus implerent. Poſt hæc Ticinum ad virum quendam Ordinis beneuolum diuertentes, tot deinceps cœpit cœlum imbribus pluere, & vndique tellus aquis exundaret. Rurſus ex perfectâ viri huius humilitate, inuicta quædam animi patientia pullulabat, quæ pleriſque rerum exemplis enituit, maximè verò in primæuis illis Calabræ reformationis perſecutionibus ſuſtinendis, tum in comitiali morbo, quo per quadraginta annorum tempus grauiter afflictatus fuit, iucundo, nedum æquo animo perferendo. Demum in varijs Dæmonum infeſtationibus, quas diu fortiter tulit, in quibus maxima illius patientia eluxit. Tanta vero erat viri Dei charitas, vt ægrotos, amantiſſimæ matris inſtar, tenerrimo proſequeretur affectu. Pauperum tantopere inopia afficiebatur, vt haud rarò ad eorum inopiam ſubleuandam ſibi neceſſaria adimeret. Grauis quædam frugum caritas totum Rheginum agrum occupauerat, cum Antoninus cum ſocio Siminariam, quæ triginta milliaria à Rhegio abeſt, iter faciens, tres ſibi in ſacculo panes reponit, quibus in itinere veſci poſſent. Dies ieiunij erat, vixq; paululum ab vrbe progreſſi, pauperculus ab Antonino panem petit, cui ille panem integrum porrigit, paulò longius cum proceſſiſſent, en alter, priori miſerior, ſtipem flagitat; cui ſecundum Antoninus panem largitur; Accidit quoque, vt tertius etiam inops omnium miſerrimus accederet, cui Eleemoſynam poſtulanti, tertium Antoninus dimidiatum panem erogat, ſubmurmurabat ſocius, cui ſpes omnis annonæ ablata erat, cui Antoninus: Nihil animum tuum ſollicitet Pater: Iacta in Dominum curam tuam, is abunde ſeruis ſuis annonam ſuppeditabit. Fons in ipſo montium acceſſu inter opaca nemorum loca delitescebat, ad quem cum Antoninus ſocium nonnihil obmurmurantem, verbis ſuauioribus compuliſſet, ibi nobiles quoſdam conuiuantes offendit, qui eos mox ad prandium iucundiſſimè prouocant, ſicq; diuinâ prouidentiâ factum eſt, vt multo ampliorem, quam pauperibus erogauerant, à Domino annonam acciperent. Cæterum, hæc ſancti Viri charitas haud minus in tollendis controuerſijs eluxit; cuius hoc illuſtre exemplum legitur. Rhegij inter quoſdam honeſtæ familiæ coniuges irreconciliabilis, ac diuturna animorum diſſenſio viguerat. Hæc ſimul ac Antonino innotuit, celerius ad coniugum domum concedit, dumq; ad mutuam beneuolentiam vtrumque prouocat; en Ælurus, quem ij velut domeſticum

alebant,

alebant, ad eos accedit. Quo vix conſpecto, vir Dei Dæmonem ſub illâ Æluri formâ deliteſcentem, ac diſcordiarum ſatorem agnoſcit, eumq; mox ſiſtere iubet, atque vt ementitâ Æluri ſpecie depoſitâ propriam induat, ac ſeipſum quis ſit prodat, in Dei virtute imperat. Haud imperatis Dæmon reluctari potuit, ſtatimq; ex Æluro Dæmon horribilis conſpicitur, qui mox ijs ſtupentibus, in auras defugit. Illi vero Dæmone effugato, verbis Antonini ſuauiſſimis commoti, perpetuam deinceps inter ſe pacem coluêre. At præclarum illud viri huius charitatis argumentum fuit, quâ inimicum fratris ſui interfectorem, totâ Rheginâ vrbe obſtupeſcente, non ſolum tenerrimè amplexatus eſt, ſed etiam poſt ſuauem correctionem, & ad pœnitentiam exhortationem, ſceleris condonationem, à propinquis homini fratricidæ ſcripto exaratam, impetrauit. Abſtinentiam verò ita colebat, vt conſuetis Religionis ieiunijs haud contentus, quadragenarias inedias, quæ B.P.N. Franciſco familiares familiares fuêre, ad octogeſimum vſque ætatis ſuæ annum, perpetuâ lege ſibi præſtitutâ ſeruauerit; cum tamen ſæpiſſimè ſolâ panis, & aquæ refectione contentus eſſet. Aſpero ad obitum vſque cilicio vſus fuit. Veſtis aſperitatem, lecti duritiem, ſomni parcitatem, vigiliarum diuturnitatem, voluntarias frigoris paſſiones, quotidianos manuum labores, ac pleraque alia auſteritatum genera prætereo. Omnia ſenſuum oblectamenta, animiq; remiſſiones fugiebat. Iam quadrageſimum Religionis annum attingens, num præteritorum malefactorum veniam à Deo tuliſſet, etiamnùm ignorare aiebat. Orationi tam ſedulò incumbebat, vt poſt diuturnos labores, & poſt Matutinas Horas perpetuò eam comitem haberet, ac inter omnes corporis exercitationes, in eo ſemper illius fumaret igniculus; adeoq; in Dominicæ vitæ, ac Paſſionis meditatione, charitate excellebat, vt & illius facies interdum ſolis inſtar ſplenderet, & diuino ſpiritu actus, extra ſenſus haud rarò raperetur. Quod illi in Conuentu Rhegij aliquandò accidit: ibi namque dum vir Dei ante Matutinas horas, in Eccleſiâ orat, Fr. Thomas Cataciensis Antoninum in medio Eccleſiæ clariſſimâ luce circumfuſum, ac ſolis inſtar fulgentem, è ſolo quatuor circiter palmorum altitudine in aëra ſubleuatum conſpicit, ex quo lucis radij in totam Eccleſiam diffundebantur. Cumq; Thomæ perpetuum ſilentium indiceret, annuit ille, dummodò quid in eâ viſione ſibi à Deo collocatum fuiſſet, non ſubticeret; Tum vir Dei: iam dudum (ait) à Domino ſummis precibus poſtulaueram, vt transfigurationis ſuæ modum, & gloriam mihi pro ſuâ benignitate

aperire vellet. Diſtulit aliquamdiu Dominus: verùm id hàc nocte mihi à Domino benigniſſimè collatum. Tu igitur caue, nè alicui cœleſte ſecretum aperias. Ex huius diuinæ charitatis ardore, tam potens, atque efficax ipſius apud Deum oratio euaſerat, vt ab eo nunquam vacua rediret. Quod quam plurima exempla declarant. Petrus quidam, Principatus cognomine, Rheginus, à Marco Antonio Marino, catapultariâ glande appetitus, tot prætereà vulneribus confoſſus fuit, vt diſſecto vſque ad medium collo, ſemiviuus ab eo dimiſſus fuerit. Hac eâdem horâ Vir Dei ſuperueniens, miſerum, animam propè exhalantem offendit; cumq; ſacræ Virginis imaginem protuliſſet, Petrum, vt inimico ignoſcat, odia ex animo deponat, ac vt huius promiſſi fidem Beatiſſimæ Virgini iuret, compellat. Vir itaque ſemiuiuus dexteram ad Imaginem in iuramenti ſignum extendens, ſtabilem Beatiſſimæ Virgini fidem pollicetur. Poſt hæc Antoninus ad orationem ſecedens, tot ſacram Deiparam lachrymis, ac precibus ſollicitat; vt breuiſſimo tempore Petro vulnerum incolumitatem exorauerit. Dum Rhegij Conuentum Fr. Bernardinus Rheginus iunior moderatur, fortè accidit, vt è Siculâ Prouinciâ duodeviginti Fratres (quibus & alij ſex ex aliâ Prouinciâ acceſsêre) ſub vnius diei veſperum aduentarent, cumq; præter duos panes, & nonnulla fruſtula, nihil prorſus panis in domo ſupereſſet, Guardianus, cui Antonini (qui refectorij curam agebat) apud Deum ſanctitas ſatis nota erat, vt panem ſuâ benedictione proſequatur, imperat, eumq; fratribus aduenis apponat. Properat vir ſuperiori obediens, in genua procumbit, panem à Deo precibus poſtulat; tum geminos illos panes ſumens, dum eos nouis hoſpitibus diſtribuit, tam multiplicatos à Deo accipit; vt non ſolum viginti quatuor Fratribus ad ſaturitatem ſufficerent; verum etiam alij octo ſæculares viri, eo tempore aduentantes, his abunde refecti fuerint. Eodem planè modo, cum in eodem Conuentu, quatuor tantum panes ſupereſſent, Guardiano obtemperans, Deum rogat, panibus benedicit, eosq; ita ſuâ oratione, ac benedictione multiplicat, vt Colletæ cuidam Angirio viro nobili, quadraginta Equitum turmâ ſtipato, copioſè ad veſcendum ſatis fuerint. Hac ipsâ tempeſtate adoleſcens quidam in proſcriptorum manus incidit, quem cum captiuum detinent, ac pro illius libertatis pretio grauem æris ſummam à parentibus exigunt; Vir Dei, adoleſcentis caſum, ac parentum inopiam miſeratus, intrepidè ad proſcriptos, qui inter vaſta quædam nemora degebant, accedit: dumq; apud eos pro adoleſcentis liberatione interpellat,

pellat, ex his vnus; cur Pater, inquit, huc ad nos veniens, panem nobis ſaltem, quo famelici veſceremur, non attuliſti? Cui Vir Dei: Rem profectò honeſtam poſtulaſti, ne dubites, panem protinùs accipies, veruntamen tantiſper expecta. Tùm paululum ſeorſum cum ſocio ad orationem ſecedens, cum è cœlo panem accepiſſet, paulò poſt manticâ, quam ſecum detulerat, pane recenti, atque etiamnum calido refertâ, onuſtus ad eos redit, panemq; præter omnium expectationem profert. Mirantur illi, Virum Dei venerantur, atque illi captiuum adoleſcentem libenter condonant. Adhæc cum eodem Bernardino Rhegino Meſſanam profecturus, Siculum fretum æſtuans, ſuâ oratione ſedat, ac vt prædixerat, vndas in alteram partem inflectere cogit. Ingentem quoque trabis molem, quam vix quatuor iuga boum mouere valerent, breui oratione Beatiſſimam Virginem interpellans tam leuem reddit, vt duo tantum boues, perinde ac ſi leue aliquod illud onus eſſet, facillimè vehere potuerint. Cum autem Anno 1571. in Rheginâ vrbe grauis peſtilentia graſſaretur, Vir Dei aſſiduas ad Virginem Deiparam pro vrbis liberatione lachrymas, ac preces fundebat. Tandem poſt diuturnas preces, dum Antoninus pomeridiano tempore totus Orationi in Eccleſiâ vacat, En inclyta Cœlorum Regina, clariſſimâ vndique luce circumfusâ, Viro Dei in cancellorum ſummitate eminens apparet: cuius bini Angeli, geminas faces accenſas manibus geſtantes, vtrumque latus ſtipabant. Tum Virgo Beatiſſima Antonino humaniſſimè: Quid à me, fili gratiæ expetis? fidenter pete; id enim proculdubio accipies. Hac Beatiſſimæ Virginis pollicitatione Vir Dei animum aſſumens: Peto (inquit) ô hominum, Angelorumq; Regina, & hæc mea Rhegina vrbs, tam graui, ac diuturnâ hactenus lue probata, in tuâ filijq; tui miſeratione reſpiret. His grato vultu Virgo Deipara: Placet (inquit) fili, quod petis: Iamq; Vrbis liberatio meo ſuffragio tibi conceſſa eſt. Verumtamen Generalem Archiepiſcopi Vicarium admone, vt publicam ſupplicationem inſtituat, omneſq; mecum in hac Capucinorum Eccleſiâ, quæ mihi dicata eſt, ſuffragium implorent. Hoc enim pacto Rhegina vrbs à lue prorſus libera erit. Sacrâ igitur Deiparâ poſt hoc dicta ad ſuperos volante, cùm Antoninus, ob ſummam animi humilitatem, quâ Diuinæ miſericordiæ opus ſuis meritis adſcribi metuebat, indies Beatiſſimæ Virginis mandatum vrbis Vicario renunciare differret; gemini poſt aliquot dies, Angeli ſub Capucinorum habitu, è Cœlo ad Alphonſum vrbis Gubernatorem mittuntur, qui his illum verbis affantur: Alphonſe,

Metro-

Metropolitanæ Eccleſiæ Vicario Generali ſignificat, vt pro vrbis liberatione generalem ſupplicationem inſtituat;atque in Eccleſiâ Capucinorum S.Mariæ de Conſolatione,Beatiſs.Virginis opem imploret:inde enim fiet, vt Virginis patrocinio vrbs à peſtilentiæ morbo liberetur. Porrò Gubernator, eo accepto nuntio, nullâ interpoſitâ morâ cum Vicario Generali agit,Proceſſioq; ad S.Mariæ de Conſolatione Ædes ordinatur.Interea vrbis Rectores,quò rem diligentius explorarent,ad Conuentum conuolarit;atq; à Guardiano,quo pacto res ſeſe habeat, addiſcere quærunt.Guardianus rem penitus ſe ignorare ait; neque vllos ſe ad Gubernatorem Fratres deſtinâſſe affirmat: quin etiam neminem ex ſuis Fratribus à ſexto ab hinc menſe vrbem ingreſſum aſſeuerat. Rei itaque veritate fluctuante, Guardianus, cùm rem non ſine Dei conſilio agi ſecum perpenderet; dum pleraque in mente volutat, dubium illi ſuboriri cœpit; num Antonio, cuius ſanctimoniam probè agnitam habebat, diuina huius rei reuelatio facta eſſet: quem protinùs ad ſe aduocatum obedientiæ præcepto obſtrinxit; vt ſi quid circa vrbis liberationem diuinitus reuelatum accepiſſet, candidè declararet. Antonius Superioris præcepto audito, cùm terga vertere non valeret, ſimplici ſermone, quid cum Deiparâ Virgine illi acciderit, perſpicuè narrat: nihil tamen ab eo cuiquam narratum, aut verbo tenus declaratum fuiſſe affirmans. Silentij quoque cauſam eam eſſe aperit, ne Diuina illi reuelatio aſſcriberetur. Quod cùm Proceribus ſignificatum eſſet; inde omnibus exploratum fuit, eos, qui vrbis Præfectum inſtituendæ ſupplicationis admonuère, non homines, aut Capucinos Fratres; ſed cœleſtes nuncios extitiſſe, à Deiparâ miſſos; qui quod Vir Dei ob mentis humilitatem indicare extimuerat, ſub Capucinorum habitu ſignificarent, & vrbis liberationem à Capucino viro profectam oſtenderent. Hac igitur Supplicatione inſtitutâ, ac Beatiſſimæ Virginis ope ab omnibus imploratâ, Rhegina vrbs à ſæuâ illâ peſtilentiâ protinus libera fuit. Innumeras quoque Antoninus morborum curationes, ſolo Crucis ſignaculo adhibito diuinitùs præſtabat. Andreæ Ciuis Rhegini paralyticum filium diu morbo oppreſſum, ſigno Crucis benedicens, hæc quoque verba proferens: Chriſtus natus eſt:Chriſtus mortuus eſt: Chriſtus reſurrexit (quibus ille ſemper vti conſueuerat trinum Crucis ſignum, ac benedictionem adhibens) puerum patri reddit, his illum verbis compellans: Sine, Andreâ, vt puer per ſe ambulet. Puer verò, qui hactenùs nec membra mouere, neque ambulare poterat, vix à patre

dimiſſus,

dimiſſus, liberè progredi cœpit, atque eâdem horâ integræ incolumitati redditus fuit. Cuiuſdam Nobilis Rhegini filium, ad Medicorum deſperationem ægrotantem, ferè hoc eodem tempore, Cruce conſignatum incolumem parenti reſtituit. In Oppido Tricenſi, Nobilis quædam mulier, Andreola nomine, grauiſſimo vberis morbo laborabat, deſperatâ tandem plagâ. Antoninus conſuetâ ſuâ precatione vſus, vber Crucis ſigno oppetit; moxq; illud perfectè curat. Altera quoque Nobilis fœmina in Rheginâ vrbe grauiſſimè ad certum mortis periculum languebat. Hanc vbi Dei ſeruus ſuauiter affatus eſt, tandem ſigno Crucis, atque optatâ benedictione donat, quæ diuinâ operante virtute, breui ab ægritudine conualeſcit. Fr. Franciſcus Hieracenſis Capucinus Laicus, acutâ febri Hieracij correptus, magno in vitæ diſcrimine verſabatur: At vbi Antoninus illius frontem Crucis ſignaculo obſignans, hæc illum verba proferre iuſſiſſet: Iesv Nazarene, Rex Iudæorum, miſerere mei. Poſt hæc ait: Bono animo eſto: Iam vlteriùs non progredietur febris. Moxq; à febre dimiſſus, breui incolumis euaſit. Nobilis quidam Rheginus in Ordinem beneuolus, innumeris penè vulneribus ſaucius euadens, Medici de illius ſalute ſpem omnem abijciebant; cùm Vir Dei vbi multis eum verbis ad inimicorum dilectionem diſpoſuit, Crucis ſignum ægro admouet. Quò breui tempore, perfectam vulnerum curationem accepit. Petrus Iacobus Macrius, ſecuri graue ſibi vulnus infligens, neruum obtruncauerat: quo in vulnere curando, cùm multorum Medicorum, iam per annum fruſtrà peritiam expertus eſſet; Antoninus ægram illius manum apprehenſam, cùm ſigno Crucis proſecutus fuiſſet, ea poſtridie perfectæ incolumitati reddita fuit. Propertij Oliuæ Patrem graui febre laborantem (cui & grauiſſimus capitis languor accedens, ægrum miſerrimè torquebat) cùm Vir Dei, eâ, qua prædìtus erat, charitate infirmum complectens, viuifico redemptionis noſtræ ſigno communijſſet, mox Dei ille virtute ſanatur. Abbas quidam Braſſus agnomine, Petri Remeres, qui in Terræ nouæ Oppido nobiliſſimus, atque in Capucinos beneuolus, germanus frater, tam peſtiferè repentè aliquando morbo correptus fuerat; vt, antequam ſe ſacrâ Confeſſione expiare, ac cæteris Sacramentis frui poſſet, loquendi illi facultate ademptâ, eum ad funus feſtinatò raperet. Adeſt Antoninus, à quo familiares, & propinqui, vt preces ad Deum pro ægroti ſalute fundat, obnixè efflagitant. Quibus ille: Ego quidem (inquit) Deum rogabo, vt Abbas ſibi redditus, linguam, ac vocem recipiat,

quâ peccata ſua Confeſſione, eluere, ac cæteris Sacramentis communiri queat; is tamen breui res humanas deſeret. His dictis, cùm aliquamdiu Deum oráſſet, ſurgens ſigno Crucis ægrum in fronte conſignat; ac liberam illi vocem, & mentis iudicium reſtituit: qui ſacris Eccleſiæ Sacramentis communitus, ſuauiter in Domino obdormit. Cuiuſdam ex Tripodorum familiâ, Antonini propinquæ filius, febre, & anginâ æſtuans ad funera rapiebatur; cui Vir Dei baculo, quem in dextrâ geſtabat, Crucis ſignum in gutture formans, mox ab eo febrem, & anginam expellit, perfectamque illi incolumitatem reſtituit. Catharina ex eâdem familiâ, quæ Tertij Ordinis S. P. N. Franciſci habitum geſtabat, Tricini graui febre ægrotabat; quam vbi Vir ſanctus ter ſigno Crucis obſignauit, ſtatim febrem fugat, abſcedensq; valentem relinquit. Quamplurimos quoque hic Vir Dei, quartanâ febre diu laborantes, eodem ſigno Crucis, conſuetâ ſemper precatiunculâ additâ, perſanat. Inter quos enumeratur Fr. Matthæus à S. Martino, Capucinus Sacerdos, qui bis eodem ſigno ab eo curatus fuit: Fr. Hieronymus Dinamenſis, Concionator: alter Hieronymus Rheginus, Nouitius: Scipio Talionus Iuriſperitus, qui diu moleſtiſſimè eâ afflictati fuerant. Plerique etiam varijs alijs corporis languoribus, ab eo ſigno Crucis curantur. Nobilis quidam Rheginus è graui capitis morbo, à quo nullis vnquam remedijs leuari potuerat, ſolo Crucis ſigno à Viro Dei illi exhibito, liberatur. Ioannes Mantius Iuriſperitus, qui laterum dolore diu cruciatus fuerat, ſe ab Antonino ſigno Crucis benedici curat; cuius benedictione mox ſanitatem, dolore effugato conſequitur. Tot, præter enarratas alias, is morborum curationes ſigno Crucis contuliſſe legitur, vt diuulgatâ illius ſanctitatis famâ, cum primùm ad Rheginam vrbem accederet, quotquot morbo aliquo detinebantur, ad eum confluerent; quos ſigno Crucis adhibito, diuinâ virtute curabat. Adſunt alia quoque miracula promiſcuè ab eo, vel ſigno Crucis, vel oratione patrata; quæ cùm vera ac probata ſint, Deiq; Maieſtatem, in ſuo fideli ſeruo, haud leuiter commendent, ea reticere nefas omnino exiſtimauerim. Hieracenſis vrbs, præruptis quibuſdam locis, exiguis ſaltibus obſitis, obſeſſa eſt: in quibus cùm aliquando fortuitò ignis accenſus eſſet, is tam ingens mox incendium peperit, vt vaſtitatem vrbi minaretur. Quod vbi conſpexit Antoninus, mox cum ſocio Fr. Antonio Galatrenſi, in genua procumbens, Dominum pro vrbis periculo precatur: dumq; is orat, præter omnem ſpem miteſcit

incen-

incendium; at oratione peractâ, prorſus ignis extinguitur, vrbsq; à periculo liberatur. Fr. quidam Rheginæ familiæ, pullum gallinaceum grandiorem, quem horti herbas depaſcentem inuenerat, dum ſe lapide effugare putat, eundem occidit. Aderat facto præſens Antoninus, qui cùm fratrem ex pulli interitu, mœrore confectum cerneret, pullum ſtatim manibus apprehendens, cùm aperto ore in illud inſufflâſſet, viuus protinus ab eo pullus euolat. Fr. Angeli Araſienſis ſororis bombycum gregem inutilem, ac degenerem, ſuis Vir Dei manibus, albis moræ folijs ad eſum appoſitis, atque in Dei nomine benedictis, protinùs ad fructum prouocat. Eâdem quoque benedictione, cùm aliquando Mariani Sappæ, viri in Ordinem deuotiſſimi, bombycum agmen planè deſperatum proſecutus fuiſſet, ſerico vberrimum prꝯſtitit. Nihil denique tam naturæ arduum, ac impoſſibile videbatur, quod is diuinâ virtute fretus non efficeret. Quid enim rerum multiplicatione naturę impoſſibilius excogitari poteſt; quam tamen ſanctus hic Dei ſeruus, tam facilè Diuinâ virtute prꝯſtitit, vt pleraque huius rei, præter ſuperius enarrata, exempla referantur. Rhegini panem agricolis multiplicat, amplioraque, quàm quæ appoſita fuerant, fruſtula poſt refectionem ſuperſunt. Hoc modo copioſum alterum Nobilium virorum agmen Scipione Muſolino ductore, breuiſſimo pane, diuinâ virtute, ipſius oratione multiplicato, ad ſaturitatem paſcit. Eodem tempore lactis cremorem, dum in cortinâ ebullit, ſigno Crucis benedicens, Dominico Capuæ, omnibus miraculo obſtupefactis, multiplicat. Vinum ad ſacrum Miſſæ Sacrificium celebrandum, Ordinis beneuolo adeò in dolio multiplicat, vt per integri anni tempus Miſſarum celebrationi ſatisfecerit: dolium vino vacuum, in campeſtri quâdam Bargiorum familia domo, ita plenum reddit, vt non modò lagenam impleuerit, verum & toti domus familiæ vſque ad quartum menſem, quo vuæ ad vindemiam legebantur, ſuffecerit. Eodem quoque modo exhauſtum dolium, Oliuarum familiæ replet, dum ab eâ vinum poſtulat. Vir Dei trans flumen Taurocinum ſemel profectus, dum vinum à muliere poſcit; illaq; reſpondet, nihil in domo vini adeſſe, tametſi dolium vino ferè plenum eſſet, vinum in dolio auaritiâ areſcit. Iterum Antonino à muliere vinum petente, cùm libentiſſimè annueret, vinum in dolium reſtituitur. Prophetiæ quoque ſpiritu Vir Dei tàm copiosè diuinitus exornatus fuit, vt nec quicquam eorum, quæ vel futura, vel occulta eſſent, ipſum latere

videretur. Lademontis Scriuæ, Nobilis Rhegini vxor, liberis carebat, cui illam breui maſculum parituram prænunciat. In eadem Rheginâ vrbe, Mariæ Dominici Capuæ vxori, maſculum quamprimùm enixuram, eum tamen haud ſuperſtitem futurum; alios verò poſt hæc diu incolumes parituram. Franciſcæ Carbo, & Laurianæ Cambi, Nobilibus Rheginis, fœtum in vtero geſtantibus, vtramque maſculum abſque periculo in lucem edituram prænunciat. Quæ omnia res ipſa ſuo tempore comprobauit. Camillo Dianâ Iuriſperito in lecto ægrotante, indictâ illicitæ Veneris abſtinentiâ, dum is caſtitatis ſeruandæ optimum apud ſe conſilium inijſſet, cum eo incolumitatem adipiſcitur; eiusq; Camilli cubicularius, qui quartanâ febre laborabat, cubiculum ingreſſus, perinde ac ſi Viri Dei verbis febris expulſa eſſet, ab eo protinus abſceſſit. Catharinæ Tripodæ ſecretum mœrorem aperiens, quartam fœminam, quam in vtero geſtabat, parituram, ſponſumq; eam ſibi in Capucinarum gremio Chriſtum electuram præſignificat. Alteri quoque ex Tripodorum familiâ prolem, quam in vtero geſtabat, in Capucinorum album adſcribendum prædicit; Plurimaq; alia, ſpiritu prophetico prænunciat, quæ rerum euentus certa comprobauit. Politæ Potamiæ, Scipionis Muſolini vxori, filiæ chariſſimæ adhuc incolumis prematuram mortem ſignificat; alijsque quamplurimis incolumitates, mortem, infortunia, à periculis liberationem, & his ſimilia, diuino ſpiritu prædicit. Mariam Tertiariam, quæ in quâdam nepotum ſuorum, qui lue infecti erant, domo abſque diſcrimine conuerſabatur, Beatiſſimâ Virgine id ipſi in oratione iubente, duriùs increpat; ob id maximè, quod imprudenter ſe periculo exponeret; eamque ſolâ Beatiſſimæ Virginis ope à lue liberatam affirmat. Poſtremò, cùm Fr. Hieronymus Georgienſis, & Iacobus Rheginus, qui peſte laborantibus in Rheginâ vrbe miniſtrabant, lue ſublati in cœlum conſcenderent; vterque Antonino apparet; ac poſterior ab eo benedictionem expoſcit. At verò id in hoc viro magis admiratione dignum fuit, quod eodem temporis momento, dum etiamnum inter mortales verſatur, diuinâ virtute varijs in locis, ſitu, ac locorum intercapedine diſſitis, conſpicitur. Iulia Maſſa, Georgio Teriæ, Nobili Rhegino nupſerat; quos Dæmon diabolicâ maleficorum arte ita faſcino alligauerat, vt ſummo ſe odio proſequerentur: cùm Vir Dei Iuliam aliquando domi conueniens, vbi eam nonnullis verbis ad coniugis amorem prouocauit, Crucis ſignaculo communit; quo cùm magicum opus diſſoluiſſet, ea mox ad Coniugis beneuolen-

tiam

tiam redijt. Poſtridie verò vix eluceſcente die, Vir Dei Georgio adhuc in lecto iacenti apparet, quem duris verbis correptum, Crucis ſigno benedicit; eoq; ſigno Vir repentè ex lupo agnus euadit; cùm tamen Antoninus eâ die è Monaſterio non exceſſiſſet; ſed eum præſentem Fratres ſemper in Conuentu habuiſſent. Auiculæ quoque ſylueſtres ab ipſo inuitatæ, multis ſpectantibus ab eo cibum velut domeſticæ accipiunt. Incredibile eſt, quàm varijs modis à Dæmone infeſtatus, quàm multa de eo deuicto tam patientiæ, quàm ardentium precum armis trophæa referat. At Satan tot ſerui Dei triumphis fremens, dùm aliquando in Eccleſiâ orat, ita ſe illi horribilem exhibet, vt Vir Dei eo aſpectu tam ingenti terrore correptus fuerit, vt membrorum tremorem perpetuum vitæ comitem habuerit. Dæmonis quoque artes; conſilia, inſidias, diuinitùs percipiebat, præueniebat, diſſipabat. At illud planè memoriâ dignum, quod in Rhegino Conuentu aliquandò viro Dei demonſtratum fuit. Ianuæ is cuſtodiæ inuigilabat, cùm nocte quadam intempeſtâ oſtij tintinnabulum pulſari audiens, ad ianuam properat; eâq; vix patefactâ, bis, ternos Dæmones, ſub Æthiopum nigerrimorum formâ adſtantes, intuetur: quorum cum aſpectu perterrefieret, qui inter eos dignior apparebat: Ne terreare (ait;) huc enim à præpontente Deo miſſi venimus, vt illius iuſſa perficiamus. Quapropter Guardianum admone, vt quamprimum Sacerdotem ſacrâ ſtolâ, & Calice munitum, huc deſtinet, Dei tantummodò imperata facturum. Nihil cunctatum: accedit Sacerdos ſacris indutus, calicemq; in manu geſtans, præcedunt Dæmones, Sacerdotemq; ad ſepulchrum quoddam, quod extra Eccleſiam in porticu effoſſum erat, perducentes, inde hominem, qui pridie in eo conditus fuerat, protinus extrahunt; osq; cadaueris aperientes, Sacerdotem, vt calicem ori ſupponat, ſeriùs admonent: quo ſubiecto, cùm ex his vnus, manu compreſſâ, defuncti occiput pugno oppetijſſet, mox ſacræ Euchariſtiæ particulâ, quam is indignè ante obitum ſumpſerat, ex illius ore delapſa, in calicem incidit. Dæmones verò cadauer illud ſacrâ ſepulturâ indignum, ſecum ſtatim aſportant. Iam verò fidelis hic Dei ſeruus, quatuor ſupra quinquaginta annos, in Minorum Capucinorum familiâ, maximâ cum virtutis, miraculorum, & ſanctimoniæ laude famulatus fuerat; cùm annum agens octogeſimum, Rhegij ſupremum ſibi diem imminere Deo reuelante intelligit; ſuiqúe obitus diem, antequam morbo aliquo grauaretur, nonnullis aperit. Poſt hæc, cùm in morbum incidiſſet, extremo cum Diabolo prælio

certaturus, ſtrenuus, ac veteranus Chriſti miles, neceſſarijs ſe Eccleſiæ Sacramentis armat; totoq; ad cœleſtem patriam ſpiritu anhelans, haud tamen beneficentiæ cuiuſdam Georgij Teriæ, Nobilis Rhegini, in morte obliuiſcitur: nam pridie, quam è viuis excederet, ſub veſperum illi in quadam campeſtri domo apparet; quem cùm proprio nomine appellâſſet: Georgi (inquit) iam abeundi prę́ſcriptum tempus à Superiore accepi; citò hinc mihi tranſmigrandum: quare pro acceptis beneficijs gratias acturus veni. Cui Georgius: Ne, Antonine mi, ne quæſo diſcedas. Ego ad Superiorem ſcribam, vt obedientiæ pręceptum in aliud tempus differat. At Antoninus: Nihil (inquit) literæ tuæ proderunt. Acta res eſt: parendum omninò. Craſtinâ hinc luce proficiſcar. Quem cùm Georgius adhuc impenſiùs rogaret, vt diem ſaltem differret: Neque id (ait) tibi polliceri queo: manè duntaxat me, ſi ad nos veneris, offendes. Hiſq; ſtatim dictis abſceſſit. Porrò manè illuceſcente, cùm Georgius ſe ad Monaſterium contuliſſet, Antoninum eâ nocte defunctum, atque in Eccleſiâ communi feretro iacentem reperit. Ex quo tunc primùm, eum non corpore, ſed ſpiritu ſibi pręſentem adfuiſſe; vel ſi corpore præſens fuit, id Diuinâ prorſus virtute præſtitiſſe agnoſcit. Die igitur octauâ S. P. N. Franciſci, pręclarus hic Dei ſeruus, humana linquens, Cœleſtium choris adiungitur. Statim verò poſt animam è corpore ſolutam, caro ipſius, quæ oliuarum priùs colorem referebat, tam candida, membraq; adeò mollia, ac tractabilia euaſêre; vt viuentis potiùs, quàm mortui ſpeciem oſtenderent; moxq; ex illius corpore ſuauis vbique odor effundi cœpit. Dùm verò iuſta defuncto in Eccleſiâ perſoluuntur; inter alios vir altero femore captus, equo ad Eccleſiam vectus (neque enim ſeipſo liberè progredi poterat) ſupra defuncti corpus ruens, illiusq; ſuffragium apud Deum implorans, illicò incolumis ſurgit, ac ſanis pedibus domum reuertitur. Cæterùm habitus illius particulæ à varijs præciſæ; baculus quoque, cui viuens innitebatur (ſicut fide dignis teſtibus probatum eſt) quamplurimos à morbis curant; aliaque poſt hæc ſigna diuinâ virtute patrantur. Denique ſexto poſt huius ſancti Viri obitum anno, cùm alteriùs Fratris defuncti corpus in idem ſepulchrum inferendum eſſet, Antonini caput integrum capillis, & barbâ pelli cohę́rentibus conſpicitur: quod in ſcrinio cum honore conditum pleriſque ægrotis ſuo contactu incolumitatem contulit. Inter hos fuit adoleſcens quidam, Franciſcus nomine, Catharinæ Muſilię Rheginæ filius, cui ob grauem caſum manus

dextera

dextera ita contracta fuerat, vt in eâ tuber quoddam prominens, ac durum ingeneratum eſſet; cui curando cùm vniuerſa penè remedia adhibita fuiſſent, ſolo huius capitis contactu extemplò ſanatus fuit, nullo morbi ne quidem veſtigio relicto. Hoc eodem tempore Catharina, huius adoleſcentis mater, quæ tam graui in mamillâ morbo laborabat, vt carcinomatis ſuſpicionem Medicorum animis ingereret; filij incolumitate perſpectâ, cùm eodem & ipſa mamillam capite contigiſſet, perfectâ quoque & ipſa ſanitate potita eſt. Poſtremò Anno 1609. cùm mulieri à Dæmone obſeſſæ à Sacerdote ſacræ obteſtationes adhiberentur, huius ſancti Viri capite obſeſſæ impoſito, ſpiritus mulierem exagitans, eo ſe magis prægrauari exclamat, quàm ſi terni ſuper eum mundi imponerentur. Obijt Vir Sanctus Anno 1586.

Cathaloniæ Prouincia Fr. IVNIPERVM à SAMBOY, Laicum, hominem magnum virtute, ac perfectum Regulæ obſeruatorem commendat: quem vitæ auſteritas, humilitas, patientia, paupertatis zelus, ac omnium virtutum ſtudia præ cæteris commendabilem reddidêre. Obijt Anno 1586.

Mediolanenſis Prouinciæ monumenta Fr. VENTVRAM SONCINATEM, Laicum, plurimùm virtutum laude celebrant; qui cùm tabidâ febri diu laborâſſet, tot in eâ ægritudine virtutibus eluxit, vt pridie quàm ex humanis migraret, cœleſtem vocem ſe commonefacientem audierit, vt ſeipſum ad vitæ occaſum pararet. Quare animo pœnitentiâ expiato, ac Sacramentis omni cum pietate ſuſceptis, poſtridie animam Deo reddidit, Anno 1586.





BEATVS FELIX À CANTALITIO CAPVCINVS

LAICVS.

Sebastian Furck sculp

B. FELICIS A CANTALICIO LAICI

VITA, ET GESTA.

BEATVS FELIX, ab exiguo quodam Oppido, quod Cantalicium appellant, originem duxit. Futuram pueri huius ſanctitatem non obſcurè in ipſo ortu demonſtrauit, quod pater Sancti, mater quoque Sanctæ nomen, & appellationem nacti fuerint; à quâ nec eorum vita diſſentanea erat: inde puer, ex vtriuſque parentis nomine futuræ ſanctitatis auſpicium, ac præſagium, etiam ex multorum opinione, tulit, qui de puero ita olim prognoſticabantur: pater Sanctus vocatur, mater Sancta; quid? num & puer iſte Sanctus erit? Circa annum itaq; Domini 1513. antequam Lutherus Saxo hæreſin diſſeminaret; ne totum orbem ſuâ caligine inuolueret, atq; obnubilaret, tanquam nouum ſidus mundo datus fuit. Et quamuis obſcuro loco, obſcuro genere, obſcuriſq; parentibus natus; virtute tamen, quæ ipſum ad prouectam vſque ætatem ſemper ſecuta eſt, clariſſimus, ac nobiliſſimus fuit. Cùm primùm ad puerilitatem peruenit, ob domeſticam inopiam, paſcendis armentis in agrum deſtinatur. Tanta verò puero à natura erat indolis indita bonitas, vt qui Felicem nouerant; vniuerſi in eum, velut nouum orbis prodigium, oculos, animoſq; conuerterent: ita vt plerique talia in puero prælndia ſuſpicientes, haud ſecus, quàm Iudæi de Ioanne Baptiſtâ, ſecum quærerent: *Quis putas puer iſte erit?* Cœleſtem enim in animo pædagogum nactus, nihil vnquam leue, aut inane proferebat; à puerilibus, vt plurimùm, ludis abſtinebat; ludicra omnia refugiebat; turpia verò, atque obſcœna tantoperè exhorrebat, vt ne illa quidem audire poſſet; imò ſi in id fortè vitij, eo abſente, ſocij impingerent, cùm primùm Felicem accedentem animaduertebant, ab eo ſe protinus continentes, dicebant, (quod & de Bernardino dicitur) En Felix adeſt: en appropinquat Sanctus. Quanquam verò Felix paſcendis armentis occupatus, perrarò diuinis Myſterijs intereſſe valeret; paſcua tamen ipſa, ac deſerta, perinde ac ſi templorum limina eſſent, ſibi ad orationem deligens, in his defixis in cœlum ocellis, diuinum Numen deuotus precabatur. Frequentius verò Venerabili Crucis ſigno in arborum corticibus inſculpto, ante ipſum illachrymans procumbebat, ac Domini Salua-

toris vulnera, ac Paſſiones, quemadmodum à parentibus edoctus fuerat, omni cum pietate, ac gemitu ruminabat; ſeorſimq; à ſocijs inter nemora, aut rubeta ſecedens, vt Chriſti dolorum particeps fieret, flagello, quod ex funiculis compactum ſibi parauerat, nudatos humeros multiplici verbere flagellabat. Duodecimum tandem annum attingens, à Patre, nobilis cuiuſdam viri obſequijs mancipatur, qui eum robuſtiori ætate præditum aratri laboribus addicit; quo in exercitio, tam in omni virtutum genere profecit, vt cunctis humilitatis, patientiæ, modeſtiæ, mortificationis, honeſtatis, pietatis exempla præberet. Rarò, præterquàm de rebus neceſſarijs, ſiue ad ſalutem proficuis, cum vllo ſermones miſcens, mirum in modum ſolus eſſe affectabat. His quamdiu aratri curis implicitus fuit, nullam vnquam temporis partem inanem ſibi effluere paſſus eſt; ſed corporis laboribus incumbens, mentis aciem ad Deum conuertebat, animumq; ſacris meditationibus fatigabat. Dominicos dies, atq; alias Sanctorum ſolemnitates, quibus ille à labore vacabat, quò ſanctiùs ageret, in his ad Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum accedens, totum ſe in Diuinæ charitatis amplexum effundebat. Tantâ Vir hic, adhuc in agrorum culturâ occupatus, in Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium religione ferebatur; vt cùm ob quotidianos agri labores, pro feſtis diebus, ſacris huiuſmodi Myſterijs intereſſe non poſſet; ijs inter orandum tam defixa mentis acie intenderet, vt præſens diuinum illud Sacramentum venerari videretur. Quod quàm D.O.M. gratum fuerit, is inſueto planè miraculo ſemel, atq; iterum declarare voluit. Nam hoc ipſo tempore, quo agri culturę vacans, ruſticam rem pertractat, ſępè in Templo Sacris intereſſe viſus eſt. Iam Felix ad trigeſimum ætatis annum peruenerat; cùm aliquando Conſanguineum ſuum, Sanctorum Patrum vitas, & geſta legentem audiens, tam ingenti huiuſmodi vitæ rationem ſectandi ſtudio teneri cœpit, vt cùm Minorum Capucinorum Ordinem ad veterum Patrum ſtudia, ac virtutes imitandas apprimè elaboratum cerneret, eum ſibi deligendum deſtinauerit. At conſilium differens de die in diem, fortè dubitans, an idipſum à Deo proficiſceretur, Deus adhuc cunctantem hominem facti admonitione ad opus compellit: Dum enim ſemel iuuenculos iugo ſubdit, ac iungit aratro, ij ita ferocire cœperunt; vt eo magno impetu humi proſtrato atq; in faciem ſupino, aratrum cum vomere per ipſius ventrem, pectus, ac vultum violenter raptauerint: ita vt medium findere, ac diſſecare debuerint. At Clementiſſimus Deus, illius veſtes, ac femoralia tantùm vomere præſcindi, corpus verò abſque vulnere

incolume ſeruari voluit; vt hac Dei voce admonitus, vocanti gnauiter ſibi obtemperandum intelligeret. Felix ergò in has voces erumpens: Audio, Domine, audio, quid loquaris; iam celerius pareo. Domum reuertitur; cum hero de pactâ mercede rationes confert, pretiumq; egenis diſtribuendum curat. Romam dein ſe confert, Capucinorum Guardiano mentem aperit; à quo ſpiritus eius, an ex Deo eſſet, probatur; & tandem à Raphaële Prouinciali Vicario; in Laicorum Fratrum numerum cooptatur. Felix igitur Religionis habitu donatus, quamuis vt plurimùm cum ſæculari habitu apud nos omnia mutentur, non ſine Dei conſilio factum eſt, vt Felici nulla in ipſo Religionis ingreſſu nominis mutatio fieret; vt immutabile ſuum decretum eſſe indicaret, quo ad duplicem tum gratiæ, tum gloriæ illum felicitatem vocabat. Quamobrem ſimul atque Felix Religionis palæſtram ingreſſus fuit, tam ingenti ſpiritus æſtu in probationis arenam deſcendit, tamq; feliciter in eâ aduerſus vniuerſa animi vitia pro virtutibus dimicauit, vt ab ipſo Religionis tyrocinio, plenam eorum victoriam iam ſe adeptum eſſe indicaret. Satan verò infenſiſſimus virtutum omnium hoſtis, varijs, ac grauibus eum tentationibus adoritur. At contra has diaboli infeſtationes fortis, tametſi nouus athleta, haud alio armorum genere, quàm oratione, & humilitate ſibi pugnandum ſtatuit. Hiſce igitur telis, cum nouellus miles tentantem hoſtem deuiciſſet, alterâ mox grauiori à Deo tentatione probatur: corpus enim moleſtâ quadam, ac diuturnâ quartanæ febris ægritudine fatigat. Hic porrò Dei in Felicem prouidentia eluxit. Cùm enim Fratrum familia ſæpe in Capitulo eo conſilio, ac deliberatione congregata fuiſſet, vt Felix ob morboſum corporis ſtatum, Religionis habitu exutus ad ſuos remitteretur; nunquam tamen fieri potuit, vt, qui tot virtutes, ac Dei dona in eo ſuſpiciebant, in eam, aut omnes, aut maior familiæ pars deliberationem coirent. Felix igitur cùm probationis annum per omnia tentatus, & probatus abſoluiſſet, in Religionis gremio confirmatur; nouumq; vitæ tyrocinium exorſus, ipſius conuerſatio ad cœleſtem propiùs, quàm ad humanam accedebat; totque præclaris à Deo donis accumulatus cernebatur, vt qui vix ad Religionis diſcipulatum acceſſerat, iam Regularis diſciplinæ cæteris Magiſter eſſe poſſet. Quatuor igitur, poſt Religionis ingreſſum, annis præclarâ virtutum luce tranſactis, Romam euocatur; vt quotidianæ ſtipis mendicandæ, in vrbe orbis Theatro, munus exerceat.

Huiuſmodi Exactoris officio tunc in Romano Conuentu fungebatur Fr. Angelus à Colle diſcipuli, Vir planè angelicus: cui cùm Felix ſocius adiunctus eſſet, eo non multo poſt tempore morte ſublato, Felix in ipſius locum ſufficitur. Haud ſanè verbis facile explicari poteſt, quantâ is humilitate, & quanto charitatis æſtu, quamq; admirabili prudentiâ, ac ſollicitudine, miniſterio ſuo incumberet: in quo 40. annorum ſpatio verſatus, incredibili Romanam Vrbem, ac Fratrum familiam virtutum odore reſperſit. Quanquam enim Felix, ex ſui muneris inſtituto, quotidie inter homines Marthæ ſollicitudinem gereret: haud tamen Conuentus ſolitudinem, ac Mariæ otium vnquam negligere viſus eſt. Denique Vir adeò obediens erat, vt ad omnem Superioris ſui voluntatem, perinde ac ſi iumentum eſſet, facilem ac vertibilem ſe præberet. Nec mirum: is enim, quo die ad Religionem acceſſit, id ſibi fixè in animo perſuaſum habuit, ſe Religioni non fratrem, ſed aſellum, Fratrum vſibus deſtinatum, à Deo datum fuiſſe. Cùm primùm Felix ſtipis in vrbe agendæ munus curandum ſuſcepit, à ſandalijs abſtinens, diuturno annorum ſpatio, ad extremam vſque ſenectam, nudis ſemper pedibus inceſſit. Seraphicæ Regulæ paupertatem, hæreditate ſibi à B. P. Franciſco relictam, tam ardenti ſtudio amplexus eſt; vt id ſibi altè in animo ſtatuerit, præter Chriſtum nudum, ac Crucifixum nihil omninò ſibi habendum. Habitus illi ex leuidenſâ, ac rudi panno, quo triremium captiui indui ſolent, breuis, arctus, quem varijs panni præſegminibus reſarciebat, perpetuus fuit. Lineo ad ſudorem abſtergendum, cùm pane onuſtus è mendicatione rediret, nunquam eſt vſus; ſed panni fruſtulo, vt plurimùm rudiori, quo habitum reſarcire ſolebat, ſudorem abſtergebat. Nihil magis Vir paupertatis amicus, quàm pecunias exhorrere viſus eſt. Stipem aliquando is de more in vrbe mendicabat; quo tempore adoleſcens quidam clàm à tergo illum accedens, argenteum nummum, in eius manticam, quam pane refertam gerebat, tam occultè immittit; vt neque is adoleſcentem, neque argentei nummi ſonum, percipere potuerit. At vix argenteus ille nummus in manticam decidit, cùm Felix ſtatim exclamat: IESVS, IESVS, IESVS, coluber procul dubio in manticâ eſt. Proh quale pondus! quare manticâ pane exhauſtâ, argenteum Iulium inde excutit, atque inter publicæ viæ quiſquilias proijcit. Caſtitatis theſaurum in vaſe fictili, tam integrum, & illibatum ad extremum vſque ſpiritum ſeruauit; vt communi cœlibatu non contentus, virginitatem Angelis cognatam, ac Deo ſimillimam (quam ſibi ad Religionem

ducem, & comitem adhibuerat) candidam, & immaculatam in eâ perpetuò cuſtodierit; ita, vt etiam volucres in nitidiſſimæ puritatis teſtimonium, cum eo familiariter colluderent, frequenter in horto ſedentem circumvolarent;aliæ capiti, aliæ humeris, aliæ brachijs, aliæ tandem gremio inſiderent. Cùm aliquando Vir Dei in Mariæ Tidellinæ domo fruſtulum panis manibus ſumpſiſſet, atque in micas comminuiſſet, protinus ad eum auiculæ vndique circumvolantes, ex ipſius digitis panis micas roſtello perſtringunt. Abſtinentiâ inſignis, tribus cuiuslibet hebdomadę diebus, præter panem, & aquam, nihil cibi ſibi indulgebat. Neque tamen hac abſtinentiæ lege contentus, vniuerſa S.P.N. Franciſci quadrageſimalia ieiunia, quæ quinque enumerantur, velut legitimum ſempiternum, quoad vixit, perenni cultu obſeruauit. Poſtremos verò tres Maioris Hebdomadæ dies, ab omni cibo ſe continens, nihil in his penitus guſtabat. Quinimò communem cibum vt plurimum ſibi ſubtrahebat, cinerem pulmento immiſcebat;cumq; ſemel buccellam petaſonis, ſocio roganti, magis quàm voluptati indulgens, comediſſet, plurimis eam ſenſus voluptatem pœnitentiæ lachrymis proſecutus eſt, & corpus ad quartum vſque diem, quotidianâ, ac neceſſariâ eſcâ priuauit. Cùm autem à ſandalijs abſtineret, hyberno tempore (nunquam enim adduci potuit, vt pedes lauaret) tam graues, atque amplas, ipſius tali rimas agebant, vt non rimæ, ſed vulnera viderentur, viuumq; ſanguinem effunderent. Qualem autem ijs medicinam adhiberet, ſi poſtulas, haud aliam ſanè accipias, quàm quod ſubulâ, ac funiculo rimarum labra conſuta, ſeuo igne eliquato, perfundebat: ita vt acriorem rimarum dolori, dolorem accumularet. Nudas ſibi ad dormiendum tabulas ſternebat; nunquam ſe totum ſomno dabat, aut corpore extenſus, in vtramque aurem obdormiebat: ſed cùm neceſſarius illum ſomnus inuadebat, in ſtrato genuflexus manui, vel ligno incumbere ſolitus erat. Somni tam breuis fuit, vt gemina duntaxat hora illi ad ſomnum ſatis eſſet; quamuis graui illo panis onere quotidie, etiam ſenio confectus, corpus defatigaret. Ter cùm intra vnius diei, ac noctis ſpatium, corpus flagris aſperrimè cæderet, nocturnam flagellationem, toto corpore denudatus, tam ſeuerè exercebat; vt à plantâ pedis vſque ad capitis verticem, duriſſimis ſeipſum loris perſtringeret. Præter hæc ferreâ loricâ, ſingulis præſertim Dominicis diebus, quibus ſeptem Vrbis Eccleſias perluſtrabat, corpus edomabat, in ſummo quoque ipſo hyemis rigore, vix vnquam propiùs ad ignem accedere viſus eſt. Tanta verò pro-

priæ abiectionis, ac deſpicientiæ cupiditate ducebatur, vt Chriſti Domini opprobria perpetuo mentis intuitu ſecum perpendens, haud aliunde quàm ex probris, ignominijs, contumelijs ſibi gloriam quærendam putaret: Et quamuis eam Euangelicæ virtutis metam attigiſſet, vt virtutum omnium iam faſtigium conſcendiſſe videretur; omni non modò ſe virtute deſtitutum; verùm & ſceleſtiſſimum omnium peccatorem, ipſo quoque Religioſi hominis nomine, & habitu indignum exiſtimans, talis ab omnibus haberi peroptabat. His accedebat inuicta quædam animi patientia, quæ illum inter animi, & corporis moleſtias, ac dolores tam immobilem præſtabat; vt cùm Cœliaco morbo acerbiſſimè cruciaretur, neque ſemel, Medici conſilio, nomen IESV ad effugandum dolorem pronunciare vellet, mordacem correptionem non ſolùm tranquillo animo ferebat; verùm & pro eâ immortales gratias agebat. A Nobilis cuiuſdam equo ferociente, ferratâ pedis vngulâ Felicis pede immaniter proculcato, eoq; ad caſum impulſo, lagenâq; eo caſu perfractâ, vinoq; effuſo, inſuper & ſuperbo riſu Felice excepto; neque inopinatus caſus, & inflicti vulneris, doloris, ſanguinis effluentis, & equitis imprudentiæ, ac ſuperbiæ circumſtantiæ compoſitum Felicis animum conturbare potuerunt; quinimò ab eo, quod imprudens viam illi impediuiſſet, ſupplex veniam poſtulauit. Patiendi denique pro Chriſto tantâ cupiditate flagrabat, vt nulla pro illo tormenta, ac ſupplicia ferre perhorreſceret. In fraternæ quoque charitatis munere tanto ſpiritus æſtu, tam erga incolumes, quàm ægrotos, quadraginta annorum ſpatio functus eſt; vt nullis omninò, aut corporis incommodis, aut vitæ vnquam laboribus pepercerit. Maximo aliquando ægrotantium numero in vrbe excreſcente, non ſolùm pro Romanâ familiâ; verùm & pro vrbis pauperibus, atque ægrotis, quorum familias ſingillatim perſpectas habebat, eleemoſynas colligendi vnus in ſe mirâ charitate aſſumebat, & maiori diligentiâ eorum neceſſitatibus ſubueniebat. Hoſpitales vrbis domos viſitabat. Ægrotis omni ſtudio miniſtrabat; ſchapia, ac matulas emundabat; ad morbi tolerantiam, ad ſacramenta, ſimplici, ac inerudito ſermone, ſed cui à Deo vis indita erat, mirabili cum fructu hortabatur. In Lateraterananenſis Baſilicæ Xenodochio, ad ægroti cuiuſdam lectum aliquando diuertens, miniſtros interrogat; num vinum ægroto illi ad potum propinetur. Cui cùm illi à Medico interdictum eſſe reſponderent, mox is vini paululum ſibi in cyatho adferri iubet, illudq; ægroto propinat: qui cùm vinum guſtâſſet, protinùs, præter

omnium ſpem, conualeſcere cœpit, breuiq; incolumitatem adipiſcitur. Rurſus, dum in S. Spiritus Xenodochio, ægroto ad mortem languenti, funera pararentur, vini nonnihil in moribundi os deſtillat: tum miniſtris: Huius (ait) curam agite, quia citò conualeſcet. Atq; inde protinùs abſcedit. Vix pedem Felix è Xenodochio extulerat, cùm ægrotus ad ſenſus rediens, tam velociter à morbo conualeſcit, vt perfectæ incolumitati redditus, poſtridie è Xenodochio euolauerit. Vinum illi etiam aliquando in infirmi ſubſidium Angeli miniſterio ſuppeditatur. Mulieris verò vinum, Felici pro ægrotis denegantis, in dolio areſcit. Nannium, virgineæ Illuſtris Romanæ vrbis Matronæ, & pietate illuſtrioris Oeconomum, febricitantem, vt ægrotis ſecum miniſtret, repentè ſanat; ita vt febris operoſæ charitati locum cedens, ac Deo imperante abſcedens, hominem ad pietatis opera liberum reliquerit. Cùm autem ad animi morbos curandos non minori charitate ſe totum impenderet; hinc fiebat, vt nullius, tametſi potentis vultum erubeſcens, conſtantiâ mirabili defectus argueret. Iulium Antonium Sanctorium, S. R. E. Cardinalem S. Seuerinæ nuncupatum, Ordinis Protectorem, intrepidus aliquando adit; atque eò, quod nullo cum Generali Miniſtro communicato conſilio, Commiſſarios inſtitueret, Comitia ſuſpenderet, Electiones irritaret, & quæ ad rectam Prouinciarum adminiſtrationem conſtituta erant, ſuâ authoritate euerteret; ita, vt vnde Religioni tranquillitas enaſci deberet, grauis perturbatio oriretur, liberè increpat. Superiores quoque, ac cæteros omni modeſtiâ, cùm occaſio ſeſe offerebat, breui ſermone, ſed multo ſale aſperſo, reprehendebat. Profana vrbis Bacchanalia, quæ in Diuini nominis honorem redundant, exturbare volens, conſilio cum Philippo Nerio, viro Dei familiariſſimo, qui tùm Romæ Oratorij Congregationem inſtituerat, communicato, pium opus ipſo annuente, hoc ordine auſpicatur. Præcedebat Oratorij Sacerdos, ſacco amictus, grandiorem Crucem Crucifixi imagine ornatam, vtrâq; manu gerens; quem duo alij eiuſdem Oratorij Sacerdotes, geminas faces accenſas geſtantes, ſequebantur. Tertius procedebat Felix, craſſiorem funem manibus attrahens, quâ Alphonſum Hiſpanum, Lupum agnomine, Virum hac tempeſtate egregium, virtutumque, ac Euangelicæ prædicationis laude celeberrimum, alligatum raptabat. Poſt hos duo alij gradiebantur mortuorum cranijs, & tibijs onuſti. Cùm primùm ergò horrendum huiuſmodi ſpectaculum, inter profanos ludos apparuit; Alphonſo contra profana Bacchanalia, ritumq;

Genti-

gentilitium magnis vocibus prædicante, ita perterrefieri cœpêre, vt paulatim Romanus populus, qui tunc ibi frequentiſſimus erat, loco, ac ſpectaculis cedere viſus fuerit. Veruntamen in hoc Sancto Viro res maximâ admiratione digna erat; quod cùm liberis increpationibus, rudi illo, ac ſimplici ſtylo conflatis, peccantes argueret; nemo tamen vnquam ab eo animo exulceratus abſceſſit, aut increpationem grauiter accepit. Singularis illi cum S. Philippo Nerio conſuetudo erat; eiusq; adeò ſermone delectabatur, vt crebra cum eo de rebus diuinis colloquia iniret; cuius propterea ita ſanctimoniam ſuſpiciebat, ac venerabatur; vt quocunque eum loco offenderet, ſtatim in genua procidens, ab eo benedictionem ſummâ humilitate poſtularet. At neque minor erat S. Philippo animi humilitas; qui cùm Beatum Virum ſuis genibus prouolutum non ſuſtineret, & ipſe in genua procumbens, ab eo ſe potiùs benedici efflagitabat. Quo fiebat, vt diu plerumque genuflexi inter ſe de benedictione excipiendâ contenderent; qui tandem in mutuos amplexus irruentes, humilitatis controuerſiam dirimebant. Cùm etiam ſe aliquando mutuò obuiam haberent, admirabili planè ſalutationis genere interdum excipiebant: horum enim alter alteri ſuſpendium pro Chriſto, alter viciſſim capitis obtruncationem deprecabatur. Hæc illi diuinâ charitate ebrij, pro quo acerbiſſima quæque mortis genera ſubire voluiſſent, ſibi inuicem expetere videbantur. Nonnunquam etiam nouo, ac inexpectato mortificationis genere ad mundi contemptum, ac propriæ gloriæ deſpectum ſeipſos prouocabant. B. Felix enim S. Philippum in Campſorum viâ ſitibundum offendens, porrecto lagenæ ore, ſitim expellere ſuadet: Philippus verò Felici galerum capiti imponens, per mediam plateam gradiri perſuadet; & hoc modo, cùm glorioſè vterque de ſæculi gloriâ triumphâſſet, eo perfectos ſe mundi contemptores, Deiq; ſeruos declarârunt. Quantâ autem B. Vir in Deum charitate æſtuaret, non obſcurè innotuit; tantâ enim in nominis IESV prolatione, voluptate afficiebatur, vt illud abſque lachrymis effari non poſſet. Apoſtolica illa verba, vel potius, teſte Bonauenturâ, quibus Beatiſſima Virgo eam ſalutantibus ſalutem reddere conſueuerat, Deo gratias (inquam) cum tantâ diuinitùs dulcedine pronunciabat; vt plerumque, dum celebrantibus miniſtrabat, illa præ lachrymarum copiâ proferre non poſſet. Orationis aſſiduitatem Beatus hic Vir iam ab ipſo aſſumptæ Religionis exordio ita ſibi amplectendam propoſuerat, vt vbique domi, foriſve, ſiue ſtipem peteret, ſiue negotia pertractaret, ſedens, ambu-

lans, cum alijs colloquens, ſiue aliud quodcunque agens, collectum ſemper in Deum animum gereret, Deumq; in cunctis creaturis præſentem intueretur. Quo fiebat, vt eos plerumque, quibuſcum verſabatur, non agnoſceret, tametſi illi familiares eſſent: mens enim Deo intenta, minus, quæ oculis cerneret, animaduertebat. Dominicæ Paſſionis meditationem tantâ lachrymarum copiâ proſequebatur, perinde, ac ſi præſentem Dominum patientem cerneret. Pius quoq; admodum in Virginem Deiparam fuit, quam tantâ veneratione proſequebatur, vt ſæpè dicere ſoleret, ſe ſex tantùm litteras didiciſſe, quarum quinque rubiæ eſſent, quibus quinq; vulnerum Domini meditationem ſexta verò alba, quâ Beatiſſimæ Virginis cultum, ac venerationem indicabat. In oratione verò, animi fornax diuinâ charitate ſuccenſa, tam ardentes amoris flammas eructabat; vt cùm eas debilis caro ferre non poſſet, vehementiori motu, animo in Deum rapto, plerumq; illa inſenſibilis fieret: ſæpè etiam ſpiritus æmula, quaſi animum vehementius in Deum tendentem ſecutura eſſet, ſeſe poſt illum è terrâ altiùs attolleret. Fr. Franciſcus Piſtorienſis, Beati Viri exceſſus exploraturus, ſemel in ſuggeſtu ſeſe abdiderat; cùm Felicem in medio Eccleſiæ ſtantem, manus in Cœlum tendentem, ac Deo benefactores impenſiùs commendantem conſpicit; tùm in fletus prorumpere, ac ploratus acerbiſſimos edere; deinde trium horarum ſpatio immobilem atq; prorſus inſenſibilem cernit. Neq; id ſemel tantùm contigit. Cùm enim noctu aliquando in Eccleſiâ oraret, tanto mentis ardore nomen IESV altiùs, ac frequentiùs perſonare cœpit; vt ex Fratribus alter, qui in ſecreto quodam Eccleſiæ loco ipſius orationis modum obſeruabat, perterritus totus contremiſceret. Inde velociùs ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare properans, tàm celeri Diuini ſpiritus actione præuentus fuit, vt antequàm in genua procumbere valeret, ſtans mente excederet, atque è ſolo vſque ad cancellos totum corpus efferret. Nonnunquam verò oculis in Cœlum ſublatis, in hæc verba prorumpens: O Domine! ô Domine! voces quaſdam inarticulatas, internæ voluptatis indices exprimens, tanquam diuinâ charitate ebrius exclamabat. Alias quoque cum B. P. Franciſco colloquens, extenſis ad amplexum brachijs, perinde, ac ſi illum amplexari vellet, his verbis compellare auditus fuit: O Pater, ô Pater Franciſce! memento pauperculi tui Felicis: Ne, quæſo, is tibi è memoriâ, ac patrocinio excidat. Rurſùs aliquando in Eccleſiâ orans, dum neminem ſe ſpectantem arbitratur, tam vehementi Dei ſpiritu rapitur; vt duorum

circiter cubitorum altitudine in ſublime efferri viſus fuerit. Adhæc ſæpè etiam cum Beatiſſimâ Virg. ſæpius cum B. P. N. Franciſco, in ipſius vitæ proceſſu colloqutus aſſeritur. At multò ſunt illuſtriora gemina huius rei exempla, quæ, duobus Fratribus ſpectantibus, eo tamen ignorante, acciderunt. Etenim cùm nocte quâdam per ſeſquihoram in extremo Eccleſiæ angulo oráſſet, mox inde velocius aſſurgens, velut qui cœleſti quâdam amoris flammâ arderet, viam ad Sacrum Euchariſtiæ Altare carpit, hæc tantùm ore verba ſæpiùs repetens: O IESV mi, ô dulcis amor meus! Hoc charitatis ardore, cùm ad Altare perueniſſet, en dulcem IESVM, luce vndique perfuſum, ac puerilem formam, & aſpectum præ ſe ferentem, in ipſo Altaris ſuppedaneo, ſtantem intuetur: quem vbi humi toto corpore proſtratus, ſummâ animi humilitate adoráſſet; mox in ipſius amplexum ruens, tot illum cœpit amoris, nedum corporis brachijs perſtringere, tot oſculis excipere, tot lachrymarum vndis, ex intimo charitatis fonte hauſtis aſpergere; vt in hoc Cœleſtis voluptatis torrente penè demerſus, nullam ſibi, prçterquàm in ſui dulcis IESV amplexu, vitam ſibi reliquam eſſe putaret. Alterum porrò illuſtriſſimum huius rei exemplum ita in proceſſu narratur. Nocte quâdam circa Domini Natale, Fr. Alphonſo Lupo, è ſecretiori quodam Eccleſiæ loco ſpectante, cùm Vir Dei maximum illud charitatis Sacramentum, quo Verbum caro fieri voluit, orans ſecum altâ mente perpenderet; mox tanto in huius Myſterij contemplatione, cœleſtis Diuiniq; amoris æſtu efferbuit, vt prç illius vehementiâ, curſum extemplò ad Sacrum Euchariſtiç Altare rapuerit: vbi ardentiſſimo ſpiritus incendio correptus, Sacram Deiparam tot lachrymis obteſtari cœpit; quo vel tantillo temporis ſpatio, dulcem ſibi IESVM ſuum complexandum præberet; vt ſtatim voti compos, Beatiſſimam Virginem è Cœlo deſcendentem, ac ſuauiſſimum Filium ſibi læto vultu offerentem conſpexerit. Verùm Dei, ac Virginis Filio reuerenter in vlnas accepto quantis illum Beatus Vir complexibus acciperet, quàm ſuauiter ſibi pectori adſtringeret, quot prætereà oſculis peteret, quot amoris lachrymis conſpergeret, haud facilè enarrari poteſt; præſertim, cùm ſuauiſſimus Puer, vt maiores illius animo delicias ſubminiſtraret, grato oculorum aſpectu, varijſq; puerilibus (vt apparebat) blanditijs, quibus illum magis allicere videbatur, mutua illi amoris argumanta exhiberet. Inter has cœleſtes delicias Felix, ac Beatus Vir, cùm haud paruum temporis ſpatium conſumpſiſſet, diuinum tandem Puerulum Virgini Matri ſummâ animi veneratione reddens,

Cœleſtia ſurſùm petentem tantâ mentis voluptate proſequitur, vt vniuerſa illi deinceps, præ IESV ſui ſuauitate viléſcerent. Quam plurimis alijs, tùm diuinis viſionibus, tùm mentis exceſſibus, hic Dei ſeruus cohoneſtatus fuit. Ad ſacram Agni menſam quotidie poſt mentem Pœnitentiæ Sacramento diligentiſſimè expiatam, quò puriùs Dominum caperet, accedebat. Hoc porrò tempore tot illi ex oculis ſcatepant lachrymæ, totq; ex ore ſingultus erumpebant, vt ſæpenumerò conſuetam noxarum confeſſionem, quæ Sacram Communionem præcedere ſolet, ore proferre vix valeret. Hinc tanta illi erga Domini Sacerdotes, huius Sacramenti miniſtros, animo, reuerentia oriebatur, vt, ſi quando obuium ſibi in vrbe Sacerdotem haberet, qui eius colloquio frui vellet, priùs genibus ante eum flexis, ipſius manus deoſcularetur, tum ipſum loquentem audiret. Eorum verò, quæ feliciſſimus hic Dei amicus prophetico ſpiritu futura prædixit, cùm tam ingens copia ſit, vt ex ijs integra volumina confici queant; nonnulla hic duntaxat enarrare libet, cæteris vel ſilentio præteritis, vel obiter indicatis. Felici Peretto, S.R.E. Cardinali, de Montealto nuncupato, qui deinde Summus Pontifex fuit, Sixtus V. appellatus, (vt rem à grauiſſimo Viro exordiar) nec non Camillæ, Cardinalis ſorori, ad Petri Cathedram aſcenſum ſæpiùs prædixit. Cardinali Piſano, non Pontificatum, ſed mortem, & æternam ſalutem præſignificauit. Hortenſiæ Angeli Petronij, Patricij Romani filij, & patris obitum, maſculique, quam in vtero geſtabat, & partum, & exitum prænunciauit. Lauiniæ Carduciæ prægnanti, partusq; doloribus cruciatæ, & maſculam prolem, & illius occaſum prædicit. Deianiræ verò Boccabellæ, quæ ne quidem fœtum ſe in vtero geſtare ſuſpicabatur, non modò fœmineam prolem ex eâ procurandam prænunciat; verùm & Deo conſecrandam affirmat. Hoc modo pleriſq; mulieribus, quæ necdum ſe fœtum concepiſſe nouerant, futuram prolem annunciat: inter quas Flaminia Lectina, & Clarix Aragonia adnumerantur, quibus maſculæ prolis procreationem prædixit. Flaminiæ Bonſiæ vnici trium annorum filij obitum; nec non Iulio Ioannis Corſi filio, ſeptem annorum puero incolumi, poſt triduum vitæ occaſum nunciat. Georgio Cętarino grauiter ægrotante, cùm Cleria eius vxor, pro viri incolumitate, ipſius apud Deum preces efflagitaret; monuit, vt Deum potiùs pro æternâ oraret, animumque cum Dei voluntate componeret, quæ virum ad vitæ huius occaſum vocabat. Alexandri Poggij vxoris, primâ ipſius infirmitatis die, mortem Hieronymæ ipſius filiæ cùm nunciaſſet; illa

verò in fletum prorumpens, ipſius apud Deum pro matris incolumitate preces expoſceret, Felix in porticum ſecedens, nudis genibus humi defixis, & caputio ante oculos dimiſſo, per quatuor horarum ſpatium Deum pro muliere rogat; quo tempore ægrotans cum morte colluctabatur: quartâ tandem noctis horâ elapsâ, cùm eam Deo ſpiritum reddidiſſe agnoſceret, ab oratione ſurgens, feſtinus ad defunctæ lectum ſe contulit, ac lætus pro æternâ ſalute, quam ei Diuinâ reuelatione, eidem collatam acceperat, Deo gratias agere cœpit. Proſpero Franciſco, qui trium ferè annorum ſpatio apoplexiâ laborauerat, cùm illius humerum manu quaſi in amicitiæ ſignum contingeret, breui incolumem futurum pollicetur. At inde diſcedens Lucretiam ægrotantis vxorem ad aurem admonet, viro incolumitatem ad breue tempus dari, quæ maturiùs morbo intercipienda ſit. Vtrumq; verò illi ad amuſſim contigit: tanta enim ex illo viri Dei contactu vis in ægrotum profecta eſt, vt breui temporis ſpatio incolumis euaſerit. Cùm verò Proſper poſt hæc, menſem necdum integrum incolumis expleſſet, alio morbo correptus, iuxta viri Dei verbum, rebus humanis valedixit. Flaminia Gabriella ægrotans, cùm vehementiori mortis metu angeretur, ad eam Felix accedens: Flaminia (inquit) ne timeas: ex hac ægritudine conualeſces, atque eouſque incolumis viues, quoad Antonio nato vxorem, Lucretiæq; filiæ, virum copulaueris. Res porrò eum, quem is prædixerat, finem ſortita eſt. Camillæ Zephyræ, cuius ſalus à Medicis deſperata erat, falſum Phyſicos coniecturâſſe, ipſamq; ex ægritudine certò, ac breui incolumem euaſuram pollicetur. Huius Camillæ filius, adhuc puer, Siluius nomine, cùm lapſu quodam ſibi pedem grauiter offendiſſet, & diuturnâ Chirurgorum curatione conſumptus, alijsq; dein ſuperuenientibus morbis morbis depaſtus, eum Medici in vltimam hecticæ febris ſpeciem incidiſſe, ac proinde nulla illi phyſicæ facultatis medicamentà profutura iudicarent; illo tempore Vir Sanctus eum inuiſens, breui incolumitatem promittit. Marius ex illuſtri Matthæorum familiâ 15. annorum adoleſcens, ad eam Medicorum deſperationem ægrotabat, vt iam oleo ſancto inuncto, quæ ad funera neceſſaria erant, pararentur. Quo tempore Vir Sanctus ad eum accedens, cùm manu moribundi caput attrectâſſet, inde ſilentio abſcedens ſocio incolumitatem ægroti certificat. Mirabile dictu! adoleſcens, qui iam ad mortis fauces peruenerat, poſt ſancti Viri contactum, atque diſceſſum, mox oſcitare cœpit, & breui tempore integræ incolumitati redditus fuit. Veronicæ cuiuſ-

dam, filio 5. annorum (qui è feneſtrâ delapſus, & caput pauimento allidens, moribundus iacebat) ſanitatem, & Religionis ingreſſum vaticinatur. Petro Mangilio acutâ febre laboranti, vitam pollicetur, ſeq; priorem ſæculo valedicturum prænunciat. Porrò vtrumque rei euentus comprobauit. Pleraque quoque alia diuino ſpiritu illuſtratus Vir Sanctus prænoſcit. Fr. quoq; Honorio à Monte Regali, Romanæ Prouinciæ Miniſtro, haud obſcurè ad ordinis Procuratoris gradum promotionem inſinuat. Plurima hîc huius generis exempla recenſenda eſſent, quæ ex B. Viri proceſſu liquidò conſtant: quæ tamen libentiùs ſilentio præterire, quàm legentium animos eorum multitudine obruere volui. Sed & ad intimas quaſq; animi cogitationes, occultiſſimaq; rimanda, copioſiſſimum à Deo ſpiritum acceperat; occulta peccata penetrabat, odia aperiebat, animi afflictiones diuinitùs cognoſcebat, ſolabatur, ac opportuna conſilia miniſtrabat. Admirationem porrò auget, quod Marino Orti, Nobili Veronenſi aliquando contigit. Hic per duodeuiginti annorum ſpatium, inhoneſto cuiuſdam mulieris amore captus, Diaboli laqueis irretitus tenebatur: at cùm oblatrante conſcientiâ, ſemel die quâdam, ſpe omni euadendi propemodum ex animo abiectâ, ſolus, ac triſtis incederet; Beatus Vir illi ex aduerſo occurrens, manibus apprehenſum, fortiùs, perinde ac ſi illum à ſomno excitare vellet, cœpit concutere, ter his verbis exclamans: Da gloriam Deo: Da gloriam Deo: Da gloriam Deo. Marinus verò, cùm Felicem non cognoſceret, facto confuſus, erubeſcebat. At vir Dei poſt hæc abſcedens: Vade (inquit) & Dominus tecum ſit. Vix autem ab eo Felix digreſſus fuerat, cùm diuinam protinùs Marinus, in ſeipſo virtutem ſenſit, turpiſq; amoris vinculis diſſolutis; honeſtioris vitæ genus inſtituit. Occultum quoque animi ſenſum, quem Gaſpar quidam Gazzonius mente gerebat, neque vlli vnquam communicauerat, cœleſti lumine præditus aperit. Poſtremò, cùm quidam Sacerdos ex noſtris nonnullas ex ligneis Crucibus, quas Vir Sanctus compingere ſolebat, Neapolim tranſmittere ſtatuiſſet; iam litteras amico exarauerat, quibus eas, quò maiori in honore haberentur, à ſancto quodam viro fabrefactas fuiſſe ſcribebat. Porrò epiſtolâ ſigillo obſignatâ, cùm ad Virum Dei Cruces accepturus ſe contuliſſet; eum præter morem ſibi ſtomachatum offendit, reiq; cauſam ſciſcitanti, acrius reſpondit: An non (inquit) te pudet, Sacerdotem, Diuina Myſteria celebrantem, tam turpiter falſum diſſeminare, vt me Virum Sanctum credas, ac nuncupes? Quid in epiſtolâ exaraſti? Me Sanctum apud homines

celebras, qui grauiſſimus peccator ſum? Epiſtolam conſcinde, quæ tam illuſtrem falſitatem continet. Sacerdos verò, cùm nemini litteras oſtendiſſet, neque, quid in ijs ſcriberet, eatenus vlli declaraſſet, factum admiratus; quo D. O. M. vt luculentius ſerui ſui ſanctitatem, atque humilitatem illuſtraret, eum vel ſcribenti præſentem adeſſe, vel abſenti, quæ ille præſcripſerat, reuelare voluit. His & alia quàm plurima huius rei exempla addi poſſent; ſed vt grauiora miraculorum ſigna, quæ diuinâ virtute ab eo geſta leguntur, proſequar, vltrò ſuperſedeo. Vt autem ab ipſo Sacroſancto Crucis ſigno exordiamur; Annam Bottomæam, quæ tam acerbo capitis dolore cruciabatur, vt nullo Medicorum remedio leuari poſſet; Marchioniſſam quoque de Valle, laterum dolore correptam; Tertium etiam Octauiæ Parauicinæ filium, Marcum Antonium nomine, graui febre laborantem; quibus & Valerium à Valle, ardenti febre ægrotantem addas; omnes (inquam) ſigno Crucis communiens, priſtinæ incolumitati reſtituit. Cuiuſdam etiam Cœciliæ matrem, graui morbo laborantem, in ipſius fronte Crucis ſigno linguâ efformato, in priſtinam ſanitatem reſtituit; ægrota enim mox copioſum ex ore ſanguinem expuens, cùm ſimul cum eo febrim expuiſſet, poſtridie incolumis è lecto ſurrexit. Poſthæc Ariani Marchioniſſa, ac Fr. Clemens Picenus, Sacerdos ex noſtris, cùm grauiſſimè colicis doloribus cruciarentur, ſigno Crucis à ſancto Viro adhibito, priſtinæ valetudini reſtituuntur. His accedat Martius Seuerolitis, qui cùm lethali morbo oppreſſus, Phyſicorum iudicio, vix tertiam horam, vitâ comite conſpecturus eſſet, eo ſigno Crucis conſignato, vix inde Felix digreſſus fuerat, cùm Martius, velut è ſomno euigilans, in lucem reſpirat; atque à morbo liber hoc ipſo tempore incolumitatem adipiſcitur. Bernardus etiam quidam Olgiatus, tam graui, ac profundo in humero apoſtemate laborabat, vt Chirurgi de illius iam prorſus vitâ deſperarent. Hunc cùm Felix acceſſiſſet, humerum ſigno Crucis obſignat, dicens: Ne metuas, Bernarde, conualeſces. His dictis cùm celerem Viri incolumitatem agnoſceret, protinùs abſceſſit. At vix domus gradus deſcenderat, cùm diſrupto apoſtemate, ſanieque effluente, ægro mox ſalus redditur. Poſtia Pulicella Medicorum iudicio, inſanabili coxendicis morbo impotens in lecto iacebat; quam cùm Vir Sanctus Crucis ſigno confortâſſet, poſt Viri diſceſſum è ſtrato ſurgens, tam valido mox greſſu cœpit incedere,

quaſi eo morbo nunquam laboraſſet. Claudius Bertrandus, puer ſeptem annorum, vtriuſque tibiæ dolore tam acerbò per ſemeſtre torquebatur, vt dies, & noctes, inter eiulatus tranſigeret; ijs verò denudatis cùm Felix ſignum Crucis impreſſiſſet, confeſtim miteſcit dolor, ac poſt breue temporis interuallum, puer perfectâ tibiarum incolumitate fruitur. Fuluius Friſcus, totidem annorum puer, iam integrum annum in cœcitate tranſegerat; neque vlla recuperandæ lucis ſpes erat. Is ad Felicem ductus, protinùs in has voces erupit: O Felix, (inquit) tu mihi incolumitatem tribuere debes; id enim potes. Cui Felix: Credis, fili, quod Sacroſanctum Crucis ſignum te à cœcitate liberare queat? Credo, Pater, (ait puer) cumq; id ſæpiùs inſtantiſſimè repeteret; Vir Dei, vbi omnes iuſſit genuflectere, ac ter orationem Dominicam, cum Angelicâ Salutatione Deo pro pueri ſalute offerre, manu pueri oculos contingit, & ſigno Crucis conſignat, dicens: Fili, ne dubites iuxta fidem tuam conualeſces. Vix ſignum Crucis Felix abſoluerat, cùm puer exclamare cœpit: Miraculum, Pater; miraculum, Pater: en video; en clarè omnia cerno. Eodem modo, & Cleriam Farneſiam grauiſſimo morbo laborantem; nec non Margaritam Pariſanam ſacro, ac ſerpenti morbo grauiter correptam, cunctis miraculo obſtupeſcentibus, eodem Crucis ſigno confeſtim ſanat. Fr. Matthæum Lapoſtenſem ſocium graui oculorum morbo, qui & lucem ferè illi adimeret, laborantem, quinquies oratione Dominicâ, cum Angelicâ Salutatione indictâ, cum ſigno Crucis oculum munijſſet, protinùs tam integræ ſanitati reddidit, vt mox cum eo ad mendicationem perrexerit. Hunc Matthæum, bis rurſùs eodem Crucis ſigno adhibito, primùm à graui capitis dolore, tum à vulnere, illi à cadente ligno capiti inflicto curat. Cleriam Farneſiam, de quâ ſuprà egimus, gutturis morbo grauius vexatam, Vir Dei gemino digito collo ipſius apprehenſo, incolumem reddit. Poſt hæc Iulius Iacomellus, tùm malignæ febris ardore, tùm laterum dolore, qui totam cordis regionem occupabat, in id vitæ diſcrimen inciderat, vt ipſius ſalutis prorſus Medici ſpem abieciſſent. Huius latus cùm Vir Sanctus manu contigiſſet, protinùs æger in ſuauem quendam ſoporem reſoluitur; ex quo paulò poſt euigilans, à febri, & lateris dolore ſe liberum ſentit. Petrus Stratalinus eryſipelatis morbo in tibijs, ad mentis ferè inſaniam laborans, cùm à muliere veneficâ tibijs remedia adhiberi curâſſet, tantus illi percrebuit dolor, vt velut amens clamores in Cœlum efferret. Ad quem cùm Vir Dei acceſſiſſet, ſalutationis, ac conſolationis

loco,

loco, vtramque ipſius tibiam manu apprehendens, eas inuicem concutere, & cum maximo ægri dolore cœpit collidere. Interea ægro præ dolore exclamante, & ipſe clamare cœpit: O S. Franciſce! ô S. Franciſce! Ab hac porrò crurium colliſione cùm Vir Sanctus tandem ceſſâſſet; Petrus ſimul ab omni crurium dolore, & eryſipelatis morbo liber fuit. Octauius Virginiæ Vipereſiæ filius tam periculoſo capitis morbo laborabat, vt facie, & toto capite in tumorem conuerſo, non puer, ſed monſtrum eſſe videretur; osq; illi ita occluſum erat, vt iam diem abſque cibo tranſegiſſet, ita vt à Medicis de ipſius vitâ deſperatum eſſet; cùm autem Vir Dei ad eum accedens manus ſuas aquâ luſtrali intinxiſſet, vix ijs pueri faciem, os, caputq; contrectat; cùm eodem temporis momento (mirum dictu) abſcedit tumor, os panditur, puerq; cibum poſtulans, priſtinæ mox ſanitati reſtituitur. Attilius quoque Velitrenſis, acerbiſſimo tibiæ dolore cruciatus; nec non Cleria à Valle, quæ ob continuam febrim (quam acutiſſimus capitis dolor moleſtiſſimam reddebat) in vitæ diſcrimine verſabatur, Dei virtute per ſerui ſui contactum operante, incolumes euadunt. Mutium Matthæum Nobilem Romanum, nunquam intermittens, ac maligna febris ad illud vitæ diſcrimen pertraxerat, vt ſacro Viatico inſtructus, vitæ finem expectaret. Cui cùm Vir Sanctus manum impoſuiſſet, protinùs Dei virtus ægro ſuum fidei præmium, ac fideli ſeruo certum ſanctitatis teſtimonium, febri totaliter abſcedente reddit. Marius quoque Mutij filius, à Phyſicis indubitatæ propemodum morti adiudicatus erat; cui cùm Felix manum impoſuiſſet, eâdem quoque celeritate, quá patris febrim fugauerat, huius morbum expellit. Raymundum quendam etiam febricitantem ſolo vocis imperio à febre curat. Poſt hæc Ioanni Antonio Capizucco, S.R.E. Cardinali, qui cùm per 40. dierum tempus, nunquam intermittente febre laborans, ad vitæ occaſum properaret, ſuâ oratione vitam, incolumitatemq; reſtituit. Conſtantia Cotta, cùm ob inſuperabilem morbi vim, certum breui ſibi vitæ occaſum expectaret, Felice pro eâ orante, ægra omne mortis periculum euadit, ac breui temporis ſpatio conualeſcit. Septimię ex Bentornatorum familiâ deſperata ſalus erat; at Viro Dei pro ægrâ intercedente, cruceque, quam ipſe manu ſuâ compegerat, collo eius appensâ, tam celeriter perfectam ægrę ſanitatem contulit, vt morbo nunquam affecta fuiſſe videretur. Hoc ferè modo Claricem Aragoniam, nec non Olympiam Vrſinam pręgnantes, à ſanguinis fluxu, abortusq; ac mortis periculo liberat. Santeſium quoq; Marazzinum

Calcolarium morientem mali cotonij odore ad vitam reuocat. Paulo Æmilio Zephyro, iam Medicorum ope deſtituto, cùm is Sacroſanctum IESV nomen in chartulâ impreſſum ægri collo appendiſſet,& collyram ex manticâ proferens, eâ ægrum veſci iuſſiſſet, naturæ viribus accedentibus,morbus abſceſſit. Eodem modo D. Germanicum Carthuſianum febri, & anginâ grauiter laborantem, ſuâ oratione, eiusque gutture Crucis ſigno conſignato, incolumitati reſtituit. Andreæ de Grandis, Euangelicis illis verbis prolatis: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*; cùm manum capiti impoſuiſſet, illicò capitis dolorem abſtulit, quo nec amplius deinceps laborauit. Conſtantiæ quoque Creſcentiæ, fœminę illuſtriſſimæ, grauiſſimâ ægritudine affectæ, cùm vini paululum ex lagenâ propinâſſet mox incolumitatem reddidit. Poſtremò, diuinis hiſce ægrotorum curationibus, quæ à B. Viro patrabantur, finem mortui cuiuſdam pueri exuſcitatione, multis, ac clariſſimis in proceſſu argumentis probatâ, libet imponere: Mulier enim quædam cùm filium in lecto imprudens noctu oppreſſiſſet, illum magno cum eiulatu, & lachrymis ſancto Viro ſuſcitandum præſentans, cùm eum ſuper menſam iacentem, atque exanguem vidiſſet; huius mulieris afflictiſſimæ verbis, & lachrymis permotus: Non eſt (inquit) mortuus puerulus; ſed dormit: Infantisque manu vtraque apprehenſâ, perinde ac ſi viuus eſſet, ei abblandiri cœpit; cui cùm leuem colaphum inflixiſſet; infans, qui mortuus erat, protinùs oculos aperuit; ac veluti Beato Viro colludens, feſtiuus videre cœpit. Is verò eo mox matri reddito, actutùm aufugit. Ad alia denique miraculorum genera pergamus: ac inprimis Magdalenæ cuiuſdam Fanuciæ bombyces, qui necdum edere deſierant; neque multorum dierum ſpatio ad membranaceos illos ſuos folliculos effingendos, ſuapte naturâ idonei erant; albæ moræ folijs, quæ imbre prorſùs madida erant, & quibus quâdam naturæ neceſſitate ad interitum rapiebantur, aſpergit, ac B. P. N. Franciſci nomine inuocato, vnius tantùm noctis ſpatio, ita præter naturam adoleſcere facit, vt bombycij facti, iam bombycea ſtamina ordirentur, folliculosque conſtruerent, & cùm ramos ſibi miniſtratos non haberent, parietes, abacum, ſcrinia, tabulatumque conſcenderent, omnesque illius ædiculæ, tum inferiores, tum ſuperiores partes ſuis folliculis opplerent. Accidit etiam aliquando, vt dum Vir Dei cucurbitam vino plenam ex humero deponit, eâ in ſolum delapsâ, duas in partes diuiſa perfracta fuerit; ex quâ

cùm vinum vndique efflueret, is ſtatim ambas cucurbitæ partes vtrâque manu comprimens, ita integram preſtitit, vt ne vllum quidem confractionis ſignum in eâ relictum fuerit. Aquâ etiam, quâ Fratrum pedes loti fuerunt, infectum gregem curat. Poſt hæc Lauiniæ cuiuſdam Carpiæ nonnulli frumentarij faſciculi penè putrefacti perierant, cùm Vir Dei manibus eos apprehendens, benedicit, componit, excutit, purgat. Farina verò ex eo tritico confecta, tamdiu in farinariâ, diuinâ virtute excreuit, vt nunquam finem habitura crederetur: ex quâ etiam cùm collyræ conficerentur, hæ ab ægrotis guſtatæ morbos curabant, ac parturientes ad fœtum prouocabant, quorum exempla fuſiùs in proceſſu feruntur. Quo tempore magna frugum inopia vrbem inuaſerat, Felix farinam pauperculæ à Deo exorat; ex quâ etiam collyræ pleriſque morbis medebantur. Eodem tempore alteri pauperculæ panem in domo diuinâ virtute multiplicâſſe, illius vitæ proceſſus aſſeuerat. Paulæ quoque Porſtertæ, fœminę in Capucinos munificentiſſimæ, vinum in dolio mirum in modum multiplicat: At neque hic huius miraculi finis; nam dolium, quod numeroſæ triginta ſeptem perſonarum familiæ, vix per menſem vnum miniſtrâſſet, biennio merum effudit: quod pleriſque ægrotis abſque pretio propinatum, ad incolumitatem contulit. Bartholomęi etiam cuiuſdam in vrbe dolium, à biennio Felicis lagenis exhauſtum, vino nobili, generoſo, vtpote è cœlo dato, plenum reddit. Idem quoque Siluiæ Scarſiæ, Helenę Vachiæ, ac Lauiniæ Carpię Vir Sanctus pręſtitit. Et quod magis admirandum fuit, cùm plerique ex eo ægrotantes guſtarent, incolumitatem conſequebantur. His & alij complures addi poſſent, quibus Beati Viri oratio vinum in dolijs auxit: quos indicare potiùs, quàm rem fuſius explicare ſufficiat. In his ſunt Marcus Antonius Colonius, Camilla Guidotta, Mutius Coccinus, & alter Vipereſius; qui haud ſemel hanc in viro Dei virtutem experti, id certâ fide in proceſſu depoſuerunt. His quoque Vincentius Capoccius adiungitur: cui cùm vini dolium in vappam degenerâſſet, optimum Beati Viri oratione recepit. Lauiniæ etiam cuiuſdam viduæ olearium vas ſuperiori die exhauſtum, plenum; Hortenſiæ verò Mancinię ſemiplenum reddit. Idem quoque Virginiæ Vipereſchæ, nec non Laurentiæ Durantię vir Sanctus pręſtitit. Poſtremum denique (vt cætera ſileam, quæ tacito nomine in proceſſu referuntur) illuſtre fuit, quod de Claudiâ Andreæ Faneſtris Medici vxore narratur; cuius vas oleo vacuum,

ſuis meritis, ad ſupremum vſque labium repleuit. Nec fruſtrà; quidam namque Andreæ Medici diſcipuli, qui miraculo pręſentes aderant, eo conſpectо, ita animo commoti fuêre; vt mundanis rebus valedicentes, Religionis Capucinorum inſtitutum paulò poſt complexi fuerint: quorum, cùm alter Ruffini Senenſis, alter Gabrielis Tholoſatis nomen ſortitus eſſet, vterque magnâ cum virtutum laude diem ſuum in Religione obijt. Tanto itaque miraculorum ſplendore vndique ex hoc Beato Viro coruſcante, tamque ingenti cœleſtium virtutum luce in omnium oculis emicante, tam publica, communiſque in Romanâ vrbe de ipſius ſanctitate opinio percrebuerat; vt à cunctis adhuc viuens, Sanctus, ac Beatus prædicaretur. Hunc illuſtres Viri, hunc Religioſi homines, hunc Pręlati, Epiſcopi, S. R. E. Cardinales, ac Summi ipſi Pontifices venerabantur: Sanctique ipſi (Philippus ſcilicet Nerius) eum inter maiores, & illuſtriores Dei ſeruos, qui eâ tempeſtate vigerent, paſſim collocabant. Iam Felix annorum numero grauis, ſeptuageſimum quartum annum agebat; ex quibus quadraginta, in quotidiano ſtipis exigendæ munere, ac labore conſumpſerat. Porrò diuturnæ inediæ, vigiliæ, carnis macerationes, quotidiani labores, pleroſque illi morbos pepererant, quibus aſſiduè affligebatur. Quapropter, cùm D.O.M. & morbis finem, & tot annorum laboribus feſſo requiem, cœleſtemque mercedem conferre decreuiſſet, illi futurum vitæ occaſum, & quæ illum, vel pręceſſura, vel ſubſecutura erant, tam ad amuſſim inter orandum aperit, vt nihil eorum eum prorſus lateret: Petro enim Mongilio, nec non Lucretiæ Creſcentiæ ægrotantibus incolumitatem; obitus verò ſui tempus pręnunciat. Ioanni quoque, Alexandri Olgiati Oeconomo, obitum ſuum prędicit. Cumque à Romani Conuentus Guardiano interrogaretur; quid negotij illi eſſet? Nunc quidem, ait, rectè valeo; ſed mortem quæro. Verùm cùm non tam vitæ occaſum, quàm ipſam quoque ſepulturam, ac ſepulturæ modum, nec non ſuam poſt mortem gloriam diuinâ reuelatione accepiſſet; ab Alexandro Poggio marmoream capſam ſibi poſtulat; quam cùm Fratres cǫnſpicerent, cuius nulla in Conuentu neceſſitas appareret, quorſum eò aduecta eſſet, prorſus ignorabant; donec eo ad Superos ſubleuato, ipſius corpus diuino potiùs, quàm humano conſilio, in eâ capſulâ à Fratribus conditum fuit. Generalis Capituli tempus propè aduentabat, cùm Fratribus de futuris Electorum votis colloquentibus, ait:

Ego, Fratres, vocem in hoc Generali Capitulo laturus ſum, quæ vbique audietur. Idem ferè, & Fratri cuidam Marco ex Obſeruantium nuncupatorum Familiâ reſpondit. Id porrò, in ipſius obitu (qui paulò poſt, dum Generale Capitulum celebraretur, contigit) accidiſſe certum eſt. Ipſius enim obitus famâ peruulgatâ, tanta fuit populi Romani commotio, vt vrbs tota ad illius funera confluxerit. Sextâ, antequam in morbum incideret, feriâ ad Iuliam Cęſarinam, Franciſci Cęſarini coniugem ſe confert, extremùm valedicturus; quæ cum ſororibus protinus ante illum in genua procumberent, benedictionem poſtularent, veſteſque, ac manus deoſculari contenderent, reſtitit ille de more aliquantulum; at diuino tandem ſpiritu impulſus, veſtes, ac manus illis deoſculandas præbet his verbis: Agite iam, filię, veſtro arbitratu. Habitum apprehendite, oſculis petite, honorem impendite, pietatem explete; haud prohibeo; iam enim propè tempus aduentat, cùm habitus hic tam pretioſus æſtimabitur, tantuſq; illi honos habebitur; vt ad eum homines confluant: & qui ad eum propius accedere, vel aliquâ illius particulâ frui poterunt, beati ac fœlices cenſeantur. Hæc ille præter morem, ſuam poſt obitum gloriam pręſignans, dixit: quæ ipſe deinde rei euentus non obſcurè comprobauit. Paucis itaque diebus elapſis, nimirum pridie Calendas Maij Beatus hic Vir, febre correptus, ægrotare cœpit. Sed cùm febrem ſilentio celaret, Noſocomij præfectus Dei ſeruum licet reluctantem, ad Noſocomium compellit; at nullo pacto adduci potuit, vt in eo pedem inferret, donec laneâ culcitrâ inde amotâ, ſolâ ſtramineâ exciperetur. Dæmonem verò varijs eum modis in hac ægritudine tentantem fugans, glorioſos de eo triumphos refert. Eo verò tempore, quod ſibi vſq; ad vitæ occaſum breue futurum non ignorabat, tàm ſtudioſè animum cum Deo coniunctum geſſit, vt illius ſemper conſpectu frui, & cum eo colloqui videretur. Cùm autem à Medico didiciſſet, breui illi ex hac vitâ migrandum; tantâ voluptate perfundi cœpit; vt quàm altius poterat, vocem efferens, Deo gratias, Deo gratias, exclamaret; Fratreſq; circumfuſos rogaret, vt ſecum Deo gratias perſonarent. Iam verò Beati Viri fine appropinquante, cùm is deuotiſſimâ, ac lachrymis plenâ peccatorum confeſſione animum expiâſſet; Sacro IESV CHRISTI corpore, tanquam Cœleſti quodam Viatico refici poſtulat: quo allato, cùm ſacra illa Eccleſiæ verba: O Sacrum conuiuium, ad finem vſque protuliſſet; & à Fratribus veniam, ſi quem verbo, vel exemplo lęſiſſet, petijſſet, ſe Domino Sacramentaliter commiſcet.

Iam ergò fœlix illa anima diſceſſum à nobis extremum parabat, cùm poſt iucundam quandam mentis quietẽ, quaſi è veſtigio euigilans, manus repentè in Cœlum extendit; ac nouam vultu hilaritatem pręſe ferens: O, ô, ô, iucundiſſimè exclamat; velut qui gratiſſimo alicuius aduentu, & aſpectu lætatur. Hoc modo cùm diutius hæc lætitię ſigna ederet, Vrbanus à Prato, qui Virum Dei cuſtodiebat, diuino quodam horrore perculſus, protinus in genua procumbit, quidq́; cœleſte ſpectet, interrogat: qui diuinâ illa voluptate ebrius reſpondit: En glorioſam Deiparam pręſentem cerno; cerno quoque Angelorum millia, quæ hunc locum illuſtrant. Tum protinùs: Claude, fili, claude cellæ fores. Poſthæc rurſùs, cùm in nouas huiuſmodi voces erumperet, Vrbano ait: Egredere, fili, ac pauliſper hinc pedem effer. Cuius cùm Vrbanus dicto paruiſſet, toto ab hoc tempore, quod breue illi vſque ad obitum interfluxit, quaſdam Virgini Beatiſſimę cantiunculas, quibus illius priuilegia continebantur, ſuauiter decantans, inter has paulatim lumina ad mortis ſomnum claudens, æternùm victurus ad Deum fœliciter migrat. 14. Kal. Maij Anno 1587. caro verò ipſius, quæ tum ſuapta naturâ, tum ætate, atque aſſiduis ieiunijs, & maceratione aſperâ, cinerei coloris euaſerat, repentè mollis, & candida, membraq; flexibilia, perinde, ac ſi teneri pueri eſſent, apparuit. Sancti autem Viri pedes, qui prius patentibus rimis ſcatebant, atque adeò luto, ac frigore induruerant, vt lignei potius, quàm carnei viderentur, rimis omnibus occluſis, tam admirabilem repentè lenitatem, ac mollitiem ſibi è cœlo compararunt, vt iam immortalis gloriæ dotem adepti viderentur. Vix autem fœlix illa Fœlicis anima cœlum conſcenderat; cùm mox Illuſtriores vrbis Beati Viri cellam diripiunt, ſcopis mundant, ſecum pulueres, ac quiſquilias aſportant. Hos porrò tanta populi Romani multitudo ſubſecuta eſt, vt cùm Conuentum complerent, & fores occluſæ eſſent, ſcalas adhibentes, aditum ſibi per muros aperirent, cunctaq; Conuentus loca replerent. Poſterâ verò die illuceſcente, quæ tertiâ Penthecoſtes erat, cùm Beati Viri corpus in Eccleſiâ de more collocatum fuiſſet, tota vrbs commota ad Monaſterium confluit; habitum ſæpè mutatum præſcindit, capillos detondet, barbam radit, vngues amputat, atque adeò indiſcretâ in id religione ruit; vt niſi opportunè corpus ereptum, intra presbyterij cancellos collocatum fuiſſet, id facilè in fruſta concidiſſet. Nullum tandem veræ pietatis officium prætermiſſum fuit, quo Sanctus hic Vir affectus non fuerit. Denique tam ingens eò confluxit turbarum

copia, vt iuſta defuncto illa die perſolui minimè potuerint. Poſt hæc, dum Fratres defuncto corpori iuſta funebria reddunt, D.O.M. ſerui ſui gloriam nonnullis miraculis illuſtrare voluit. Lucretia enim quædam, Bernardini Cottæ filia, malè à Dæmone vexabatur. Huic Dæmon octauo die, antequam Sanctus Vir è viuis excederet, citò ſe exulandum prędixerat; dum tandem obſeſſa in Eccleſiam perducta, ſancti Viri corpori ſiſtitur; atque à Sacerdote, inuocato Beati Felicis nomine, ad exitum compellitur, dum Euangelium Diui Ioannis ſuper obſeſſam legit, ad ea verba deueniens: *Fuit homo miſſus à Deo.* Dæmon velut telo confoſſus, ſemimortuam mulierem, humi iacentem relinquens, inde protinùs aufugit. Alia quoque plurima miracula pręſente corpore patrata fuère. Lucretiæ Matthęi filius ſurdus erat; in cuius aures cùm mater Beati Viri digitum immiſiſſet, mox à ſurditate liber euadit. Adoleſcens mutus à natiuitate, cùm operâ Senenſis cuiuſdam fœminæ, ſancti Viri habitus particulâ linguam attigit, mox ab omni linguę impedimento ſoluitur. Diana Altobaſſa, inuocato Beati Viri merito à ſanguinis fluxu curatur. Sanctimonialis quędam S. Ambroſij, ob neruorum contractionem immobilis, corollam, quæ illius cadauer attigerat, corpori admouens, eodem temporis momento, incolumis è lecto ſurgit. Quarta iam ſuperuenerat dies, ex quo S. Vir Cœlo ſpiritum reddiderat, cùm illius corpus, quod eatenus nullo prauo odore afficiebatur, plumbeo loculo occluſum, tum in ligneo ſarcophago repoſitum in communi Fratrum cœmiterio conditur: nouem verò poſt hæc menſium ſpatio, cùm Cardinalis Protector B. Viri corpus exhumari iuſſiſſet, illudque, ſummâ naſi extremitate demptâ, omni ex parte integrum, & incorruptum conſpexiſſet, rurſùs plumbeo loculo incluſum, in marmoreâ illâ capſâ, quam is ſibi viuens ab Alexandro Pogio poſtulauerat, conditum, in Crucifixi ſacello, paulò à ſolo prominentiùs collocari voluit. Eadem verò die Fr. Marcus à Foſſâ Clodiâ, qui diu moleſtiſſimâ herniâ laborauerat, ſancti Viri merita implorans, illicò inſtauratâ incolumitate potitur. Thomas quidam à Mondauio, Petri Valentini, Romani Ciuis vinearius, extremo prælio cum morte colluctabatur; cumq; à Dæmonibus multis accuſationum iaculis oppeteretur, mox Sancti Apoſtoli, Petrus, & Paulus, S. Auguſtinus, S. Franciſcus, ac B. Felix, è Cœlo delapſi, ipſi in pręſidium adfuère. Hæc cùm Petro narrâſſet. Ad eum Petrus: Thoma (inquit) num Felicem agnouiſti? Et quidem præclarè (ait) eum ex vultu, ac verbis agnoui:

candidâ, ac lucidâ is ſtolâ ſericâ amictus erat; tamq; ſplendidum circa collum collare gerebat, vt propter emicantes inde radios, illum vix aſpectus ferre poſſet. Qui cùm manum meo capiti impoſuiſſet, ait: Ne formides, fili, plenam in Domino Iesv Christo, Crucifixum indigitans, fiduciam habeto, in quo omnes aduerſarios tuos deuinces. Tum Thomas, cùm ſe breui moriturum, atque æternâ cœli gloriâ donatum dixiſſet, paulò poſt in Domino obdormit. Ioannes quoque Antonius Rocallus, è ſcalâ ex alto delabens (cùm in eo vitæ diſcrimine S. Philippum, ac B. Felicem ad ſui præſidium inuocâſſet,) vtrumque ſibi apparentem ſpectat; qui eum in manibus tollentes, leuiter humi reponunt. Vix autem ſancti huius Viri corpus, marmoreâ capſulâ conditum, in Crucifixi ſacello repoſitum fuit, cùm magnâ clari, ac odoriferi cuiuſdam liquoris copiâ, ex ipſo corpore emanare, ac ex capſulâ effluere cœpit, quo tot ægrotis in vrbe paſſim ſalus reddita fuit, vt rumor inde vbique diffunderetur. Ex quibus nonnulla hic recenſenda ſunt, ne omnia ſilentio præteriiſſe videar. Fridericus Cæſius, graui febre phreneticus, ad vitæ periculum ægrotans, hoc liquore inunctus, ſanæ mentis redditur; & paulò poſt pulſâ febri, integrę incolumitati reſtituitur; ac deinceps, quotquot ex eâ familiâ poſt hæc ægrotabant, aqueo hoc liquore inuncti, conualeſcebant. Idem Fridericus, peſtilenti febre ad mortem laborans, hauſto hoc liquore, leui ſtatim ſomno corripitur; in quo Beati Viri viſione potitus, incolumitatem conſequitur. Antonius Roncallus, cùm ad vltimam vitæ lineam perueniſſet, hoc liquore capite inuncto, ſtatim morbus retrocedere videretur. Paulus Aluarus, febri continuâ, dyſenteriâ, narium profluuio, ac ciborum inappetentiâ, pallidę mortis ſimulachrum præ ſe ferens, huius liquoris inunctione, vitæ ſimul, & incolumitati reſtituitur. Victoria Foccheta, graui ſtomachi languores nec non anhelitus difficultate laborans, voto ad Beatum Virum emiſſo, pectus ſibi hoc liquore vngi poſtulat. Vnctionem mox integrâ morborum curatione ſecutâ, & vnctionis loco dein multo poſt tempore ſuauiſſimum odorem efflante, Victoria voti immemor, votum exoluere negligebat, cùm iiſdem morbis corripitur; at cùm votum celerius exoluiſſet, priſtinam à Deo mox incolumitatem aſſequitur: quam etiam Michaëli Angelo filio, qui poſt hæc ad Medicorum deſperationem ægrotauit, eodem Beati Viri liquore inuncto impetrat. His accedat Catharina Locatella, quam cùm febris continua, ſanguinis profluuium, ac demum cachexia, deſperatâ valetudine, ad interitum raperet; vbi

Felicitas

Felicitas mater eam B. Felici obtulit, ſuoque liquore perfudit, incolumis è lecto ſurgit. Demophon itidem Calendius, repentino morbo correptus, loquendi facultate interceptâ, breui animam exhalaturus credebatur: at vix liquorem hunc hauſit, cùm omnem repente à ſe morbum ablatum ſenſit. Adhæc Arthemiſia Columna Cæſia, ſancti Angeli Principiſſa, huius liquoris vnctione à febri continuâ, quâ ſex menſium ſpatio laborabat; nec non à febris hecticæ periculo liberatur. Eodem modo Olympia Marina à febri; & ab acerbiſſimis ſtomachi doloribus, ob quos in certo vitæ diſcrimine verſabatur, priſtinæ incolumitati reſtituitur. Cleria quoque Mantoria, cùm ardentiſſimâ febre ad certum vitæ periculum laboraret, hauſto prędicto liquore, ac B. Felicis ſibi in ſubſidium ope inuocatâ, ſtatim à febre conualeſcit. Ioannes Clementinus, cùm ex matris vtero aridum brachium tuliſſet, cui nec ſenſus, nec motus, aut vigor vllus inerat, duobus ex noſtris B. Felicem inuocantibus, aridumq; pueri brachium liquore perungentibus, ſtatim exanime illud membrum ad vitam reuocatur. Cœcilia Zita, cùm ob membrorum diſſolutionem, ad ſecundum vſque annum, omni membrorum vſu careret, ad ſancti Viri ſepulchrum delata, ſacroque illius liquore à Fratribus delinita, vix domum relata, & membra mouere, & ſolidis veſtigijs ambulare cœpit. Lucretia Mariana, cùm femorum, ac tibiarum ariditatem contraxiſſet, ac chiragrâ laboraret; Nicolaus verò maritus eius, paulò poſt Medicorum ope deſtitutus, deperditis ſenſibus ad mortem vſq; ægrotaret, hac ſacrâ liquoris vndâ peruncti, Lucretia, neruis conſolidatis, tibias mouet, chiragra curatur; ac vix Nicolai frons ſigno Crucis munitur, cùm protinùs copioſo illi è capite tepenti ſudore erumpente, à vitæ periculo liber, priſtinam ſanitatem adipiſcitur. Baptiſtæ cuiuſdam Cæſaris Ephippiarij vxori caruncula in oculo orta fuerat, quæ cùm glandis inſtar totum oculum tegeret, ei non modò lucem, verùm & omnem oculi formam eripuerat; quo hoc ſacro liquore peruncto, carunculâ illâ quamprimum euaneſcente, perfectè oculo lumen & forma reſtituitur. Orinthia Viteleſcha, cùm octo, vel nouem annorum ſpatio tuberculum, vel carnoſitatem quandam incurabilem intra nares pertuliſſet Beati Viri patrocinio implorato, nares liquore perungit, optatâq; incolumitate fruitur. Ioanni quoque Baptiſtæ Cechino, qui eodem planè morbo diu laborauerat, ſimul atque eo liquore nares inunctæ fuère, tumor abſceſſit. Antonia Monteflora ſtrumas diu paſſa fuerat; quibus & oculorum tumor accedebat, quo ferè ad

coecita-

cœcitatem reducebatur; at pręfato liquore ſub veſperum inuncta, integram manè vtriuſque morbi curationem aſſequitur. Eodem ſtrumarum morbo affecti Marcellus Sachettus, & quidam Pauli Falconarij filius, vix ante B. Felicis ſepulchrum hoc liquore perunguntur, cùm nullâ morâ interpoſitâ, tam perfectè à ſtrumis curantur, vt nec vlla earum ſigna in cute remanſerint. Poſthæc Iſabella Priorata, nobilis mulier, ob venæ pectoralis perruptionem, tam copioſum ex ore ſanguinem euomebat, vt vitam cum ſanguine fuſura crederetur. Quo tempore Sabina filia lecto incumbens, repentè ab inuiſibili manu ſibi humerum concuti, taliaque ad ſe verba proferri percipit: Sabina, matrem admone, vt liquorem meum ad vnctionem adhibeat, ſi incolumis eſſe optat. Actutùm adoleſcentula vocem auditam matri ſignificat; mater Cœleſti liquore ſibi pectus perlinit. Quid plura? ſiſtit ſanguis, vena reſtauratur; ac vitæ longioris vſura Iſabella fruitur. Iſabellæ quoque filio, vlcere peſſimo in manu laboranti, eâdem vnctione, eodem tempore optata ſalus redditur. Matthæus Ruſticucius, hemicraniâ tam acerbè cruciabatur, vt ferè ad mentis inſaniam redactus, leonis inſtar, rugitus ederet: qui cùm vix eo liquore inunctus fuiſſet, integrâ incolumitate potitur. Laurentius quidam adoleſcens, cùm adeò ſurdus eſſet, vt omni penitùs auditus ſenſu careret; vix aures hunc liquorem ſuſcipiunt, cùm ſimul & vocem loquentis percipiunt. Poſtremò, Thomas Minerbettus, Generalis Patrimonij Apoſtolici Curator in febrem incidit; quâ ingraueſcente, alijſque ſuccedentibus morbis, anginâ ſcilicet, cordis palpitatione, pectoris anguſtiâ, ac frequentiori ſyntexi, maximo in vitæ diſcrimine verſabatur: at, quod magis deplorandum erat, tot grauiſſimorum criminum cumulos, quos à multis annis inexpiatos in animo gerebat, ſibi conglobauerat, vt in his iam computruiſſe videretur; cùm ex noſtris Fratres duo, Beati Viri merita inuocantes, illius frontem, guttur, ac pectus liquore deliniunt: Deus verò, qui vtramque viro ſalutem conferre decreuerat, poſt vnctionem, ſuauem quendam ægro ſoporem immittit; in quo protinùs humani generis hoſtis ſe illi conſpiciendum præbet, qui animam ipſius vi è corpore auellere conabatur. At Angelo illius cuſtode, ad lectuli pedes ſtatim altiùs in aëre apparente, ac reluctante, Diabolus librum explicat, in quo vniuerſa ipſius crimina continebantur; quæ dum legeret, æger rerum veritate conuictus, iiſdem aſſentiri videbatur. Quo tempore & B. Felix in aëre conſpicitur, qui Dæmoni grauiter comminatus: Quid (ſceleſte) ait, huius tibi hominis

poteſtatem arrogas, cùm Deiparæ Virginis ego illi præſidium exorauerim? Cumq; brachium extuliſſet, ægro Sacram Deiparam, quæ in ſinu Deum Filium geſtababat, protinùs oſtendit. Is verò hoc ipſo tempore è ſopore euigilans, cùm Dæmonem gemino ſaltu ſeſe è feneſtrâ proripientem, ac Beatiſſimam Virginem, vnà cum B. Felice in cœlum conſcendentes conſpexiſſet, altiùs exclamare cœpit: O Beate Felix! ô Beate Felix! atque eodem temporis momento, ab omni corporis dolore liber, S. Martini Parochum accerſiri curat. Cui cùm integrè culpas ſuas confeſſus fuiſſet, à febri prorſus demittitur, ac poſtridiè è lecto ſurgit. Quamplurima quoque miracula ſuperſunt, quæ cùm ex Reliquiarum huius Beati Viri contactu; tùm ex olei, quod ex lampade, quæ ante ipſius tumulum ardet, vnctione erumpunt: quæ indicare potius, quàm narratione complecti ſufficiat. In Romanâ Prouinciâ Helena Vactria, à grauiſſimo faucium morbo; Olympia Bruna à partus doloribus; Fauſtina Caloria, & Albrica ancilla à capitis vertigine; Aſcanius à Bufalo, nobilis Romanus, à femoris dolore; Ioſephus Ghiſlerius puer ab oculi cœcitate; Santa à S. Seuerino, à brachij ariditate; Hieronyma Cautia ab vberum dolore; Octauius Valtrotus puer ab herniâ; Laura Coſta ab oris, ac narium morbo; Clara Spada ab incurabili leprâ; Scipio Calceolarius à podagræ doloribus; Auguſtinus, Romuli cuiuſdam filius, ab oculorum cœcitate; Blaſius à Fronte ab aduſtione; Leonora Auila à graui capitis dolore; Puer moribundus à mortis periculo; Ioannis Baptiſtæ Manini filius à totius corporis morbo; Octauia, & Hortenſia, illa à grauiſſimo corporis cruciatu, hæc à capitis dolore: Marius, Bruſillæ Matthæi filius, à deſperatâ ægritudine: Vir incerti nominis à pleuritide: Ioannes Baptiſta Victoriæ filius, à genæ putrefactione: Felix Fanella ab hypochondriacâ melancholiâ: Lucretia Ferrera ab apoſtemate, quo manus illi computruerat: Antonia Lancis, Cardinalis ſoror, ab hemicraniâ, & à partus dolore: Fabius à Pace, à febri continuâ: Cœcilia Vrſina à grauiſſimo ſtomachi languore: Lucas Antonius de Fabijs, ab iſchidiaco morbo: Plautilla, Pompeij Salenſis vxor, à ſtrumis: Laura Spinola ab ozænâ: Vincentius Cannatus à laterum dolore: Sebaſtiana Cometta à lethali ægritudine; Paulus Stratonicæ Matthæi filius à ſanguinis vomitu: Honorata Fontana à diuturno capitis dolore: Ioannes Bibienus à membrorum attractione: Cœcilia Sacca à dentium dolore: Pamphilius de Magiſtris ab acutâ febri: Catharina, & Alexandri cuiuſdam Alutarij neptis moribunda à mortis

periculo; ab eodem & Pompei vxor, & neptis; Iulij Franchini filius à cœcitate oculorum; Sebaſtianus de Vecchis, Medicus, à fiſtulâ; & ipſius filia à ſtrumis; Syluius Barattus, & Lucæ Peregrini filius ab acutâ febri; Tarquinij Marſij filius à dyſenteriâ; Cynthia Romana à laterum, ac tibiæ dolore; Felix Capreola à graui capitis dolore; Seuerini Maſcardi filius à ſanguinis fluxu; Sebaſtianus de Rubeis, & Stephani cœmentarij filius à ſtrumis; Chriſtophorus Talliacarne, & Mutia Narnienſis à poplitum dolore, huius liquoris virtute liberantur. Ex Mediolanenſi Prouinciâ Veronica Beolea à diuturnâ ciborum inappetentiâ; puer ab alterius oculi cœcitate, & mater ab arthritica; alter quoque puer, ac mulier ab odontalgiâ, eodem modo liberantur. Ex Bononienſi Prouinciâ, Fabricij Lucatelli filius, ac filia à peſtilenti febre; alter ab ophthalmiâ; tertia mulier in extremis laborans, ad incolumitatem reuocantur. Ex Panormitanâ Prouinciâ, tandem Caſtri Veterani Principis filius à porrigine; & Pacificus Calaber Capucinus à crurum tumore, liquoris huius vnctione perſanantur. Ad hæc addantur, quæ ex præciſis ipſius Sancti habitus particulis miracula effluxêre. Primum igitur in Romanâ Prouinciâ Magdalena Grimalda, quæ ob venenoſam ſuppurationem, quæ illius fauces inuaſerat, in certo vitæ periculo verſabatur, cùm beati Viri habitus particulâ guttur illi obſignatum fuiſſet, protinùs perrupto apoſtemate à morte, & poſtmodum à formicario morbo liberatur. Barbara Patauina pleuritide correpta animam agebat, cùm nonnullis eiuſdem habitus filis cùm iure carnium hauſtis, ad vitam reuocatur. Camilla Theſaura gutturis tubere exuberante; Erſilia puella, & Horatius Butius, faucium apoſtemate laborantes, à morbo curantur. Antonius Marchionis Theoduli filius, ab hecticâ febre liber euadit; & Catharina Antonij ſoror à diuturnâ, ac moleſtâ tuſſi ſanantur. Victoria Aquilina ab atro ac peſtilenti in naribus carbunculo (qui vitæ ei periculum minabatur) & à gutturis morbo, penitùs liberatur. Lucretia Galantia, à grauiſſimo capitis, ac ſtomachi dolore; eius quoque filia à febre curatur. Seſtilia Narda, & Ioannes Andreas à Fontanili à peſtilenti febre incolumes emergunt; Ioannes Antonius Roncallus à cœcitate liber euadit; Felix de Vbertis à colico dolore; Victoria, Lucretiæ Adornæ filia, à lethali morbo in momento ſanatur; Perſia quædam ab arthriticâ; Laurea Petronia à cephaleâ; Octauia Renſia ab vberum dolore; Lucretia

Franciſca à grauiſſimo ſtomachi languore; Ioannes Baptiſta Matthæi ab aurium ægritudine; Ioanna quædam arreptitia à maligni ſpiritus obſeſſione; ab eâdem itidem Iulia quædam Rinaldi vxor; mulier quædam Zagarolenſis ab anginâ; Franciſcus Eſpucius bis ab acerbo capitis dolore; Margarita Dreia à peſtilenti febre, ex quâ mortua credebatur; Antonia eiuſdem filia, à cephalalgiâ; Catharina Cioffa à rubentibus papulis; ab iiſdem & Petrus Victoriæ Adornæ filius; Lauinia Rechardi Proſenatis vxor, à cachexiâ; Proſerpina Pacea à lumbagine; Claudia Ouazzetta ab acutâ febri; Caſſandra Zachonia, à cephaleâ, & lumbagine; Porſia à Gallicano ab anginâ; Chriſtophori Danielis filius ab ægritudine lethali, ſacri huius habitus contactu ad ſanitatem reuocantur. In Neapolitanâ Prouinciâ eiuſdem habitus contactus Franciſci Tangæ filium, qui continuâ febri, papulis, ac reſpirandi difficultate oppreſſus ad occaſum properabat; atque eiuſdem filiam, Ioannam nomine, in extremis laborantem; Prudentiam denique vxorem epilepticam, confeſtim in priſtinum ſalutis ſtatum reſtituit; idem Petronillam Monialem S. Gregorij conuerſam, à diuturno narium profluuio, ex quo oris deformitatem contraxerat, in momento liberat; eodem quoque Petrus Paulus de Bellis puer, papularum copiâ, ac malignitate oculorum luce orbatus, priſtinæ luci reſtituitur. Adriana Marchionis Caſtrononi filia, ſpe omni vitæ abiectâ, in ſalutem vendicatur. Præter hos Iuſtina Grimalda à diuturnâ febri; Nobilis cuiuſdam Capuanæ filius ab oculorum cœcitate; Ioannis Leonardi Marronis filius à diuturnâ ægritudine, ob quam curuus incedebat; iuuencula, Aloyſiæ Coſſæ pediſſequa à maligni ſpiritus obſeſſione; Ioanna Reuerteria ab elephanſiaſi; Fr. Ruffinus ex noſtris Laicus ab herniâ; Fr. quidam ordinis Prędicatorum ab hydropiſi, huiuſmodi particulæ virtute curantur. In Bononienſi Prouinciâ Barbara Nicolai Sudentis filia, à mortis faucibus eripitur; Lucia Liſania grauiter febricitans; Hieronymus pleuritide ad mortem laborans; moribunda mulier à certo mortis periculo; puella à Dæmone obſeſſa; mulier à cancro exeſa; lumbagine affecta; quidam à narium profluuio; Marinus agricola ab artuum tremore; alter à tibiarum dolore; Balthaſar quidam membris captus; geminæ itidem mulieres ab vberum tumore, ac ceruicis dolore, Sacri huius panni virtute liberantur. In Hydruntinâ Prouinciâ Sanctorius Taurus Hydruntinus ab acutâ febri; Orphei Trepucij vxor ad Medicorum deſperationem ægrotans; Octauij Maragei vxor à febri grauiſſimâ; tres mulieres à Latertiâ ad mortem

vſque

vſque ægrotantes; Maria Aſtona à Melpiniano, & altera à Marciano, à partus cruciatu; Stephanus Caramuſcia à papulis penè occœcatus; mulier Caſtrinianenſis à matricali dolore; altera ab vberum putredine; Caſſandra, Archiepiſcopi Barienſis ſoror, ab oculorum dolore; Fr. Senardus à Solito, Capucinus, ab anginę morbo; Angelus Becchius vtriuſque oculi luce orbatus; Antonia Leonarda à Diabolico maleficio; Franciſci Tabellionis vxor à graui poplitum dolore; plurimæ quoque febricitantes ſanantur. In Panormitanâ Prouinciâ, quamplurimi eiuſdem Beati Viri habitus particulâ ſibi adhibitâ curantur. Inter quos Lucianus Rubeus Epiſcopus Mezarienſis, à graui 12. annorum in humero apoſtemate; Franciſcus Ludouici Naxini filius à mortis agone: Fr. Marianus à Politio Sacerdos ex noſtris, à gibbo: Bartholomæus quidam à duodeviginti annorum aurium morbo: vir quidam ab Alchamo ab inimicorum confoſſione illæſus ſeruatur: Legiſperitus quidam Drepanenſis à graui febre: alter eiuſdem vrbis à Diabolico faſcino: Mulier arreptitia à Dæmonis imperio: Vincentius à Thermis Imeris, atque altera eiuſdem vrbis mulier ab oculorum morbo: Textoris cuiuſdam vxor à lethi faucibus: Bibonenſis quidam à graui laterum dolore: eiuſdem oppidi mulier à diuturno ſtomachi languore: quamplurimi denique febricitantes ſanantur. Ex Pedemontanâ Prouinciâ, Magdalena quædam Bergella grauiſſimâ febre ad necem feſtinabat, cùm B. Felicis habitus pręſegmine ad collum appenſo, paulò poſt in ſoporem dilapſa, B. Felicem iuxta lectum ſedentem intuetur; cuius aſpectu adeò corroborata fuit, vt è ſomno experrecta, ſe à febre liberam ſenſerit. Lucretia Ioannis Petri Prouanæ vxor, à mortis imminentis periculo eodem remedio liberatur. In vrbe Montis Regalis, Ioannes Franciſcus Beltrutus adhuc puer, moleſtâ quadam ægritudine detinebatur; qui cùm nonnullos Sacri habitus pilos cum aquâ mixtos hauſiſſet, occluſiſque foribus ſolus in lecto decumberet: en gemini Fratres, ex quibus alter B. Felix erat, propè lectum aſſident; quos dum puer lætus intuetur, ab ægritudine liber euadit. Eodem modo Catharina à Turre, Nobilis Salutienſis vxor, à phreneticâ febri ſanatur. Clara, Lucretiæ Purpuratæ pediſſequa lethaliter ægrotans; Lucretia quoq; à partus dolore: Nouarienſis quidam à Dæmone vexatus: Mulier Caſalenſis à tertianâ febri: Nobilis quidam de Torres familiâ, vnâ cum vxore, ac filijs febricitans: Hieronymus Riuolta cauſo ægrotans in ſalutem vendicantur. Ex Helueticâ Prouinciâ, mulier oculorum ægritudine penitus obcœcata; altera grauiſſimo capitis lan-

guore correpta; adoleſcens à tibiarum, ac pedum tumore perſanantur. Ex Venetâ Prouinciâ, Bernardinus Coſſalis cauſo laborans; Nobilis Bergomas à tertianâ febri; mulier quoque Veronenſis partus dolore vexata, ſanitate perfruuntur. Ex Vmbriâ, puella quædam Fulginienſis à lethali febre; vir quoq; periculosè ægrotans; geminæ itidem mulieres, odontalgiâ grauiter afflictatæ, à morbis curantur. Ex Aprutienſi Prouinciâ Iulia à Colle Petri; & Pax, Ioannis Bernardini vxor, à tertianâ febri; Alphonſina à Scandrilia à comitiali morbo; Magdalenæ Vrſinæ filius, Medicorum ſententiâ morti adiudicatus; Dominicus à Cruce; Ambroſius Olympiæ Palliacenſis filius; Cryſtallina Cianchitta, & adoleſcens quidam à Dæmone vexati; Laurentius à Villâ à diuturnâ ægritudine; & Antonius Forſytus à melancholicâ paſſione, quâ ad inſaniam redigebatur, Sacri huius habitus tùm potu, tum contactu ad incolumitatem peruehuntur. Poſtremò per tot Chriſtiani Orbis partes hæc ſacri habitus præſegmina diffuſa ſunt; totque in his, præter ea, quæ enarrata ſunt, diuinâ virtute miracula patrata; vt omnia diligentiùs proſequi difficillimum ſit. Quare ſatiùs mihi viſum fuit, plurimis prætermiſſis, ea tantùm, quæ grauiora, ac certâ fide probata, breui compendio (vt cœpimus) indiſtinctâ Regionum ſerie perſtringere. Qui igitur, manifeſtâ Dei virtute, ad pium Sacrarum huius B. Viri Reliquiarum contactum à languoribus ſanantur, hi ſunt. Antonius Mongauerus à febri, & ſanguinis fluxu; Syluiæ Bentiuoliæ filius ex alto dilapſus à capitis illiſione; Ioannis Baptiſtæ Fregullij filia à ſtrumis, Margarita Auguſtini Manfredi vxor à diuturno corporis languore; Pauli Virchij Brixiani ab incurabili femoris morbo; Catharina Carpenſis à graui tibiarum vlcere; Liuia Chriſtophori Vitellæ vxor; ab vberum dolore; Portia à ciuitate Ducali à vehementi febre; Imperia, Antonij Perotti vxor, à partus dolore; Cœcilia, Clementis Medici vxor, à lethali morbo; Ioannis Baptiſtæ Simi filius à mortis agone; Laura Sapalca à febri continuâ; Franciſcus Laretinus à febri, ac laterum dolore; Franciſcus ſeptem annorum puer ab hydropiſi; Antonia Ioannis Baſaiæ filia à cachexiâ; Aloyſius Panizza à quartanâ febri; Hippolyti, Boſchi Medici filia, à febri continuâ; Eliſabeth, Andreæ Montanari vxor; altera Franciſci Faroſi vxor: Guabenga Moltia: Herculis Cocapani filius, ac eiuſdem famula; Catharina Ferra: Leonora Muſſarella: Thomas Bellinus à grauiſſimis febribus: Antonius Eſtenſis à capitis vertigine: Alphonſus

Giliolus à cruria claudicatione; Lucia, Hippolytes Eſtenſis pediſſequa à calculi morbo: Galeatij Reminaldi vxor: Angela ipſius pediſſequa: Catharina Bartholomæi Cacelli vxor: Lucretia Bartholomæi filia, & Lauinia Cocapani à continuâ febri, vomitu, & pleuritide: Lucretia Bartholina à graui oculorum cruciatu: Ludouici de Benedictis filius ab herniâ: Victoria de Pucijs, Monialis, ab acerbo, & diuturno ſtomachi languore: Venia Trota à colico dolore: Aſpramon Mergerius Comelenſis à diuturno crurium cruciatu: Æneas Bottonus, Bernardini à Campis filius: Violans, Antonij Zenonis filia: Hippolytus Patauinus: Liuia Beuilaqua: Iunipera Remilia: Aloyſius Poquinteſti filius: Catharina Boueria: Iſabella Furtana: Eleonora, & Claudia Squartrona, ſorores: Ioannes Baptiſta Palmerius: Violans Bagarotto: Franciſcus Tabarellus: Hippolytus Obicius, & Cœcilia vxor: Iacobi Bainerij vxor ab oculorum dolore: Sigiſmundus Comes Montiſcuculi cum filio à vehementi ægritudine: Vgutius Comes Beuilaqua: Thomæ Clarelli filius: Herculis Piſcacetti filia: Iunipera Caſella: Bona, Collegij Orphanorum vrbis Ferrarienſis puella: Violans, Galeatij Curti filia: Franciſcus Donzellus: Alphonſus, Magdalenæ Buſentinæ filius: Magdalena Thomâſia, Alexandri Balbi filiâ, omnes ad Medicorum deſperationem ægrotantes. Iacobi Deianerij vxor ab oculorum lippitudine: Franciſcus Stabilinus, fabricator, grauiter ob lapſum ſauciatus: Alphonſus Molza à ſtomachi dolore: Dominica Alberteria ab oculorum delachrymatione: Violans Lollia à frontis tubere; Conſtantia Lamberta ab oculorum ægritudine, quâ penè cœca euaſerat: Diana Mora à graui cephalalgiâ: Blanca Monialis à lienis morbo; altera Monialis Adeodata nomine, propemodum luce orbata: Iacobus Antonius Maria, & Camilla Lauræ Anguiſſolæ filia à graui ægritudine: Iſabella de Montibus à tibiarum dolore; & Ioannes Baptiſta Frater à femoris cruciatu; Iacobus Bonſignorus à diutinâ cephaleâ: Laura Carella à pituitæ fluxu; & Catharina ſoror à matricali dolore: Albertus Petrucius, Dux peditum, à bombardæ vulnere; Lucia Gambara à graui ſtomachi paſſione: Ludouici Maroni vxor à graui caſu: Magdalena Lucara epileptica: Rudolphi Peolenſis filius, qui è nimio fletu ſtrabo euaſerat: Franciſcus Aloyſius Thomatis ab oculorum cœcitate: Lucia quædam ab alui cruciatu; Seraphina mulier ab vlcere; puer ab hecticâ febri: Veſpaſiani Sfortiæ filius, Hieronymus nomine, ab acutâ febri: Marchioniſſæ Montisfalconis

filius à lethali morbo: geminæ mulieres à partus dolore: Fauſtina Mancina à graui cephalalgiâ: Franciſcus Lucretiæ Colellæ filius à papulis; Fr. Syluester Burgienſis, ex noſtris, Caſtri-noui Guardianus, à lethali ægritudine; Ioannes Antonius Magiſter, vrbis Neapolitanæ Iudex, à faucium morbo, Franciſcus Capellus Neapolitanus ad mortem ægrotans; Hieronyma Pogia, & Lauria Petronia, & aliæ permultæ à partus dolore: Dorothea Creſcentia à genarum contractione: Lucas, Æmiliæ de ſtirpe natus, à graui ſtomachi dolore: Apollonia Valentia à continuâ febri curantur. Crux exigua à Beato Viro compacta, corollæ cuiuſdam Fabij de Pace alligata, cùm ante rhedam caſu excidiſſet, muli rhedam trahentes, ante illam conſiſtunt; neque vllis rhedarij verberibus ad iter compelli valent, donec Crux cum corollâ inde auferretur. Poſtremò, vt his finem imponam, nonnulli Beati huius Viri capilli papyro occluſi, cùm à Camillâ Perettâ imprudenter in ignem proiecti fuiſſent, in eo incombuſti permanent, atque à flammâ illæſi inde eruuntur. Porrò, inter ea, quæ ad ſolam nominis inuocationem, aut votum ad eum emiſſum ſpectant; inprimis Antonius Maria, Camillæ Tenſiæ filius, peſtilenti febre laborans, Phyſicis de ipſius ſalute prorſùs deſperantibus, mater Beato Viro votum emittit; votum verò mox filij incolumitas ſequitur. Stephano Biſcio, Peruſinæ Eccleſiæ Organiſtæ, ad extremam vitæ metam perducto, cùm triduum abſque cibo, & potu moribundus tranſegiſſet, Hortenſia vxor, Beati Viri patrocinium implorat: mox B. Felix ægro adſtat, his illum verbis compellans: Stephane, ſi ſalutem optas, iuſculum, quod tibi propè ignem aſſeruatur, abſorbe. Quare, hauſto iuſculo, tam repentè à morbo cœpit conualeſcere, vt poſtridiè è ſtrato incolumis ſurrexerit. Dominicus Bernardinæ Romanæ filius, necdum annorum duorum puer, repentino quadrigæ tranſitu præoccupatus, à rotis intercipitur; quo tempore mater exclamans, B. Felicem ad filij ſalutem inuocat, filiumque incolumem recipit: at coralliorum armilla, quam is circa brachium geſtabat, rotarum conculcatione, brachio prorſus illæſo, contrita fuit: cùm autem os pueri grauiùs ſaucium offendiſſet, oleo, quod ante ſepulchrum in lampade ardet, os illi à Fratribus inungendum curat, mox tumor abſcedit: vixque domum reuerſus ad priſtinam incolumitatem redit. Apollonia quædam de Lincis, cùm in furias acta, domeſticos vnguibus, ac dentibus aggrederetur, Margareta Filia beati Viri opem, voto emiſſo, implorat; ac protinus ſanæ menti redditur. Franciſcus Cæſius ab Antredoro, iſchuriâ, ac lotij

retentione tam grauiter laborans, vt octo dierum ſpatio nihil prorſus vrinæ effunderet, ad B. Viri opem confugiens, eodem temporis momento integræ ſanitati reſtituitur. His pleraque alia ad B. Viri inuocationem patrata miracula accedunt, quæ breuiùs indicare ſufficiet. Hieronymus, Polidori Palermi filius, pedibus impotens, ad B. Viri ſepulchrum delatus, pedum ſtatim vſum recipit, atq; eiuſdem filia à Dæmone liberatur: Doralicis Viterbienſis filia, pedum vſu carens, ſanatur: Beatrix Melcia ab vtriuſq; auris ſurditate curatur: Lucia à S. Paulo à graui cephaleâ; Horatius Carpenia à vehementi ægritudine; Flaminiæ Cœſiæ filius boâ periculosè laborans; Mariana Senenſis à tibiarum dolore; Flaminius Nigriſellius febricitans; Conſtantinus Pincellius à graui gutturis morbo; Lucretia Ferreria à manus apoſtemate; Laura Bertia Papienſis ab vberis morbo; Stephanus de Thomatis à peſtilenti febre; Lauræ Rondoninæ filius à febri, ac fluenti pituitâ; Ioannes Germanus à brachij vlcere; Franciſcus Alexius à tormentario puluere in faciem emiſſo; Maria quædam à morbo vniuerſali, & hemicraniâ; Marcus Antonius de Fratis à febri phreneticâ; Frater Dionyſius à Monte Falco, ex noſtris iam moribundus; Iuſtina Mutia ab oculorum ægritudine, & ſtomachi languore; Lucia Senenſis à peſtilenti febre, & phreneſi; Antonius de Benedictis à Cantalice, febri, ac grauiſſimo femorum dolore laborans; Ioannes Baptiſta Caſanoua; Frater Conſtantinus, Anglus Capucinus; Arſilia Aluara; Alexander Albertinus; Anna Thomaſia; Iuſtina nubilis iuuencula, à diuturnis, ac periculoſis febribus; Dominicus Coderonus ab herniâ; Scipio Sigillinus à brachij contractione; Fr. Ioſephus à Lanciano, ex noſtris Clericus, à tonſillis; Antonius Spania plurimis ab hoſtibus vulneribus confoſſus, B. Virum inuocans; abſque vulnere conſpicitur; Fr. Ioannes Setianus, ex noſtris Laicus, ſeptennio ægrotans; Virgilius puer è ſublimi loco delapſus; Mulier quædam Martha nomine, ſtomacho, ac reſpirandi difficultate laborans; Cœcilia de Nannis totius corporis impotens; Syluia de Antoninis diuturnâ nephritide afflictata; Lucretia Creſcentia calculi morbo oppreſſa; Adrianus de Lucijs, & Anna Maria Cupaya, vterque ob acutam febrem ſpe ſalutis deſtitutus; Antonius Mataranus lethaliter ægrotans; Puer anniculus à faucium præfocatione; Angela Marciaria à pituitæ fluxu, & ſtomachi dolore; Andreas Scatecinus à pleuritide; Diamas quædam à femorum, ac tibiarum contractione; Paula Campeſia carcinomate tabefacta; Barbaræ Calliariæ filius à cachexiâ, & infirmo

totius corporis ſtatu; Iulius Beanconius, lethali vulnere ſaucius; Iuuencula in oppido Reucri lue affecta; Alexander Ceraſa graui morbo oppreſſus; Nicolaus Bertaciolus à tibiæ vlcere; Ioſephus Ricardellus à diuturnâ febre; Magdalenæ Capaciæ filia ad Medicorum deſperationem ægrotans; Tridentina Ciuitas à peſte graſſante; His Dariam Ciocheram libet adnectere, quæ cùm à totius corporis imbecillitate B. Felicis meritis ſalutem impetrâſſet, hac iterum conditione orationem repetit; vt ſi ad animæ ſalutem prior illi ægritudo ſit potior, redeat illa; ſin ſecus, valetudo ſtet. Res profectò mira: mox enim redit infirmitas, & quæ læta fulcra dimiſerat, lætior eadem repetit. His itaque breuiſſimè, quoad fieri potuit, enarratis, innumera etiamnum miracula explicanda ſuperſunt, quæ ex olei, quod ex lampade ante B. Viri ſepulchrum collucente hauritur, vnctione vndique emanant. In his illud inprimis memoriâ dignum, quod de Gabriele, Laurentij Bolegnoli Romani Ciuis filio quatuor annorum puero, certâ Medicorum fide probatum eſt. Hic cùm in incurabilem cœcitatem incidiſſet, voto ad B. Virum emiſſo, oculiſq; lampadis oleo inunctis, oculorum lumen aſſequitur. Hieronymus quoque Mineræ Mancratinæ filius, malignâ, ac peſtilenti febre correptus, lampadis oleo inungitur; votoq; à matre emiſſo, eo tempore moribundo puero B. Felix perſplendidus apparet, his eum verbis excitans: Hieronyme, Crucis te ſigno obſigna, ac Orationem Dominicam recita; ſi id egeris, nequaquam morieris: quod cùm puer pręſtitiſſet, poſtridie è lecto incolumis ſurgit. Petrus à Nicola puer, acutiſſimâ febre, ac tantâ neruorum contractione laborans, vt in lecto planè immobilis iaceret, oleo lampadis inunctus, ſub veſperum moribundus, manè à neruorum contractione à febri, ac tandem à mortis faucibus liber, & incolumis è ſtrato ſurgit. Dominicus Florus cùm ad ſextum vſq; menſem febri, & apoplexiâ in lecto oppreſſus iacuiſſet; poſt hæc cancro dexterum circa latus affectus, is quinto abſque vllo linguæ vſu die moribundus iaceret, B. Viri lampadis oleo inunctus, protinus integræ ſanitati reſtituitur. At hactenus enarratas, ſin minus virtute, ſaltem dignitate ſuperat incolumitas, ſeu potius vita poſt mortem cuidam puellæ, Gaſparis Bellintani filiæ reddita, ac ſeptem teſtium iuramento firmata. Hæc tres annos nata, cùm febri continuâ, ac dyſenteriâ grauiſſimè affecta eſſet, nullâ Medicorum operâ iuuari potuit; quin repentino naturæ deliquio intercepta, in patris ſinu animam funderet: cùm ergò frigeſcente, ac obrigeſcente iam corpore, nulla vitæ ſpes ſupereſſet;

Pater

Pater voto ad B. Felicem nuncupato, puellam ſuo lampadis oleo perungit, ac mox puella reuiuiſcens, oculos ad patrem deflectit; quem plorantem cernens, ait: Cur, pater gemis? lachrymas terge; non ego mortua ſum; ſed Beati Felicis gratiâ viuo: is mihi nunc vitam, ac ſalutem reddidit. Cumque hoc ipſo tempore veſtes poſtulâſſet, à febre, dyſenteriâ, atque ab omni morbo penitùs ſoſpes, domum, ac viciniam circumiens, hiſce verbis complet: O Viri! Deo, ac B. Felici gratias agite, qui me ſaluam, & incolumem præſtitit. Eorum porrò, qui ex certo mortis periculo, huius olei vnctione, liberati fuêre, quamuis certus numerus præſcribi nequeat; nonnullos tamen indicabimus; inter quos ſunt Franciſcus Paſqualettus, Lucretia Termulina, Victoria Creſcentia, Bernardinus Maſſa, Felix Reucellius, Vincentius Gallus, Clementiæ Romanæ filius, Lucretia Angeli Cechalij vxor, Ioannes Baptiſta Iacobius, Iacobus Bartorellus, Antonius Bacenellus, ſex Franciſci Mendozzæ filij ad mortem ægrotantes, Ioannes Antonius Coſta, Petrus Cecius, Franciſcus Cerrius, Carolus Caputus, Philippa Maneria, Angelus à Sepino, Magdalena Vrſina, Iacoba Moſchetolia, Dominicus Marcordus, Franciſcus Bragalius, Carolus Lauretus, Franciſcus Spanus, Franciſcus Luxorius, Hieronyma Cloiq, Simon Cubrega, Fr. Marcus Mantuanus, ex noſtris Laicus, Iacobus Lucianus, Hieronymus Aloyſij Quarengi filius, Antonia Dominici Luciani filia, Maria vxor Gaſpari Dragonini, Felix Iacobi Polleſini vxor, Iuſtinopoli Iuriſperiti cuiuſdam Dalbelli filius, Hieronymi Poſini filia, quæ triduo (vti creditur) defuncta, ad vitam reuocatur. Ioannis Zartai filia, Franciſcus Sabba, Hieronyma Carta, Simon Cabitza Sacerdos, qui pretioſâ hac olei vnctione ab interitu vendicantur. Aliorum verò, qui varijs languoribus oppreſſi, diuinam hac vnctione curationem acceperunt, breuem quoq; libet indicem texere. In his ſunt Nicolaus, Ioannis à S. Nicolao filius, neruorum contractione languens; Vrſula Pocauena ſtrumis laborans; Prudentia Vrbinas altero brachio manca; Angela Ricarda à totius corporis tremore; Auguſtinus Sperantia à colico dolore; Auguſtinus Naue à cephalalgiâ, & iterum à colicis doloribus; Euphraſia, Ioannis Baptiſtæ Senenſis vxor, ab vniuerſali morbo, & ab icteritiâ. Vitalis Fracaſſa ab argemate incurabili, Horatius Vrſinus ab arthriticâ; Cœcilia Riccia à nephritide, ſtomachi, & laterum dolore; Victoria Cantuccia ab oculorum cœcitate; Gabriel, Laurentij Bolignoli filius, oculorum luce orbatus; Franciſcus Vendetius Anticolenſis ab vl-

cere; Octauius Alexandri Mataratij filius à tonſillis; Margarita Vngara à graui lapſu; Maria, Prdentiæ Palermæ filia, à ventriculi dolore; Franciſca, Andreæ Sagreſtani filia, à grauiſſimo ſtomachi languore; Margarita Peligrina Romana à cephaleâ; Clarix Gamerea à pedum tumore; Laurentij Anelij filius à febri, & aſthmate; Dionyſia Æſina à nephritide.; Eliſabeth Cicania ab vniuerſali morbo; Aſcanius Roſius à febri continuuâ; Ioannes Baptiſta, Vrſolinæ Cæſennatis filius; à lethali ægritudine; Felix Reucillia à peſtilenti febre, & lienteriâ; Ioannes Baptiſta Barberius ſæpè à calculi morbo; Victoria de Sanctis filia à porrigine; Stephanus Anſelmus à ſiriaſi; Franciſcus Griffonius à cauſo, & tibiæ tumore; Beatrix, Annibalis Politiani vxor, à diarrhæâ; Lucinia, Bartholomæi de Rubeis vxor, à graui cephalalpiâ; Catharina Naldra à tibiæ tumore; Rinaldus Alphonſus Neapolitanus à ſerpenti morbo; Franciſcus, Mariæ Amadei filius, à boâ peſtiferâ; Eliſabetha Simonis Riccij vxor, à corporis tumore, & colicis doloribus; Angela Chrauenna à nephritide, & ſtomachi languore; Gentilis, Franciſci Caſſiani filia, à febri, & ſanguinis vomitu; Porſia, Sacardini filia ab acutâ febri; Camilla Micarella ab alterius auris ſurditate; & iterum ab oculorum inflammatione; Matthia, Franciſci Tanij vxor ab acutâ febri; Franciſca Pina ab alterius femoris dolore; Virginia Thomaſina ab vberum vlcere; Bona Rauennas à leui pedis tumore; Iulia Mauota à multiplici languore; Victoria Gramola à nephritide; Bartholomæus Mutius, & Catharina Morella à tibiarum vlceribus; Paulus Thomaſinus ob lapſum quendam languens; Maria Angelina carcinomate affecta; Magdalena Iuliana à pituitæ fluxu; Franciſcus Balduinus à graui apoſtemate; Hippolyta Nurſina ab argemate; Apollonia Rubea, Maria Monialialium S. Luciæ in Siciliâ Procuratrix; atque eiuſdem Mariæ nepos à catarrhi fluxu; Iacobæ à Furno filia à coxendice; Perna Ranaldia à cauſo, & pleuritide; Vincentius Sgallia, & Ioannes Baptiſta, Venturæ à S. Martino filius, à phreneticâ febri; Pompilius Abbatius à leui oculi cœcitate; Horatius Picus pedibus mancus; Franciſcus Sanitas ab apoſtemate; Carolus, Romanini à Ruſcinone filius à porrigine; Victoria Lauagna à graui femoris vlcere; Petrus Paulus Boius à poplitum dolore; Martinus Eſquirius à podagræ cruciatu; Helena Carta à pedum vlcere; Ioannis Moroſi filius à multiplici vlcere: Franciſca, Iacobi Scalarij vxor ab odontalgiâ: Maria, Iacobi Dragoniæ, & Dominica Petrotech à partus dolore: Ægidius Iuſtinianus Auguſtinianus, & Victoria

Lauagna, à graui crurum vlcere: Martinus Eſquirrus à podagræ dolore: Helena Carta à prodigioſo pedum tumore: Georgius Piſſamanus altero brachio captus: Philippus Vvlacarius Medicus diu faſcino oppreſſus: Laura Bratia febricitans: Guilielmi Piſtoris filia in tumorem conuerſa: Franciſcus Caponius ab iſchuriâ: Antonij Olueti calceolarij vxor à pectoris paſſione: Auguſtinus Cauolotus ab animi defectu: Clara Conſolata à pituitâ in ſtomachum defluente: Bartholomæus de Ambroſijs à narium profluuio: Dominica Marſacia à diuturnâ febre: Ludouica Sartoria ab vberum dolore: Angela de Sartorio ab alterius oculi cœcitate: Iacobi Durandi filia à fiſtulâ: Dominicus Roſſinus Pictor moribundus: Franciſcus Leardinus à neruorum contractione: Suſanna Monialis in Monaſterio S. Dominici vrbis Veronenſis, à repentinâ cœcitate: Thadæa in eodem Monaſterio Monialis diutino languore curua: Marius Morandus à graui ægritudine, atque eius filia à mortis articulo: Margarita Orlandia à febri, & tonſillis: Petri Lancini Mercatoris vxor ab vniuerſali totius corporis morbo: Franciſcus Zinus à febri, & podagrâ: Iacobus Viualdij ab humerum dolore: Florina Parmenſis à tibiæ vlcere: Marci Antonij Fallerij filius à lethali morbo: Ioannes Baptiſta Ioannellus à graui pituitæ fluxu: Stephanus Tilletus, & Guilliermini Garnerij filius Sauillianenſes à ramicis morbo: Ioannes Belga à delachrymatione: Antonij Mantuæ filia ab argemate: Lucia Pauli Furlani vxor à colico dolore, & amentiâ: Carolus Malaſpina Marchio à graui ægritudine, atque ipſius mater à cephaleâ: Ioannes Baptiſta Pignola mortiferè ægrotans: Dominicus Beccanus à certo mortis articulo: Alexander Caſtellanus Pictor agonizans: Iacobus Moſellus à laterum dolore: Ioſephus Maraſcaldus ob lethale bombardæ vulnus morti à Phyſicis adiudicatus: Fr. Fortunatus Clodienſis, noſtri Ordinis Laicus, à peſtilenti febre: Canonicus Neganus Veronenſis Eccleſiæ, poſt extremæ Vnctionis Sacramentum, & animæ commendationem, hoc oleo inunctus incolumis redditur. Pleroſque alios hoc modo diuinâ virtute curatos, ob inſtitutam breuitatem, prætereo, quorum catalogus apud noſtros integer, ac probatiſſimus aſſeruatur; innumeris interea alijs prætermiſſis, de quibus nulla apud nos memoria extat. Denique tam ingens de illius ſanctitate, non modò apud omnes, tam vulgares, quàm illuſtres Viros; verùm etiam apud ipſos Romanos Pontifices ſemper opinio percrebuit; vt in primis Sixtus V. grauiſſimus Pontifex, Cardinalium aliquando

coronâ ſtipatus, ante ipſius Beatificationem, ad ſepulchrum S. Viri genuflexus orauerit. Poſt hunc Gregorius XV. ibidem, quemadmodum & prior Sixtus V. genuflexus orationes fuderit; hæc poſt orationem verba addens: Nos plurimum huic Viro debemus, eò quod ipſius interceſſione ſingularem à Deo gratiam tulimus. Quamobrem, cùm à ſui Pontificatus exordio argenteam imaginem ipſius ſepulchro inferendam iuſſiſſet, ipſum radijs circa caput emicantibus depingi, ac Beati titulo, quo ab omnibus paſſim appellabatur, inſigniri permiſit. Poſtremus tandem adhuc ſoſpes Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, cui Capucinorum Religio inter alias plurimùm debet, Anno Domini 1625. hunc Dei ſeruum, Beatorum honore, & gloriâ accumulat per Bullam, quæ incipit; In ſpeculâ &c.

Fr. RVFFINI GALLARATENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER RVFFINVS à GALLARATO, Laicus, honeſtis parentibus natus, futuræ vitæ, ac ſanctitatis ab ipſâ pueritiâ, velut quædam præludia iaciebat; cùm enim ſeptem tantùm annos natus, cum paruulâ ſorore aliquando in vineam proficiſceretur, lupo aduentante, ſoror cœpit paueſcere. Cui ille: Ne expaueſcas, inquit: Salutationem tantùm Angelicam, quam à matre didicimus, deuotè perſoluamus; nihilque nobis lupus nocebit. Cùmq; genuflexi Angelicam Salutationem recitâſſent; mox Beatiſſima Virgo inter eos media apparet, quæ metum omnem propulſans, lupum fugat, ſaluoſque domum reducit. Ex quo tanta puero virtus aduerſus lupos deinceps acceſſit, vt eos ſolâ voce fugaret. Vix autem ad primæ adoleſcentiæ annos peruenit, cùm ad Sacram B. P. N. Franciſci militiam profugiens, Minorum Conuentualium albo ſe inſcribendum curat; vbi ad 18. vſque annum inculpatam, ac virtutibus plenam vitam duxit: quo tempore, cùm melioris, & arctioris obſeruantiæ ſtudio allectus, B.P. ſibi veſtigia ſequenda propoſuiſſet, horrendâ pij, ac deuoti cuiuſdam Fratris Organiſtæ viſione commotus; nec non poſt iteratas ad Deum preces, ad Capucinos tranſuolat. Qualem verò is inter nos vitam duxerit, quàm piam, quàm humilem, quàm pauperem, quàm incul-

patam, quàm patientiâ, manſuetudine, charitate, ac cæteris virtutibus plenam, haud ſanè facilè eſt referre: familiaris ſiquidem illi erat à carnibus abſtinentia; familiaria in pane, & aquâ ieiunia, quibus omnes ſextas ferias, ac Sabbathi dies, ac plerumque integras S.P.N. Franciſci quadragenas addere ſolebat. Familiaris quoque altiſſima rerum paupertas, cuius amore tantoperè afficiebatur, vt ſandalia multis corij præſegminibus ad 40. vſque annum reſarta, nunquam mutauerit. Familiares carnis macerationes, quibus ita domeſticum hoſtem proſequebatur, vt eum flagris quotidie cæderet, laboribus tereret, frigore propemodum enecaret. Familiare ſilentium, & ſolitudo, cui tam aſſiduè ſtudebat, vt ab omnium, quoad fieri poterat, ſe conſuetudine ſubduceret. Familiaris charitas, quâ vrgente febrim, quâ aliquando Ludouicus Fareſius, Fratrum Medicus, laborabat, incolumitate illi à Deo precibus impetratâ, in ſeipſum tranſtulit. Familiariſſima denique oratio, cuius adeò ſtudio oblectabatur, vt cùm robuſtiorem ætatem nactus, maiorem noctis partem in eâ inſumeret, ætate ingraueſcente, cùm minùs diurnis laboribus aptus erat, dies, noctesq; perpetuæ orationi conſecrâſſe videretur. Hinc eum pleriſque à Deo donis, ac præſertim Beatæ Virginis viſione, ac colloquio, dum orat, cohoneſtatum fuiſſe, communis olim fama fuit. Ecſtaſes enim, & mentis exceſſus ſæpè paſſum, vel vnico rei exemplo comprobari poteſt. Cùm enim Fr. Nazarius Herbenſis, Sacerdos, eum in cellâ adijſſet, adeò à ſenſibus alienatum comperit, vt ad ſenſus reuocare nequiuerit: quinimò repentino quodam mentis terrore perculſus, retrocedere cogeretur. Prophetico tandem illum ſpiritu à Deo illuſtratum, quamplurimi rerum euentus, ab eo prænunciati, non obſcurè teſtantur. In his primùm ſe offert, quod cùm Fr. Gaſpar Mediolanenſis, Sacerdos, fratrem germanum ad mortem ægrotantem, Ruffini precibus commendaſſet; is noctu pro ægro precibus Domino oblatis, manè Gaſparo fratris incolumitatem ſignificat. Hoc modo & Fr. Auguſtino Aſtenſi, qui orta inter germanos ipſius fratres diſſidia, eiuſdem precibus impenſius commendauerat, poſt orationem pacata, ac pacem inter eos initam eſſe renunciat. Hortenſiæ Rozonicæ filia erat tres annos nata; quæ cùm graui apoſtemate ad mortem laboraret, mater pro illius incolumitate Ruffini ad Deum preces efflagitat. Cui Ruffinus ſoſpitatem protinùs pollicetur. Euentus è veſtigio dictum comprobat: nam eodem die, diſrupto apoſtemate, ægra priſtinæ ſaluti reddita fuit. Calidoniæ Veſtarinæ, grauem tibiarum languorem, ac

diuti-

diutinum dolorem prædicit; quæ cùm diris, ac diuturnis crurium doloribus tredecim annorum ſpatio vexata fuiſſet, Ruffini verba, ſibi olim diuino ſpiritu dicta cognouit. Geminæ Octauiæ Triuultiæ filiæ erant, quas boæ morbo grauiſſimè correptas, cùm illa per internuncium Ruffini precibus commendâſſet; is poſt Sacram Dominici Corporis Communionem, nuncio his verbis reſpondit: Reuertere, fili, ac Dominæ tuæ renuncia, filiarum alteram breui à Deo ad Superos aſſumendam; alteram verò quamprimùm ſuperſtitem illi ad ſolatium relinquendam. Res ita ad amuſſim contigit, vt, nuncio adhuc Ruffini verba referente, ex his altera animam exhalauerit, altera futuræ incolumitatis ſigna dederit. Eadem quoque ante annum, cùm pro Theodoro Triuultio, olim Principe, nunc verò & S. R. E. Cardinali, albis papulis periculosè laborante, ipſius apud Deum opem implorаſſet, futuram illius incolumitatem accepit. Mariani Marchioniſſam maximo in vitæ diſcrimine verſantem, ad priſtinum ſalutis ſtatum reuocandam prędicit. Iacobus à Foroſarcinio, noſtri Ordinis Generalis, in Mediolanenſi Conuentu in grauem morbum inciderat; ex quo cùm moriturus crederetur, Ruffinus Dionyſium Mediolanenſem Generalis Socium his verbis affatur: Nihil, Dionyſi, de Generalis vitâ modò metuendum; breui namque ex hac ægritudine liber conualeſcet: Neque enim Mediolanenſis, ſed Genuenſis vrbs Patri ſepulchrum parat. Res porrò dictum confirmauit. Cùm aliquando Laicorum Nouitiorum curæ pręfectus eſſet, Nouitius quidam grauiter à Dæmone tentatus, Ruffinum adit: at Ruffinus, quid Nouitio accidiſſet, diuinâ reuelatione edoctus, eidem obuiam procedens, cùm primùm illum accedentem conſpexit: Veni, inquit, veni, fortis Chriſti miles; diabolicum certamen viciſti; coronam à Domino accipies. Cumque manum illius capiti impoſuiſſet, ab eo mox tentationem fugauit. Quod ſæpè alijs quoque Nouitijs præſtitit. Poſtremò, nepoti grauiſſimo morbo laboranti incolumitatem pollicetur; ſeq; priuſquam Mediolanum appellat, vitæ finem impoſiturum prędicit. Res ita accidit: ille namque ab ægritudine liber, cùm ad Ruffinum Mediolanum profectus eſt, pridiè vitâ functum offendit. His, atque alijs Dei donis abundè cumulatus, cùm fidelis hic Dei ſeruus vitam omni cum virtutum, ac ſanctimoniæ laude ad octogeſimum vſque annum produxiſſet, eam iuſtorum tandem morte concluſit; oransque à Dominò lethi finem accepit: Diuinâ enim cùm iam reuelatione accepiſſet, ſe hinc repentinâ, ac improuiſâ morte tollendum, quod &

Fratribus aliquando prædixit, quotidiè ſe ad Domini aduentum ſacro Domini Sacramento, atque aſſiduâ oratione parabat. Neque id fruſtra: Deus namque intempeſtâ nocte, tanquam fur adueniens, cùm flexis genibus, ac tenſis ad ſidera palmis ſuper lectulo orantem offendiſſet, illum eodem in corporis ſtatu genuflexum, ab oratione ad cœleſtium fruitionem transfert. Obijt in Conuentu S. Victoris vrbis Mediolanenſis præclarus hic Dei ſeruus. Quo tempore Monachi S. Victoris, Oliuetani inſtituti, pleraque ex Capucinorum domo, tùm ad cœlum aſcendentia, tum ab eo deſcendentia lumina ſpectant. Quorum dum myſterium ignorant, die illuceſcente ad Capucinos conuenientes, Ruffinum eâ nocte ex humanis migrâſſe audiunt, atque in aſcendentibus, & deſcendentibus luminibus Angelorum miniſterium addiſcunt. Illud verò maximâ tunc admiratione dignum accidit. Etenim cùm Fratres defuncti tum genua, tum brachia, ſummâ vi extendere, ac cæterorum corporum more in feretro componere contenderent, id nullâ arte vnquam aſſequi potuerunt: Genua namque, & brachia, quantumlibet extenſa, iterum ad priorem ſtatum redire videbantur; neque aliam, præterquam orantis corporis poſitionem ſibi comparabant. Quo factum eſt, vt cùm primùm in Eccleſiam Fratrum humeris delatus fuit, is in feretro genuflexus, ac tenſis in cœlum manibus, non mortui, ſed orantis ſpeciem præſeferret. Cui tandem cùm iuſta de more perſoluta eſſent, Cœmeterij humo in orbem defoſsâ, vti erat, genuflexus, eâ contegitur. Biennio verò poſt illius mortem, dum alteri Fratri defuncto ſepultura paratur, humum fodientes, ligone imprudenter Ruffini pedem vulnerant; quo ex vulnere cùm ſtatim ſanguis erumperet, corpus exhumant, integrumque, & incorruptum conſpiciunt. Cæterùm, quantis fidelis hic Dei ſeruus apud Deum meritis præfulſerit, pleraque ſigna, atque miracula ab eo poſt mortem patrata declarant. Inter hæc memorabile illud de Calidoniâ Veſtarinâ refertur, quæ aliquando acutâ febre, ac dyſenteriâ laborans, cùm ſiti exardeſceret, Dæmon pediſſequi pueri formam aſſumens, vas illi aquæ propinat; at illa ignotam ſibi pueri, quem domeſticum non haberet, faciem conſpiciens, Dæmonis protinus fraudem ſuſpicata, puerum cum aquâ repellit: moxq; B. P. Franciſcus ſacris ſtigmatibus inſignitus apparens, Dæmonem fugat, ſuamq; opem ægrotanti pollicetur. Vix ab eâ S. Franciſcus digreſſus fuerat, cùm Tartareus hoſtis, aſſumptâ Cardinalis ſpecie, iterum ad ægram accedit; eamq; ob vanum, & curioſum ornatum, ac retortos crines,

quibus olim, dum iuuentâ floreret, vanè oblectata fuerat, tam grauiter accuſare cœpit, vt ægra eâ accuſatione perterrita, repentè è lecto exiliens, vtrâque manu capillos, quos circa tempora gerebat, ſibi euelleret; ac longè à ſe proijciens, Dæmoni diceret: pro capillis accuſas: en tibi capillos, antiquæ vanitatis fomenta, iam accuſare deſine. Porrò, tam ingens illi hoc tempore ex Dæmonis aſpectu, & accuſatione terror animo exortus fuit, vt ipſius lingua retrorſum inuerſa, ſummitate fauces attingeret. Poſt hæc Dæmone abſcedente, cùm ægra ad lectum redijſſet, paulò poſt Fr. Ruffinum ſimul cum B. Felice è Cœlo deſcendentes, ac ſibi benedictionem impertientes cernit. Cui Ruffinus: Calidonia, inquit, in Domino confide; neque hoſtem metuas. Hic, quem vides, B. Felix eſt: breui ex hac ægritudine conualeſces. His dictis, cùm ægram conſolati eſſent, in Cœlum redeuntes, linguam ad priſtinum ſtatum reuocant, ac non multo pòſt tempore ægrotæ incolumitatem conferunt. Calidonia verò, cùm ſuâ pietate Ruffini pallium ſibi promeruiſſet, cùm febri, aut alio morbo grauabatur, ab eo ſtatim curabatur: quod ei etiam accidit, cùm grauiſſimâ febre correpta, lethalia ſigna vndique redderet. Viſmara quoque Georgij Coiri vxor, cùm tam iniquâ valetudine afflictaretur, vt extremæ Vnctionis Sacramento inuncta, Phiſicorum ſententiâ incurabiliter ad interitum tenderet; hoc ipſo Ruffini pallio obuoluta, ſtatim incolumis euaſit. Poſtremò, vt pleroſque alios præteream; Cæſaris Zocchij vxor, quæ acutâ febri ita ad mortem ægrotabat, vt ab illius iam Phiſici curatione receſſiſſent, hoc pallio obtecta, poſt ſecundum diem perfectè à febre conualuit.

***



FRATER CHRISTOPHORVS PANORMITANVS F F.
CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. CHRISTOPHORI PANORMITANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER CHRISTOPHORVS PANORMITANVS Laicus, ex Minorum Conuentualium reformatione ad noſtros migrans, tantâ abſtinentiâ floruit; vt à carnibus perpetuò abſtinens, pani, & aquæ vix alium, præter virides herbas, cibum adderet. Tantâ vitæ auſteritate, vt communi flagellatione non contentus, duarum, vel trium horarum ſpatio corpus diris flagellis cæderet, horridumq; ſub veſte cilicium gereret. Tantæ denique, ac tam aſſiduæ orationis vir fuit, vt breuiſſimo ſomno contentus, totam ferè noctem in ſacras vigilias, atque orationem inſumeret. Paupertatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis ſtudia prętereo, quæ tam ardenti animo toto vitæ ſuæ curriculo proſecutus eſt; vt ex eo, tanquam virtutum omnium penu omnes exempla expromere valerent, quæ imitarentur. Hortulani officio fungens, ſæpè dum ligone tellurem proſcindit, ligoni incumbens, humum lachrymis rigat, quas ob Dominicæ Paſſionis meditationem tunc copioſiſſimas fundere ſolebat. In Narino Conuentu, dum ſuam Chriſtophorus in horti culturâ præſtat operam, eum Fr. Michaël Panormitanus, Sacerdos, brachijs in modum Crucis expanſis, in horto orantem, ac ingenti lumine circumfuſum, nec non à ſenſibus alienatum conſpicit. Eundem quoq; Fr. Cherubinus Panormitanus, Sacriſta, ante Crucifixum in ſacello orantem, ac in ſublime elatum cernit. Hanc Crucifixi imaginem, Chriſtophorum orantem aliquando allocutum fuiſſe, communis inter Fratres fama eſt, Chriſtophori ipſius confeſſione probata: qui tamen, quænam ab ea audierit, manifeſtare noluit. His accedat & Fr. Euſebij Terminenſis teſtimonium, qui cùm inter ſæculares adhuc viueret, Chriſtophorum Termini commorantem, poſt pleraſq; laboris horas in angulo orantem, quatuorque è ſolo palmis ſublatum cernens, ita eo aſpectu commotus fuit, vt hoc ſtimulo actus, ad Capucinos ſe contulerit. Plurimas hic à Tartareis ſpiritibus infeſtationes pertulit, qui, vt illum ab oratione noctu potiſſimùm exturbarent, ſub varijs eum formis aggrediuntur. Quo factum eſt, vt cùm

aliquan-

aliquando Panormi in angulo, prope Eccleſiæ fores, orationi vacaret; Dæmon atri Moloſſi ſpecie aſſumptâ, eum quaſi diſcerpturus inuaderet: quem tamen Vir Dei longo vſu, ac conſuetudine agnoſcens, intrepidus expectat; atque aure apprehenſum, tamdiu per Eccleſiam raptat, donec ad Sacroſanctæ Eccleſiæ Altare pertingeret. At vbi eò peruentum, Tartareus ille Cerberus, ſaltu ex illius manibus euadens, euaneſcit. Qualis verò præclarus hic Vir apud Deum meriti fuerit, celebri miraculo multis teſtibus probato, manifeſtum fuit. Cùm enim in Villæfranchæ oppidi Agrigentinæ Diœceſis Eccleſiâ oraret, accidit, vt puerum horribili porrigine laborantem cerneret: quem miſeratus, cùm ad Beatiſſimæ Virginis ſacellum perduxiſſet, ibi lampadis oleo, quod ante Beatiſſimæ Virginis imaginem lucebat, pueri caput inungens, mox tam integrè à porrigine curauit, vt decidentibus cruſtis, ac renatis hoc ipſo tempore capillis, puer incolumis domum redierit. Poſtremò, apud omnes virtute, ac ſanctimoniâ clarus, Panormi diem extremum claudit, Anno 1587. cuius funera tantâ, populorum ad illius ſanctitatis odorem confluentium, turbâ celebrata fuêre, vt habitu, capillis, barbâ præſectis, vix integrum corpus ijs ereptum fuerit, vt communi ſepulturâ donaretur. Cùm verò tertiodecimo poſt ipſius obitum anno, Fratrum corpora, quæ eatenus ſub dio iacuerant, in Eccleſiæ ſepulchrum translata fuiſſent, quadraginta Fratrum, qui iam dudum obierant, corpora, inter quæ illud Chriſtophori probè agnitum fuit, tam integra, ac incorrupta apparuêre, vt in pedes erecta conſiſterent; & quod maiori admiratione dignum, nihil non modò tetri odoris efflarent, ſed potius ſuaueolerent.

Fr. THADÆVS LVCENSIS, Bononienſis Prouinciæ Laicus, de quo illuſtre illud caſtimoniæ teſtimonium legitur, quod iniquâ quorundam hominum arte in cubiculo cum pellice impudicâ occluſus, atque ab eâ modis omnibus ad libidinem prouocatus, eandem ſemper expulerit. Obijt anno 1587.

Fr. VINCENTIVS PERVSINVS, Laicus, in Hetruriæ Prouinciâ, abſtinentiâ, auſteritate, atque oratione clarus, cùm multis à ſatanâ tentationibus probatus eſſet, vitam cum virtute initam, pio fine concludit, Anno 1587.

Fr. PACIFICVS THEANENSIS, Laicus, vitæ curſum omni cum virtutum laude tranſactum, ſimul cum Dei laudibus claudit Anno 1587.

Fr. MASSÆVS MATTEOLENSIS, Laicus, virginitatis, atque animi puritatis candore clarus: cuius poſt mortem caro mollis, facies decora, vitaque cum omni virtute tranſacta Grottaliæ Clerum, populumque ad ſui venerationem pertraxit. Obijt anno 1587.

Fr. BERNARDINI TREBIATIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER BERNARDINVS à TREBIA, Laicus; Huius (inter alias animi virtutes, quibus egregiè exornatus fuit) admirandum planè erat orationis ſtudium: quo tantoperè afficiebatur; vt nullum ab oratione vacuum ſibi tempus elabi pateretur. Hinc fiebat, vt ſæpiſſimè in die diuino ſpiritu actus ab horto ad Eccleſiam aduolaret: vt diuinam Chriſti Maieſtatem, in Sacramento latentem, profundiſſima tum animi, tùm corporis adoratione proſequeretur. Eodem quoque ſpiritu Dei agente, quoties noctu è ſomno euigilabat, toties è lecto ſurgens, Eccleſiam oraturus adibat. Hac Sacroſanctæ Euchariſtiæ religione permotus, Sacerdotes, tanquam Dei miniſtros, tantâ reuerentiâ proſequebatur, vt eos propiùs accedere vereretur. Quaternas, ac quinas ante Sacrum Euchariſtiæ Altare orãdo, horas impendere, tam breue temporis ſpatium exiſtimabat, vt cùm herniâ grauiſſimè affligeretur, nullum in eo cruciatu ſolatium ſibi relictum aſſereret, quàm diutiùs in Eccleſiâ orationi vacare: in quâ interdum tam immobilis perſtabat, vt ſenſibus excedere videretur. Tanto denique Chriſti amore flagrabat, vt cuncta quæque pro eo perferendi ardore exæſtuaret. Tantam quoque abſtinentiam colebat, vt cùm pane, & aquâ duntaxat veſceretur, tantâ ſe in eo voluptate affici aſſereret, vt in gulæ vitium incidere timeret. Diris quoque flagellationibus corpus atterebat, cæterosq; ad ſimiles carnis macerationes verbo, & exemplo prouocabat. Tam cœleſtis ei ſcientia indita erat, & de rebus diuinis tam altè diſſerebat; vt à quodam aliquando Ordinis S. Dominici Theologo, viro doctiſſimo, de arcano Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio, atque alijs Chriſtianæ fidei Sacramentis, interrogatus, tam appoſitè ad omnia reſponderit; vt Theologus obſtupeſcens, in ea Chriſti verba mox eruperit: *Confiteor tibi, Pater Domine,*

Cœli

Cœli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Vir igitur egregius, cùm ad 70. vſque annum, vitam omni virtutum genere efflorеſcentem, duxiſſet, à B. P. N. Franciſco, in oratione ſibi apparente, quâ die res humanas deſerturus eſſet, admonitus, die 2. Auguſti, quæ illi præſignificata fuerat, dum in horto excolendo laborat, ad præmium euolat. Anno 1588. Sunt, quæ ipſius poſt mortem merita implorantes, optata tulêre: inter quos Hippolytus Herculanus, nephritide laborans, cùm illius ſe defuncti precibus commendaſſet, ac voto ſe illius ſepulchrum veneraturum ſpopondiſſet, ab eo protinùs morbo conualuit.

Fr. ONVFRII A COLLE CRVCIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ONVFRIVS à COLLE CRVCIS, Laicus, cùm purus ad Religionis ſinum acceſſiſſet, purior in eo perſeuerans, mentis candorem multis virtutibus illuſtrauit. Hic dum horti culturæ incumbit, maiori animum culturâ exercens, tam angelicas, ac cœleſtes cogitationes mente verſabat, tamque aſſiduè Deum, tum voce, tum animo laudabat; vt Angelus ipſius humeris inſidere viſus fuerit. Paupertate, vitæ auſteritate, atque abſtinentiâ ita fuit illuſtris, vt tam hyberno, quàm æſtiuo tempore, nudis pedibus abſque ſandalijs incederet; & vniuerſa Eccleſiæ, & Regulæ ieiunia ſolo pane, & aquâ contentus coleret. Oratione tandem vſq; adeò præcelluit, vt quo tempore is in Spoleti Conuentu moras trahebat, cùm ſæpè in ſyluam oraturus ſecederet, eum aliquando Vincentius Fulginas altiùs arboribus in ſublime elatum, ac per iactum lapidis, fulguris inſtar ad Crucem, quæ altiùs in ſyluâ prominebat, raptum conſpexerit: aliàs quoq; in aëra trium cubitorum menſurâ ſublatum cerneret. Hoc porrò cœleſtis vitæ curriculo, cùm ad 40. Religionis annum perueniſſet, ſanctimoniâ clarus ad Deum conceſſit Anno 1588. Plurima à Deo ob ipſius merita poſt mortem à pleriſq; impetrata, noſtra M. S. tradunt. Id verò reticendum non eſt, quod octauo poſt illius obitum anno elapſo, ipſius corpus tam integrum, atq; incorruptum inuentum fuit; perinde, ac ſi pridie illius diei in ſepulchro conditum fuiſſet.



FRATER RAYNERIVS A BVRGO S.ti SEPVLCRI FF.rum
CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. RAYNERII A BVRGO S. SEPVLCHRI, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER RAYNERIVS à BVRGO S. SEPVLCHRI, Laicus, clariſſima Seraphicæ Religionis gemma, tam præclara geſſit, vitamq; duxit tot cœleſtium virtutum, ac ſignorum ſplendore illuſtrem, vt de illius Beatificatione ſeriùs in Romanâ Curiâ agatur. Pijs ille, ac honeſtis parentibus, licet agreſtibus ortus, Santi in Baptiſmo nomen tulit; perinde, ac ſi iam à Deo ex vtero matris ſegregatus, futuram ſanctitatem nomine ipſo præſignificaret. Puerulus inter alias preces, quinquies Orationem Dominicam, ac toties Salutationem Angelicam, genuflexus quotidie perſoluere conſueuerat, quibus ſacras Chriſti plagas piè venerabatur. Semel verò, cùm huiuſmodi penſo nondum integrè exoluto, bouem quendam cornupetam, ne alijs noceret, ad armentum reuocare vellet, à boue cornibus in altum ſublatus, vix illius furias euaſit: quod cùm is ei tantùm culpæ adſcriberet, quâ imperfectam orationem dimiſerat; mox ad orationem feſtinat, eaq; repetitâ, & integrè abſolutâ ad bouem accedit; quem tam mitem, ac manſuetum deinceps offendit, vt eum quocunque vellet, abſque labore impelleret. Singulis noctibus ad Capucinorum Montis Caſalis Conuentum, qui inde duo millia, non minus, paſſuum diſtabat, per montium prærupta, ac ſalebroſas vias pergens, ibi ante Eccleſiam genuflexus Matutinas Horas, quæ mediâ nocte à noſtris decantantur, deuotè audiebat, nihili improbum, & quotidianum illum itineris laborem, aut frigoris aſperitatem faciens. Intereà, cùm duodevigeſimum annum ageret, à patre coniugio copulatur: verùm cùm virginitatem illibatam ſeruare ſibi in animum induxiſſet, impenſiùs Dominum cum Cœciliâ rogat, vt cor ſibi, & corpus immaculatum cuſtodiat; votoque ſe Deo obſtringit, per integrum ſe menſem in Lauretanâ Beatiſſimæ Virginis Domo operam ſuam nullâ mercede locaturum, ſi hoc maculandæ virginitatis periculum euadat. Haud pijs ipſius votis Dominus defuit: Sponſa enim in cœnâ paſtillis ſeſe præter modum ingurgitante, obſtructâ reſpirationis viâ, eâ nocte animam exhalauit. Hoc pacto Santus à

coniugio liber Beatiſſimæ Virginis promiſſum exoluit. Cùm verò impenſiùs Beatiſſimæ Virginis patrocinio commendaret, Virgo Deipara adſtans, his eum verbis affatur: Sante, quid de Mariâ ſorore ſollicitus es? metu animum exue: ego illius curam geram. Tu verò purum mihi famulatum exhibere ſatage, vt meum quoque patrocinium aſſequare. Contigit verò, vt in Burgo ſancti ſepulchri hoc tempore, Sacrum quoddam de B. Raynerij Ord. Minorum S.Franciſci olim eiuſdem vrbis ciuis vitâ, & geſtis publicè ſpectaculum exhiberetur; quo Santi animus tantoperè excitatus fuit, vt ad Capucinorum Reformationem tranſuolans, Religionis albo inſcriptus, Raynerij nomen ſortitus fuerit. Narniæ probationis annum aggreſſus, varijs à Dæmone, per multorum menſium interualla, tentationibus afflictatus, & expolitus, maximarum virtutum ſplendore clariùs effulgere cœpit. Tanta enim inprimis in Raynerio effulgebat humilitas, vt nemo tam gloriæ cupidus, quàm hic honoris, ac propriæ exiſtimationis oſor fuerit. Hinc ſæpenumerò, cùm ob notam ipſius ſanctitatis famam, turbæ ad Conuentum confluerent, vt vel benedictione, vel ſigno Crucis ab eo ſibi impertito potirentur, tam profundè ſeſe occultabat, vt nunquam ſeipſum, niſi ad ſuperioris iubentis imperium, palam proderet, & Crucis ſignum, quo innumera fermè miracula patrabantur, exhiberet. Atque adeo in ſuiipſius demiſſionem ardenti animo ferebatur, vt familiari cuidam fratri aliquando affirmauerit, tam moleſtos ſibi illos turbæ honores eſſe, vt centum potius ſub humum pedibus demergi, quàm ijs affici mallet. Quàm verò perfecta, & Deo grata eius obedientia eſſet, diuino aliquando miraculo perſpectum fuit. Cùm enim Generalis è Conuentu Montis Caſalis litteras Raynerio, quamprimùm Ameriam perferendas dediſſet; is, vt Patris iuſſa celeriùs exequeretur, ſub Matutinarum Horarum tempus iter aggreditur. Porrò Ameria à Montis Caſalis Conuentu, non minùs quàm 67. millia paſſuum diſtat, quæ vir pedeſter vix triduo conficere valet. Raynerius verò iter aggreſſus, tam celeriter totum illud viæ ſpatium decurrit, vt in eo ſex duntaxat horas inſumpſerit. Humilitatis, & obedientiæ comes caſtitas, vſque adeò in eo emicabat, vt candidum virginitatis florem, quem ex vtero Matris ſecum tulerat, incorruptum omnium voce vſq; ad mortem ſeruauerit. Quod Fratri cuidam poſt Raynerij obitum demonſtratum fuit: qui orans virum Dei, inter Virginum choros palmam geſtantem cernit. Vniuerſæ quidem Virgines illæ palmas in manibus ferebant: at Raynerij grandior,

atque illuſtrior illi palma videbatur ; vtpote qui acriores carnis pugnas perpeſſus, maiores virginitati triumphos accumulaſſet. Tantâ quoque vitæ auſteritate præcellebat, vt cum ipsâ corporum naturâ contendere videretur : communi enim ſeueritate non contentus, durioribus carnem afflictationibus premebat, acrioribus corpus flagellationibus atterebat, inedijs conficiebat, vigilijs extenuabat. Paupertatis rigorem tam integrum, atque inuiolatum ad mortem vſque ſeruauit, vt vix ipſa vitæ neceſſaria admitteret. Simplicitatem, animi candorem, benignitatem, manſuetudinem, patientiam, cæterasq; illius virtutes prætereo: quæ in eo tam mirificè elucebant, vt cùm ei ſimul cum naturâ indita viderentur, cœleſtem planè hominem præſtarent. Charitas verò ipſius nullis coarctata metis, in omnes tenerrimo, quaſi matris affectu ferebatur. Hoc fraternæ charitatis ſtudio, tam ardens in Viro Dei diuini amoris flamma excitata fuit; vt velut rerum omnium oblitus, ſurſum ſemper in Deum ageretur: ita, vt plerumq; à ſeipſo alienus, minùs ea, quæ circa ipſum fiebant, aduertens, cœleſtem inter homines conuerſationem pręſeferret. Ad eum tandem Raynerius, orationis frequentiâ, Diuini amoris gradum aſcendit; vt plerumque tum orans, tum de rebus diuinis cum alijs confabulans, in admirabiles mentis exceſſus raperetur. A primâ noctis vigiliâ, ad ſecundam vel tertiam vſque horam, orationem producebat; tum breui ſomno corpori indulto, ante Matutinas Horas iterum ad orationem ſurgebat. His verò peractis, vel nunquam, vel raro ad quietem rediens, in oratione pernoctare conſueuerat: quo tempore pręclariſſimis à Deo donis cohoneſtatum fuiſſe, pleraque, quæ in Proceſſu Tudertino, & Eugubino referuntur, exempla teſtantur: quorum non nulla referre libet. Tantâ Raynerius in IESVM CHRISTVM Infantulum religione ferebatur (quod non exiguum virginitatis, ac puritatis illius argumentum fuit) vt vel ipſo nomine IESV audito, vel memoriæ obiecto, animo liqueſceret. Quamobrem eo ſemel, in Sacrâ Dominici Natalis nocte, in cellâ ante Matutinas Horas orante ; en repentè adeſt Deus infans, eandem illi, quam in præſepio gerebat, ſpeciem objiciens : cuius aſpectu Raynerij animus, ceræ inſtar, mox ita colliqueſieri, ac diuini amoris æſtu ebullire cœpit, vt illum protinùs proprio ſinu exceptum, tot oſculis peteret, tantâ lachrymarum copiâ perfunderet, vt velut cœleſtibus delicijs ebrius, præter eam, nullam aliam felicitatem ſibi quærendam duceret. Inter has cœleſtes

 volupta-

voluptates, cùm Dei famulus integram horam conſumpſiſſet; en Matutinarum Horarum ſignum datur: quo audito, Infantulo non recedente, is,ne à præſcriptâ Conſtitutionum lege deſciſceret,neque cœleſti illâ voluptate carere vellet, diuinum Infantulum pallio obtectum, ſecum gerens, in Chorum feſtinat: vbi tamdiu illius amplexu, & præſentiâ potitur, quoad Matutinæ Horæ inchoarentur; quo tempore cœleſtis Infantulus euaneſcens, Dei ſeruum incredibili planè gaudio affectum relinquit. Tanta autem illi deinceps cùm IESV infantulo familiaritas fuit, vt iterum in eodem Eugubij Conuentu, cùm in Dormitorij loco, Franciſcum à Caſtrorigonio, Sacerdotem, circa veſpertinam Horam obuium haberet; ab eo ſollicitè percunctaretur, vbinam cœleſtis Infantulus eſſet? Cui Franciſcus: at neque Infantulum vidi. Tunc Raynerius: Nuper(inquit) eum per hunc Dormitorij locum deambulantem conſpexi; qui cùm ad me propiùs accederet, ſubriſu mihi ſe feſtiuum exhibuit. Sed (heu me!) nunc quònam abierit, ignoro. Tamq; in eo quærendo, quaſi altera Canticorum ſponſa, ſe ſollicitum gerebat, vt ſurſum, deorſum, per Dormitorij gradus, atque alia Conuentus loca, tanquam à ſeipſo alienatus, excurreret; neque alias intereà præter inarticulatas V. V. V. voces ederet. Tertiò quoque poſt hæc, in Sacrâ ipſa Dominici Natalis nocte, cùm in Tudertino Conuentu, velut graui curâ ſaucius, Fratri Benedicto à Guardeia, Laico,occurriſſet, ab eodem interrogatus: quidnam illum tam anxium, ac ſollicitum haberet, reſpondit: Infantulum meum ſimul cum Matre quæro; &, donec vtrumque inuenero, animi anguſtiâ premor. Poſtridie verò Benedictus Raynerium ſibi obuiam habens, ab eo expoſcit, num tandem heſternâ die Infantulum offendiſſet. Cui Raynerius: Tunc dubitas? (inquit) & quidem eum cum Matre hilarem, ac feſtiuum conſpexi. Cumq; hæc diceret, quaſi is diuinum Infantulum in ſinu gereret, brachia in amplexus modum circa pectus comprimens, quantam ex ſolâ ipſius memoriâ lætitiam caperet, declarabat. Denique dùm in Tudertino Conuentu Raynerius dirutam maceriam inſtaurat, pergrandis quidam ſilex, cui mouendo vix decem homines ſatis erant,maceriæ ſuperſtruendus erat. Raynerius verò captatâ Socij, qui ſuam illi operam præſtabat, abſentiâ, diuini Infantuli, ad ſilicem in maceriâ collocandum, opem implorat: qui mox è Cœlo dilapſus, cum eo ſilicem mouit, & ſuo in loco ſtatuit. Sæpè aliàs quoque hunc Dei ſeruum Chriſtum infantulum inter vlnas ſuſcepiſſe, Eugubinus, ac Tudertinus Proceſſus teſtantur. Huc ſpectat

illud

illud Virginiæ Sabellæ, illuſtris fœminæ; quæ cùm aliquando in ſuo Montonij oppido, cum Raynerio de diuinis rebus ſermones miſceret, inter alia id illi fortè commemorat, Monialem quandam S. Vincentij, in vrbe Pratenſi, Catharinam nomine, in nocte Natalis Domini, Deum Infantulum in ſinu geſtaſſe. Id ſimulatque Raynerius aure percipit, mox è ſede exiliens, tam vehementi diuinum erga Infantulum amoris impetu rapitur; vt oculis in Cœlum erectis, ac mente excedens, altiùs è ſolo efferri cœperit; ſicq; per tertiam horæ partem in aëra ſublatus conſtiterit. Porrò, ex frequenti diuini huius Infantuli aſpectu, tam ingens in Raynerij animo charitatis flamma excreuerat; vt ſi de eo, vel nomine tenus, mentionem fieri, vel eo præſente ſermonem inſtitui contingeret, velut à ſeipſo alienus, totus diuinâ charitate arderet. His accedat, quod cùm aliquando in Paulæ Benedictoniæ domo Tuderti, ante quandam Beatiſſimæ Virginis imaginem, quæ Dominum Infantulum in ſinu geſtabat, ſeorſim oraret, totâ ſpectante Familiâ, in mentis exceſſum per integræ horæ ſpatium rapitur, defixos intereà in Puerulum ſemper oculos gerens, quò manifeſtum fieret, ea ex diuino Infantulo in eum dona emanare. Poſt hæc ab exceſſu mentis rediens, Paulam monet, vt illam Beatiſſimæ Virginis imaginem ſummâ diligentiâ cuſtodiat, eò, quod ad verum Deiparæ prototypon, quod Vir quidam (ſeipſum reticens) conſpexerat, propius accederet. Ex quò facilè colligi poteſt, ſæpius illum, iuxta communem omnium vocem, ſacræ Deiparæ pręſentiâ potitum fuiſſe. Denique, quoad vita illi comes fuit, Chriſtum Infantulum, ac Diuam Matrem, tam ardenti pietatis ſtudio proſecutus eſt; vt vtriuſque, & Chriſti Infantuli, & Matris Infantulum geſtantis effigies, lapidi diuinitùs inſculpta, in ipſius felle poſt mortem reperta fuerit. Beati quoque P. N. Franciſci pręſentiâ, & colloquio, dum in Conuentu Nurſino orat, dignatum fuiſſe, vterque vitæ ipſius proceſſus confirmat. Ligneam quoque Chriſti Crucifixi ſtatuam Anno 1558. Fratribus genuflexis, ac diuinam benedictionem poſt Epiphaniæ ieiunium poſcentibus, dexterâ manu è Cruce ſolutâ, benedixiſſe, Raynerio ipſo tunc pręſente, atque atteſtante didicimus. Tanto interdum Vir Sanctus diuini amoris æſtu agitabatur, præſertim, cùm prima ea Dominicæ Orationis verba: Pater noſter, tum illa: Fiat voluntas tua, proferret, vt velut ebrius huc illuc curſitaret. Cæterùm tam incredibili Dominicæ Paſſionis memoriam mentis pietate complectebatur; vt cùm ligneam Chriſti Crucifixi ſtatuam, in nouâ, quam parauerat, Cruce

aliquando in Eugubino Conuentu, clauis configeret, repentè ex ſtatuæ manibus, ac pedibus tam abundè ſanguis exilierit, vt per Crucem decurrens, in ipſius manicam defluxerit. Diuinæ verò potiſſimùm flagellationis myſterium tàm piè ſibi colendum præſtituit; vt non ſemel, ſed iterum, atque iterum Domini flagellatione, quæ ex antiquâ PP. traditione 6666. verberibus conſtitiſſe legitur, per 6. horarum interualla, nunquam intermiſſo verbere corpus attriuerit, vt ex Tudertino proceſſu manifeſtum eſt. Diuinæ huius flagellationis memoria quàm Deo grata fuerit; poſt B. huius Viri mortem miraculo declaratum fuit. Chriſti enim columna, ſanguine conſperſa, lapidi, qui in ipſius felle repertus eſt, diuiná virtute inſculpta, flagrumq; eiuſdem formæ, quâ Capucini vti ſolent in ipſius corde cœlatum, conſpecta fuere. Quantus verò Satan omnia periclitabatur; vt Virum Dei ab oratione auocaret; nihil tamen aduerſus Dei ſeruum proficiebat; quin etiam ex eo, eam Vir Dei in Dæmones poteſtatem conſecutus fuerat; vt Dæmones ſolo Crucis ſigno ex obſeſſis corporibus expelleret. Tuderti enim, Antęam quandam Antonori iuuenculam; per decennium à Dæmone arreptam, cùm eam genuflectere iuſſiſſet, dextrâq; ipſius capiti, leuâ autem ſtomacho impoſitâ, aliquantiſper orâſſet; obſeſſam ſigno Crucis communiens, eodem temporis momento, nefarius ſpiritus erumpit; ac omninò liberam reddit. Tantam denique B. huius Viri oratio vim ſortita fuerat; vt quoties à Deo is quicquam gratiæ poſtularet, Cœlum mox totum commoueri, vt Superos omnes aſſurgere, ſupplicesq; ad Dei Thronum pro exauditione accedere cerneret. Quod ille Fratri, ſuo olim familiari ſecretò aperuit. Sed cùm ad miracula veniendum ſit; ne per longam enarrationem tædium, aut faſtidium legentium animis inferatur, grauioribus duntaxat breuiter recenſitis, cætera tantùm indicare conſultum erit. Primo itaq; loco ſeſe offert Peregrina quædam de Blanchis, nobilis Eugubina, quæ cùm 8. annorum cœcitatem, boæ morbo, ab incunabulis contractam tuliſſet, Raynerij benedictione plenâ fide in Deum, ac in Beatiſſimæ Virginis merita acceptâ, protinùs oculis lucem recuperat. Nobilis quædam iuuencula Meuanienſis, Lucretia Criſpolta nomine, quæ diu vtriuſque oculi cœcitate laborauerat, Spoletum in lecticâ deuecta, ad Virum Dei perducitur. Quam cùm is genuflectere, ac quinquies Dominicam Orationem, cum Salutatione Angelicâ perſoluere iuſſiſſet, oris ſui ſaliuâ manu expromptâ, Crucis ſignum oculis imprimit, ac ſtatim lumen recipit. Tuderti extra portam, in Sacrâ

quadam æde Chriſto Crucifixo dicatâ, Raynerius puellam quandam vtroque oculo orbatam, vtrâque manu apprehenſam, ſuper Altare collocans, oratione peractâ, puella oculorum luce potitur. Ibidem Tulliam Carduinam, nobilem fœminam, per quadriennij ſpatium, altero oculo captam, Crucis ſigno obſignans, mox argemate, quo oculi pupilla obtegebatur, cadente, viſum recuperat. Hoc modo, & alterum virum Fulginatem, per totidem annos luminis expertem, ſigno Crucis oculis adhibito, à cœcitate liberat. Canonicæ, quædam decem annorum puella, Theodora nomine, quatuor annorum ſpatio, huiuſmodi oculorum morbo afflictatâ erat, vt matutinis, ac meridianis horis, ſubobſcuro tantùm oculorum lumine frueretur; ſub veſperum verò penitùs eorum luce careret. Veſpertino tempore, cùm Vir Sanctus ſignum Crucis illi erogâſſet, puella mox clarè omnia perſpiciens, perpetuâ vſque ad mortem oculorum luce potita eſt. Martia de Martijs Tudertina, decem circiter annorum puella, acerbo oculorum dolore cruciata, ægrè oculorum luce vtebatur. Huic cùm Raynerius rogatus ſignum Crucis impertit, nullâ interiectâ morâ, exiccato pituitæ fonte, puella perfectâ oculorum incolumitate potitur. Vrſulina quædam Mariona, nobilis fœmina Eugubina, ob ardentis pituitæ curſum, tam graui oculorum delachrymatione, ac dolore tenebatur, vt erui ſibi oculos putaret: quæ cùm multis lachrymis, à Viro Dei Crucis ſignum poſtularet, eam genuflectere iubet; cum eâ & ipſe quoque genuflexus, dum aliquantiſper orâſſet, in terram expuens, lutum componit, atque vbi mulieris oculos liniuit, Crucis ſigno communit: moxq; omnis ex oculis dolor aufugit, breuiſſimoq; temporis ſpatio elapſo, mulier perfectam oculorum incolumitatem aſſequitur. Lucius quoque agricola, qui vtroque oculo orbatus, plures menſes in eâ cœcitate mœſtus tranſegerat, à ſancto Viro Crucis ſigno curatur; & ne prolixior fiam, hoc modo Sulpitia Tudertina ab oculorum tumore; qui illi cœcitatem ſuperinduxerat; Canilea Sulpitiæ mater, à graui oculorum morbo, qui oculorum illi palpebras exederat; Mulier Biturgienſis ab alteriùs oculi cœcitate; Bernardini Spoletani filia, à grauiſſimâ oculorum ægritudine, quæ illi ex Medicorum ſententiâ cœcitatem minabatur; mulier à Montefalco, ab oculorum dolore, & delachrymatione; Curtius Cinquinus, nobilis Romanus, à ſanguineo oculorum rubore, & inflammatione; Claudius Biſcacciantius, nobilis Eugubinus, à graui oculorum dolore; puella Gaſparis Seraphini neptis, ab oculorum lippitudine, ſigno Crucis à Dei

ſeruo liberantur. Plurimi quoque membris inutiles,ab eodem Crucis ſigno perſonantur. In his primus eſt Dionyſius ab Angelicis, nobilis Tudertinus; qui cùm ab infantiâ per quinquennij ſpatium febri, ac lienteriâ laborans, in eum corporis ſtatum incidiſſet, vt tibiæ natibus iunctæ, omnem illi prorſus incedendi facultatem abſtuliſſent; cùm eum Vir Sanctus manibus excepiſſet, eidem blandiens aiebat: Puritas ſancta, puritas ſancta, ſanaberis. Mox ſigno Crucis communitum matri reddit; atque inde abſcedit. Poſt hæc, vix hora,aut ſeſquihora præterierat,cùm febris aufugit, aluus fluens ſiſtitur, extenduntur tibiæ, puerque, qui eouſq; humi pedem non fixerat, liberè graditur, perfectamq; incolumitatem aſſequitur. Tuderti in prædictâ Chriſti Crucifixi æde, cùm agricolæ cuiuſdam filium; qui ſeptimum vel octauum annum ita pedibus, ac tibijs impotens attigerat, vt eatenus pedes nunquam ad greſſum extendiſſet; à matre acceptum ſibi in ſinu collocâſſet, oculos ad cœlum tollit, diutiusq; ad Deum pro puero orat; & oratione abſolutâ, puerum matri toto ſpectante populo perfectè incolumem reddit. Fabricator quidam, qui ex graui caſu pedum vſu carebat, à Raynerio ſignum Crucis petens, omnibus oratione Dominicâ cum Angelicâ Salutatione indictâ, dum varias ægri corporis partes ſigno Crucis petit, & Beatiſſimæ Virginis, illis Eccleſiæ verbis: Sancta Maria,ſuccurre miſeris: iuua puſillanimes: refoue flebiles &c. quibus ferè ſemper in morborum curatione vtebatur, ægro opem implorat; eodem temporis momento, ita illum ſoſpitem reddit; vt qui eques venerat,pedeſter domum rediret. Ciuitellæ pauperculam quandam Gerardam nomine paralyticam, ſigno Crucis, nullâ interiectâ morâ, à paralyſi curat. Familiæ de Iordanis puellam, Martham nomine, duodecim circiter annos natam, quæ alteram tibiam, tam omni virtute, ac motu deſtitutam gerebat, vt ea in arcus formam inflexa, nullam tibiæ ſpeciem præſeferret. Cùm eam Vir Dei ſigno Crucis conſignâſſet, mox puellæ tibia ad priſtinam formam redit. Lucretiam Criſpoltam, quæ neruis contractis à greſſu omninò prohibebatur, Crucis ſignaculo ſanat. Hoc pacto & huius pediſſequam à graui genuum dolore, quo diu vexata fuerat: Franciſcam Interamnenſem pedibus truncam: Aquilinam Tudertinam genuum cruciatu, & imbecillitate laborantem: puellam à Montefalco membris omnibus captam: Sidonium Baſtianenſem graui lumbagine correptum: Flaminiam Nari, nobilem Romanam à catarrho, qui totum ferè illius corpus inuaſerat: Franciſcum

Becchet-

Becchettum ab vniuerſali morbo, quo ferè abſque motu iacebat: Iacobum ab Aniano, apoplecticum: Smaragdam Monticulenſem, alterâ manu mutilam: demum Fratrem Michaëlem Tifernatem ex noſtris Sacerdotem, à grauiſſimo totius corporis dolore, quo ita membrorum vſu carebat, vt nullâ ratione ſeipſum mouere poſſet, ſalutari Crucis ſigno impertito perſanat. Albini de Actis, Claudij nobilis Medici Tudertini filij, adhuc pueri carnem tam ferox morbus depaſtus fuerat, vt fermè oſſa, & viſcera apparerent. Ad quem Vir Sanctus rogatus accedens, cùm Deiparam Virginem illâ ſibi familiari oratione: Sancta Maria, ſuccurre miſeris &c. ad pueri opem implorâſſet, Crucis ſigno omnes pueri corporis partes obſignat; cuius virtute mox mirum in modum puer perfectè à morbo curatur. Petrus Paulus Canobius, cui os cancere exeſum erat, ſigno Crucis à Beato Viro adhibito, triduo, vel quatriduo elapſo, nullo morbi veſtigio relicto, perfectè curatur. Eodem modo Mulierem quandam Montiſperellam Peruſinam, à diuturno apoſtemate, quod ipſius fauces inuaſerat, perfectè incolumitati reſtituit. Modeſtam Venturinam, quæ vomicâ, per integrum biennij ſpatium, in gutture laborauerat; eodem ſigno poſt biduum diuinâ virtute curat. Ioannem Iacobum Badium Eugubinum à ſtrumis; Maximillam Guilielmam à graui vberum tumore, quo diu afflictata fuerat; Mauritiam Puchellam, Monialem Eugubinam, à prominenti carnis tubere, quo grauiter cruciabatur; Læliam Badiam ab anginæ morbo; Fauſtinam de Abbatis Eugubinam, à diuturnâ ceruicis inflexione; Olympiam Paranianam Tudertinam à gutturis vlcere, quo neceſſario cibi vſu impediebatur; Antoniam de Oddis nobilem Tudertinam, à graui ſuppuratione, quæ illius mamillam inuaſerat; Martyrem de Baſtiano à gutturis morbo, quo cibum deglutire prohibebatur; Angelam Paranianam ab apoſtemate, quod genam, & alterum oculum occupauerat; Euſebiam Roſatam ab inſanabili brachij alteriùs tumore; Margaritam Eugubinam ab incurabili genæ alteriùs morbo; Nouam Monticulenſem, à varijs vlceribus, quibus corpus vndique ſcatebat; hoc ipſo Crucis ſigno in incolumitatem vendicat. Hieronyma Apta, Tudertina, acutâ & malignâ febre, ad Phiſicorum deſperationem laborabat; ad quam cùm Vir Sanctus vocatus acceſſiſſet, eâ corporis parte Crucis ſignum adhibet, quæ maiorem illi dolorem, ac moleſtiam adferebat: Poſthæc cùm Verdelaura, matris illi ſalutem impenſiùs commendaret: opportunè,

filia, (ait Raynerius) pro matris ſalute rogaſti: iam enim ſuprema Hieronymæ parenti imminebat dies, Dei decreto præſtituta; ſed ea tui cauſâ dilata fuit. Quamobrem ne timeas, citò conualeſcet. Dicti veritatem rei exitus confirmauit. Fratre Ioanne Amerienſi, grauiſſimâ febre correpto, ac inter febris ardores æſtuante, Raynerius in IESV CHRISTI, ac B.P.N. Franciſci nomine, febri diſceſſum imperans, mox febris hoc ipſo temporis momento, quo ardentior erat, fugam arripiens, Ioannem incolumem reliquit. Blancam Bononienſem, Virginiæ Sabellæ pediſſequam, dum febri continuâ ardentius æſtuat, Crucis ſigno ad priſtinam ſanitatem reuocat. Virginia de Manelijs, Tudertina, 5. annos nata, ad extremam vſque ſpiritus exhalationem ægrotans, Raynerij orationibus reuiuiſcens, breui pòſt tempore conualeſcit. Puſilla Pellinia, lethali febre correpta, nullam Phiſicis de ſuâ ſalute ſpem reliquerat; iamq; funera parabantur, quo tempore Vir Sanctus ægram æquo animo eſſe iubet; tum propriâ ſaliuâ ipſius linguam contingens, & ſigno Crucis corroborans, moribundam illicò in meliorem vitæ ſtatum reuocat, ac breui in perfectam incolumitatem vendicat. Hoc pacto Monialis quædam, Franciſca nomine, Tuderti in Monaſterio S. Franciſci febricitans: Fr. Alphonſi Lupi, Concionatoris Ordinis Capucinorum ſocius, phreneticâ febri laborans: Proſper Clarauallis mortiferâ febre ægrotans: Cœcilia Tudertina à quartanâ febri, quâ diu afflicta fuerat: Leonora à febri continuâ, quâ per annum laborauerat: Leonardus Mellioretus Eugubinus graui febre oppreſſus: Octauia Sforſolina, Monialis S. Benedicti prope Eugubinum, propter tertianam febrem ingeminatam in vitæ diſcrimen adducta, Crucis ſigno ab ægritudine liberantur. His accedat Cinthia Tudertina, quæ tam diro capitis, ac ſtomachi dolore cruciabatur, vt ſæpè animi deliquio correpta, velut exanimis iaceret; eam, atque adſtantes Vir Sanctus Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dicere iubet. Poſt hæc, dum Sacræ Deiparæ opem, conſuetâ oratione: Sancta Maria, ſuccurre &c. implorat; & læuâ manu ipſius capiti impoſitâ, alterâ S. Crucis ſignum pectori imprimit; omnem ab eâ tum capitis, tum ſtomachi languorem depellit, quo nunquam deinceps afflictata fuit. Proſper Claræuallis tam graui capitis dolore angebatur, vt nullâ quiete frui poſſet. Cuius Raynerius cùm linteolo, quo ad nares emungendas vtebatur, caput alligâſſet, quamprimum omnem capitis dolorem fugat. Agricola diro

viſcerum

viſcerum dolore cruciabatur: cuius miſertus Raynerius, genuflexus, ac oculis in Cœlum ſublatis, cùm aliquantiſper oráſſet, eam corporis partem, ex quâ dolor erumpebat, ſigno Crucis communiens, illicò dolorem expellit. Clementia Tudertina, in Capucinorum ordinem deuotione, ac beneficentiâ inſignis, hydropiſi laborabat: quam cùm Vir Dei aliquando in lecto iacentem conſpexiſſet; protinùs ad eam: Clementia (inquit) tu vberes in Capucinos eleemoſynas effundis: quidni & hi mutuam tibi viciſſitudinem reddant? quapropter, cùm ſuper eam ſalutiferum Crucis ſignum efformâſſet, ab hydropiſi liberam præſtat. Ab eodem hydropiſis morbo Metilda quoque Monticulenſis ſimili modo liberatur. Dianiria Lampadia, Romana tam frequenter comitiali morbo vexabatur; vt ter, quaterque in die eo affecta prolaberetur; cùm Raynerius, læuâ manu capiti impoſitâ, dexterâ Crucis ſignum exhibens, morbum perfectè expellit. Franciſcum Ondadæum puerum, ad extremam vitæ metam perductum, cùm breui oratione ante Beatiſſimæ Virginis imaginem peractâ, per ſingula membra palpâſſet, patri incolumitatem filij prædicit, quam puer repentè ad ſenſus rediens, breui tempore conſequitur. Laureti Romani 8. annorum pueri, cùm Vir Sanctus caput, inter omnes porriginis ſpecies grauiſſimâ laborantis, manu contigiſſet, ac benedixiſſet, Vriellæ Laureti ſorori ait: Ne dubites: puer curabitur. Statimq; porriginis ſquamæ exiccari, atque in pulueris modum comminui: tum poſt quartum diem, caput omni porrigine expurgatâ, tam denſis capillis veſtiri viſum; vt nullâ vnquam porrigine laboraſſe videretur. Et ne horum narrationem longius producam; in hunc ordinem præter hos referuntur, Monialis quædam, Fœlicitas nomine, quæ à diutino ſtomachi languore: Maria Tudertina à capitis, & ſtomachi doloribus: Paula Galla à varijs corporis paſſionibus: Cathárina Vanella à capitis tumore: Paris Tudertinus à laterum dolore; Franciſcus Monticulenſis ab vniuerſali corporis morbo; Horatius de Oddis ab anhelitus difficultate; Flaminius puer ab aſthmate; alter Conteſſinæ Tudertinæ filius à pleriſque vulneribus inflictis. Conteſſina mulier Eugubina ab incurabili morbo, quo per tredecim annos vexata fuerat; Victoria Biſcacciantia à bottario morbo; Iuditha Corpolonga à graui dentium dolore; Margarita Pinola à capitis angore; Anna Galeotta vnà cum alijs quinque, à cephalalgiâ; ſancti Viri oratione curati in proceſſu traduntur. His accedat Franciſcus Leonardus Faneſtris; qui quo tempore Gubernatoris

nomine Tudertinam Prouinciam adminiſtrat, in tam grauem morbum incidit; vt trium duntaxat horarum vitæ illi ſpatium à Medicis præſcriberetur: ad quem cùm Raynerius acceſſiſſet, ante quandam Beatiſſimæ Virginis iconem procumbens, vbi paulò diutiùs orauit, tandem oratione ſurgens, ad ægrotum accedit, illiusq; manum apprehendens: Heus (inquit) quid hic iaces incolumis? Iam tibi ſalus condonata eſt: è ſtrato ſurge. Qui mox allatis veſtibus è lecto ſurrexit incolumis. Vrſulina de Barzis, nobilis Eugubina, extremo agone colluctabatur; quam cùm Vir Sanctus ſigno Crucis communijſſet, mox redeunt ſenſus, vixq; paucis elapſis diebus, è lecto ſurgit, & ſoſpes in annos prouehitur. Ioannis Baptiſtæ, Buſſi Eugubini filius, ad Medicorum deſperationem ægrotans, ſancti Viri precibus incolumis euadit. Cinthius Bodinus, Eugubinus, diutino morbo exeſus, Medicorum ope deſtitutus, ac loquendi facultate deperditâ, ad vitæ occaſum properabat; quem Vir Sanctus amicè complexum, benedictione donat. Æger verò, reddito ſibi linguæ vſu, eadem die è ſtrato ſurgens, cum domeſticis lætus cœnat. Ioſephus Carduinus lethali morbo conſumptus, omni ſpe vitæ abiectâ, extremum laborabat; quem cùm Raynerius conſpexit, mox ſe in alterum cubiculum conferens, ante Deiparæ Virginis, Filium in ſinu geſtantis, imaginem oraturus procumbit: cumq; diutiùs in oratione perſiſteret, Quintilia vxor, quæ maritum iam animam agentem animaduertit, feſtina ad Dei ſeruum properat; atque vt ad morientem velox accedat, ingeminatis vocibus exclamat. At cùm primùm illa cubiculi, in quo Raynerius orabat, fores ingreditur, ſanctum Virum extra ſenſus raptum; atque è ſolo altiùs in ſublime elatum conſpicit: qui ad ſenſus rediens, Quintiliæ ait: Iam ad ægrum reuertere: Dominus enim illi vitam condonat: breui conualeſcet. Atque hoc ipſo tempore, is, qui cum morte conflictabatur, diuinâ ſibi virtute à B. Viro exoratâ, victor à morte reſurgit. Franciſcus Thomaſſinus, ciuis Tudertinus, quadragenariâ ægritudine, ſacro oleo inunctus animam agebat: quem Vir Sanctus ſanctæ Crucis ſigno tam perfectè incolumitati reſtituit, vt poſtridiè è lecto ſanus & vegetus ſurrexerit. Poſtremò, Placidus, puer Tudertinus, cui deſperatâ valetudine, iam funera parabantur: cùm primùm à B. Viro Crucis ſigno munitur, confirmatâ valetudine, è funere ad nouam vitam emergit. Conſtans quoque fama fuit, mortuum puerum ab eo Tuderti ad lucem reuocatum. Mulum quoque, qui à nobili quodam viro Tudertino Fratribus accommodatus fuerat, præcipiti

quodam

quodam caſu peremptum, vitæ hoc modo reddit. Cùm mulum iacentem, atque exanimem cerneret, aure apprehenſum his verbis alloquitur: Euge puritas, quid hic iaces? ſurge, ac munere tuo fungere. Mox ſurgit mulus, & domino incolumis redditur. In his tametſi mortuorum ſuſcitatio inter illuſtriora, & primæ claſſis miracula habeatur; quibus Raynerium in eximiæ ſanctitatis teſtimonium, à Deo cohoneſtatum fuiſſe, non obſcurè conſtat: haud tamen minore admiratione dignum fuit, quod nonnullos, quos necdum mortis hora concluſerat, ad cœleſtes ſedes diuinâ virtute tranſmiſerit: quorum vnum aut alterum exemplum libet referre. Eleonora quædam, Fauſtinæ de Oddis pediſſequa, diu moleſtâ quâdam ægritudine detenta, cùm peccatorum ſuorum confeſſione animum aliquando expiâſſet; ad eam Raynerius accedit, eamq; his verbis compellat: Eleonora, num libentiùs te ex huius vitæ ærumnis, ſi Dei voluntas id ferret, eriperes, quàm vitæ vſurâ fruerêre? Cui illa protinus: Perquàm libentiùs, Pater: vtinam ea Dei voluntas foret. Tum Vir Dei: Quid, ſi (ſubdit) te D.O.M. in cœlum recipiat; num pro me apud eum orationem fundes? Annuente illâ: Euge, filia, (ait Raynerius) iam te Dei benedictio apprehendat; fœlixq; ad cœleſtia perge. Vix hæc verba protulerat Vir Dei, cùm Eleonora lumina ad mortem claudens, extremum Deo ſpiritum reddit. Puer quoque, Franciſcus nomine, quem ſanctus Vir naſciturum, & celeriùs moriturum prædixerat, cùm poſt ſemeſtre ab ortu morbus eum inuaderet, à matre ſancti Viri precibus commendatur. Cui ille: Cur, inquit, pro pueri vitâ rogas? Puer non ad mortalem, ſed ad cœleſtem, atque immortalem natus eſt vitam. Infantem vult Deus, ne virum amittat. Moxq; ad puerum accedens, & manu benedicens, his eum verbis affatur: Abi iam ad cœleſtes ſedes, fortunate puer, mihiq; alteram apud Superos ſedem exora. Quo dicto puer expirat. Hoc modo alteram quoque quindecim dierum puellam, Eliſabethæ Vanellæ filiam, quam celeri morte tollendam prædixerat, ſuâ benedictione in cœlum tranſmittit. His adde, quod Tiberij de Badijs, Eugubini, à Chirurgo iam morti adiudicati, grauiſſimum capitis vulnus oſculo tàm curabile reddit, vt breuiori tempore incolumis euaſerit. Pamphilus Mengaccius Eugubinus ab hoſte catapultariâ glande transfoſſus, ſummo in vitæ diſcrimine verſabatur; qui cùm Viro Dei conuerſionem promiſiſſet, ſigno Crucis vulneri impreſſo, à mortis periculo liberatur, breuique incolumitatem recipit. Eundem paruo pòſt tempore eodem modo

 à lethali

à lethali vulnere curat. Sidonius à Baſſiano, animo Pœnitentiæ Sacramento inexpiato ad funera rapiebatur; cùm ad eum Vir Dei accedens, Sacerdotem accerſiri iubet; mox oblatis ab eo Deo precibus, libera illi loquendi facultas reſtituitur, quâ ſua Sacerdoti peccata confitetur; tùm paulò poſt ab ægritudine liberatur. Pauperculus quidam Caſſiliani in carcere detinebatur; qui cùm ſancti ſe Viri precibus commendaſſet, eo orante carceris fores patefiunt, ex quo cùm ille aufugiſſet, res omnibus innotuit. Quamobrem, cùm Raynerius poſt hæc ſtipem oſtiatim in eo oppido exigens, ad illius domum pertingeret, qui pauperculum in cuſtodiam detruſerat, erumpens ille è foribus, non tantùm ſtipem denegat; ſed etiam ſanctum Virum quaſi captiuo carcerem aperuiſſet, conuicijs onerat. Porrò, inter hæc canis domeſticus è domo erumpens, ac geminos panes in ore geſtans, Deiq; viro abblandiens offert. Leonora Mangaccia, ad extremam paupertatem redacta, à ſancto Viro ipſius opem apud Deum explorabat, cùm is graui illius calamitate commotus, certum à Deo rebus ſuis præſidium expectare iubet, & ad orationem ſe confert. Intereà mulier domum rediens, non longè à Conuentu receſſerat, cùm egregiam numeratæ pecuniæ ſummam inter quaſdam parietinas latitantem animaduertit. Quâ obſtupeſcens, cùm aliquas ſub eâ Dæmonis inſidias latere ſuſpicaretur, ab eâ abſtinens, ad Raynerium redit: qui antequam à muliere interrogaretur: Leonora (inquit) ne extimeſcas; quam vidiſti pecuniam accipe: ea namq; à Deo tibi erogatur. Cum Fr. Benedictus à Valido (cuius Vir Dei in Quadrageſimalibus laboribus Sigilli ſocius erat) lampade extinctâ lumen expeteret, ab IESV Infantulo illud exorat. Lucretia Eugubina, plurimæ virtutis fœmina, publicâ infamiæ maculâ falsò accuſata, à Viro Dei conſilium expoſcens; cùm is aliquantulùm oraſſet, ita mulierem alloquitur: Lucretia, an non tibi domi eſt Chriſti Crucifixi imago? ibi igitur ante Dominum proſtrata, tuas illi animi afflictiones aperi; iſq; te omni dubio procul conſolabitur. Paret Lucretia; ac domum reuerſa, ante Crucifixi imaginem procumbit, cordis mœſtitiam pandit: nec cunctatur Dominus; mulierem enim ex Cruce his verbis alloquitur: Filia, ſi me tui defenſorem, ac præſidium habes, quid fruſtrà aliorum iacula pertimeſcis? Quibus Domini verbis mulier confirmata fuit, & infamiæ rumor prorſùs euanuit. Cùm S. Mariæ de Quercu Narniæ Eccleſiæ ſtructura, ob aquæ penuriam vlteriùs progredi non poſſet, Vir Sanctus baculo, quo innitebatur, locum deſignans, ipſis fodientibus vber-

rima aquæ vena erumpit. Eodem quoque modo, cùm ſancti Crucifixi ſacra ædes Tuderti ædificaretur, aquæ beneficium præſtat. Nobiles quaſdam mulieres, Religionis cauſâ, Spoleto Aluernium comitans, Cœlo nubibus obtecto, ac ventis agitato, Vir Sanctus Crucis ſignum in nubes vibrat. Cumq; loca omnia circumcirca imbre polluta maderent, illas nequidem pluuiæ gutta attigit. Cæſaris de Oddis Iuriſperiti Tudertini dolium vino vacuum plenum reddit. Eiuſdem quoque Cæſaris vxore petente, farinæ cumulum ſuâ benedictione ita multiplicat; vt qui domus familiam vix vnius menſis ſpatio alere poterat, per annum ad alimenta ſatis fuerit. Tudertum Vir Sanctus cum Damiano Interamnenſi proficiſcens in medium torrentem dilapſus, mox Deiparâ adiuuante in oppoſitâ ſe ripâ conſiſtere: quodq; magis admiratione dignum, ne pedem quidem, aut veſtem aquis madidam gerere conſpicit. Axem verò traductitium, è quo Vir Dei dilapſus fuerat, cùm torrens ſæpè, vndâ tumente, ſecum raperet, Crucis ſigno immobilem reddit. Eundem aliàs iterum permeans, cùm pede labente in flumen incidiſſet, inde emergit, nec quicquam madidus conſpicitur: quin etiam eodem tempore iterum flumen ingreſſus, vt ſandalium, quod illi ab vndâ ereptum fuerat, quæreret, ſicco pede, ac veſte è flumine reddit. Hoc modo, cùm Vir Dei ad cuiuſdam fluminis oram ambularet, terrâ ſub pedibus deſciſcente, in flumen labitur; cuius præterfluente vndâ cùm obrui deberet, ne quidem aquâ madefactus, è flumine prodijt. Quamuis etiam innumeri ferè, ex deuotione habitus ipſius particulas præſcinderent, nunquam tamen minui viſus eſt; ita vt communi prouerbio euulgatum eſſet, Raynerij habitum haud ſecùs, quàm plantam excreſcere. Quo tempore Vir Sanctus vnà cum Clemente Tudertino Sacerdote, Ameriâ Tudertum proficiſcebatur, contigit, vt ſtagnum illis in viâ occurreret; quod cùm tranſuadari nequaquam poſſet, Raynerius pallium ſuum ſuper vndas extendens, eo velut nauigio vtitur, quo ſtagnum cum ſocio traijcit. Rurſùs, cùm per montium diruta, ac ſalebroſa loca, periculis obſita, noctu cum ſocio aliquando iter faceret, orans igneam columnam à Deo impetrat, quæ illos totâ nocte præcedens, viam præmonſtrat, obuiaq; pericula ſuâ luce manifeſtat. Poſt hæc Cardinalis Protectoris iuſſu Romam profectus, ab imminenti mortis periculo, Sacræ Deiparæ ope liberatur. Hoc ipſo itinere cùm Vir Dei languens piſciculorum cupiditate teneretur, mox illos ex diuinâ liberalitate accipit. Eodem tempore equi collum amplexatus, ex feroci manſuetiſſimum reddit.

Viro Dei aliquando in Fulginij Conuentu ægrotanti,felis gallinam miniſtrat. Iterum in Tudertino Conuentu, ob loci paupertatem, domeſticus felis Dei prouidentiâ actus, merulam venatione apprehenſam, quotidiè ad languentis lectum diu defert. In eodem Conuentu Sacroſanctæ Euchariſtiæ lampade extinctâ, cùm ne quidem ignis ſcintilla in toto Conuentu ſupereſſet, Vir Sanctus quamprimùm ad proximum Spoliagrani pagum greſſum parat. Verùm D.O.M. vt ſenis, annis prægrauati, ac pro eo ſolliciti, huius itineris laborem leuaret, in ipſis Conuentus foribus, ardentem illi torrem ex aëre pendentem exhibet; à quo is lucem mutuatus, extinctam lampadem accendit. Plurima his ſigna, & miracula addi poſſent, quæ in Eugubino, ac Tudertino Proceſſu, ſuper ipſius vitâ inſtituto, referuntur: ſed his prætermiſſis, ad Prophetici ſpiritus dona tranſeamus. Verùm cùm tam multa ſint huius ſancti Viri vaticinia, ſelectiora tantummodò attingenda duxi. Ac inprimis; cùm aliquando Guido de Actis Raynerium ſemel rogaret, vt maſculum bonorum ſuorum hæredem ſuis illi à Domino precibus impetraret, Deum illi opum ſuarum hæredem velle inſtitui prædixit; quod Guidone mortuo, à Franciſco ipſius fratre præſtitum, Raynerij vaticinium comprobauit. Lucretiæ cuidam Tudertinæ, duorum quoque maſculorum partus præſignificat: Vix autem duodeuiginti poſt alterius partum menſibus, cùm adhuc incolumis infans eſſet, poſt triduum moriturum prædicit. Eugubij, cùm Lucretiæ Toſoronæ, nobilis fœminæ, pediſſequa, 12. annorum circiter puella, illius ſe precibus ſollicitè commendaret, ad eam Vir Dei: Quid tibi cum rebus mortalibus, ô puella? Cœlum ſuſpice, quò celeriùs itura es. Cùm verò eò proceſſeris, tu pro me diuinam clementiam exora. His dictis cùm abſceſſiſſet puella, nullo mortis ſigno prodito, poſtridie deuotiſſimè ex hac vitâ migrat. Huic ipſi Lucretiæ, ſororis moribundæ incolumitatem, & poſt hæc trium annorum vitam preſignificat. Paulæ Vanellæ, Eugubinæ, æſtiuo tempore ruſticanti, imminentem, lethalemq; morbum, ac demum incolumitatem annunciat. Eliſabethę filiæ prægnanti, fœminam illam ſaluam parituram, atque illius poſt paucos dies mortem prędicit: quæ omnia ad amuſſim, vti ab eo pręnunciata fuerant, euenêre. Franciſco de Angelis, qui compluꝛes cum vxore annos abſque prole peregerat, filios parituram pollicetur; verùm ex his primitias B.P. Franciſco in Capucinorum Ordine exoluturam monet. Hoc modo & Eugenię Vigili, quæ maſculam prolem optabat, maſculum pollicetur, B.P.N. Franciſco

ſuo tempore conſecrandum. Lucretiæ Criſpoltæ Meuanienſi, & Vrintiæ Ioachinæ, dum partum ſub aſſeueratione prȩſignificat, vtraque ſuo tempore maſculum parit. Anthenoro Tudertino ſæpè grauiter ægrotanti, cùm Vir Dei futuram ſemper incolumitatem præſignificaſſet, leui tandem aliquando febri laborantem amplexatus; hinc velociùs emigrandum monet: is verò paucis inde tranſactis diebus fatis ceſſit. Tolomeæ Fontiæ, nobili Tudertinȩ moribundæ, incolumitatem pollicetur. Spiritu prophetico cognoſcens Fauſaniam quandam à Rubino conuitijs laceſſitam, ante 15. dies, Deo ſcelus vlciſcente, eum miſerè trucidandum prȩmonet: quorum omnium veritatem rei euentus confirmauit. Mulieri Tudertinæ pacem recuſanti, imminentem mortem, æternamque damnationem prȩdicit: Mulier verò illa poſt biduum in odio, quàm anteà obſtinatior, repentino caſu ſublata, in Tartara mergitur; quod manifeſto teſtimonio confirmatum fuit: nam vultu mox tam turpis, atque horrenda euaſit; tamque fœtidus ex eâ odor effundi cœpit; vt eam neque abſque horrore conſpicere, neque propiùs ad eam accedere quiſquam eo tempore valeret. Eugubij, ſancti Spiritus Monialibus, Eccleſiaſticas leges repellentibus, proprij Epiſcopi imperium detrectantibus, excommunicationis per biennium vinculum contemnentibus, in pœnam rebellionis, Monaſterij conflagrationem, ac ipſarum diſperſionem minatur, ac prȩnunciat. Maximam Florentiæ hominum ſtragem, ac Peruſini agri à peſtifero morbo deuaſtationem prȩſignificat. Pauperculo, cui binæ equæ vectariȩ furto ſublatæ erant, locum, in quo illæ à furibus abductæ deliteſcebant, diuino ſpiritu edoctus indicat. Cùm mulieri cuidam pauperculæ tria linei panni texta ſubrepta fuiſſent, ad Viri Dei opem confugiens, mox Vir Sanctus manticâ aſſumptâ cum ſocio, ad cuiuſdam tabernarij ædes feſtinat, ab eoque linea texta, quæ paulò ante à fure ad eum delata fuerant, conſtanter poſtulat; quæ cùm Viro Dei conſignaſſet, protinùs pauperculæ exultanti reſtituit. Franciſco cuidam de Paulis Eugubino, pecuniarum defoſſarum, & quarum locum oblitus erat, indicat. Fianira nobilis Tudertina, cùm de Franciſci de Aſtancollis filij infirmitate ſollicita, eum Raynerio enixè commendaſſet: Quid (inquit) de filij tui vitâ ſollicita es? viuit Franciſcus, breuique illum ſoſpitem, ac incolumem recipies. Hæc etiamnum verba in B. Senis ore verſabantur, cùm Franciſcus domus peſſulum incolumis pulſat. Altera quoque nobilis Eugubina, cùm filij, qui in Belgium ad bellum perrexerat, mortis

nuncium accepiſſet; ac poſt aliquot dies miles quidam è bello regreſſus, eundem morte ſublatum aſſereret, ſeq; illius funeribus præſentem adfuiſſe affirmaret, mulier lachrymis perfuſa ad Virum Dei ſe confert. Cui Raynerius: falſus, inquit, eſt rumor; verùm vt te ab hac ſollicitudine liberem, domum reuertere, cœnamque filio, qui veſpere aduenturus eſt, para. Credit illa viro Dei; feſtinat, cœnam parat, filiumque viuum, & incolumem eodem veſpere aduentantem materno ſuſcipit amplexu. Tuderti mulieri ad ſecundas nuptias tranſeunti infinitas penè ærumnas prædicit. Abbate quodam Eugubino grauiter ægrotante, cùm à Raynerio, quid de eâ ægritudine fauſti, vel infauſti ſperandum eſſet, poſtularetur; poſt orationem, Abbatis incolumitatem; at poſt annum tribus duntaxat ei diebus aſſociatis, mortem annunciat. Altera quoque mulier Eugubina, Iacoba nomine, cui duo filij erant adhuc pueruli, cùm vtrumque Raynerio benedicendum obtuliſſet: is primum, qui trium annorum erat, amplexatus, matri ait: Non tibi, ſed Deo hunc filium genuiſti. Alterum quoque decem menſium infantem, inter vlnas ſuſceptum eleuans: Neque hic tibi ſuperſtes erit. Porrò rei exitus viri Dei vaticinium probauit: vtrumque enim poſt menſem eadem dies ſepulchro intulit. Eodem Prophetiæ ſpiritu Portiæ Poloniæ, Octauiæ de Abbatis, & Margaritæ Marchellæ, Eugubinis mulieribus, certum mortis diem, quo è viuis exceſſerunt, præſignificat. Hippolyta quædam Albergotta, Eugubina, grauiſſimè ægrotabat; quo tempore à Raynerio quærere cœpit; Num ex eâ infirmitate conualeſcere deberet. Re à Deo in oratione quæſitâ, ad ægram rediens: Hippolyta (inquit,) Deus te ad potiorem vitam vocat. Cui Hippolyta: Num longioris mihi vitæ curſum à Deo exorare potes? vtique (ait) at ſi diu vixeris, certa animæ tuæ ſalus maximum in diſcrimen vocatur: quod ſi nunc fatis ceſſeris, iam te æterna ſalus excipiet. Illa igitur mortem potiùs, quam certa æternæ vitæ ſpes ſequi deberet, elegit, quàm perpetuo occaſus naufragio longioris vitæ curſum committere; tantoque mox ſpiritus ardore mentem ad Deum conuertit, vt facilè percipi poſſet, illam inter Angelorum manus ſupremum tandem ſpiritum emiſiſſe. Margaritæ cuidam Eugubinæ virgini in peruigilio S. P. N. Franciſci, ipſius aſpectu fruituram, & ad eum conſcenſuram prædicit: ipſâ verò die Margarita ex humanis excedens, ſi viro Dei credimus B. P. aſſociatur. Franciſcus Capellonius Eugubinus,

ex vulnere capiti inflicto grauiter ægrotabat; ad quem accedens Raynerius: Fili (inquit) quonam te homines nomine vocant? Protinùs is: Franciſci (ait:) Iam ergò totus exulta (ſubdit ille) quandoquidem nomen tuum in cœlis conſcriptum legitur: poſt tres dies cum B. P. Franciſco eris. Atque hic ad amuſſim tertius poſtremus Franciſco dies fuit. Ex hac tam illuſtri, tamque copioſâ cœleſtium donorum affluentiâ, tam ingens illius ſanctitatis apud omnes rumor excreuerat, vt ad præcauendas hominum turbas, cùm è loco ad locum migraret, neceſſe eſſet, vt antelucanis horis iter cum ſocio aggrederetur. Conſenuerat Raynerius, iamque ad octogeſimum vno minùs annum accedebat: quo tempore, cùm ſeruum ſuum D. O. M. poſt diuturnos Euangelicæ vitæ labores, ac tot virtutum trophæa, quæ 59. annorum ſpatio in Religionis palæſtrâ tulerat, vitæ coronâ donare decreuiſſet; Tuderti in morbum incidit. Iam is longè anteà ſui occaſus tempus, ac diem diuinâ reuelatione acceperat, & pleriſque ſignificauerat; ac inter reliquos Tulliç Carduinæ, Fratri Gregorio Peruſino, Tudertini Conuentus Guardiano; necnon Fratri Ægidio Amerino. Poſtremum itaque, cùm ſui corporis occaſum non ignoraret, animum diligentius expiat, Sacramentis Eccleſiæ curat, feruentiſſimâ charitate exornat; maneq; cùm Sacroſanctę Miſſæ myſterio adeſſe voluiſſet, Domini Corpore, velut viatico, poſt veniam à Fratribus, non ſine lachrymis poſtulatam, in Eccleſiâ reficitur; indeque ad noſocomium reductus ſacro Oleo inungitur. Neque hic leuiter prętereunda eſt Tudertini populi in Beatum Virum deuotio; quem vbi ad mortem ægrotare audiuit, plerique ſtrophiola, toreumata, corollas, atque alia huiuſmodi, ægrotantis lecto inijci curabant, vt morientem contingerent. Quæ poſt Sancti Viri mortem in faſciculos colligata; ac proprio cuiuſque nomine inſcripto, vnà cum eo inuenta fuerunt. Cùm igitur incumbente veſpero Completorij Hora pulſaretur, Completorio integris ſenſibus, ac clarâ voce perſoluto: iam, inquit, lætus morior; quandoquidem meum vitæ diem cum Dei laudibus abſoluo. Intereà iam ad Completorij finem in Choro deuentum fuerat, cùm is lætum ad cœlum vultum erigens, velut qui cœleſtia contemplatur, placidiſſimè in Domino obdormiuit Anno 1589. moxque tam ſuauis, & cœleſtis odor ibi effundi cœpit, vt cætera orbis aromata illi comparata fœterent. Poſterâ verò illuceſcente die, cùm defuncti corpus

de more in Eccleſiam delatum eſſet, tanta hominum frequentia in Eccleſiam. & Conuentum irruit; vt ad multitudinem cohibendam, Conuentus, Chori, ac Presbyterij fores occludere, clauesq; Tudertino Epiſcopo, qui primo diluculo eò cum Clero aduenerat, tradere neceſſe fuerit. At neque id ardentem, ne dicam furentem, populi deuotionem comprimere potuit: qui enim Eccleſiam præ aliorum frequentia intrare non poterant, conſtructis extrinſecùs tabulatis, aditum per Eccleſiæ feneſtras ſibi facere conabantur. Qui verò Eccleſiam intrauerant, tam perditè in ſancti Viri corpus ferebantur, vt cùm iam ſextum illi habitum dilaceráſſent, ac barbam, pilos, capillos, vngues præſcidiſſent, facilè corpus in fruſta concidiſſent; niſi illud ex eorum manibus ereptum, iubente Epiſcopo, intra ſacelli cancellos concluſum fuiſſet. Cùm igitur ob innumerabilis populi frequentiam defuncto Corpori iuſta eo die ſolui non potuiſſent, nocte Tudertinus Epiſcopus, qui à ſancti Viri corpore nunquam receſſerat, demortui corpus condiendum, atque aromatibus, non ſine Dei conſilio curandum ſtatuit. Quapropter, cùm accitis Phiſico, & Chirurgo corpus exenteratum fuiſſet; mox Dei magnalia in Dei ſeruo patefieri cœperunt. Primùm namque in fellis ventriculo terni lapides triangulares, quorum quiſque vnius caſtaneæ magnitudinem, ac colorem referret, reperti fuere: quibus maxima ſancti Viri in Altiſſimam Triadem religio, quâ viuens tenebatur, ſignificata fuit. At, quod admirationem auget, diuinumq; tantummodò opus præſefert, cùm tertius tantùm lapis omni ſculpturâ careret, primus in altero anguli plano, Beatiſſimæ Virg. puerum Iesvm in ſinu geſtantis, figuram inſculptam gerebat: quo ſummam illius, dum viueret, in Beatiſſimam Virg. ac puerulum Iesvm deuotionem declarari, nemo eſt, qui dubitet: in altero verò columna ſanguine conſperſa, eíque perſimilis, in quâ altiſſimus Dei Filius à Romano milite flagellatus fuit, cælata perſpicuè cernebantur. Quâ luculentiùs manifeſtum fuit, quàm diuinis oculis grata fuerit, bis, vel ter ab eo iterata Dominicæ Flagellationis memoria, quam viuens ſeptem horarum ſpatio in ſeipſo exhibuerat. Secundus lapis geminam quoque figuram inſculptam gerebat; vnâ ſiquidem parte Saluatoris, ad medium vſque producti, iconem impreſſam geſtabat: alterâ B. P. N. Franciſcum, diuina à Chriſto ſtigmata accipientem, inſculptum referebat. Quâ eximiam ſancti Viri, etiamnum ſuperſtitis, ergà vtrumque, ſuâ cuique dignitate ſeruatâ, pietatem præſeferrent. Tandem, cùm defuncti cor diſſectum fuiſſet, in eo flagel-

lum, quale

lum,quale à noſtris componi ſolet, quinis funiculis contextum, atq; ex ipsâ cordis carne, diuinâ arte fabrefactum apparuit. Ex quo, quantoperè ipſius carnis mortificationes Deo gratæ fuerint, cœleſti teſtimonio confirmatum fuit. At neque fas eſt, de horum lapillorum figuris, ac veritate vllatenus dubitare, cùm Iulio Sanctorio, S.R.E. Cardinali, S. Seuerinæ nuncupato, qui noſtri tunc Ordinis Protector erat, iubente, hi à Bernardino Falconio, Tudertinæ Eccleſiæ Canonico, Romam ad eum delati; ab eoq; Sixto V. Romanæ Sedis Pontifici oblati fuerint. Vix fœlix illa anima è corpore ſoluta ad puriſſimum vitæ fontem euolauerat; cùm is Fr. Marino Spoletano, vt ſuprà dictum eſt, inter Virginum choros, quæ albas veſtes indutæ, ante ipſum procedebant, manu virginitatis palmam grandiorem reliquis geſtans apparet. Per id quoque tempus, ipſius mors, & gloria B. Catharinæ Prattenſi reuelatur. Interim, cùm exenterato Beati Viri corpore Fr. Ægidius Laicus inteſtina in quadam cellæ tabulâ exiccanda collocaſſet; Beatus Vir Ægidio apparens eundem redarguit, quod loco minùs apto, ac decenti ſua ipſius viſcera repoſuiſſet: quapropter ea honorificentius tractari, ac cuſtodiri iubet. Pompeius quoque de Landis (cùm aliquando horâ antelucanâ venatum pergeret) Raynerium ſibi obuiam venientem cernit. Qui poſt ſalutationem, his eum, vti viuens ſolebat, verbis compellat: Arrige aures, Pompei, iſthæc via iter tibi perditionis eſt: niſi enim immoderatum hunc viuendi modum deſerueris, maximo certè in ſalutis diſcrimine verſaris. Res tua agitur: melius tibi conſule. Cumq; ab eo percunctatus eſſet, num quinas illas Dominicas precationes, quas illum edocuerat, quotidie recitaret; eas interdum ab eo negligi percipiens, rurſùs eidem perſoluendas commendat, ac paulatim ex ipſius aſpectu tolletur. Pompeius verò metu contremiſcens gradum reuocat, ac prioris vitæ iacturam meliori deinceps compenſat. Iulianus Beati Viri Conſobrinus, paulò poſt ipſius obitum, graui capitis dolore tenebatur; cùm ſtrophiolo, quod Falconius Canonicus, quo tempore Raynerij corpus exenterabatur, inteſtinorum ipſius ſanguini intinxerat, capiti impoſito, non modò à dolore poſt horam perfectè conualeſcit: verùm etiam à ſomno euigilans, Beatum Virum altiùs in aëre eminentem cernit, amictu cyanei coloris ornatum; qui cùm expanſis brachijs illum benigno oculo intueretur, tùm vultu, tum quâ parte corporis membra detegebat, tam claris lucis fulgoribus irradiare viſus eſt; vt ſolis ſplendorem antecellere videretur. Cumq; aliquantiſper hoc ſuæ gloriæ

aſpectu conſobrinum recreâſſet,euaneſcens,tantam in homine peccatorum pœnitentiam excitauit;vt totus poſt hæc ſeſe in lachrymas effunderet. In Conuentu Spoletano Fr. quidam abundantiori catarrhi deſcenſu,demptâ fermè reſpiratione ad interitum rapiebatur; cùm ad Raynerij opem confugiens, noctu B. Virum ſimul cum Deiparâ Virgine, ac B.P.N.Franciſco ad ſe accedentem cernit; qui cum manu ipſius fauces attigiſſet, mox perfectè incolumem reddidit.Poſt hæc Martia deLauanda,Tudertina,malignâ febri ad Medicorum deſperationem ægrotabat, quo tempore Raynerij opem implorans, horâ meridianâ illum perſpicuè in aëre ſibi apparentem conſpicit: qui ridentem vultum preſeferens, ita illam affatur: Filia, ne dubites, ex ægritudine conualeſces: Etenim Beatiſſima Virgo vitæ tibi prorogationem impetrauit. Hæc poſt dicta recedens, locum ſuauiſſimo odore perfuſum reliquit. Eodem quoque anno ſcil. 1611. cùm acutâ febri laborans, ad interitum Phiſicorum ſententiâ properaret; Raynerij ſuffragium implorans, eundem ſibi dicentem cernit: Maria, ne metuas, non morieris; ſed viues: roſarumque odore ibi relicto, ad cœleſtia conſcendit: illa verò poſt tertium diem perfectam incolumitatem conſecuta fuit. Anno 1615. cùm Martinus Mareſcus Spoletanus, Romæ febris, & capitis dolore correptus, grauiſſimè affligeretur, Raynerij patrocinium implorat. Cui Raynerius eodem tempore apparens: Martine, (ait) ſi à morbo liberari optas; reliquias meas, quas temerè abſtuliſti, meis redde. Quod cùm facere promiſiſſet, protinùs tam acris illi vomitus, totque bilis atræ, tum poraceæ volumina per os, ac ſeceſſum erumpere cœpère; vt cùm his, Phiſicorum ſententiâ, eum ad lethum pertrahi oporteret, vix diuinâ virtute effuſis, conualuerit, reliquiaſque ſuo loco reſtituerit. Ioannes Baptiſta Iacobinus, Eugubinus, Anno 1617. ad finem vitæ declinans, grauiſſimè à Dæmonibus affligebatur; cùm Raynerius ab eo in aëre conſpicitur; qui illi animum augens: Ne metuas (inquit) fili: Raynerium tibi patrocinantem habes: Moxque illâ Dæmonum nube diſſolutâ, votoque ad Raynerium emiſſo, breui incolumitatem adipiſcitur. Anno 1623. Modeſta mulier Tudertina, quæ ante aliquot annos, prius à crurum, deinde à ſtomachi dolore ad Beati huius Viri ſepulchrum ſanata fuerat, cùm putridâ febri iam per trium menſium ſpatium laborans, Phiſici incolumitatem deſperarent, voto ad Raynerium emiſſo noctu, dum vigilat, S. Virum clariſſimâ luce circumfuſum, è Cœlo deſcendentem ſpectat, dicentem:

Modeſta,

Modeſta, ſi ad me veneris, te vlterius ægritudo non detinebit. His dictis euanuit; illa verò poſt tertium diem promiſſa vota incolumis reddit. Poſtremò, Anno 1629. cùm Ioannes Baptiſta Iacobinus (cuius ſuprà memini,) iterum periculosè ægrotaret; idem votum ex animo repetens, eundem ſibi præſentem videt, hæc verba promentem: Ioannes Baptiſta, quandoquidem te me viſitaturum ſpopondiſti; meam & ego tibi viſitationem rependo, atque ex hac ægritudine curandum polliceor. Nonnulla quoque miracula ad Beati Viri corpus patrata narrare lubet. Hieronymus Medicus Tudertinus, qui altero oculo tam grauiter affectus erat, vt eò ægrè quicquam cernere valeret; cùm defuncti manum oculo admouiſſet, protinùs curatum ſenſit. Martha quædam Tudertina, vermiculari morbo laborans, ſudore, qui ex ipſius corpore effluebat, ſibi collum inungens, morbi curationem accipit. Sabina Tudertina, triennio graui cephalalgiâ afflicta, manum B. Viri capiti ſuo imponens protinùs ab eâ incolumis domum reuertitur. Leonelli, cuiuſdam Tudertini famula à Dæmone obſeſſa, cùm ſupra B. Viri corpus procubuiſſet, à Dæmone liberata fuit. Dionyſius Compagnius Tudertinus, per plures annos delumbis, ſuper tabulam, in quâ ſancti Viri corpus iacuerat, vix ſupinum ſeſe extendit, cùm à lumbagine liber euaſit. Quidam Petrus fabricator, ſine pretio S. Viro ſepulchrum conſtruens, in charitatis præmiùm, cùm primùm manum operi admouit, grauem ſtomachi dolorem, quo laborabat, ſtatim miteſcere; opere verò abſoluto, prorſùs effugatum fuiſſe ſentit. Poſt hæc Lucretia, mulier Tudertina, dum in ſacello, vbi Raynerij corpus conditum habetur, eundem impenſiùs deprecatur, confeſtim eiuſdem Raynerij vocem audit, hæc illi reſpondentis: Lucretia, hactenùs tibi patrocinatus ſum, & in poſterum patrocinabor. Alia quoque Tertij Ordinis S. Franciſci mulier, caput in quoddam ſepulchri foramen immittens, illum ardentiùs his verbis compellat: Raynerij, Vir Dei, Deum, quæſo, pro me roga. Cui Raynerius ex eodem ſepulchro clarâ voce reſpondens ait: Ego rogaui, & rogabo. Mulier quædam genuum diu ægritudine afflictata, quorundam brachijs innixa, nudis genibus ſuper ſepulchrum procumbens, hoc ipſo temporis momento, perfectam genuum curationem conſequitur. Alter pedibus captus, ſuper ſepulchrum collocatus, ex eo tandem rectus, atque incolumis exurgit, domumq; pedeſter redit. Cæſar Sabinus, Flori Parochus, cùm per quadriennium nullâ ratione ſe inclinare potuiſſet, ſuper lectum, in quo ſanctus Vir

iacuerat, rigentia terga extendens, mollia, ac flexibilia recipit. Balthaſaris cuiuſdam Tudertini filius dyſenteriâ graui laborans, cùm canabacei S. Viri cinguli fruſto, atque eiuſdem habitus ſegmine ſe obſignans, ab eâ ſtatim curatur. Agricola quidam graui febri laborans, admoto ſudariolo, quod illotum, ſed ſuaueolens in Beati Viri ſtrato poſt obitum repertum fuerat, protinùs deſudare cœpit; tùm breuiſſimo temporis interuallo à febri liber è ſtrato erumpit. Tudertini cuiuſdam, nec non alterius febricitantis collo alligato lino, quo Beati Viri corpus poſt exenterationem abſterſum fuerat, & eiuſdem præſegmine ambo à febre curantur. Aquæſpartæ agricola graui odontalgiâ laborans, cùm vix dentibus applicati fuiſſent lapilli ſupradicti protinùs perfectiſſimè curatur. Otticuli hoſpes graui capitis dolore vexatus, nec non febricitans, ijſdem lapillis capite obſignato, mox è ſtrato ſanus exilijt. Claudius Ciccolinus Tudertinus ciuis, maximâ febre æſtuans, & Dominicus, oppidi Ripæalbæ Parochus, qui iam dudum alterâ aure obſurduerat; cùm primus habitus Beati Viri prǽſegmen collo appendiſſet; alter verò auri admouiſſet, ambo nullâ interiectâ morâ curantur. Bartholomæo Corpolongo extremo cum morte agone colluctanti, cùm Beati Viri habitus impoſitus fuiſſet, mox ſenſibus redditus, inde breui, & facili negotio conualuit. Lucretia quædam Romana, cui pollex digitus adeò intumuerat, vt tumore ſe per manum diffundente, diro dolore cruciaretur, Beati Viri ſepulchrum accedens, fidei præmium incolumis tulit. Lamiæ Amerinenſis filia, ardenti febre oppreſſa, cùm Sancti Viri reliquias oſculata fuiſſet, mox febrem cum incolumitate commutat. S. Andreæ Monialis, Chriſtina nomine, quæ diu, grauiterq; iſchidiaco morbo laborauerat, cùm ſudario B. Viri ſanguini intincto, morboſæ parti applicato, ſanata, medicamentorum viribus curationem adſcriberet; iterum eodem morbo vexari cœpit, donec eodem ſudario applicato, B. Viri meritis curationis cauſam attribuiſſet. Poſtremò, trium dierum infans tam diro oculorum morbo tenebatur, vt inde cœcitas imminens à Medicis timeretur; B. Viri habitus particulâ oculis admotâ, aperto oculo clarè omnia conſpicit. Baldus Antonius Buſſione, Tudertinus, tam graui lotij retentione laborans, vt vix trium horarum illi ſpatium præſcriberetur, B. Viri habitu ſuper ægrum explicato, protinùs reuiuiſcere, ac breui incolumis viſus eſt. Mulier obſeſſa B. Viri cordis particulâ obſignata, abſque exorciſmo à Dæmone liberatur. Puer quoque Pinnenſis membris captus, cùm Raynerij habitus partem

collo appendiſſet, conſolidatis membris, è lecto incolumis exilit. Franciſcæ Tulliæ Carduinæ filiæ manum carbunculus venenatus, ac inſanabilis inuaſerat; quem cùm Fr. Ægidius Areminenſis Laicus ex noſtris, carneo illo flagello, quod in Raynerij corde inuentum fuerat, obſignâſſet, perfectæ mox incolumitati reſtituit. Coſmę Pacino Tudertino, certæ morti à Phiſicis adiudicato, cùm S. Viri habitum impoſuiſſent; mox ægrotus maximas in cubiculo flammas accendi, ſeq; inter flammas verſari exclamat, habitumq; è ſtrato amoueri iubet. Tùm verò ſecum mente volutare cœpit, num ob grauem culpam, quæ animo ineſſet, id ſibi contingeret: protinùs Sacerdote accito, mentem Sacramento expiat; iterumq; ſe S. Viri habitu contegendum curat; ac tandem geminam tùm animæ, tùm corporis ſalutem adipiſcitur. Philippa Lacoſta Placienſis, ab acerbiſſimo dentium dolore, dentibus conſolidatis, ſudarij B. Viri ſanguini intincti contactu, confeſtim ſanatur. Mulier quædam tertij ordinis S. Franciſci eodem modo faciem carcinode corruptam poſt biduum tam perfectè curatam ſenſit, vt neque morbi in eâ veſtigia remanerent. Hoc ipſo tempore Violans Iuniperę filia, altero brachio ita mutila, vt nullo prorſus vitæ ſenſu frueretur, cùm vir puellæ brachium ſudarij particulâ attigit, nullâ interpoſitâ morâ, emortuum puellæ brachium reuiuiſcit, atque ex omni parte facilè mouetur. Sebaſtianus, ciuis Tudertinus, peſtilenti febre correptus, moribundus, ac ſenſibus deperditis in lecto iacebat: cui cùm Raynerij capucium impoſitum fuiſſet, ſtatim ad ſenſus rediens, B. Viri merita implorat, auditum recuperat, & febri ſenſim recedente, breui incolumitate fruitur. Angelina quædam Tuderti B. Viri habitus ſegmine obſignata, à partus dolore, ac mortis periculo liberata, maſculum parit. Modeſta quoque Tudertina, à crurum dolore, voto emiſſo, incolumitatem conſequitur. Ventura, quatuor menſium infans, à defluente catarrho breui interimendus erat, cùm vittâ, quâ Raynerij poſt mortem os occluſum fuerat, circum tempora redimitus, copioſum ſtatim ſudorem effundit; quo abſterſo, à catarrho liber, atq; incolumis efficitur. Ioannes Petrus de Pectis, Tudertinus, ab acutiſſimâ febre, voto ad B. Virum emiſſo, incolumitate potitur. His accedat Balthaſar Iordanus, qui cùm à Margaritâ ſorore Crucem quandam exiguam ligneam, quæ illi à Raynerio, dum adhuc viueret, erogata fuerat, dono accepiſſet, quamplurima illius virtute miracula patrata fuiſſe teſtatur; vt ex Proceſſu Eugubino conſtat: vix enim eâ nubes ad imbres paratas obſignat, cùm à ſe imbres

effugat. Anno quoque 1612. cùm fluuio exundante, ac pleraſque ædes diruente, manu Cruce illâ armatâ, Crucis ſignum aduerſùs inundantes aquas vibrâſſet, fluminis eluuionem ita coërcuit, vt nullum propriæ domui damnum intulerit. Modeſta Tudertina, cùm abſceſſu tam grauiter angeretur, vt vnius menſis ſpatio, nullâ prorſùs diu, noctuq; quiete perfrui poſſet; vbi lapillis, qui à B. Viri felle prodierant, à Guardiano obſignata ad ſepulchrum ſe contuliſſet, confeſtim à dolore curatur; & poſtridie abſceſſu euaneſcente, perfectâ incolumitate donatur. Andreas de Aptis, Tudertinus, cùm ad quintum decimum vſque diem cum mortiferâ ægritudine depugnâſſet, ac ſolâ oris reſpiratione ſe viuentem teſtaretur; cùm oratione præmiſsâ Ioannes à Nurſiâ, cordis Raynerij particulâ moribundi frontem conſignâſſet, vxorq; votum emiſiſſet, æger ad ſenſus redit, breuiq; conualeſcit. Angela Boriona, mulier Tudertina, vt in Tudertino proceſſu legitur, mortuum filium pepererat; quem cùm obſtetrix ſenſu, motu, & reſpiratione carentem deprehendiſſet, in domus angulo collocatum, tanquam mortuum deſerit. Intereà ex propinquis mulieribus altera, quæ Minerua appellabatur, vocem ad Rayneriu m efferens: O Beate Rayneri (ait) emortuum filium matri, ac nobis redde. Cumq; votum emiſiſſet, mox infans vitæ reſtitutus, ploratum edere cœpit. Incendio in ædibus Aureliæ Rodinę Tuderti excitato, flamma in quoddam domus cubiculum allapſa, cùm cætera, quæ in eo erant, depaſta eſſet, cùm primùm ad lectum, ſtramineâ culcitrâ ſtratum peruenit, in quo Raynerius, dum Quæſtuarij in eâ vrbe munus gereret, interdum requieuerat, B. Viri lectum attingere non eſt auſa; ſed ardores ſuos ibidem reſtrinxit & extinxit. Iudith quædam, Alcidi Tudertini vxor, cùm diris cœliaci morbi doloribus per menſem vexata, maximos in clamores erumperet; neque vllâ Medicorum arte miteſcerent, ſudario B. Viri ſanguine intincto, corpus obuoluit; votoq; edito, votum mox morbi fuga, & perfecta incolumitas vſque ad mortem ſubſecuta fuit. Angela, Iacobi Bononienſis vxor, à dentium, & ſtomachi cruciatu, B. Viri meritis curatur. Franciſcus Finus, ciuis Tudertinus, iam per quadriennij ſpatium, vlcere peſſimo & inſanabili in naribus laborans (cui & vniuerſalis corporis tumor accedens, hominem in certum vitæ diſcrimen adduxerat) voto ſe obſtringens ſepulchrum B. Viri ſe intraturum, vix extrema verba protulerat, cùm detumeſcit corpus, ac poſtridie narium vlcus curatur. Pleraque alia, præter hæc, miracula enarranda ſuperſunt,

quæ indicare ſufficiat. Verdelaura Botia, à grauiſſimo genuum cruciatu, Raynerij particulâ eidem adhibitâ liberatur. Lucia Laurentia ab abortu preſeruatur. In agricolæ cuiuſdam oculum ariſta inſiliens grauiſſimum dolorem cauſabat; cùm Raynerij habitus præſegmen oculo impoſitum, ariſtam reſilire facit, omnemq; cruciatum adimit. Felix Tudertinus graui dyſenteriâ laborans, granum ex B. Viri corollâ decerptum, collo appendens, nullâ interiectâ morâ, ab eâ liberatur. Hippolitus Vffredurius à ſerpenti morbo, qui quotannis illius faciem inuadere conſueuerat, lini B. Viri ſanguine intincti particulâ, perfectiſſimè curatur. Hoc modo & Hieronymi huius Hippolyti filius, cui oculi repentino tumore correpti fuerant, oculorum incolumitatem adipiſcitur. Licinius Tudertinus à febri, & dyſenteriâ liberatur. Ioſephus Tudertinus, à femorum, & genuum morbo; Hippolytus Machinus Tudertinus à colico dolore; Euphraſia, Monialis S. Franciſci à ſtomachi doloribus; B. Viri meritis ſanantur. Poſtremò, Angelus Tudertinus, tertiò ad B. Viri ſepulchrum orans, ab alterius oculi cœcitate integrè vendicatur; Clara Benedictonia à genuum cruciatu; Cœcilia Tudertina à partus doloribus liberantur: Antonius, Claræ Benedictoniæ filius, quatuor annorum puer, dum è ſummis gradibus vſque ad infimum, capite deorſum verſo dilabitur; à matre eo tempore B. Viro commendatus, inoffenſus ad matrem redijt. Antonius, peditum Dux, impoſito ſibi B. Viri capucio, à graui ſuperciliorum dolore curatur. Gabriel, Comes Eugubinus, ampullam B. Viri ſanguine plenam ſibi adhibens, colicum dolorem mox fugat. Virgilius pictor quartanâ duplici laborans, B. Viri veſtis particulâ obſignatus, à febri conualeſcit. Plura hic miracula referenda eſſent; verùm, ne copiâ legentem obruere videar, ea, ne pereant, in Religionis Tabulis nobis conſcripta eſſe ſufficiat. Pleraque Ioannes Baptiſta Poſſeuinus, libello olim prælis dato, licet compendioſè, complexus eſt.

***

Fr. VALENTINI AB ALTOMVRO, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER VALENTINVS AB ALTOMVRO, Laicus, cùm ad perfectum, ac numeris omnibus abſolutum Fratris Minoris exemplar efformandum, nullum virtutis ornamentum ei deeſſe putaretur, (mira enim ſunt, quæ de illius obedientiâ, humilitate, patientiâ, paupertate, abſtinentiâ, mentis candore, ſenſuum mortificatione, morum honeſtate, vitæ auſteritate, & charitate referuntur) maximè tamen orationis virtute præcellere videbatur: cuius ſtudio, cum in Conuentu Cryptarum, cryptam quandam ſibi ad orandum elegiſſet, in quâ Crucifixi imago in pariete depicta cernebatur; & ante illam aliquando genuflexus oraret, vocem ex illius Crucifixi ore profectam, ita ſe alloquentem audit: Valentine, pauci elabentur dies, poſt quos ad te veniam, eorum tibi præmia collaturus, qui me totis viſceribus diligunt. Hoc ille audito, cùm diligentiùs ſe ad Domini aduentum paráſſet, paucis diebus elapſis, ad promiſſam illi à Domino mercedem aſſumitur, Anno 1589.

Fr. MARIANVS à CONCHA, Laicus, cùm in oppido Granolles, peſte laborantibus, ſuâ operâ, ac miniſterio adfuiſſet, voluntario charitatis martyrio occubuit, Anno 1589.

Fr. ANTONIVS à CRVCE, Cathaloniæ Prouinciæ Laicus, regulæ obſeruantiſſimus, haud aſpernandam vitæ auſteritatem coluit: de quo illud fertur, quod Generalem Cæſar Auguſtanæ Eccleſiæ Vicarium, podagrâ laborantem, ſigno Crucis curauerit. Obijt anno 1589.

***

Fr. PE-

Fr. PETRI A MARTINA LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER PETRVS à MARTINA, Laicus, vitæ, ac virtutum ſplendore illuſtris, ex honeſtâ Maraſſorum familiâ natus, propter optimam parentum educationem, Deum ita ab infantiâ timere cœpit; vt cum eo pietas orta, atque aucta videretur. Verùm cùm tardioris eſſet ingenij, & Symbolum Apoſtolorum nullâ ratione memoriâ retinere poſſet; puerulus ad Beatiſſimæ Virginis opem confugiens, ab eâ ſupplex Symbolum doceri poſtulat. Quæ pueruli vocem exaudiens, ſub candidæ mulieris ſpecie mox coram eo adſtat; & Nicænum Symbolum, quale in Miſsâ decantari ſolet, eius memoriæ inſtillat. Tandem vtroque parente orbatus, ſororibusq; honeſtis viris collocatis, in Capucinorum numerum adſcribitur. Vix ille primum in Religione tyrocinium poſuerat, cùm eum Dæmon varijs infeſtationibus perturbare nititur: at inuictus Chriſti pugil, diuinâ virtute fortior, aſſiduâ oratione Satanæ impetus deludit; eamq; mentis ſerenitatem aſſequitur; vt inter Dæmonum ſtrepitus, penitùs immotus perſiſteret. Abſtinentiâ quoque tam inſignis fuit, vt à carnium eſu perpetuò abſtinuerit; & ieiunijs licet quotidianis exeſus, quadriennij tamen ſpatio, cruda tantùm edulia ſibi ad cibum adhibuerit. Tres verò illos extremos Hebdomadæ ſanctæ dies, abſque vllo omninò, præterquam lachrymarum pane, atque oratione celebrare conſueuerat. His & cætera conſentanea erant; parciſſimum namque ſomnum, quem prolixæ in oratione vigiliæ ſequebantur, nudæ tantùm tabulæ dabant, ceruical capiti lignum miniſtrabat, aſperum cilicium ex equinis pilis abraſis confectum, perpetuò humeros texit: corpus verò, perinde, ac ſi ligneum, aut lapideum eſſet, tamdiu flagellis cædebat, quoad illum vires ad flagellandum deficerent. Nemo eo pauperior, nemo humilior, abiectior nemo erat. Vir quoque eximiæ patientiæ fuit: contigit enim aliquando, vt cùm nudis pedibus (vti ſolebat) per vrbem ſtipem exigens incederet, in clauum impingeret, qui elato acumine ipſius pedem perfodit. Nulla tunc vox, præter hanc: O mi IESV! ex illius ore elapſa, vulnerisq; ita dolorem coërcuit, vt ne vulnus

quidem accepiſſe videretur. A verborum otioſitate maximè abhorrebat, Fratresq; his verbis monere ſolebat: Fratres omne tempus perdidiſtis, in quo de Deo non cogitaſtis. Tanto Catholicæ fidei amore æſtuabat, vt pro eâ ſanguinem, vitamq; profundere maximè optaret. Prophetico quoque ſpiritu excellens, futura prænunciabat. Cùm enim infantulum filium Aurelia Valentina mater, S. Viri precibus commendâſſet, is infantulo inter vlnas apprehenſo blandiens ait: Quàm bellulus infans, quàm pulcher! O quàm breui pulchrior erit, cùm inter Angelorum choros collocabitur! Porrò vnius tridui tempore elapſo, infantulus morte peremptus ad ſuperna rapitur. Pleraſque illum à Deo reuelationes, ac Fratrum defunctorum viſiones accepiſſe; multorum quoque animos, & cogitationes diuinitùs illi patefactas fuiſſe, Ordinis monumenta tradunt. In Saluij Conuentu Quæſtoris munus exercens, Hieronymi Montani dolium vino vacuum ſuâ oratione plenum reddit. Hoc ipſo tempore Catharina Tertij Ordinis S. Franciſci ſoror, armenta, quæ peſtilens morbus depaſcebat, aquâ, quâ Petrus pedes ſuos lauerat, aſpergens, ea à morbo ſeruat. Petrus igitur illuſtribus his Dei donis cohoneſtatus, à ſorore inuiſitur; cui obitum ſuum tertio abhinc die prædicit: Cumque ſororem dimiſiſſet, acutâ febre corripitur; & poſt tertium diem, vt prædixerat, ad Deum migrat. Cæterùm, totum illud vitæ triduum tot virtutum, ac ſanctimoniæ ſignis illuſtrauit, vt Fratres in ſui admirationem raperet. Poſtremò, iam iam extremum ſpiritum redditurus, cùm Sacram cœlorum Reginam ſibi occurrentem cerneret: Iam (inquit) valete, Fratres: Virgo me Beatiſſima expectat. Moxque anima à corpore ſoluta, in Sacræ Deiparæ ſinum aduolat, cœleſtibus, vt piè creditur, inſerenda choris. Poſt Petri obitum, Catharina Tertij Ordinis S. P. N. Franciſci ſoror, cuius ſuprà memini, cùm illius habitus particulam cuidam mulieri (quæ partus dolore cruciata, magno in vitæ diſcrimine verſabatur) impoſuiſſet, ſtatim fœtus ſaluâ matre in lucem erumpit. Obijt Anno 1590.

***

Fr. ANTONII A LEONISSA LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONIVS à LEONISSA, Laicus, cùm per quadriennij ſpatium B. Felicis à Cantalicio in ſtipe colligendâ Romæ operam dediſſet, ita illius mores, ac virtutes aſſecutus eſt; vt B. Felix poſt eius diſceſſum, atque in Aputrinam Prouinciam reditum, de eo Cæſarinæ cuidam Herculanæ, Camurdæ Baroniſſæ, hæc aliquando affirmauerit: Aquilina ciuitas illuſtrem, ac pretioſam gemmam, tametſi non agnoſcat, ſibi vendicat, dum Fratrem Antonium à Leoniſsâ, ſuperſtitem habet: Atq; vtinam & ipſe eum in locum concederem, qui illi poſt obitum à Domino paratur. Hæc B. Felicis verba, quibus Antonij vitam, obitumq; cœleſti, vt putatur, reuelatione copioſiùs commendauit, haud vulgare ipſius virtuti, ac ſanctimoniæ teſtimonium ferunt. Cùm aliquando ante quadrageſimale ieiunium, quo honeſtæ animi relaxationes indulgeri ſolent, Antonius in cellâ oraret; atque Guardianus, Sacriſtâ ad eum miſſo, ad communes animi recreationes vocaret; Sacriſta fores aperiens, Antonium orantem, & cubito altius in ſublime elatum cernit: poſt ſecundam verò orationis horam, lætus inter Fratres animum recreantes, perinde ac ſi nullo mentis exceſſu potitus fuiſſet, conuerſatus eſt. Fremebat in eum Satan, orationis ipſius flammâ cruciatus; atque vt eum ab oratione auocaret, nunc apri, modo canis, variarumq; belluarum formas aſſumit, multisq; modis infeſtat. At illum Antonius ſigno Crucis quàm celerrimè fugat. Huic S. Viro aliquando accidit, vt dum horti culturæ in Aquilano Conuentu incumbit, pleroſque aureos, & argenteos nummos fodiens, è tellure erumpentes cerneret; qui Dæmonis aſtum agnoſcens, altius illos humi ſepelit: ſemel tamen cùm aureum laterem fodiens, apprehenſum in cellâ reponit, vt in pauperes deinde eroget; noctu vocem ad ſe delapſam audit, his eum verbis obiurgantem: Antoni, quid tibi cum auro? ſi cupis ſaluari, aureum laterem abijce; mox ille voci obediens, aureum laterem retulit, atque humo operijt. Propheticâ illum luce illuſtratum fuiſſe, pleraque exempla indicant. Cæſarinæ Herculanæ Matthæo fratri

vigeſimo poſt S. Viri obitum, cùm in ſepulchrum, in quo Antonij corpus conditum fuerat, alterius Fratris defuncti corpus inferendum eſſet, ſepulchri ore patefacto, tam ſuauis ex Antonij corpore odor effundi cœpit, vt eo mirificè cuncti recrearentur: Antonij verò corpus, poſt tot annorum curricula, integrum & incorruptum conſpicitur.

Fr. PEREGRINVS MEDIOLANENSIS, Laicus, in Mediolanenſi Prouinciâ, Vir fuit omni virtute ornatus; abſtinentiâ præſertim, orationis ſtudio, vitæ innocentiâ, ac Regulari obſeruantiâ inſignis. Obijt anno 1590.

In Bononienſi Prouinciâ, regularis obſeruantiæ laude, ac totius Euangelicę perfectionis luce emicant Fr. LAZARVS APVENSIS, MASSÆVS RAVENNAS, FRANCISCVS MARIA FERRARIENSIS, Laici. Atque inter eos Fr. Maſſæus, vt carnis tentationem à Dæmone excitatam, cum tentatore debellaret, ſeſe B. P. N. Franciſci inſtar, inter vepres volutat. Franciſcus verò Maria morti proximus, cùm Angelicam Salutationem campanæ ſigno pulſari perciperet; in lecto genuflectens, dum eandem Beatiſſimæ Virgini perſoluit, eodem tempore genuflexus Deo animam reddit, Anno 1590.

EVSEBIVS CALABER, Laicus, Meſſanenſem Prouinciam multiplici ſuâ virtute illuſtrat: cùm enim paupertate, abſtinentiâ, vitæ auſteritate, humilitate, ac potiſſimùm orationis ſtudio præcelleret, varias à Dæmone infeſtationes paſſus, tandem obitu ſuo, anteà Fratribus prædicto, in pace quieſcit, Anno 1590.

Fr. GVIDVS à CORTONA, Laicus, plurimæ tum auſteritatis, tum orationis in Hetruſcâ Prouinciâ commendatur. Obijt anno 1591.

Fr. FABIANVS BERGOMAS, Laicus, regularis obſeruantiæ, abſtinentiæ, paupertatis, & præſertim orationis laude ita præcelluit, vt ecſtaticos nonnunquam raptus pateretur. Obijt anno 1591.

Fr. OTTO CORTONIENSIS, Laicus, in eâdem Hetruriæ Prouinciâ, præter alias ſingulares animi virtutes, tanto mentis candore præditus fuit; vt lethalis culpæ labe nunquam contaminatus fuerit. Obijt anno 1591.

In Coſſetanâ Prouinciâ Fr. BARTHOLOMÆI DARROCENSIS, Laici, Viri omnium virtutum genere ornatiſſimi, ſuperſtes adhuc viget memoria: qui cùm incorruptam ad cineres vſque virgini-

tatem ſeruâſſet, corporis à Deo poſt mortem ad ſecundum vſque annum, inter deſidentes ſepulchri aquas, incorruptionem promeruit. Obijt anno 1591.

Fr. BAPTISTAE ROTVNDANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER BAPTISTA ROTVNDANVS, Laicus, cùm primùm ad ſuaue Religionis iugum à Deo vocatus fuit, tam auſterum vitæ genus ſibi amplectendum præſcripſit, vt multis prodigium fieret: Etenim cùm ſolitudinis auidiſſimus, primùm à Barienſis Prouinciæ Superioribus facultatem impetrâſſet, quâ ſolus in ſpecu ſolitariâ Vallis Fellenenſis, quæ intra noſtri Grottariæ Conuentus ſepta continetur, vitam degeret; ibi à Cerere & Baccho abſtinens, ſolis terræ fructibus, & crudis herbis ſemel in die veſcebatur: Neque tamen ijs ad ſatietatem vti ſolebat: in ſacræ enim Quadrageſimæ ieiunio, quadraginta fabarum numero, quas aquâ madefaciebat, contentus erat: ſitim verò haud aliâ, quàm quæ ex riuulis decurrebat, aquâ ſedabat. Rigidæ huic abſtinentiæ, cæteræ quoque carnis aſperitates conſentaneæ erant: nam hyberno tempore, quo cuncta gelu rigebant, vnicâ, ac viliſſimâ contentus tunicâ, abiectis ſandalijs, nudis pedibus glaciem calcabat; perindeque, ac ſi æneus, aut lapideus eſſet, rariſſimè ad ignem accedebat. Perpetuo cilicio carnem fatigabat; flagris concidebat, vigilijs opprimebat; & ſi breui aliquo tempore illi quieſcendum eſſet, tabulâ ſeu matta humi ſtratâ, lectum; lignum, vel lapis ceruical parabat. Hæc autem, oratio, ac rerum diuinarum contemplatio, cui omne ferè tempus conſecrauerat, ſuauiſſima, ac ſapidiſſima reddebant. Hanc ille auſterioris vitæ rationem, ab hominum conſortio remotam, cùm per aliquot annos obſeruâſſet, à Generali facultate impetratâ, in aſperrimi montis, qui Rotundæ adhæret, deſertum ſecedens, priorem illam vitæ auſteritatem nouis ita aſperitatibus accumulauit; vt cùm aliunde ſibi victum non quæreret, herbæ ſylueſtres, atque arborum radices illi cibum miniſtrarent; montis antra

tectum præberent; nuda humus lectum ſterneret; rupes, & ſaxa obſtrepente flagello, quo carnem frequentiùs terebat, perſonarent. Hîc Baptiſtam, triſtes pœnitentiæ gemitus: hîc feruidos diuini amoris æſtus eructantem audiſſes: hîc denique tam puram, tamq; cœleſtem vitam agere viſus eſt, vt feræ, auesq; ad eum, velut domeſticum accederent: hîc ad eum confluentes optata conſequebantur; alij quoque languore correpti, ſigno Crucis adhibito, ab eo curabantur. Conſueuerat Baptiſta ſingulis diebus è monte deſcendere, atque in ſacrâ æde ſacro Miſſæ Sacrificio intereſſe, & Chriſti Domini Corpore deuotiſſimè communicare. Semel verò contigit, vt cùm minor Hoſtia nulla eſſet, Sacerdos illum à Communione abſtinere iuſſerit; paret Baptiſta: at cum primùm ad primam Hoſtiæ oblationem ventum eſt, Sacerdos minorem Hoſtiam, quam minimè repoſuerat, in patenâ cernens, diuinitùs id accidiſſe ratus, ne Baptiſta eo die cœleſti pane careret, Hoſtiam conſecrat, Baptiſtamque diuinâ eſcâ reficit. Prophetico quoque ſpiritu plurima prædicit. Cùm igitur in hac montis ſolitudine, Vir Dei ad vigeſimum vſque annum, vitam magnâ cum virtutum laude perduxiſſet, ſanctimoniâ apud omnes clarus, in quodam montis antro Deo ſpiritum reddit, Anno 1592. Corpus verò, poſt quartum diem exanime repertum, ſuauem odorem ſpirat.

Fr. SAMVELIS A S. ANTIMO,
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER SAMVEL à S. ANTIMO, Laicus, cùm à matre etiamnum in vtero geſtaretur, ab Angelo, qui ſub ſenis cuiuſdam pauperis ſpecie, ab eo eleemoſynam acceperat, illuſtrioris apud Deum virtutis commendatur. Quamobrem vix natus, Sabbathi ieiunium ab incunabulis inchoat. Quam ieiunij conſuetudinem, etiam ætate prouectus, quamdiu vixit, ob Virginis honorem, ita ſibi obſeruandam præſtituit, vt eo die pane duntaxat, & aquâ contentus eſſet. Optimam quoque matris educationem nactus, quotidie Beatiſſimæ Virginis corollam recitare conſueuerat: quam cùm die quâdam attentiùs perſoluiſſet;

 accidit,

accidit, vt curru, qui ab eo ducebatur, dilabente, ipſe quoque vnà cum curru in altam foueam dilaberetur. Verùm à Beatiſſimâ Virgine, ſibi in ſpecioſæ mulieris formâ apparente, apprehenſus, in ripâ ſtatuitur. Hic cùm ad Capucinorum Religionem virgo acceſſiſſet, virginitatem virtutibus ita accumulauit, vt ſilentio, humilitate, patientiâ, obedientiâ, paupertate, animi candore, ſimplicitate, atque orationis ſtudio nemini ſecundus eſſet. Hoc virtutum apparatu cùm ita animum exornâſſet, vt non mediocrem tùm apud ſæculares viros, tùm apud Fratres ſanctimoniæ exiſtimationem conſecutus fuiſſet; Fregellæ cœleſti fulmine ictus interijt; cùm tamen ſolâ tunicâ combuſtâ, caro à fulgure intacta fuiſſet: corpus verò, humo effoſsâ, iuxta Eccleſiam ſepultum, poſt binos ſepulturæ annos, integrum conſpicitur. Re verò per oppidum euulgatâ, plerique ad illius ſepulchrum confluentes, illiusq; ſuffragium implorantes, à morbis curantur. Inter quos mulier, quæ quartanâ febre diu laborauerat, ab illius ſepulchro incolumis recedit. Alter quoque, qui eodem tempore febri affligebatur, à febri liber euadit. Tertius quoque puer herniâ laborans, ſepulchro impoſitus, ab herniâ liber ſaluti reſtituitur. Maria quoque quædam Iacoba commemoratur, quæ liquore, qui ex Samuelis ſepulchri lapide olim effluxit, ſui corporis partem, in quâ dolore afficiebatur, inungens, à dolore perſanatur. Ex noſtris Fr. Bartholomæus Laicus, cùm Fregellæ acutâ febre correptus, in vitæ diſcrimine verſaretur, vix Samuelis merita ſibi ad ſalutem poſtulat, illiusq; ſepulchrum ſe veneraturum ſpondet; cùm protinùs febris miteſcit, breuiq; incolumitatem adipiſcitur. Idem cùm in Conuentu Sueſſino tam graui capitis dolore vexaretur, vt ferè ad inſaniam pertraheretur; caput è feneſtrâ, quæ Fregellam ſpectabat, efferens, impenſiusq; Samuelis opem efflagitans, confeſtim curatur. Alter quoque ex noſtris Sacerdos, qui graui tentatione vrgebatur, cùm adgeniculatus habitus manicam, quæ Samuelis olim fuerat, ſupplex ab eo auxilium poſcens; exoſculatus fuiſſet, protinùs à tentatione liberatur. Poſt hæc anno. 1604. duodecimo ſcil. poſt Samuelis obitum anno, ipſius tùm corpus, tùm habitus tam integra inuenta fuere, vt eâ ipſâ die ibi condita fuiſſe viderentur. Obijt Vir Dei Anno 1592.

In Vmbriâ S. Franciſci Prouinciâ Fr. MARINVS à GARITOLA, Tudertini agri Caſtello, Laicus, cùm multis virtutibus floruiſſet, in morte à germano fratre lucidâ nube incluſus, & columnæ innixus cœlum conſcendere cernitur, Anno 1592.

Fr. AN-

Fr. ANDREAS CASTVLENSIS, Laicus, poſt multos perfectæ virtutis annos, in Brixienſi Prouinciâ tranſactos, ſobolemq; ſpiritu prophetico Scipioni Auogadio prænunciatam, Brixiæ huius vitæ ærumnis valedicit, Anno 1592.

Fr. THOMAS ROTVNDANVS, Laicus, tam inſigni Barienſem Prouinciam ſanctimoniâ illuſtrat, vt altiſſimâ rerum diuinarum contemplatione præditus, corpore ſuper arborum faſtigia ſublatus ſit; vinum rapidum ad priſtinam generoſitatem reuocauerit; ſigno Crucis Ludouicum Hiſpanum, graui febre in itinere correptum, incolumitati reſtituerit; & quædam prophetiæ ſpiritu futura prædixerit. Obijt anno 1592.

Fr. PETRONIVS VERCELLENSIS, Laicus, Vir omnium virtutum ſtudio clarus, erucas, quæ hortum depaſcebantur, præcepto ad fugam compellit; leproſumq; pauperculum, dum ſummâ charitate curat, à leprâ liberat.

Fr. FRANCISCI MONOPOLITANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS MONOPOLITANVS, Laicus, cùm Eremiticam in quodam monte vrbi Monopolitanæ coniuncto, vitam duceret, Capucinorum aliquando tum hoſpitalitate, tum charitate illectus, in eorum ſe gremium recepit. Vix autem in Religione pedem fixit, cùm obedientiâ, humilitate, patientiâ, ſui contemptu, atque omni virtutum luce, ſplendere cœpit. Abſtinentiâ ita fuit illuſtris, vt ſolas herbas, ac legumina ad panem adhiberet; carnem cilicio, vigilijs, alijsq; vitæ aſperitatibus domabat; poſt Matutinas Horas orationi, ac diuinarum rerum contemplationi perpetuò vacabat; tùm Fratrum, tum ſæcularium hominum conuerſationem fugiens, vberiùs cœleſtia Dei dona capiebat. Quo factum eſt, vt non ſemel in mentis exceſſum raptus, oransq; haud rarò toto corpore in aëra elatus conſpiceretur. Inter hæc, tantâ erga omnes, præſertim ægrotos, charitate ferebatur, vt in eorum totum ſeſe vtilitatem effunderet. His dum charitatis officijs animum intendit, in morbum incidit; quo tempore cùm aſſæ auiculæ appetitu teneretur, vix de illâ cum Noſocomij Præfecto collo-

quitur, cùm felis domeſticus auiculam venatione captam ore geſtans, eam ante cellæ fores relinquit. Demum virtute, ac ſanctimoniâ clarus, Melphiti mortalem cum immortali vitam commutat. Anno 1593.

Fr. IOANNIS NAVARREI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES NAVARREVS, Laicus, ſemel cum fratre germano iter faciens in latrones incidit; qui vtrumque ferro aggreſſi, graui Ioannem vulnere in capite ſauciant: quo ille ſtatim humi corruens, cùm Beatiſſimæ Virginis intereà opem, ac præſidium imploraſſet, mox à vulnere ſe curatum ſentit. Domum reuerſus, cùm diuinis rebus affici, & præſertim orationi vacare cœpiſſet; intempeſtâ nocte ſurgens, ad Matutinas quorundam Religioſorum, primo eorum ſigno audito, Horas, conueniebat; atque extra Eccleſiæ fores genuflexus, iis deuotè intererat: tempus vero, quod inter primum, & vltimum Horarum ſignum interfluebat; in quodam ſacello Beatiſſimæ Virgini dicato, totum in oratione inſumebat. Accidit verò, vt imbre è cœlo cadente, nocte quadam Ioannes ad Matutinas Horas (vti de more ſolebat) non accederet: quo tempore à cœleſti quâdam voce excitatus, his ſe ab eâ verbis increpari audit: O hominum ingratiſſime! ni tibi opem tuliſſem, atque à vulnere curaſſem, iam diu inter mortuos ſempiternos computatus, inter inferni flammas arderes. Nunc ob exiguæ pluuiæ incommodum Matutinas Horas deſeris? Graui hac increpatione perterritus Ioannes, confeſtim è ſtrato proſiliens, ad Eccleſiam pergit: vbi ſacræ Deiparæ imaginem clariſſimâ luce refulgentem, ac lampadem, quæ ante illam ardebat, multò quàm ſoleret clariùs emicare cernit. Quamobrem ipſius mens repentè mutata fuit, & ad omnem pietatem accenſa; paruâ deinde temporis morâ interiectâ, Fratrum Obſeruantium Ordinem ſibi ad Dei ſeruitutem deligit. Ioannes igitur inter hos Patres omni cum humilitate verſatus, tam ſeuerâ abſtinentiæ lege gulæ vitium coërcuit, vt haud alio cibo, quàm pane, calidâ aquâ (quam ad coquinæ patinas abluendas parabat) madido veſceretur. Verùm arctioris obſeruantiæ

ſtudio

ſtudio flagrans, cùm prius ad eiuſdem Ordinis Recollectos migraſſet, hinc tandem ad Capucinos tranſuolat; vbi nudas ſibi ad ſtratum tabulas adhibens, haud rarò non cubans, ſed genuflexus ſomnum capiebat. Senſuum, ac præſertim oculorum tam ſeuerus cuſtos fuit, vt vndecim annorum ſpatio, quo in Capucinorum Ordine verſatus eſt, ad mulieris nunquam vultum intuendum oculos extulerit. Hinc tanta elucebat in eo morum honeſtas, tantus pudicitiæ honor, vt virginei candoris florem perpetuò illibatum ſeruâſſe, omnibus perſuaſum fuerit. Vir erat Ioannes litterarum penitùs ignarus; quippe qui nec litterarum apices noſſet. At Deus Ioannis animum eâ ſapientiæ luce imbuerat vt de diuinis, ac Theologicis rebus tàm altè, atque aptè diſſereret, vt Ioannes Tereſius, Tarraconenſis Antiſtes, ſummâ illius admiratione caperetur; ingenueq; ſe nullum vnquam, tàm perſpicuè, ac genuino ſenſu difficillima quæque Scripturarum loca explicantem audiſſe fateretur. Hæc porrò Ioannis ſtudia erant, hucq; illius cogitationes ferebantur, vt Deum vbique ſibi præſentem ſtatueret, mentemq; ad Diuina ſemper anhelantem gereret. Cùm autem præcipuâ erga Beatiſſimam Virg. deuotione duceretur; accidit ſemel, vt dum Salutationis Angelicæ verba ſecum ruminat, tam alta illi à Deo, tum de Beatiſſimæ Virg. excellentiâ, tum de Incarnationis myſterio, arcana reuelata fuerint; vt deinceps, vſq; ad ſeptimam, & amplius horam, genuflexus, ac immobilis, orando pertingeret. Pleraq; etiam occulta, ac futura Diuinâ reuelatione cognoſcebat. Hinc Raphaëli Regnes Medico cum Chirurgo de rebus vanis ſecretò colloquenti, ſermones aperiens grauiter obiurgat: Ioanni Tereſio Archiepiſcopo Tarraconenſi morbo laboranti, præmiſsâ oratione, incolumitatem pollicetur. Benedicto Dalmau, ſeptuagenario febre in lecto ægrotanti, febris receſſum, ac eodem tempore ſanitatem prædicit: Bernardi Martini Legiſperiti filiæ ad Medicorum deſperationem laboranti, vitam promittit; quin etiam familiarem Fratrum noſtrorum hoſpitam futuram prænunciat: Bernardo verò prolem maſculam prædicit. Quæ omnia, prout præſignificata fuerant, euenêre. Nec caruit miraculorum patrandorum virtute. Ioannes Burgnes, Eneæ nobilis Tarraconenſis filium, ramice grauiter laborantem, ſigno Crucis conſignans, eodem tempore à morbo liberat. Adhęc iter faciens, exiguo temporis ſpatio, ab Angelo (vt creditur) delatus, magnum iter conficit, quod Socij vix poſt longum tempus expedire potuerunt. Poſtremò, ſanctimoniæ famâ apud omnes clarus, Barcinone in Conuentu Montis Caluariæ meliorem

vitam

vitam ſortitur, Anno 1593. Poſt tertium circiter ab ipſius obitu annum, Ioannis corpus integrum, atque ita ab omni putredine immune repertum eſt, vt ſeipſo ſtaret: quapropter illud Fratres iuxta ſepulchri parietem ſtans collocarunt.

Fr. IOANNIS A SEMINARIA LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER IOANNES à SEMINARIA, Laicus, ſanctitate ac miraculis illuſtris, honeſtis parentibus ortus, cùm primùm ſextum decimum annum attigit, primum iuuentutis florem in Fratrum Obſeruantium Ordine conſecrat. Hic inter illos Calabricæ Reformationis authores enumeratur, qui ex Obſeruantium gremio emergentes, duras illas priorum temporum calamitates, ac perſecutiones fortiter perpeſſi, ſuâ virtute Religionem ijs in partibus propagarunt. Mira fuit hominis huius auſteritas: cùm enim ſemel in die tantùm refectionem ſumeret, à carnibus perpetuò abſtineret, Quadragenariaq; B. P. N. Franciſci ieiunia (quibus, ſi ea, quæ à Regulâ præſcripta ſunt, addas, totum ferè annum complectuntur:) legitimo ſempiterno obſeruaret; præter hæc binos interdum dies abſque cibo tranſigere, cunctoſq; Veneris dies panis, & aquæ inediâ celebrare ſolebat: quodq; durius videbatur, integri illi quadraginta ieiunij dies, quandoq; abſque potu effluebant. Omnium in eo virtutum ſpecimen elucebat; quas cùm ardentiori oratione, & rerum diuinarum contemplatione aleret, nulla illi temporis pars ab eâ vacabat. Hinc illa quoque haud rarò mentis exceſſus, ac diuinas ei reuelationes peperit, quibus futura prænoſceret; atque adeò diuinorum miraculorum luce clarum reddidit, vt illius ſanctimoniæ famâ vbique peruolaret. Horum libet nonnulla hîc exempla referre. Fr. Simplex Laricionenſis, Laicus, tertiâ noctis horâ, cùm ad Ioannis cellam acceſſiſſet, Ioannem funi cuidam, ne ſomnus illi orandi tempus præriperet, manu innixum, vultu in ſublime erecto, ita à ſenſibus alienatum cernit, vt diu in eâ accenſo lumine commorantem non viderit. Fr. Baptiſta ab Antio, adhuc ſæcularis, vnà cum quinque alijs eiuſdem oppidi Adoleſcentibus, Religionis ſinu excipi optantibus, tres (quos manu indigitabat) in

partem

partem Capucinorum vocatos; reliquos à Miniſtro repulſam laturos prędicit: Verùm neque hos tres omnes in Religione ſtabiles futuros; ex his enim N. (quendam indigitans) defecturum pręnunciat. Seminariæ nonnullis infauſtum vitæ finem prędignificat. Idipſum alteri Seminariæ auditori, qui Bertucius appellabatur, duobus tamen menſibus ad vitæ emendationem conceſſis, diuinâ luce perfuſus, prędicit. Poſt quos nihilo hic Viri Dei verbis melior factus, immaturâ intra id temporis ſpatium morte perimitur. Triſtanio, cum ſocijs Proſcriptis dum ſimul menſæ accumbunt, ſolum Triſtanium ex Dei Clementiâ ſecundis rebus perfruiturum, reliquis verò infauſtum exitum pręnunciat. Reliquis igitur cæſis, vel ſuſpendio necatis, ſolus Triſtanius ſuperſtes, cum pace ad ſummam ſenectutem peruenit. Fr. Hieronymo Catacenſi, Laico, Poliſtenam redeunti, Ioannes infirmitatem, ad Medicorum vſque deſperationem, ac demum incolumitatem prędicit. Plurima denique miracula ab eo patrata fuiſſe probatiſſima, atque iurata multorum teſtimonia confirmant; quorum nonnulla hîc indicanda ſunt. Cornelia quædam Gariana, grauiſſimè ad mortem ægrotabat; cùm eam Ioannes ſigno Crucis conſignans: Iam (inquit) retrocedet febris; tuq; octauo abhinc die Domino gratias actura, ad noſtram Capucinorum Eccleſiam incolumis venies. Exitus rem comprobauit. Eiuſdem Corneliæ puer, quem Ioannis meritis acceperat, grauiter infirmabatur; hunc mater miſſo ad Conuentum nuncio, impenſiùs Ioanni commendat. Ægrotabat hoc ipſo tempore & Ioannes, cùm accepto Corneliæ nuncio, in Eccleſiam ſe deferri poſcit: vbi cùm aliquamdiu pro pueri incolumitate rogans, in oratione fixus permanſiſſet, ab eâ tandem ſurgens, nuncio inquit: Iam ad Corneliam reuertere; æger namque filius eius viuet, & ex morbo conualeſcet. Eadem quoque Cornelia cùm Ioannis funem canabaceum à Ioanne Præneſtino accepiſſet, eo tot deinde miracula pręſertim in his, quæ partus dolore cruciabantur, eum contigerunt, vt ea facilè enumerari non poſſint. Poſt hæc Prudentia, Innocentij Præneſtini vxor, quartanâ febre laborans, ſimul fœtum in vtero gerebat: quamobrem tum abortum, tum vitæ periculum metuebat, cuius cùm frontem ſigno Crucis Ioannes conſignâſſet, extemplò ab eâ quartana febris abſceſſit, atque ſuo tempore maſculum læta peperit. Seminariæ puerum oculorum morbo ita affectum, vt propè ad cœcitatem accederet, ſigno Crucis adhibito, ad integram ſanitatem reuocat. Oppidi Gubernator, Vir illuſtris grauiter ægrotans, cùm ſe Ioannis

 fune

ſune præcinxit, mox incolumitatem aſſequitur. Poſtremò, Franciſcus Gallicius, duplici tertianâ diu cruciatus, à Viro Dei ſigno Crucis petitus, poſtridie ab vtrâque febri liber euadit. His ferè innumeræ curationes addi poſſent, quas Vir Sanctus ſigno Crucis præſtitit; vt à nobili quadam perſonâ affirmatum fuerit, ſi, quæ tantùm in ſuo Terræ Nouæ oppido, morborum curationes, ab eo ſigno Crucis patratæ ſunt, ſcripto mandarentur, eæ ſolæ integrum codicem conficerent. Has verò tantùm indicâſſe ſufficiat, vt Dei in hoc S. Viro gloria illuſtretur. Cùm igitur Ioannes ad centeſimum, & ampliùs ſuæ ætatis annum accedens, ſexaginta in omni ſanctitate, & iuſtitiâ in Capucinorum Religione Domino famulatus eſſet, vitæ occaſum Domino reuelante, ſibi adeſſe ſentiens, curſum conſummaturus, eò velociùs ſe ad omne virtutis opus vrgere cœpit, ita vt iam non ſibi, ſed Deo tantùm viuere videretur. Inter hæc pleuritide correptus, vbi animum Eccleſiæ Sacramentis expiauit, placidè ad Deum euolat, Anno 1593. ſolutâ verò è corpore animâ, corpus ita candidum, molle, tractabile, atque flexibile apparuit, vt dormientis potiùs, quàm defuncti ſpeciem præſeferret. Mox tanta hominum turba eò Viri ſanctimoniâ adducta, confluere cœpit; ac tam vehementi deuotionis impetu in corpus irrupit; vt tribus tunicis in fruſta conſciſſis, ter iterum tunicâ contegi opus fuerit, & S. Viri corpus, ad populi deuotionem ſedandam, triduum inſepultum remanſerit; quo tempore ſuauiſſimus ex eo odor diffundebatur. Quod verò omnium admirationem auxit, poſt tertium obitus diem ſudor quidam è corpore erumpens, per artus diffluere viſus; quem cùm populus lineis pannis extergeret, eo, quemadmodum & tunicæ præſegminibus, ac præciſis vnguibus, & capillis, variæ morborum curationes, & miracula patrata fuère. Inter hæc mulieris cuiuſdam è Palmi oppido curatio refertur; quæ cùm brachium ſibi tam grauiter læſiſſet, vt illius operâ vti nullo modo poſſet, Viri Sancti tunicæ præſegmine adhibito, tam celeriter curata fuit, vt eâdem prorſus die, eo graue opus exantlauerit. Eodem modo Fr. Santus à Tricanio, ex noſtris Laicus, cùm febri laboraret, tunicâ, quæ Ioannis fuerat, ſe contegens, ſtatim ab eâ liber conualeſcit.

***

Fr. STEPHANI CLAROMONTANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER STEPHANVS CLAROMONTANVS, Laicus, vitæ auſteritate, ac virtutum ſplendore excellens, carnem cilicio premens, durâ cubatione afflictans, vigilijs extenuans, rigidiore abſtinentiâ, quotidianoq; ferè ieiunio flagellans, animum ad omnia virtutum ſemina tam abundè parauerat; vt qui humilitatem, obedientiam, ſimplicitatem, paupertatem, patientiam, & cæteras virtutes ſibi quęrerent, copioſa illarum exempla ex eo emetiri valerent. Cùm diem in aſſiduum laborem indefeſsè impenderet, noctem, paruo duntaxat corpori ſomno indulto, in ſacris vigilijs, ac oratione inſumebat. Atqui hoc virtutum curſu, cùm ad vltimam vitæ metam in Claromontani Conuentus hoſpitio perueniſſet, Iacobum quendam, patruelem ſuum, ſęcularem Virum; accerſendum curat. Cui cùm diem, qui B. Sebaſtiano eſt ſacer, extremum futurum prędixiſſet, vt animæ ſuæ quamprimùm conſulat, monet. His cùm Iacobum dictis dimiſiſſet, ipſo S. Sebaſtiani die Iacobus, rebus cum Deo benè diſpoſitis, naturæ debitum exoluit. Alteri quoque ſuo ex ſorore nepoti, qui grauiter ægrotabat, cùm ex illâ eum ægritudine curandum prędixiſſet; diem tamen, quo poſthæc ex humanis migraturus eſſet, verbis pręſcripſit; quod haud ſecus, quàm prędixerat, accidit. Stephanus verò ſui obitus horâ prenunciatâ, dum integris ſemper ſenſibus diuinas laudes decantat, in Domino obdormiit, Anno 1594. Poſt Stephani obitum, quædam ipſius neptis, Philippi fabri cœmentarij vxor, quæ extremo morbo laborabat, Stephanum inter mortis anguſtias inclamans, ipſius opem implorat; cùm intempeſtâ nocte Philippus, qui moribundam vxorem ſuo ſinu fouebat, fumi nubeculam ex alto cubiculi tabulato deſcendentem cernit: ex quâ Stephanus, altero ſibi comite adiuncto erumpens, ad ægrotantis lectum pergit. Cumq; ibi aliquantiſper ſediſſet, eâdem vterque nubeculâ ſubuectus, ſeſe ab ipſius oculis ſubripit. Stupebat Philippus, cùm vxor, quæ iam moribunda credebatur, velut è graui ſomno euigilans, cibos, quibus veſcatur, petit; ſeque Stephani interceſſione à Deo vitam, ac incolumitatem aſſecutam aſſerit. Rurſus,

ſecundo, poſt huius S. Viri mortem, anno, Margarita quædam ex Comiri oppido, & cum eâ tres ipſius filiæ, febre laborabant; quæ cùm pallij, quo olim Stephanus vſus fuerat, partem à Guardiano impetraſſent, vix eâ contectæ, vniuerſæ à febre curantur.

Fr. AVGVSTINI SENENSIS
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRater Avgvstinvs Senensis, Laicus, vitam eremiticam in ſæculo colens, quotidiano panis, & aquæ ieiunio carnis vitia debellat. At cùm ad Capucinos accedit, auſteriora his ieiunia addit, ac Seraphicæ vitæ ſtadium magno cum virtutum ſplendore proſequitur. Paupertatis, ac totius Regularis obſeruantiæ cultor ita eximius fuit; vt habitu, vitâ, morum honeſtate, auſteritate, ac Regularis diſciplinæ formâ Euangelicum hominem præſeferret. Nunquam ſtrato vſus eſt: cùm enim illum ſomnus occuparet, nudum naturæ ſolum illum ſinu excepit. Otium cùm ſummopere exhorreret, dies laboris; nox verò orationis illi tempus miniſtrabat: cuius tantopere ſtudio addictus fuit, vt ſomnus occupationem interciperet, non fugaret. Eapropter quamplurimas à Dæmone infeſtationes paſſus, illuſtriores ſuâ patientiâ de eo triumphos reuehit. Inter has Diaboli infeſtationes diuinâ aliquando viſione potitur, in quâ Dominum candidâ veſte amictum, in monte ſedentem ſpectat: ad quem dum is per ſplendidam quandam viam accedere contendit; hinc, & inde Dæmones ferreis vngulis illum, ne progrediatur, retinere conantes patiebatur: Dominum verò eum ad pugnam cohortantem audiens, eorum tandem deuictâ pugnâ, ad Dominum penetrat, à quo humaniſſimè excipitur. Caſtitatis hic cùm acerrimus propugnator eſſet, Placentiæ à iuuenculâ ad turpia prouocatus, de impuro hoſte trophæum reportat. Cœleſti quoque luce perfuſus pleraque futura pręnunciat, atque quamplurimas ſuis precibus gratias à Deo exorat. Denique cùm Auguſtinus pręclaris virtutum exemplis vitam ad ſenium vſque exorexornâſſet, multiſq; ſuâ virtute præluxiſſet; Parmæ tandem, prænunciato ſui obitus tempore, vitæ curſum deuotiſſimè abſoluit, Anno 1595.

Fr. Maxi-

Fr. Maximinvs Mantvanvs, Laicus, Bononienſem Prouinciam vitæ auſteritate, obedientiâ, humilitate, orationis aſſiduitate, ac totius Regularis obſeruantiæ ſtudio illuſtrat: qui cùm Archangelo Ariminenſi in Hungariam profectus, dum Chriſtianos milites aduerſus infideles ad pugnam prouocat, ſaxo contuſus, feliciter pro fide, & obedientiâ occubuit, Anno 1595.

Fr. SALVATORIS SARDI
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER Salvator Sardvs, Laicus, Vir fuit cuius vita, tot ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio, virtutum ornamentis prædita, vt nullum omninò eſſet virtutum genus, quod iñ eo mirificè non eluceret. Hîc profundâ humilitas, hîc obedientia, hîc ſimplicitas, hîc charitas, hîc laborum tolerantia, hîc maxima in rebus omnibus ſollicitudo, hîc manſuetudo, hîc moderatio, ac reliquiarum virtutum perfectio conſpiciebatur. Inter has admirabilis quædam animi fortitudo, & patientia enituit, quâ tam graue ſtranguriæ genus, vt pro lotio ſaniem redderet, toto quadriennij, vel etiam quinquennij ſpatio, tantâ moderatione pertulit; vt nullum vnquam vel leue querimoniæ verbum protulerit; ſed inter acerbos illius morbi dolores, ea tantum illius vox audiretur: Sit nomen Domini benedictum. Domine Iesv fiat voluntas tua. Ipſius quoque tam effuſa in ægrotos charitas fuit, vt ſe, ſuaq; omnia pro ijs negligens, refectionem, ſomnum, vniuerſaq; corporis commoda prætermitteret. Is porrò tam arctum cum oratione fœdus inire conſueuerat, vt in eâ interdum, ad ſeptimam vſque horam, fixus permaneret. Neque id mirum: tanta enim in eâ ſpiritus voluptate inebriabatur, vt inter diuinos amplexus ſæpè mente excederet. At indè tantum cœleſtis ſcientiæ donum à Deo conſequutus eſt; vt (tametſi litterarum imperitus) tam altè de Philoſophicis, & Theologicis rebus differeret, vt Philoſophos, ac Theologos ipſos in admirationem raperet. Huic infuſæ ſcientiæ dono, viſionum quoque, ac reuelationum gratia acceſſit, quâ à Deo cohoneſtatus, dum aliquando in Erapuli Conuentu orat, Chriſtum Dominum aureo in throno ſedentem conſpicit, pleraque illi arcana

myſteria declarantem. In Conuentu Foroſempronij, cum in ſepulchrum defuncti Fratris corpus inferendum eſſet, Clerici cuiuſdam, qui iam diu ſuum cum Sanctimimoniæ famâ diem obierat, oſſa diuino quodam ſplendore perfuſa intuetur. Aſculi quoque hominum cædem, diuinâ reuelatione acceptam, impedit: ſui obitus horam, eâdem reuelatione patefactam fratribus annunciatis. Pleraq; quoq; alia diuino ſpiritu futura prædicit. Viri cuiuſdam Aſculani vini doliolum ita multiplicat, vt quamuis Saluatori ad operarios, qui in Conuentus ædificatione laborabant, refocillandos, vinum miniſtraret, illud non modò vllâ ex parte imminutum fuit; ſed abundè ex eo meſſis tempore meſſoribus hauſto, tantùm adhuc in dolio vini reliquum fuit, vt & domus familiæ, & Capucinis vſque ad vindemiæ tempus doliolum vinum effuderit. Quo tempore, cùm necdùm exhauſtum eſſet, ſummâ omnium admiratione, pleraque ex eo vaſa, & lagenæ impletæ, luculentius diuinæ virtutis miraculum declararunt. Inter hæc tamen Sathan, vt virum Dei ex euangelicæ perfectionis faſtigio deijciat, varijs eum infeſtationibus aggreditur; At Saluator vniuerſa patientiâ ſuâ ſuperat. Cum igitur Saluator iam ſeptuagenarius, quamplurimos in Religione annos magnâ cum virtutum laude, ac vitæ ſanctimoniâ duxiſſet; in Conuentu Erapuli graui morbo corripitur: quo tempore cùm poſt præclara patientiæ, & pietatis exempla, ſanctis ſe Eccleſiæ Sacramentis communijſſet, Andreæ Macerantenſi ægrotorum Præfecto, qui (ne fortè is ſe abſente hinc decederet) noctu excubias obſeruare decreuerat, ait: Ito, Andrea, & modicum quieſce: haud ſine te hinc proficiſcor; opportunè te accerſam. Secedit Andreas: ſed cùm nimioſe ſomno corripiendum vereretur; Beatiſſimam Virg. impenſiùs rogat, vt cùm ægroti finis appropinquaret, ſe à ſomno excitandum curaret. Aliquo poſt hæc tempore elapſo, en Andreas velocius ſe è ſomno excitari, & his verbis ad ægrotum propelli audit: Surge Andrea, ne cunctaris ad ægrotum propera. Cumq; feſtinus ad Saluatorem veniſſet, eidem Saluator: opportunè (inquit) veniſti, Andrea: iam enim, vt accederes te vocare decreueram. Perge cito; Guardianumq;, qui me proficiſcentem Deo commendet, quamprimùm accerſe. Guardiano verò illius animam Deo commendante, cùm ad omnia integris ſenſibus, ac voce reſponderet; eundem poſtremò rogat, vt precationem illam: Obſecro te, Domina S. Maria &c. ſibi diſtinctè legat: quo legente, quaſi qui dulci ſopore corripitur, ad Deum migrat. Anno 1596. Vix autem Erapuli, de ipſius obitu rumor

peruulgatur , cùm populus ad eum turmatim confluit ; atque ob conceptam de eo ſanctimoniæ opinionem , cùm quiſque habitus ſibi particulam præſcinderet, barbam tonderet, capillos raderet, vngues obtruncaret , nudum ferè, ac imberbem relinquunt. Andreas porrò,cùm baculum, quo is ſenectam fulciebat , à Guardiano obtinuiſſet; Dæmon ob id rabie percitus , illum è gradibus cum baculo deſcendentem , tanto impetu deorſum pellit ; vt cum baculo tibijs tranſuerſo , ad imum vſque gradum , caput ad parietum latera concuteret , caſu illo extinctus , vel ſaltem ſemiuiuus crederetur : Deus verò , vt ſerui ſui poſt mortem merita declararet ; Andream ira ſuâ virtute ſeruat,vt cumprimùm,ad graduum ima peruenir,ſtantem ſe, baculumq; manu geſtantem , & demum incolumem conſpexerit.

Fr. CONRADI A BALNEIS
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER CONRADVS à BALNEIS , Laicus, cùm in Conuerſorum Ordine inrer Monachos Procuratoris munus ageret, auditâ Capucinorum famâ, diuinis ſtimulis agitatus , cœleſti vocatione obtemperans , locum ſibi inter eos quærir , vbi tam cœleſte vitæ genus inſtituit , vt angelicam potiùs , quàm humanam conuerſationem redoleret : tanto enim in omnes euangelicas virtutes , quæ Seraphicum hominem præſtant, ſtudio ferri cœpit ; vt omnes breui tempore aſſequurus , omnibus admirabilem ſe redderet. Altiſſimam paupertatem tantoperè coluit, vt , quæ tum victui , rum veſtitui , vitæ demùm neceſſaria ſunt, ſibi tam parcè , atque ægrè admittenda putaret , vr perpetuum cum ijs odium contraxiſſe , atque cum Angelis de fœlicirate certare videretur. Orationem verò tam indiuiduam ſibi comitem adhibuit, vt in eâ diu , noctuque verſaretur , niſi à ſomno , quem ad breue rempus contraxerat, interciperetur. Hinc tantum ardentioris cuiuſdam in Deum charitatis ſibi æſtum conciliauerar , vt cùm vehementius eidem vniri peroptaret , inexplicabili quodam amoris appetitu quotidiè ad Sacram Euchariſtiam accederet : porrò ex hoc diuini amoris incendio , tam ingens illius orationi vis diuinitus indita erat , vt pleraque diuinâ virtute , etiamnum

viuens,

viuens, miracula patraret; ex quibus pauca enarrare libet. Sigiſmunda Panucia, mulier nobilis Maceratenſis, ex neruorum contractione, tota in dexterum latus declinans, cum Conradi precibus enixè ſe commendaſſet, is poſt breuem orationem, Octauium Equitem Torquatum, Sigiſmundæ coniugem, qui præſens aderat, his verbis compellat: Octaui, ſi vxorem incolumem optas, tibiam illius dexteram attrahe. Quod cum Octauius præſtitiſſet; mox neruis diuinâ virtute extenſis, poples priſtinę ſaluti reſtituitur. Octauiæ cuiuſdam, Curtij Aurarij fabri vxoris, à Dæmone poſſeſſæ, cum frontem, os, ac pectus ſigno Crucis oppetijſſet, ſtatim habitatorem ſpiritum à mulieris domicilio expulit. Hoc ipſo Crucis ſigno, artificem quendam Maceratenſem, graui genuum morbo laborantem, his verbis incolumem dimittit. Vade & ſicut credidiſti, fiat tibi. Mariam Cenſiam, nobilem Maceratenſem, hydropiſi per annum laborantem, Crucis ſigno incolumitati reſtituit. Hoc modo Andronicam Euriſpiam Maceratenſem iam dudum eodem hydropiſis morbo correptam, Crucis ſigno adhibito, ad hydropiſi curat. Bartholomæi Viſcardi Maceratenſis vxor, cùm diuturnâ ægritudine, ac fœtu, quem in vtero geſtabat, prægrauata, cibos omnes reijceret, maximo ex Medicorum ſententiâ, in vitæ diſcrimine verſabatur, cùm Conrado, poſt ſacras Beatiſſimæ Virg. Litanias decantatas, cibos ægrotanti miniſtrante, illis deguſtatis, tantâ facilitate conualuit, vt breui integrâ valetudine potita, maſculum ſuo tempore enixa fuerit. Nobilis quidam Vir Maceratenſis, lapſu quodam repentino ſibi crus confregerat, in quo inſtaurando, cum Chirurgi ſua remedia exhibuiſſens, is Conradum ad ſe aduocandum curat; qui cùm crus ita confractum cerneret, vt pleraque in eo oſſa diſiuncta conſpicerentur ægroto vrgente, Crucis ſignum confracto cruri impendit, ſtatimq; è domo abſcedit: At vix duodecimo ab eâ paſſu aberat; cùm Viri crus vndique confractum, omni ex parte diuinâ virtute inſtauratur, Virq; hoc ipſo tempore incolumis redditur. Immenſâ quoque Sanctus hic Vir Dei charitate flagrans, nonnunquam mente excedens, ad cœleſtes viſus pertingebat: cuius rei illud argumentum fuit. Cum enim Hortenſia nobilis fœmina Maceratenſis, ſæpè fauſtum diem Viro Dei deprecaretur: ille in oratione immobilis perſtans, quaſi qui diem hominis deſpiceret, necdum vultu ad eam conuerſo, hæc reſpondere ſolebat: ſemper fauſtus in cœlo dies elucet. Accidit verò aliquando, vt ea cum alijs pleriſque vrbis nobilibus fœminis, ad Monaſterium accedens, Conradum accer-

ſendum

ſendum curaret: qui cum eo tempore ad cœleſtia raptus, diuinâ viſione potiretur, Superioris præcepto compulſus, cumprimùm ad fores acceſſit, ſpiritu ebrius, ac velut mentis impos, in hæc tantum verba exclamare auditur. O quanta in cœlo voluptas! ô quam ingens in cœlo gaudium! cumq; hæc ſæpius in Prophetæ morem repetens, ac manibus plaudens, ſplendidam ita faciem præſeferret, vt ipſius oculi ſtellarum inſtar ſcintillarent, hoc modo è medio fœminarum erumpit. Hic tandem cùm annum decimum ſupra centeſimum attingeret, Maceratæ ſenio confectus, diuturnum vitæ, ac virtutum curſum, fœliciori fine abſoluit.

Anno 1596.





FRATER PACIFICVS ITALVS FRATVM CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. PACIFICI ITALI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER PACIFICVS ITALVS, Prouinciæ Cathalauniæ Laicus, Vir omnium virtutum genere illuſtris, cùm adhuc inter ſæculi tempeſtates verſaretur, Sabbathum diem ob Sacræ Virginis honorem, abſque cibo prætéribat; hinc ad Religionis portum adductus, tam altâ in humilitate ſpiritualis ædificij fundamenta iecit; vt cùm aliquot inter Ordinis Clericos, in Nouitiatu menſes exegiſſet, eo ſe gradu indignum exiſtimans, ſpontè ſe ad humilem Laicorum vitam, atque ordinem redegerit. Hic porrò ob ſingularem animi probitatem, ac morum ſplendorem Barcinonem profectus, Conſentinæ Prouinciæ fundamenta ſummâ virtutum luce perfudit; tam cœleſtem enim apud homines vitam agebat, vt perindè, ac ſi nihil terrenâ labe concretum gereret; ex viginti quatuor horarum particulis, quibus dies naturalis compingitur, duodeviginti in cœleſtium rerum contemplationem inſumeret; corpus verò, arctâ panis, & aquæ inediâ, in quâ maiorem anni partem tranſigere conſueuerat, extenuaret, & quomodo illud quotidianis flagris attereret, curam ageret. Hoc Euangelici in ſeipſum odij ſtudio, cùm ad quintum in Religione annum progreſſus eſſet, Dei conſilio factum eſt, vt graui podagræ morbo (quo ad obitum vſque afflictatus fuit) cruciari cœperit: cuius cum acriori dolore premeretur, haud tamen vnquam, lamentationis ſonum protulit, quo illum aut minus patienter, aut moleſtè ſe ferre indicaret. Neque tamen, quod rarum eſt, ob morbi moleſtias, conſueta panis, & aquæ ieiunia, & quotidianæ flagellationis rigorem vnquam, aut prætermittere, aut remittere voluit. Longas in oratione moras tunc potiùs producebat, quam contrahebat: quapropter cum in eâ ardentiſſimo ſemper ſpiritu verſaretur, nonnunquam mente excedere, ac toto corpore in aëra ferri conſpicirur. Orabat aliquando in Eccleſiâ Montis Caluariæ, cùm repentè exclamare cœpit: Heu, heu, en abit. Erat tunc in Eccleſiâ Michael Quirolius Pharmacopola, qui Pacificum ita exclamantem audiens, quid illi acciderit, interrogat. Cui Pacificus, etiamnum à ſenſibus alienatus: Beatiſſimæ Virginis

(inquit) veſtem manu tenebam: at illa, me deluſo aufugit. Cæterùm, quàm hic Dei ſeruus diuinis reuelationibus, atque orationis virtute pæcelleret, exemplo aliquando exploratum fuit; Hinc namque Quirolius, cum quædam pro noſtris ægrotis pharmaca nocturno tempore ad Conuentum tranſmitteret, accidit, vt puer, qui ea in caniſtro deferebat, taurum in viâ ferocem offenderet, à quo cornibus oppetitus, in aëra effertur. Eo tauri impetu cum puer ſe grauiter ſaucium, ac vitreas ampullas, quibus pharmaca continebantur, perfractas exiſtimaret; humi relapſus, ſe penitus illæſum, atque integra omnia pharmacorum vaſa intuens, ad Conuentum feſtinat: cui cumprimùm Pacificus fores aperuit; ſubridens ait. Num te, puer, taurus ille terruit, quem in viâ obuium habuiſti? At nihil tibi extimeſcendum fuit, quandoquidem Dei virtus noſtris omnium precibus exorata, tibi ad præſidium erat. Ex quo id planè perſpicuum eſt, tauri illius occurſum, cuius Dæmon fortè formam aſſumpſerat, Pacifico diuinitus reuelatum fuiſſe, vt communi puer oratione iuuaretur. Orans quoque alias, cum defuncti cuiuſdam ſtatum agnoſcere optaret, ac ob id ad Deum preces offerret, defuncti illius anima Viro Dei apparens, ſe eatenùs purgatorij pœnis detentam fuiſſe, ac tunc primùm cœlum conſcendere aperit. Tanta denique, ac tam ardens huius Viri erga Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum religio erat; vt quotidiè fermè magnâ cum animi præparatione ad illud accederet: & quod omnibus mirandum videbatur (tametſi podagrâ præpeditus) omnibus tamen pœnè Sacerdotibus ſacra Myſteria celebrantibus miniſtraret. Hic denique cum inculpatam, tantiſque virtutibus illuſtrem inter nos vitam duxiſſet; vt minora ſint, quæ de eo Ordinis monumenta tradidêre, quàm quæ is ampliori cœleſtis gratiæ dono geſta patrauit, Barcinonæ in Conuentu Montis Caluariæ, virium potius imbecillitate, quàm morbo conſumptus, ad ſuperos migrat, Anno 1596. Toto Barcinonenſi populo, poſt mortem, propter ipſius ſanctimoniæ famam, illius funus proſequente. Certum porrò Pacifici gloriæ, poſt obitum, teſtimonium tulêre; primùm Clara Grau Barcinonenſis mulier octogenaria, quæ cum Viro Dei familiaris eſſet, in ipſâ B. Viri obitus horâ, dum in lecto noctu quieſcit, repentino ſtrepitu excitata, Pacificum cum ingenti ſplendore perfuſum, his ſe verbis compellantem audit: Vale, Clara, en ad cœlum propero. Archangelus quoque Barcinonenſis, ex noſtris Sacerdos, eiuſdem

Claræ filius, cum poſt hæc ardentiori febre detineretur, habitus Pacifici particulam ſibi adhibens, protinùs à febre curatur. Quarto denique poſt ipſius obitum anno, ipſius corpus incorruptum, ſolidum, omniq; membrorum incolumitate conſtans reperitur.

Hydruntina Prouincia Fr. SEBASTIANVM MATTEOLENSEM, Laicum, multarum virtutum virum celebrat: qui cum incredibili regularis obſeruantiæ ſtudio, paupertate, charitate, & corporis caſtigatione, ignea nequiſſimi tela extingueret; cum eo ſæpè, dum corpus flagello cædit, ſtrenuè colluctatur; ac de eo tandem in morte triumphum reuehit, Anno 1596.

Conſentinam Prouinciam Fr. NICOLAVS ROSCIANENSIS, Laicus, pretioſâ iuſtorum morte illuſtrat; qui cum vitam ſummis in virtutibus, ac præſertim in aſſiduâ rerum diuinarum contemplatione tranſegiſſet, ex quâ diuinum ad futura prænuncianda ſpiritum hauſerat, extremo tandem cum Dæmone agone confligtans, qui ob minuſcula quædam, quæ in manicâ gerebat, violatæ illum paupertatis crimine accuſabat; ijs abiectis, velut deuicto hoſte triumphat, coronandusque ad Deum euolat, Anno 1596.

Fr. ANTONINI A THORO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANTONINVS à THORO, Laicus, tantam ab ipſo orientis ætatis crepuſculo à Deo pietatis lucem hauſit, vt cum in paſcendis patris armentis, operam ſuam impenderet, ipſe inter arbuſta genuflexus Beatiſſimæ Virg. corollam recitaret, atque alijs piè precibus vacans, coætaneos quoque pueros, à vanis ac turpibus reuocans, puero maior, ſæpè verbis ad pietatem alliceret. Tantâ hic ab eo tempore, in pauperes miſeratione ferri cœpit, vt quotidiani victus, licet tenui portione contentus, alteram partem pauperibus erogaret. Sextumdecimum ætatis annum agens, agrum cum Religione commutat; in eâq; maturiùs animum ad tam ingentes virtutum profectus extendit, vt abſtinentiam, vitæ auſteritatem, paupertatem, obedientiam, corporis caſtimoniam, humilitatem, orationē, & cæteras animi virtutes ſibi perfectè aſſequendas proponeret.

Quamobrem, tantam breui tempore ſibi vitæ, ac morum ſanctimoniam comparauit; vt ſe omnibus planè admirabilem redderet. Horti culturæ addictus, dum corpus ligone fatigat, eo carnis concupiſcentias exercet, animum humilitate fouet, obedientiâ armat, fraternâ charitate exornat: corporalem vero exercitationem, dum oratione nutrit, apoſtolicæ vitæ exemplis ædificat. Euolutis itaque nonnullis à ſuſceptâ Religione annis, cùm ipſius virtus, ac præſertim quædam erga ægrotos charitas, Superioribus perſpecta eſſet, ijs præficitur; quo in munere (cum matris erga filios curam, & amorem nedum æquare, ſed ſuperare videretur) eo aliquando in ijs curandis charitatis æſtu efferbuit, vt cuiuſdam infirmi ſæpè vlcera lambens, hoc modo ægrotum diuinâ virtute curauerit. Tam familiare illi erat orationis ſtudium, vt nocturnæ quietis tempore, ad quatuor duntaxat horarum ſpatia contracto, cæteras noctis horas orando conſumeret. Orationem verò rigida quædam abſtinentia, & quotidiana ciborum inedia fouebat. Chori frequentationem ſummâ veneratione proſequebatur. Id cum Sathan ægrè ferret, accidit aliquando, vt geminâ ante Matutinas horâ, quemadmodum illi mos erat, oraturus in Eccleſiam pergeret: quo tempore lucernam in Choro ante legile accenſam, Pſalteriumq; expanſum cernens, gradum in Choro ſiſtit. Verùm, cum neminem in Choro præſentem, Pſalterijq; folia, nemine vertente, moueri animaduerteret, vocem ita ſe alloquentem audit: En Pſalmorum librum apertum, & lucernam accenſam; en manum folia vertentem: quid moraris, aut cùr Matutinas horas non decantas? tum hæc verba ſubdentem audit: Heus tu, quid hîc acturus accedis? reuertere & dormi. At ille Dæmonis artes vilipendens in oratione perſeuerat. Tam effuſa illius erga pauperes charitas erat, vt cum eleemoſynarij munus ageret, nunquam petentibus ſe negaret. Quæ res quantoperè Deo grata fuerit, illuſtri miraculo declaratum fuit. Fame enim Hiſtomenſem agrum occupante, ab egenis obſeſſus, quotquot in perâ panes gerebat, ijs liberaliter erogat, rurſumq; panis emendicatione inſtitutâ, alteri pauperum turbæ panem largitur, & vacuas tandem manticas ad Conuentum refert. Nihil in domo panis reliquum erat; quare Antoninum Guardianus durius increpat. At Antoninus Guardianum ad arcam panariam prouocans, ſimul cum eo Guardianus pergit: quam recenti, & calido pane ad ſummum vſque, Angelico miniſterio refertam, offendit. Cum ſemel in itinere, febri, nariumq; profluuio laborans, viribus ita deſtitutus eſſet, vt vlterius progredi non valeret: oculis in Cœlum

erectis,

erectis, à Deo opem poſtulat; mox è proximâ ſyluâ equus ephippiatus erumpit, qui citato curſu ad eum properans, cum primùm ad eum peruenit, gradum ſiſtit, & perindè ac ſi ſe vectorium præberet, immobilis perſtat; Antoninus verò diuinæ prouidentiæ opus agnoſcens, equum conſcendit, eoq; ad S. Ioannis Rotundi Conuentum perducitur: qui tandem poſt hæc ſuo Domino, à quo aufugerat, redditur. At D. O. M. (qui eum malorum tolerantiâ probandum, ac patientiâ coronandum decreuerat) varijs illum, ſeptem annorum ſpatio corporis doloribus, atque incommodis affici voluit: in quibus cum ſummam animi patientiam oſtenderet; id tamen à Deo precibus impetrauerat, vt quo tempore orationi vacabat, eorum moleſtiâ careret. Inter hæc, vt Viri Sanctitas omnibus manifeſta eſſet, illam Deus, tum prophetiæ ſpiritu, tum nonnullis miraculis illuſtratam voluit. Carolus Bogantius Iuriſperitus febre correptus, in phreneſim inciderat, quæ in continuam amentiam degenerans, nullo Medicorum remedio curari poterat. Pro quo Antoninus orans, Deo reuelante diſcit, Fauſtinæq; vxori prænunciat, ea Carolo ad peccatorum purgationem, ipſiusq; patientiæ probationem eueniſſe. Verùm Carolum poſt decem annorum tempora aliquando tandem mentis incolumitatem recepturum; paucos verò, ab eo tempore annos ſuperuicturum. Quæ omnia Carolo ad amuſſim, vti prædicta fuerant, euenère. In eodem Vici oppido Marco Peruſio, deſperatâ valetudine, extremo iam cum morte agone decertante, cùm Antoninus in cubiculi angulum ſecedens, aliquantiſper orationi vacâſſet, ex eâ tandem ſurgens, Roſetam matrem verbis conſolatur, ægroti incolumitatem pollicetur, Marcum Crucis ſigno munit, moxq; ſummâ omnium admiratione incolumis ſurgit, qui iam ad funera properabat. Plura hic huius S. Viri geſta deſiderantur: qui tandem patientiæ, omniumq; virtutum curſu conſummato, Hiſtonij, ſanctimoniâ clarus, Anno 1597. ad repoſitam ſibi Iuſtitiæ coronam concedit, turbis ad defuncti corporis venerationem vndique confluentibus.

In S. Angeli Prouincia Fr. ANTONIVS à VICO, Laicus, tantæ fuit Sanctimoniæ, vt haud ſemel orans, lucis radios è vultu effundere viſus fuerit; ac prophetico ſpiritu clarus, multorum Pontificum obitum prænunciauerit.

Obijt Anno 1597.

***

Fr. LAVRENTII ATINENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER LAVRENTIVS ATINENSIS, Laicus, plurimæ virtutis Vir. Huius ampliora geſta deſiderantur: hic cum inter cæteras animi virtutes, quibus abundè cumulatus fuerat, rerum diuinarum contemplatione excelleret; dum in Salenſi Conuentu, nocturno tempore in Choro ſolus aliquando orat, Sacriſta, qui non longè aberat, ingentem è Choro ſplendorem erumpentem cernens, maximè veritus, ne flamma in Choro ſuccenſa, incendium peperiſſet, ex quo ſplendor ille emicaret, eò ſtatim accurrit, Chorîq; foribus patefactis nullam in eo flammam; ſed ſolum Laurentium, diuino ſplendore coruſcantem animaduertit, qui cum quinquaginta circiter annos, magnâ cum vitæ ſanctimoniâ in Religione traduxiſſet, Salæ tandem mortales corporis exuuias deponit; tantâq; poſt mortem hominum frequentiâ colitur, vt alij habitum præſcinderent, alij barbam, alij capillos tonderent. Inter hos verò quidam, dum vltrò canabacei cinguli fruſtum obtruncare ſtudet, ſibi digitum ſauciat: quo ex vulnere cum ſanguis efflueret, vulnus defuncti digito comprimens, mox diuinâ ita virtute ſanatur; vt nec vulneris in eo veſtigium maneret. Ipſius quoque corolla quartanâ febre laboranti impoſita, protinùs illum à febre curat.

Obijt Anno 1598.



FRATER SALVATOR A TISSA FRATRVM CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. SALVATORIS A TISSA LAICI

VITA, ET GESTA.

FRater Salvator à Tiſſa, Laicus, humili genere natus, à puero paſcendis boum armentis operam dedit. Verum cùm ad Fratres tertij Ordinis S. Franciſci ſe contuliſſet, apud ipſos aliquamdiu religioſè conuerſatus, ad Capucinorum tandem Religionem migrat; in quâ tam ſolida, ad perfectum Euangelicę perfectionis ædificium, virtutum fundamenta ponit, vt omnibus mirabilem ſe præberet. Quotidiana ieiunia, ternorum cuiuslibet hebdomadæ dierum, panis, & aquæ inediâ augebat; ſanguinolentæ corporis caſtigationes, quæ per flagella fiunt, quotidianæ erant. Infernorum hoſtium conatus, igneis aſſiduæ orationis iaculis, quæ in nocturnis pręſertim vigilijs parabat, proſternendos curabat. Quapropter mira hinc in eo virtutum omnium harmonia, & coaceruatio elucebat. Hinc quoque non abs re factum eſt, vt cùm aliquando in Eccleſiâ ante Matutinas Horas ſolus oraret, Sacriſta, cuius cella haud longè ab Eccleſiâ aberat, ſuauem quandam vocum harmoniam, & concentum in Eccleſiâ percipiens, eo oppidò perrexit, vbi Saluatorem ſolum ante ſacrum Euchariſtiæ Altare orantem offendit. Nunquam Saluator litteras didicerat, at aſſiduo orandi ſtudio, id diuini muneris aſſequutus fuerat, vt non modò litteras noſſet, ac latini idiomatis peritiam teneret, verum & genuinos Scripturarum ſenſus tam facilè explicaret, vt in Lege doctiſſimus videretur, Raptus, & ecſtaſes haud rarò in oratione patiebatur; quo factum eſt, vt in Conuentu Gibilmannæ; ante Sacroſanctæ Euchariſtiæ Altare orans, altiùs diuinâ virtute elatus, à Fratribus cerneretur. Tam verò piâ Deiparam Cœlorum Reginam veneratione proſequebatur; vt certa, & communis eâ tempeſtate apud Fratres fama eſſet, eum ſæpè familiari illius colloquio frui. Cataniæ, Saluatore ægrotante, Fr. Andreas à Caſtro ſenex Laicus, (cùm neminem cum Viro Dei in cellâ adeſſe ſciret) pleroſq; cum eo colloquentes audiens, rem ab eo percunctatur, qui tandem illi ſecreto expoſuit, Angelos è Cœlo ad eum accedentes (cùm Beatiſs. V. officium, quod ſingulis diebus recitabat, ſolus perſoluere non poſſet) ſuam

illi in eo exſoluendo operam prçſtitiſſe. Defunctorum animæ purgatorias pœnas luentes ei apparent. Poſt hæc cum à Generali in S. Angeli Prouinciam miſſus, nauigio æquora ſulcaret; Dæmonum multitudinem in aëre conſpicit; qui diuitis cuiuſdam animam, harpaſti inſtar, volutantes, ad Vulcani fauces deferebant; his vocibus, velut Pœana canentes: Hæc eſt N. anima, quæ ex N. vrbe exceſſit. Cumq; is per eam vrbem iter faceret, opulentum quendam diuitem, eo planè tempore, è viuis migraſſe audit. Prophetiæ dono diuinitùs illuſtratus. Cum nobiles quoſdam Tiſſanos à Turcicâ trireme in Africam ductos, parentes Saluatoris precibus commendâſſent, orat Vir Dei, tum eos in meliorem ſpem aſſurgere iubet, neq; enim decimam quintam diem elapſuram, quin ex his alij ad eos ſoſpites ſint redituri aſſerit; cæteros verò ante anni finem redituros prçnunciat. Neque res dictum fefellit. Poſt hæc Tiſſæ puerum quendam attentiùs conſpiciens, in Capucinorum numerum adſcribendum, ac ſuo Saluatoris nomine donandum prçdicit. Cephalodienſis Epiſcopi piſcator prçſente Viro Dei, apud illum conquerebatur, quod elapſo ferè iam piſcationis tempore, nullus in piſcatorium rete thynnus incidiſſet; ex quo magnum rei familiaris detrimentum pateretur. Epiſcopus verò qui Saluatoris ſanctitatem non ignorabat, rem illius precibus commendat. At Saluator, cumprimùm ſe ob humilitatem excuſaſſet; tum ad piſcatorem conuerſus: Bono (inquit) animo eſto, paupercule; hac enim nocte, rete ſuum thynnis pluſquam quadringentis replebitur: nec fruſtra. eâdem enim nocte quingentos ceraceos thynnos intra rete comprehenſos cernit. Simonis cuiuſdam Menſis nepoti, qui effræni quâdam viuendi licentiâ in vitia ferebatur, ſuſpendio breui enecandum prçdicit, aliaq; quamplurima cœlitus accepta, prçnunciat. Huic porrò Prophetiæ dono, alterum quoque, quo occulta, atq; ipſas animi cogitationes diuinitùs penetrare nouerat, coniunctum erat. Tiſsâ Saluator cum Fr. Ioanne Baptiſta Alenſi, aliquando diſceſſurus Pharmacopolæ cuiuſdam, qui Franciſcus appellabatur, tabernam aromatariam ingreſſus, cum eo aliquantiſper agit: atq; indè digreſſus, dum mutuam, poſt meridiem, in fornace calcariâ conſtruendâ ſibi operam exhibent; repentè Saluator: Arrige, Ioannes Baptiſta, aures, (inquit) & num pro defuncto campanæ pulſentur, attende. Cui Ioannes Baptiſta: Quid nunc (ait) tam intempeſtiuè defunctos commemorans? Nullum auditur pro defuncto ſignum. Protinus verò Saluator exclamans ait: ô altiſſime Deus, quàm terribilis es in conſilijs tuis ſuper filios ho-

minum. Quæſo, Ioannes Baptiſta, ne importune clamantem mirère: Franciſcus, Aromatarius noſter, repentinâ nobis morte ſublatus eſt: Iam iam campanarum ſonitum ex vrbe percipies. Quæ omnia poſtmodum Ioannes Baptiſta vera fuiſſe comperit. Quanta denique ad miracula paſſim patranda, diuinitùs virtute prę̈ſtaret; quamplurima, quæ à Miſſanenſis, & Romanæ Prouinciæ M. S. referuntur, probatiſſima exempla declarant. Cum Naſi Conuentus conſtrueretur, contigit aliquando, vt calce deficiente, ædificatores abſcedere cogitarent. Quibus Saluator, ad opus (inquit) reuertimini, haud vobis calx neceſſaria deerit; cumq; longioris manubrij ligone arrepto, operarijs arenam, & aquam miniſtrantibus, is calcem dilueret; calx tam ſub illius manu diuinâ virtute multiplicata fuit, vt fabrorum cœmentariorum iudicio, octoginta equorum onera excesserit, quibus ædificatio peracta fuit. Poſt hæc, dum ſuam in Hieracenſi Conuentu ædificando operam confert, tignum quoddam, quod ad domus tecta ſuffulcienda paratum fuerat; cum multo breuius, quàm parietum diſtantia ferret, repertum fuiſſet, ædificationis tempus impediebat; Quare Saluator, ædificatoribus prandentibus, Deo paulliſper exorato, tignum vtrâque manu apprehendit, atque ad eam longitudinis menſuram, quæ ſtructuræ ſufficeret, extendit. Tiſſæ quoque dum quædam Conuentus loca inſtaurantur, ingens quidam lapis erat, quem cum matutino tempore, octo robuſtarum virium Fratres, loco dimouere non potuiſſent, is illum ſimul atque ſigno Crucis benedixit, leuiter in humeros tollit, aptoq; in operis loco ædificandum collocat. Anna Hortulana Tiſſenſis grauiſſimâ febre laborans, ſeſe impenſius Saluatoris precibus commendauerat, quæ cum poſt hæc, nocte quâdam, leui quodam ſopore detineretur; Saluatorem limpidiſſimæ aquæ amphoram manu geſtantem, ad ſe accedentem in viſu cernit, qui his illam verbis affatur: Ne metuas, filia: morbus recedet; Deuſq; te incolumem prę̈ſtabit: verumtamen aquam huius amphorę ebibe. Quâ illa hauſtâ, cum ex ſopore euigilaſſet, mox ſe à febre liberam, ac prorſùs incolumem ſenſit. Huius quoque Annæ filium grauiſſimo morbo ægrotantem oratione ſanat. Hoc modo, cum alteri graui morbo ægrotanti, frigidę aquæ vas, Crucis ſigno benedictum propinaſſet, ab eo mox febrem fugat. Quartam quoque Eliſabetham Tertiariam, iam diu tertianâ febre laborantem, eodem modo curat. Poſt hęc Ludouicum, Ioſephi Caſtaniæ filium, ardentiſſimâ febre cruciatum; ſigno Crucis incolumem reddit. His accedat mulier Meſſanenſis, Petri Sutoris

propin-

propinqua, quæ à Dæmone poſſeſſa, Saluatore orante liberatur. His & pleraque alia miracula addi poſſunt, quæ indicanda potius, quam explicanda duxi. Tiſſæ duodecim operarij duobus ab eo tantum panibus ſigno Crucis multiplicatis, ſatiantur. Binos preterea boues metu concitatos, qui in quoddam precipitium ferebantur; vocis tantum imperio, in ipſo præcipitij ore ſiſtit, & à precipitio reuocat. Annæ Hortulanæ agrum ſterilem, Crucis ſigno fertilem præſtat. Ardentes prunas ſępè illæſis manibus pertractat, ac nudis pedibus calcat. Altobellę hortum, à bobus vndique deuaſtatum, ſolo manus contactu, priſtinæ viriditati reſtituit. His & alijs preclaris virtutum geſtis, cum Saluator magnam ſibi apud omnes ſanctimoniæ famam comparâſſet; Meſſanæ tandem mortalis corporis ſarcina depoſita, ad immortales migrat, Anno 1598. totq; poſt mortem ſignis coruſcat, vt certa ſuæ apud Deum gloriæ hominibus teſtimonia reliquerit. Quorum aliqua commemorare libet. Naſi, puero quodam grauiter ægrotante, cum canabacei Saluatoris cinguli fruſtulum pueri collo appenſum fuiſſet, protinùs conualeſcit. Poſt hęc cum à Meſſanenſi vrbe Viri Dei caput, Caſtroboni Principe id obnixè efflagitante, Tiſſam aſportaretur, mari iam horribili tempeſtate concitato, vt omnibus naufragium immineret, prolato Viri capitē, tempeſtas ſedatur. Hoc in itinere Ioannes Riccius, qui per ſeſqui annum quartanâ febri afflictatus fuerat, ipſius capitis contactu, ſtatim à febre curatur. Mulier Tiſſenſis, quæ diu graui oculorum morbo ægrotauerat, cum aquæ paululum guſtaſſet, quâ Viri Dei caput, à Fratribus ablutum fuerat; protinùs ſanatur. Puer à Caſtrobono, mortifero à rabioſo cane morſu ſauciatus, grauiter torquebatur, cum aquâ, in quâ habitus Viri Dei fruſtulum intinctum fuerat, epotâ, confeſtim à plagâ curatur. Ioſephus Caſtanea graui in faucibus apoſtemate laborans, Viri caput manu geſtans, eiusq; opem implorans, perrupto apoſtemate, incolumitatem aſſequitur. Fr. Iſidorus Meſſanenſis, ex noſtris Concionator, tertianâ febre vexatus, dum Viri Dei dentem ſecum defert, à febre conualeſcit. Alter quoque, qui biennio quartanæ febris moleſtias tulerat, cum aquam, in quâ Viri Dei dens immerſus fuerat, hauſiſſet: mox fugatâ febri, incolumis euadit. Adam Cunietus Meſſanenſis piſcator, cum vacua piſcibus retia multo tempore retuliſſet; Viri Dei habitus ſegmine retijs alligato, copioſam mox piſcium multitudinem retibus concludit. Denique multorum teſtimonio probatum eſt, huius Viri Dei tum habitus præſegminibus, tum quâdam

capitis cute, ægrotis adhibitâ, pleroſque à quartanâ, tertianâ & quotidianâ febre liberatos fuiſſe.

Fr. ANDREÆ A CATANIA

LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ANDREAS à CATANIA, Laicus, huius vita perpetuus quidam auſteritatis curſus fuit, è virtute proficiſcens, & ad virtutum profectum tendens: dum enim aſperrimo cilicio, & quotidiano ieiunio, maiori quoque inediâ intercepto, ita carnem mactat; vt à quintâ cuiuslibet hebdomadæ feriâ vſque ad Dominicum diem, ſemel tantum cibum ſumeret; in eâ verò ternos quoque dies pane & aquâ ſaginatus tranſigeret; eò planè ſpectabat, vt carnis cupiditatibus, quæ cum ſpiritu bellum gerunt, ſubactis, vitijsq; debellatis, faciliorem ſibi ad virtutes, tum ad orationis ſtudium, cui omni diligentiâ incumbebat, viam pararet. Quapropter cum Sathan, quocum cominùs interdum pugnare videbatur; libidinis aliquando in eo faces ſuccendiſſet, brumali tempore, in altam gelidæ aquæ foueam, ſeſe immergit, hocq; pacto ardentes libidinis flammas extinguit. Hinc cum ad orationem accederet, tantâ in Deum ſpiritus vehementiâ ferebatur; vt nonnunquam mente excedens, toto corpore in aëra attolleretur. Hoc virtutum curſu, cum ad vitæ metam perueniſſet, Meſſanæ magnâ ſanctimoniæ famâ apud omnes relictâ, ſua neci iura cedit.

Anno 1598.

Fr. HVMILIS A TYRACENO LAICI,

VITA, ET GESTA.

FRater Hvmilis à Tyraceno, Laicus,cum fabri lignarij perpetuò in eâ munus exerceret; tantâ id charitate præſtitit, vt maximas indè virtutes aſſequutus fuerit. Eo enim aliquando è Romanâ vrbe Meſſanam adnauigante, cùm in triremi, ferox quidam Leo, ferreis catenis vinctus detineretur, nemoq; eſſet, qui ob belluæ ferocitatem, ad eum appellere auderet: Humilis ad eum propiùs accedens, protinùs cum eo amicitias iungit, lenit, mulcet, eumq; haud ſecus, quàm catulum pertractat, ac Leo viciſſim cum eo colludit, vnde Viri innocentia omnibus manifeſta fuit. Prætereà Caſtroboni Sacerdotem, qui viginti annorum ſpatio podagrâ laborauerat, ſuâ oratione perſanat. Porrò in eodem Caſtroboni Conuentu, aliquando accidit, vt vix binas vini trullas ad Fratrum cœnam in lagenis Humilis offenderet, quæ cùm duodenorum Fratrum familiæ ſat eſſe non poſſent, diuinâ virtute exoratâ, vinum in ſex trullas diſpertitum menſis apponit. Quid non humilis, ac feruens oratio à Deo impetrat? Bibunt duodecim Fratres ex trullâ cuique appoſitâ, ſitim extinguunt, nec tamen in trullis vinum minuitur. Cùm in Tyraceni Conuentu Frater Eraſmus Catanienſis, qui in eo Guardiani, & Lectoris officio fungebatur, æſtiuo tempore, Familiæ gratularetur, quod ex eâ, nullus eovſque inter caniculæ ardores, ægrotaret; eidem Humilis: Ne ante victoriam, Pater (ait) epinicium canas: hoc namque anno ex tuis diſcipulis tres fatis cedent; quibus ego quartus adiungar. Riſu tunc illius dictum à Guardiano his verbis excipitur. Num & Humilis inter Prophetas? cui ille: cùm res, vti prædicta eſt, euenerit, tum num hæc ſomnia, an vaticinia ſint, liquidò patebit. Poſt hæc, æſtu ingraueſcente, cùm ex ijs quindecim in morbum incidiſſent: ex his vnus morte corripitur, cæteris verò conualeſcentibus, cùm Guardianus Humili illudens eum ſemiprophetam appellaret, eidem Humilis: neq; Prophetam, neq; ſemiprophetam meipſum vendico: verùm Pater, pauliſper expecta; necdum enim anni tempus elapſum. Intereà, cùm ex conualeſcentibus duo iterum ex morbo decubuiſ-

ſent;

ſent; vterque tandem è viuis eripitur. Veruntamen, cùm Humilis ſe ijs quartum addidiſſet, neque vlla in eo ægritudinis ſigna deprehenderentur; iterum Guardianus eidem colludens: Quid, inquit, ô Humilis, de quarto illo morituro fiet? nùm mortem ille alieno decreto euaſit? te enim incolumem habemus. At Humilis: nec mortem (ait) quartus ille alieno decreto euaſit: nec me diu ſoſpitem habebitis: dies enim Beatiſſimæ Virg. Annunciationi ſacer, quid de me diuino conſilio ſtatutum ſit, iudicabit. Poſt hæc Guardiano abeunte, vt Dei verbum quadrageſimali tempore diſſeminaret; cùm Humilis cum eo viæ aliquantulum proceſſiſſet; ab eo tandem genuflexus his verbis non abſque lachrymis prolatis benedictionem poſcit: Benedic me, Pater: poſtrema hæc enim tua mihi benedictio erit. Haud vltra Humilem tuum, tuis genibus prouolutum conſpicies. Tua mihi in die Annunciationis Virginis Deiparæ ad Altare Dei ſuffragia ſerua. Octauo igitur ante ſolemnem Annunciationis Beatiſſimæ Virg. diem, cùm ægrotare cœpiſſet; cœleſti totus voluptate perfuſus, his Beatiſſimam Virg. verbis affatur: Iam ô Virginum Beatiſſima, octaua imminet dies, in quâ ſacra in toto orbe tuæ Annunciationis ſolemnitas celebratur, peto ô Virgo Virginum, ne tuis mihi promiſſis deſis, quibus me tecum futurum eſſe ſpopondiſti. Cum primùm itaque animum ſacrâ confeſſione expiatum, diuinâ Euchariſtiâ pauit, totum ſe ad diuinorum meditationem contulit. Intereà, morbo ingraueſcente, cùm expectata ſacræ Annunciationis dies adueniſſet; hilari vultu, ac ſerenâ ſemper facie, Deo, & Beatiſſimæ Virg. laudes decantans, ex humanis migrat, Anno 1598.

Fr. Philippvs à Fvniano, Laicus, in Bononienſi Prouinciâ patientiâ & manſuetudine ita præcelluit, vt inter iniurias, & contumelias, quibus ſæpè, inter ipſa Bononienſis Conuentus initia, affectus fuit, imperturbato animo eſſet, multiſq; alijs virtutibus clarus Bononiæ obijt; cuius membra ante obitum rigida, poſt mortem, inſtar pueri, mollia pertractantur, ſuauemq; vbique odorem diffundunt. Obijt Anno 1598.

Fr. Franciscvm Aprilianensem Laicum, Conſentina Prouincia, plurimarum virtutum laude commendat; qui cum auſteriſſimam, etiamnum à ſeculo vitam inchoâſſet; eandem in Religione proſequitur, vitæque ſuæ exitum, diuinitùs, præagnitum, pari cum virtute claudit.

Anno 1598.

Fr. Morici

Fr. MORICI A VISSO
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER Moricvs à Visso, Laicus, huius tam inſignis obedientiæ fuit, vt cum in Nurſiæ Conuentu ei à Guardiano iniunctum eſſet, vt duas è ſyluâ ſibi turtures adferret; is præter omnium ſpem, & expectationem, in ſimplicis obedientiæ teſtimonium, ſtatim turtures, diuinâ potiùs virtute, quàm humanâ diligentiâ repertas, ad Guardianum defert. Hic cum Archangelum quendam Ferretum Nurſinum, grauem cum altero ſimultatem gerentem, vt odia deponeret, pacemq; cum hoſte iniret, ſæpè monuiſſet; futuram necem, quæ breui illi inferenda eſſet, eidem prænunciat: quâ ille paulò poſt telis confoſſus occumbit. Huius viri oratione Diana Ficcarda Amatricienſis, quæ repentino morbo correpta, triduo abſque ſenſu, ac motu velut exanimis iacuerat; S. Catharinæ, quam ſingulari veneratione proſequebatur, icone illi ad deoſculandum oblato, à morbo confeſtim curatur, ac vitæ reſtituitur. Plurima denique cùm virtutum exempla, poſteris imitanda reliquiſſet; Nurſiæ, antequàm è viuis excederet, Angelicâ quâdam harmoniâ (quæ in ipſius cella audita fuit) ad mortis ſomnum prouocatus, ſanctimoniæ famâ poſt ſe relictâ, in pace quieſcit, Anno 1599. Poſt ipſius obitum, cum mulier quædam Nurſina, quæ graui capitis cephalalgiâ cruciabatur, ipſius ſuffragia inuocaſſet; à morbo liberatur.

Fr. IVNIPERI A GVSSACO
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER Ivnipervs à Gvssaco, Laicus, Vir virtute præclarus: tanta erat ipſius erga Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium religio; tantaq; dum Sacerdoti celebranti miniſtrat, cœleſti voluptate perfundebatur, vt nonnunquam ſenſibus excedere viſus fuerit. Incredibili verò cum Beatiſſimam Virginem veneratione proſequeretur, ab eâ tandem ſui obitus diem, qui in

ipſius Natiuitatis ſolemnitatem incidit, certum accipit : à quâ etiam ante mortem verbis recreatus, ac roſarum floribus donatus, piè in Domino obdormit. Anno 1599.

Fr. ONVFRII A SORBANO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER ONVFRIVS à SORBANO, Laicus, Vir illuſtris; hic tanto animi candore, ac ſimplicitate prædilus fuit; vt ad puerilem propè innocentiam accederet: virginitatis lilium, quod ad trigeſimum vſque annum in ſæculo illibatum ſeruauerat, in Religione, inter perpetuę auſteritatis ſpinas, multis virtutibus auctum, ita ad mortem vſque illæſum cuſtodiuit; vt quid carnis labes præ ſe ferret, planè ignoraret: hinc à mulierum præſentiâ ita declinabat, vt eas propemodum exhorrere videretur. Hac mentis ſimplicitate fretus, tot in omni virtutum genere progreſſus dedit; vt abſtinentiâ, paupertate, obedientiâ, patientiâ, humilitate, atque orationis ſtudio, planè omnibus admirabilis eſſet. Nemo iratum, imò nec animo turbatum vnquam vidit: tametſi plurima, quæ moleſta videri poterant, ad illius patientiam probandam fierent. Humilitatem verò tam profundè ſibi in animo inſculpſerat, vt, tametſi ad octogeſimum vſque annum, vitam ſummis in virtutibus, ac Dei donis traduxiſſet; nullum tamen lachrymis modum ſtatueret: eò quod ſe nihil vnquam boni egiſſe, ſibi certò perſuaderet. Quamobrem Sathan, eum vbique tam dirè perſequebatur, vt ſi in Eccleſiâ oraret, ingentes mox ſtrepitus ederet: ſi in ſyluam ad orandum ſecederet, horribili eidem formâ appareret: ſi ad cellam pergeret, graues illi minas intentaret. Deo tandem ita diſponente factum eſt, vt à Dæmone afflictatus, illius tandem victor exiſteret. Tam intimo Virginem Deiparam animi affectu proſequebatur, vt quoties de illâ, eò præſente, ſermo fieret, toties in lachrymas ſeſe effunderet. Eâdem quoque pietate in Dominicam Paſſionem ferebatur, in cuius meditatione pleraſque noctis horas inſumere conſueuerat. Hinc non paucas à Deo viſiones, ac reuelationes accepiſſe certum eſt: dum enim aliquando orat, Fratris cuiuſdam animam in cœlum ab Angelis deferri in viſu conſpicit; ſæpè etiam S. Antonij Olyſippo-

nenſis aſpectu,& colloquio potitum fuiſſe; cuius etiam meritis, plurimas alijs gratias obtinebat, ante mortem declarauit. Multis prætereà miraculis clarum noſtra M.S. ferunt. Franciſcum enim Maceratenſem peditum Ducem, podagræ morbo cruciatum, ſæpiùs Crucis ſigno à dolore liberat. Franciſcum quoq; Ritundū à Monte Filatrano, qui diu podagrâ afflictatus fuerat, eodem ſigno, detumentibus pedibus, à podagrâ curat. Hoc modo cum illius ſanctimoniæ famâ in Maceratenſi vrbe percrebeſcente, plurimi varijs morbis afflicti, ab eo ſignum Crucis expoſcerent, illius virtute incolumitatem aſſequebantur. Iam Onufrius ad extremum ætatis ſenium, octogenario maior peruenerat: quo tempore, Deo ad maiorem ipſiùs gloriam permittente, is ſenio confectus, ieiunijs exeſus, vitæ auſteritatibus attritus, ad caſtitatis prælia, quæ anteà ignorauerat, prouocatur: pallebant ora ieiunijs, cuteq; vix oſſibus adhærente, nutantes præ corporis imbecillitate greſſus, celerem vitæ occaſum teſtabantur; attamen in frigido corpore, & carne præmortuâ, ſola libidinum incendia, qualia nunquam anteà expertus fuerat, ebulliebant: tot demùm in caſtiſſimo viro Satan, ac tam ardentes luxuriæ faces accenderat, quas iamdiu virginitas extinxerat; vt Vir Dei omni alia ope deſtitutus, ſolum ſibi in lachrymarum imbre, quo tartaream flammam extinguere conabatur, ſolatium vendicaret. Hac per aliquot temporis ſpatium, à Deo tentatione probatus, tandem Maceratæ ſummâ animi tranquillitate, ac pietate, fœliciori mortis ſomno conſopitur, Anno 1599.

In Conſentinâ Prouinciâ, Fr. MICHAEL à Moromanno, Laicus, prophetico ſpiritu clarus, pleraque futura prædixit: vinum aceſcens ſuâ oratione in generoſum conuertit; atque in regularis ſuæ obſeruantiæ teſtimonium, tres elegantiſſimæ formæ virgines, quæ regularem trium votorum obſeruantiam ſignificarent, cellam ſuam in morte circumeuntes conſpexit, Obijt Anno 1599.

In eâdem Prouinciâ Fr. ANSELMVS à Serrâ, Laicus, virtute eximius, B. Virginis in morte præſentiâ fruitur, & poſt tres ſepulturæ annos incorruptus, & molli carne præditus pertractatur. Obijt Anno 1599.

In Cathaloniæ Prouinciâ Fr. ANTONIVS à Baërrâ, Laicus, Vir oratione potens; bouem ingenti trabe attritum, & agricolæ filium febricitantem, ſuâ oratione incolumes reddit: cuius corpus poſt quartum ſepulturæ annum incorruptum cernitur.

Obijt Anno 1599.

Fr. LVCÆ CALABRI
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER LVCAS CALABER, Compoſtellanam profectionem, pietatis cauſâ, aggreſſus, ex eâ rediens ad Capucinos migrat: vbi maximos in omni virtutum genere progreſſus facit: tantâ vitæ auſteritate, atque abſtinentiæ floruit; vt illum quotidiana panis & aquæ inedia paſceret; flagella ſaginarent; duræ ſuper nudas tabulas cubationes recrearent; extrema rerum paupertas reficeret; nocturnæ multarum horarum vigiliæ exhilararent. Hunc demùm orationis ſtudium, tantâ in Deum charitate extulerat, vt ſæpiſſimè in ecſtaſes, ac mentis alienationes raperetur: & nonnunquam toto corpore in aëra eleuaretur. His cùm virtutibus, ac donis cœleſtibus ornatus, vitæ curſum omni cum ſanctimoniæ laude confeciſſet; Barcinonæ, iuſtorum à Deo præmium aſſequitur, Anno 1600.

Fr. BONAVENTVRAE HISPANI
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER BONAVENTVRA HISPANVS, Laicus, Vir pulcher aſpectu, & animo pulchrior, tantâ morum honeſtate, ac mentis candore; tantâ vitæ innocentiâ, atque animi ſimplicitate; tanto denique virtutum omnium decore præditus fuit; vt vel ſolo aſpectu omnium animos ad virtutem alliceret. Vnde fiebat; vt quotquot vel moleſtiâ, vel mœrore premebantur, vel occulta animo vulnera gerebant; ea facilè in ipſius ſinum deponerent, ab eoq; remedia caperent. Tam profundâ mentis humilitate præcelluit, vt cum neminem ſe viliorem eſſe putaret, omnibus miniſtrare, ac ſubeſſe, beneficij ſibi loco adſcriberet. Denique tam diligens, ac perfectus regularis obſeruantiæ cuſtos fuit, vt nullum obedientiæ virtute, nullum perfectâ rerum omnium paupertate, nullum demum pudicitiâ ſibi ſuperiorem haberet. Hinc in ipſius puritatis

teſtimonium cœli aues nonnunquam inter illius manus euolare, ac ſecum familiariter verſari viſæ fuerunt. Prophetico quoque ſpiritu donatus, Albiſiæ Marchioniſſæ, filiæ obitum prædicit, quæ cùm indignabunda audiret: ad eam Bonauentura: cur ô Marchioniſſa, propterea, quæ non meo, ſed Dei conſilio, certò euentura ſunt, tam grauiter ſtomacharis? ſi intempeſtiua tibi Dei conſilia erga Aloyſiam, quæ certo certius tibi letho eripietur, fortè videntur; nimis profectò tibi tempeſtiua videri debent, quæ teipſam attingunt. Dei conſilium paucis accipe: Te Deus, non Aloyſiâ tantummodo; ſed & alijs liberis, quos maxime diligis, orbandam ſtatuit: neque hic tua calamitas ſiſtet: nam & cum liberis ipſâ quoque Marchionatus ditione expoliaberis; vt diuinâ correptione erudita, animum ad meliores cœli diuitias, & honores tibi comparandos transferas. Quæ omnia illi ad amuſſim euenêre. Gratia quoque curationum inſignis: in Panormitanâ vrbe Vrſula Rolita, nobilis mulier, tam complicatis febribus, cui continua accedebat, ſymptomatibus laborabat, vt de ipſius vitâ medici quàm minimùm ſperarent. Quo tempore Bonauentura ad eam accedens, cum poſitis genibus aliquantiſper oraſſet; ſurgens, ægram ſigno Crucis benedicit; eoq; mox incolumem reddit. Hic tandem fidelis Dei ſeruus, cùm in omni iuſtitiâ & ſanctitate mortalem vitæ curſum confeciſſet; Panormi totius vrbis luctu, æternâ gloriâ coronandus, ad immortales migrat. Neq; ipſius poſt mortem gloriæ teſtimonium defuit. Monialis enim quædam Tertiaria, ſpiritu, ac virtute illuſtris, poſt Bonauenturæ obitum, cùm eum in viſu, ſplendido curru in cœlum ſubuehi conſpiceret; ab eo, quid currus ille præ ſe ferat, ſtudioſè quærit. Cui Bonauentura: hic (inquit) quatuor rotarum currus, meæ tibi gloriæ triumphum indicat: prima namque huius currus rota, prompta mea ad omnem ſuperiorum nutum, ac voluntatem, quam ſemper exhibui, obedientia ſignificatur: ſecunda, arcta, & perfecta rerum omnium paupertas, quam viuens ex animo dilexi, atque inuiolatam ſeruaui, tibi oſtenditur: tertia, immaculatam mentis, & corporis caſtitatem, cui quoad vixi, omni ſtudio incubui, tibi indicatam ſcias: quarta tandem, ac poſtrema currus rota, profundam mentis humilitatem, quâ omnibus me Dei donis, ac vitâ ipſâ indignum exiſtimaui, quâq; infimum quemque mihi prætuli, prorſus declarat. Hæ me triumphantem, in cœlum euehunt. Poſt huius ſancti Viri obitum, ex Patribus Societatis Iesv nonnulli ad Conuentum accedentes, his Guardianum verbis affantur: Pater, quid de Fratre Bonauentura

 defuncto

defuncto iudicas? Quibus Guardianus: Bene, (inquit) nam perfectus Regulæ obſeruator fuit. At illi ô Pater, ô Pater, non Frater Bonauentura, ſed ſanctus Bonauentura, ſi ita nobis eloqui fas eſt, vobis obijt: & (ſi liceret) planè admiranda de eo à nobis narrari poſſent; quæ alto ſilentio ſepulta manere opus eſt. Horum Religioſiſſimorum Patrum dicta eo luculentiùs hîc inſerere volui, quod eorum teſtimonium probatiſſimum, omniq; exceptione maius eſſe exiſtimauerim. Obijt Vir Sanctus Anno 1600.

Fr. MACHARII A CASTROBONO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER MACHARIVS à CASTROBONO, Laicus, Vir omni virtute inſignis, culinæ miniſterio incumbens, cùm cæteris ſummâ charitate, ac ſollicitudine obſonia, & cibaria miniſtraret, ab his abſtinens, toto ferè anni ſpatio, pane, & aquâ contentus, victitabat. Humilitatis atque obedientiæ virtutes tam altè ſibi animo infixerat: vt promptiorem is ſe ad parendum, quàm Superiores ad imperandum exhiberet. Tantique Superioris vocem, ac præceptum æſtimare viſus, vt & ipſa inanimata, quæ ſenſibus carent, Superioris præcepto compelli poſſe exiſtimaret. Etenim, cùm is aliquando ardentiſſima febri laboraret, adſtantem Guardianum his verbis compellat: Cur Pater, huic febri, quæ tibi ſubditum torquet, vt hinc longè faceſcat, non imperas? Ea tibi proculdubio parebit. Cui Guardianus: num hæc tibi fides certa animo ineſt? Ne quidem dubia, ait ille, ſed certiſſima. Iam ergo (inquit Guardianus) huic tuæ febri, vt longius abſcedat, in Dei virtute impero: mirabile dictu! vix Guardianus extrema præcepti verba protulerat, cùm febris mox illius dicto obediens, recedit; Macariusq; incolumis è ſtrato ſurgit. Orationem tanto ſtudio coluit; vt quam, ob quotidianum culinæ miniſterium, interdum nonniſi difficilè exercere poterat; diutiùs nocte proſequeretur: ex quâ tantam diuini ſpiritus abundantiam vendicauit; vt futura, velut præſentia, contemplaretur. Nam cum Fratre Franciſco à ſancto Mauro aliquando iter faciens, omnem ei futuræ vitæ curſum ad amuſſim explicat. Poſt hæc verò,

cùm è Caſtrobono cum Fr. Iunipero diſcedit, vtriuſque obitum, obitusq́; locum ipſi prædicit; Macarius igitur Gibilmannæ, magno virtutum odore, ac ſanctimoniæ famâ poſt ſe relictâ, letho ſua iura cedit, Anno 1600.

Fr. Bartholomævs Mutinenſis, Laicus, Bononienſis Prouinciæ, multis virtutibus clarus celebratur, qui obitus ac ſepulturæ ſuæ die fratribus præſignificato, è mortali carcere migrat; & quinto poſt ſepulturam anno incorruptus conſpicitur. Obijt Anno 1600.

Fr. Lvdovicvs à Lacu nigro, Laicus, Lucanæ Prouinciæ, qui ad extremam vſque ſenectutem, vitam virtutum omnium floribus exornatam inter noſtros duxerat, cum in Conuentu S. Mennę mortis ſomno conſopitus eſſet, in Eccleſiam delatus, occluſis foribus vſque ad Matutinum tempus tumulandus ſeruatur. Menſis tunc Ianuarius agebatur; quo tempore, regione omni niue opertâ, vniuerſæ plantæ gelu rigebant, cum manè patefactis Eccleſiæ foribus, dum Fratres iuſta illi funebria perſoluere parant; roſæ rubicundæ flos, qualis in verè expanſis folijs ſpectari ſolet, ſuauiſſimum odorem afflans inter illius manus diuino miraculo conſpicitur; ex quo, quàm roſea, & grato cœleſtium virtutum odore reſperſa ipſius vita fuerit, haud difficilè perſpicitur. Obijt Anno 1600.

Fr. Dionysivs à Tabernâ, Laicus, Conſentinæ Prouinciæ, tanti apud Deum meriti fuit, vt ab Angelo vltrà flumen deuectus fuerit: prophetico ſpiritu nonnulla prędixerit: tum poſt obitum Tertiariæ cuidam oranti, cœleſti gloriâ donatus apparuerit. Obijt Anno 1601.

Fr. ANGELI FAVENTINI
LAICI,
VITA, ET GESTA.

Frater Angelvs Faventinvs, Laicus, ex Cardinalis cuiuſdam, cui famulabatur, ſeruitute, ad meliorem Dei ſeruitutem vocatus, Romæ inter Capucinos coaptatur. Hic cùm priori Domino fidelem famulatum præſtitiſſet; fideliſſimum quoque ſe Deo ſeruum in Religione prebuit. Obedientiam, tam perfectam Deo, & hominibus exhibebat; vt non alium ſe, quam

Dei iumentum eſſe ſibi perſuaderet,itaque ab ipſius voluntatis nutu pendebat,vt ab eâ,ne latum quidem vnguem recedere optaret. Obedientiæ verò,quæ Superioribus debetur, tam diligens, ac perfectus cultor fuit,vt nullos vnquam ſibi in parendo limites conſtituerit, & nunquam Superioris verbum, cum voluntatem noſſet, expectârit. Igitur ex hac perfectâ mentis obedientiâ, perfecta quoque illius vitæ innocentia haud obſcurè colligi poteſt, cuius admirandum ſe omnibus exemplar prębebat. Nullum virtutis genus erat, cuius is in ſe imaginem non redderet. Si paupertatem; pauperrimus erat: ſi humilitatem, nemo illo, tum in ſeipſo abijciendo, tum alijs miniſtrando humilior: ſi patientiam; tot Dæmonum infeſtationibus probata ipſius patientia fuit; vt indè & hoſtium trophęis, & Dei donis illuſtrior euaſerit: ſi pudicitiam; tantæ honeſtatis Vir fuit, vt nobilem fœminam, quæ incontinentiæ illum aliquando ſollicitauit, à ſe procul expulerit: ſi abſtinentiam; vitam is velut perpetuum non vulgaris abſtinentię curſum in Religione inſtitutum, ad mortem vſque proſequutus eſt: ſi charitatem; tantâ is erga omnes, ac pręſertim ægrotos, charitate pręditus fuit; vt veræ in eos matris munus exerceret. Denique ſi orationis ſtudium exquiras, tam aſſiduus in eo fuit, vt integras ſæpè noctes, in oratione inſomnes tranſigeret. Diuturnâ tandem ægritudine tentatus, cùm aliquâ neceſſitate premeretur, auxiliaris Fratris, qui illi aſſignatus fuerat, pręſentia aliquando & ope deſtitutus; ſine quâ is ſibi opitulari non poterat; dum intempeſtâ nocte ſub eâ neceſſitate gemeret, en Angelus Angelo ſub iuuenis formâ extemplò adſtat, qui abſentis ſocij officio functus inde ſtatim abſcedit. Huic quoque pro Organtino quodam Ioannis Baptiſtæ Aſculani germano fratre, oranti, idem Ioannes Baptiſta, qui iam pridem obierat, glorioſus apparens, quæ Fratris conuerſionem impedirent aperit: quæ cum Angelus Organtino retuliſſet; is vitâ in melius commutatâ, perfectam vitæ formam, apud Capucinos proſequitur. Quædam ab hoc S. Viro miracula, tum in vitâ, tum pòſt mortem patrata leguntur. In his Bartholomęus Manellus adoleſcens, cum repentino aurium dolore correptus vehementiùs cruciaretur; Crucis ſigno illi ab Angelo impertito, protinùs abſceſſus qui in aure computruerat, abrumpitur; magnâq; ſaniei copiâ ex eo profluente ſanatur. Hieronyma Celſa à cephalalgiâ, quâ grauiter cruciabatur, Angelo pro eâ orante, liberatur. Margareta denique Amicia, cùm graui ægritudine premeretur, ipſius apud Deum preces efflagitans, ſtatim incolumitatem aſſequitur. Hic

denique

deniquecùm ſui obitus diem preſignificaſſet, Maceratæ ſanctimoniæ famâ clarus, mortalem cum immortali vitam commutat Anno 1602. Poſt mortem facies illius tam decora, & iucunda omnibus viſa eſt, vt videntis potiùs, quam mortui ſpeciem referret. Hoc ipſo tempore, corpore ipſius in feretro iacente, cùm Mercurij Mancinelli vxor, odontalgiâ & ſurditate laboraret; caput in ipſius ſinum inclinans, ab vtroque morbo, liberatur.

Fr. CVRATI BERGOMENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER CVRATVS BERGOMAS, Laicus, virtutè, ac præclaris vitæ exemplis illuſtris. Hic cum omni virtutum genere floreret, charitate in pauperes potiſſimùm eximius, nudum ſemel pauperculum, propriâ tunicâ, quâ ſeipſum exuit, illicò contexit. Nemo turbatum, nemo otioſum, nemo denique vanis occupatum vnquam vidit. Plurimâ charitate Fratres amplectens, omnes quaſi Paradiſi filios, quos & ſic appellebat, diligebat. Plurimæ orationis Vir fuit: atque adeò eâ apud Deum potens, vt cum puer quidam fictile vas, quod illi caſu perfractum fuerat, multis lachrymis defleret; illius miſeratione permotus, teſtacea fragmenta collegerit, ac perfractum vas ſuâ oratione reſtaurauerit. Eodem quoque orante, plurimi plurimas à Deo gratias accipiunt. Hic tandem cùm in perpetuâ quodammodo oratione vitam duxiſſet, eam quoque genuflexus orando abſoluit. Anno 1602. ac poſt multos ſepulturæ annos, incorruptus in ſepulcro ſpectatur.

In Cathaloniæ Prouinciâ, Fr. HILARII à CAMPOLONGO, Laici, adhuc floret memoria, qui vitæ innocentiâ, ſimplicitate, ac multis prætereà virtutibus clarus, cum Beatorum quorundam, quos præcipuâ veneratione proſequebatur, aſpectu ac colloquio potitus eſſet, Barcinonæ diem extremum cum pietate claudit. Anno 1602.

***

Fr. VINCENTII A CONILEONE LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER VINCENTIVS à CONILEONE, Laicus, cum magnâ virtutum luce inter alios emicaret, magnis etiam à Deo donis, ac præſertim reuelationibus, viſionibus, & ſignis illuſtratur. Communis inter Fratres fama fuit, hunc ſæpè Beatiſſimæ Virg. colloquio frui: ſemel quoque Fratris Ægidij Agrigentini, qui paulò anteà ex humanis migrauerat, anima eidem glorioſa apparens, ſe æternâ beatitudine, atque Doctorum aureolâ à Deo donatum affirmat. Fr. Valentino Drepanenſi, quid de Fr. Mariano Agrigentino olim Guardiano in Dei iudicio actum eſſet ab eo aliquando percunctanti, his illi verbis reſpondet: Marianus apud Deum Beatiſſimæ Virginis ſuffragio viuit, at magnum ſubijt mortis æternæ diſcrimen, hoc illi in viſione demonſtratum fuerat. Fr. Franciſci à Monte regali abſentis obitum diuinâ reuelatione accipit, Fratremq; Cæſarium ſolius Virginis clementiâ ſalutem tuliſſe accipit. Mulieri cuidam nobili, quæ fœtum in vtero gerebat, maſculam prolem pollicitur. Vincentium Piſinghum nobilem Panormitanum, Crucis ſigno adhibito, à graui pedum tumore, quo à greſſu omninò prohibebatur, liberat. Poſt hæc Agrigenti mulierem à ſecretâ, ac fere incurabili fiſtulâ ſuâ oratione curat. Nutriciq; quæ cuiuſdam mulieris Panormitanæ infantem lactandum ſuſceperat, cùm repentè lacte caruiſſet, copioſiſſimum reſtituit. Vincentio cum ſocio de rebus diuinis in viâ confabulantibus, Dominus medius à ſæculari Viro conſpicitur. Panormum denique proficiſcens, diem ſui obitus ſocio præſignificat: die igitur appropinquante, morbo corripitur, animum pœnitentiâ expurgat, Sacramentis communit, patientiâ armat, oratione ad cœleſtem ſponſum parat, multiſq; virtutibus, & meritis ornatum, æterno conditori reddit. Anno 1603. Corpus verò ſepulcro conditum, etiam poſt menſem, ſuauem ex ſe odorem efflat.



FRATER BONAVENTVRA NETINVS FFrum CAPVCINORum
LAICVS.

Fr. BONAVENTVRÆ NETINI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER BONAVENTVRA à NETO, Laicus, inter illuſtres Syracuſanæ Prouinciæ viros, qui ſuâ tempeſtate floruerunt, nemine diſcrepante, ab omnibus illuſtrior habitus fuit. Hunc illius Prouinciæ monumenta maximæ humilitatis, paupertatis, obedientiæ, ſimplicitatis, ſilentij, ſolitudinis, honeſtatis, ac præſertim orationis commendant: cuius cùm ardentiſſimo amore teneretur, in eâ quoque ſæpè ecſtaſes, & raptus patiebatur; tantoq; in Deum interdum charitatis æſtu ferebatur; vt orans nonnunquam micantes è vultu radios effundere viſus fuerit. Quæſtuarij vt plurimùm cùm miniſterium exerceret; tanto, dum eo muneri incumbit, in Deum amore efferueſcit, vt ſæpè præ ardentioris charitatis impetu in hæc verba prorumperet: IESV mi, IESV mi, ſemelq; cum hac ſpiritus flammâ ad ſacram ſynaxim accederet, ſacrum Chriſti Corpus, antequam à Sacerdote è patenâ aſſumeretur; quaſi moræ impatiens, altiùs è patenâ ſeipſum extulerit, vt ad ſeruulum ſuum euolaret. Tantâ denique hic animi puritate, ac candore præditus celebratur; vt qui illi diu à Confeſſionibus fuit, ne leuem quidem in eo culpam deprehendens, ſæpè illum, abſque Sacramentali abſolutione dimitteret. Hoc virtutum ſplendore, cùm pleroſque in Religione annos traduxiſſet; Motucæ tandem magnâ cum ſanctimoniæ famâ, vitæ curſum abſoluit; totq; Deus poſt mortem illius vitam ſignis illuſtrauit; vt de illius ſanctimoniâ, nemini dubitandi locum reliquerit. At verò, quod in his haud leui admiratione dignum videtur, illud eſt, quod vniuerſa penè hæc miracula, quæ modo à nobis explicanda ſunt, huius ſerui Dei Sandaliorum virtute, vt plurimum patrata leguntur, vt quæ diuinæ olim apud homines gloriæ (dum Quæſtuarij munus obit) inſtrumenta fuère, vberioribus quoque ſignis, ac miraculis poſt mortis occaſum illuſtrarentur. Cùm enim Dorothea quædam vidua Motucenſis, Tertiariarum Miniſtra, nobilis fœmina, ſancti Viri ſandalium dono à Fratribus accepiſſet, eo pleraque miracula patrata fuère. Franciſca inprimis Fabij Celeſtis, Dorotheæ filij vxor,

quæ plurimâ in Bonauenturam deuotione ferebatur, cùm nonnulla illi, ad integram ſolutionem pecuniæ ſumma deeſſet; vnde illam ſibi vendicaret, ignorans, Bonauenturæ opem liberiùs his verbis implorat: ô Bonauentura, te certè in Beatorum numerum non habeo, niſi in hac mihi neceſſitate adſis. Cumq; hæc dicens, ſcrinium, in quo Bonauenturæ ſandalium velo obuolutum aſſeruabatur, aperuiſſet, ipſumq; ſandalium, vt exoſcularetur, reuelaſſet; vix velum explicauerat, cùm in eo pecuniæ ſummam, quam optabat, incluſam conſpicit. Hoc miraculo per Motucæ vrbem peruulgato, pleriſque, qui poſt hæc Bonauenturę ſubſidia inuocantes, hoc ſibi ſandalium adhibuêre, è Cœlo beneficia collata fuerunt. Inter hos Vincentia Laliueria prȩgnas, cùm partu imminente, ob ſubortam febrim Medicorum ſententiâ ad vitȩ occaſum properaret; Bonauenturȩ ſandalium, velut extremo remedio accepit: quod dum ſinu, illius opem è cœlo implorans, conſtringit, mox fœtum, præter omnium expectationem, ſuperſtes educit, atq; incolumitatem aſſequitur. Anno 1610. Margareta, Petri Iugæ vxor, matricali dolore affecta, diu Medicos fruſtrà fatigauerat, à quibus tandem breui, certæ neci adiudicata eſſet, ſancti Viri ſandalio impoſito, eius virtute dolor ſedatur, ac perendiè incolumis è lecto ſurgit. Eodem anno Vincentia Aſſentia, quæ ad vigeſimum quartum vſque diem partus dolore afflicta fuerat, vix ſandalium vtero admouit, cùm maſculum ſalua protulit. Anno 1611. Vincentia Franciſci Leonis vxor, graui vberis dolore cruciabatur, cui cùm minùs Medicorum remedia proficerent, Bonauenturȩ ſandalio vberi adhibito, paulatim dolor miteſcit, ac tandem abſcedit. Eodem anno Margarita Rabbita, quæ mortuum fœtum in vtero geſtabat, cùm iam triduò partus doloribus cruciata, maximo in vitæ diſcrimine verſaretur; hoc ipſum ſandalium vtero admouens, mox mortuum fœtum effudit. Idemq; Antoninæ Ocipintæ, & Franciſcȩ Naniæ, partus dolore iam triduò laborantibus contigit. Hoc ipſo quoque anno Franciſcus Schiffitus, Motucenſis, Eccleſiæ cuiuſdam collegialis Canonicus, diu ob tertianam febrem elanguerat; cùm hoc Bonauenturȩ ſandalio, piè ſibi ſub capitis puluillo collocato, ab eâ liber & incolumis euaſit. Poſtremò Franciſca Statella, nobilis Motucenſis, graui cephalalgiâ afflictata, cum ſandalium ſibi capiti impoſuiſſet, mox ab eâ capitis dolor abſceſſit. His pleraque alia miracula accedunt, hoc ſandalio patrata; quæ cùm ſcripto minimè commendata fuerint, ea ſilentio prȩtereo. Obijt Vir Sanctus Anno 1603.

In Piceni Prouinciâ Fr. Ioannes à Sarnano, Laicus, incredibili inter nos patientiâ floruit, quam in maximis podagræ doloribus, quibus permulta annorum curricula in lecto afflictatus fuit, conſtanter exhibuit. Plurimis quoque alijs virtutibus ornatus, cum ex communi Fratrum voce, longè antè obitum ſuum prænouiſſet, Maceratæ tandem in Domino quieuit. Huius corpus, Culinæ huius Conuentus Præfectus, qui graui pedum tumore laborans, ab inceſſu prohibebatur, cum tumido pede contigiſſet, eodem temporis momento, tumore euaneſcente, liberè progreditur; Obijt Anno 1603.

Fr. Peregrinus à Bontia, Laicus, in Mediolanenſi Prouinciâ, plurimæ orationis Vir fuit; qui cum Coquinæ officio Baritij fungens, in die Aſſumptionis B. Virginis orationi intentus, nihil familiæ in prandium paraſſet; inſtante iam refectionis horâ, ad B. Virginis opem confugit: moxq; ab Angelo, ſub ſpecioſi Iuuenis formâ, corbis diuerſi generis obſonijs lautius paratis oppleta, ad fores defertur: quibus eâ die familia in Dei nomine veſcitur, multiſq; alijs virtutibus clarus, Cardani mortales exuuias deponit. Obijt Anno 1603.

In Belgiâ Prouinciâ Fr. Anastasii Antuerpienſis, Laici, etiamnum memoria cum benedictione viget, ſuperſtes; qui tantâ vitæ innocentiâ, & mentis puritate præditus fertur, vt ſæpè Dominum Iesvm ſub infantuli ſpecie ſuper altare ſedentem conſpexerit. Hic Gandaui, dum peſte laborantibus omni pietatis officio miniſtrat, peſte correptus, charitatis martyrio tollitur. Obijt Anno 1603.

Fr. VINCENTII A CHIO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER Vincentivs Chivs, Laicus, cum patriâ à Turcâ occupatâ, Meſſanam migraſſet; vbi in Capucinorum numerum cooptatus, præclarum ſe in domeſtico vitiorum bello & virtutum victoriâ militem gerit. Tanta enim huius Viri vitæ auſteritas fuit; vt ad carnis concupiſcentiam debellandam, rudi, ac hiſpido habitu non contentus, cilicium ex ſuillis pilis ad ſupremum vſque abraſis, ſub habitu gereret; ac præterea ferreis quibuſdam laminis, vndiq; acuminibus interſtinctis, lumbos

nudos

nudos perſtringeret; quæ perpetuo quodam illum doloris martyrio afficerent. Somnus illi parciſſimus erat; quem tamen ita malè excipere ſolebat; vt, cùm nudas tabulas tantum membris ſubſterneret, neque aliud, præter ligneum ceruical capiti ſupponeret, corpus nunquam ad quietem extenderet; ſed ligno tantum inhærens, à ſomno potiùs deterreret. Ita quoque ab omni rerum cupiditate, nedum abſtinentiâ, abhorrebat; vt vnicus habitus, quo corpus tegeret, tunicâ, ac pallio reiectis, in ipſis etiam hyemis algoribus, illi ſatis, ſuperq; videretur; ſandalia quoque velut ſuperuacanea abijceret; At, neque cum corporis tegumento; ſed cum ipſâ quoque victus, ac tuendæ vitæ ratione, perpetua illi lucta erat: ſingulares enim B.P.N. Franciſci quadragenas, præter communes, nullo cocto cibario adhibito, ieiunans; tres prętereà ſingulæ hebdomadæ dies ab omni cibo, & potu abſtrahere ſolebat. Verùm & ipſo voluntatis vſu, nedum ſenſu, ita ſe deſtitutum oſtendebat, vt Superioris tantùm ad quælibet agenda, aut fugienda voluntate vteretur, tamq; in eâ exequendâ velox conſpiceretur: vt cùm Tracanopoli duabus ante lucis occaſum horis, ſtipe exactâ, ad Conuentum rediret, obedientiâ, quâ Tyracenum proficiſceretur, acceptâ, eo ipſo tempore ieiunus iter auſpicatus fuerit. Cumq; Tracanopolis à Tyraceno viginti quatuor millia paſſuum diſtet; totum illud itineris ſpatium, in quo biduum conſumpſit, abſque vllo prorſus cibo confecerit: in quo illud Saluatoris dictum, Ioannis quarto: facto egregiè implere voluit, dicentis. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Huius Viri oratio, æſtuans quædam fornax videbatur, diu noctuq; diuinâ charitate inflammata: ex quâ tam ardentes verborum ſcintillæ erumpebant, vt eorum, quos inter mendicationis labores, interdum pijs ſermonibus inſtruebat, animos ad pietatem inflammaret, multorum corda, & cogitationes inſpiceret, & quæ in his deliteſcebant, aperiret, ægrotosq; in Dei nomine perſanaret: quod nonnulla exempla teſtantur. Andreas enim quidam Batalius grauiſſimè ægrotans, cùm ſe Vincentij orationi commendaſſet, poſt factam pro eo orationem ad ipſum rediens, his illum verbis conſolatur: Andrea, tibi ad familiæ tuæ ſolatium vitæ, occaſus prorogatur: cura, vt meliorem te ex collato beneficio Deo exhibeas. Paruâq; interiectâ temporis morâ perfectè ex morbo conualuit. At non multo tempore elapſo, cùm iterum in morbum incidiſſet, Angelica vxor rurſus Vincentij opem implorans, eum hæc ſibi dicentem audit: Angelica, ne pro Viri vitâ interpelle: iam enim de eo diuini conſilij decreto

actum eſt. Illum potiùs feriò admone, vt ſuis quamprimùm, cùm animæ, tum familiæ rebus conſulat, quò fœliciùs hinc emigrare queat. Nec diu poſt hæc Andreas è viuis excedit. Huius porrò Angelicę filius, Iacobus nomine, cum poſt Andreæ obitum periculosè ægrotaret; mater de illius ſalute ſollicita, Vincentium pro filij ſalute deprecatur, à quo filij incolumitatem impetrat. Ioſephi Caſtaneæ, Ciuis Tiſſenſis filius, graui herniâ laborans, Vincentij quoque meritis, & interceſſione à morbo curationem diuinâ virtute collatam experitur. Gratia, Coloſſæ Baroniſſæ fluuij rigidi pediſſequa, à Dæmone arrepta, acerbè torquebatur; quæ Vincentij ſuffragijs à Baroniſsâ commendata, ab eodem mox oratione liberatur. Hæc igitur tam ſingularis vitæ ſanctimonia, tot à Deo miraculis illuſtrata, cum ſæua in eum Sathanæ odia concitaret, hinc varijs illum diu, noctuque, pręſertim dum orat, infeſtationibus perſequebatur: at Vincentius omnium victor, cùm de carnis, & oculorum concupiſcentiâ, de vitæ ſuperbiâ; de Satanâ demum triumphum reuexiſſet; Aquileæ tandem, depoſitis corporis exuuijs, ad cœleſtem coronam euolat.

Anno 1604.





FRATER SERAPHINVS A MONTEGRANA-
RIO FF^{vm} CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. SERAPHINI A MONTE GRANARIO, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER SERAPHINVS à MONTE GRANARIO, Laicus, Vir illuſtriſſimus, & immortali memoriâ dignus, tot triumphis clarus, inter Religionis ſidera emicat, vt tanquam nouum orbis prodigium, omnium in ſe haud immeritò oculos conuertat: tot enim cœleſtium virtutum luce, tanto ſanctimoniæ ſplendore; tam denique ingenti ſignorum, ac miraculorum copiâ,& maieſtate fulget; vt ſi cœleſtem virum prædicauerim, haud ſatis dixerim, ſin angelicum, neque æquam ipſius laudem attigerim, niſi ex indito illi nomine, cui & ipſa præclara geſta reſpondent, Seraphicum tandem appellauero, quo fit, vt in his explicandis, tametſi rerum materiâ exuberante, paulò longiori narratione vti compellar; ab inſtitutâ tamen breuitate, haudquaquam ſim receſſurus. Seraphini igitur genus, ſanguine quidem humile fuit, ſed virtute, ac pietate clarum. Theodoræ ſiquidem matris, ita in oppido pietas, ac religio peruulgata erat, vt cum de alicuius pietate ſermo fieret, ea paſſim in exemplum adduceretur. Felix ergò (eo enim ante religionis ingreſſum nomine donatus fuerat) cùm prima pietatis rudimenta à matre hauriret, maioraq; à Deo cœleſtis gratiæ adminicula acciperet; tantâ animi propenſione, in ipſâ tenellâ ætate, in res diuinas ferebatur; vt ſummum illius ſtudium eſſet, ſacris Myſterijs intereſſe, verbum Dei attentè percipere; Eccleſias deuotionis cauſâ adire, corollas recitare; ſolitaria loca ad orandum quærere; in oratione ingemiſcere; ac puerilibus omnibus abiectis, pietati vacare. At pater, qui graui inopiâ premebatur, Felicis operam cuidam agricolæ locat, qui armentorum illi cuſtodiam commendat. Armentis igitur paſſim per prata pabula quærentibus, Felix ſolitarium in locum ſecedens, genuflexus animum oratione paſcit, veſpere autem appropinquante, cùm armentis ad ſtabulum reductis, ſimul cum alijs cœnaſſet; mox ſe ab ijs ſegregans, intermiſſam orationem repetit. Atque hæc quidem puerulus obſeruabat. Cùm verò adoleſcente iam ætate, Felicis pater, Hieronymus nomine, è viuis

exceſ-

exceſſiſſet, Felix à Silentio fratre maiore natu, domum reuocatus ad prima cœmentariæ artis rudimenta addiſcenda compellitur. Vir erat Silentius animo agreſtis, auſterus, & ad omnem excandeſcentiam paratus: quo fiebat, vt facile, & leui quâcunque ex cauſâ Felicem obiurgaret, iniurijs oppeteret, ſæpeq; verberibus cæderet. In has verò animi furias, eò magis prodire videbatur, quod Felix hoc tempore tres hebdomadæ dies ſolo pane, & aquâ contentus ieiunare ſoleret; ſtudioſiusq; orationi vacaret: quapropter, cum ſæpè refectionis tempore, ſe ab alijs ſeiungeret, vt ieiunio, ac orationi incumberet, id Silentius tam ægrè ferebat, vt crebris eum pugnis, & verberibus peteret. Accidit autem, vt ſemel cum fratre, columbarij alicuius ædificationi operam daret, quo tempore ſua de more ieiunia, & orationum tempora obſeruabat, quem cum Ludouica quædam virgo ſæpè ieiunantem, ac frequenter orantem animaduertiſſet; cibos, quibus veſci in Quadrageſimâ licet, illi interdum parabat: cùm ille reſpueret, mirabatur Ludouica adoleſcentis pietatem; atq; eò magis, quod cum eo audiente, interdum Dionyſium Carthuſianum de quatuor nouiſſimis legeret; Felicem ita ex legentis ore pendentem cernebat, perindè ac ſi ab eâ cœleſte quoddam oraculum perciperet. Sæpè itaque cùm vel de Paradiſi gaudijs, vel de inferni pœnis, aut extremo iudicio à Ludouicâ lectio repeteretur, eâ tantoperè Felicis animus aliquando permotus fuit, vt in hæc tandem verba prorumperet: Quid agendum, ô Ludouica, quando res tantâ ſeueritate examinantur? Ad eremum fugiendum, & Eremitarum vita amplectenda. Cui Ludouica: Quid Eremitas commemoras? Tibi ad Capucinos, non ad Eremitas eundum. Nunquam Felix Capucinos, aut viderat, aut agnouerat; quare cum illa Capucinorum vitam, mores, Religionemq; deſcripſiſſet, vehementer Felicis animus in eos accendi cœpit: quo fiebat, vt frequentiùs de Capucinis cum eâ verba faciens, huiuſmodi tandem Religionis amplectendæ propoſitum, Deo auctore inſpiratum animo conceperit, ac poſt paruum tempus ſub Seraphini nomine in eâ militare cœperit. Cùm autem Ludouicæ conſilijs, ac pijs hortationibus plurimum ſe debere agnoſceret, in grati animi teſtimonium, Nicolaum patrem, ac Pretruciam eius matrem, inter Beatorum agmina, in cœleſti patriâ triumphantes conſpexiſſe affirmat. Seraphinus igitur Seraphico habitu apud Capucinos contectus, bellum cunctis ſpiritus hoſtibus indicit. Quapropter carnem durâ primùm obſeſſione, atq; annonæ ſubtractione premens, tanto abſti-

nentiæ vigore corpus extenuat, vt prꝫter illa trium dierum cuiuſlibet hebdomadꝫ ieiunia, quæ ſolo pane, & aquâ etiamnum adoleſcens celebrare conſueuerat, omnes B.P.N. Franciſci Quadragenas, quæ omnem ferè anni circulum complectuntur, nullo prorſus in veſpere fructuum eſu, aut potu adhibito, obſeruaret. Verùm ex panis & aquæ inediâ, quam diu proſequutus eſt, cum eam corporis cachexiam contraxiſſet, quâ ſanguinem ſimul cum lotio effunderet: ita ab eâ abſtinuit, vt illam ſolemnioribus duntaxat quibuſdam vigilijs repeteret; cꝫteris verò diebus ſolâ pulte contentus, quam cinere etiam ſæpiſſimè aſpergebat, ab omni, ſiue carnis, ſiue piſcium obſonio ſe continere conſueuerat. Eam is ſibi in quotidiano ferè ieiunio panis menſuram ſtatuerat, quæ dimidiatum panem non excederet; Pauli primi Eremitꝫ potiſſimùm exemplo permotus, cui Deus dimidiatum duntaxat panem corui operâ miniſtrabat. Verùm annonæ penuriâ graſſante, dimidiatum panem, ad quartam partem contrahere ſolebat. Inter hæc tamen, nec triſtis, nec ſatyricus, aut ſeuerus aliorum cenſor vnquam viſus: graui enim quâdam vultus hilaritate, cui & charitatis benignitas coniuncta erat, ita aliorum animos refouebat, vt omnium etiam infirmitatem ſuſtineret. Neque ſatis illi erat carnem durâ abſtinentiꝫ obſidione circumcinxiſſe, niſi quoq; auſteritatis telo confoderet. Quapropter, aſperrimo illam diu, noctuq; cilicio premit, ac tam duris quotidiè verberibus cædit, vt totum circum circa ſolum illius ſanguine conſpergeret. Generoſus ſiquidem Chriſti miles, cum ex clauorum acuminibus ſibi flagellum conſtruxiſſet, abſque hoſtis ſanguine è prælio diſcedere inhoneſtum ducebat. Nullum denique tam durum, & aſperum auſteritatis genus erat, quo proprium corpus, quod aſinum appellare ſolebat, aſini inſtar non afficeret. Hinc tam rigidus paupertatis cultor euaſerat, vt rebus, non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem, ac velut vi quâdam adductus vteretur. Habitus enim, dummodò corpus tegeret, atque honeſtati inſeruiret, ſufficiebat, illumq; multis ſegmentis reconcinnatum ad extremam vſque vetuſtatem geſtare conſueuerat. Cæterùm, vt integrum, ac perfectum paupertatis exemplar præ ſe ferret, cellam, non quæ clarior, aut illuſtrior, ſed quæ obſcurior, quæ pauperior eſſet, quæque cꝫteros deterreret, ſibi ſemper eligebat: quâ potius ad paupertatis fragmenta, quæ paſſim in Conuentu colligebat, reponenda; quàm ad habitationem, aut ſolatium vtebatur: in quâ tametſi lectulus eſſet, humi tamen ſæpè cubans, in eo perrarò quieſcebat. Quod ſi eo

interdùm ad quietem vteretur; non iacens, ſed ſedens, ſcamno capiti ſuppoſito, breuem ſomnum capiebat. Propriæ quoque voluntati tam acre bellum intentabat, vt poſt ſolemne votum, nullus in eo ſenſus, quo ea viuere, aut vigere agnoſceretur in Seraphino vnquam deprehenſus fuerit. Mos erat Seraphino in diebus ieiunij, ab veſpertinâ ſemper ſe refectiunculâ abſtinere: quem cum iam ab exordio obſeruaſſet; hunc quadraginta annorum ſpatio nunquam deinceps interceperat. Contigit verò, vt in Conuentu Montis Filatrani Guardianus de ipſius obedientiâ periculum facturus, quo tempore reliqui Fratres ieiunij tempore, fructibus in Refectorio veſcebantur, abſentem Seraphinum accerſiri iuſſerit; quandamq; dapſitici panis, auellana, & ſaccharo conditi, illi portionem comedendam obtulerit. Quid Seraphinus? Non antiquam abſtinentię conſuetudinem, tot annorum pręſcriptione firmatam; non intempeſtiuum Guardiani impěrium; non alta animo reuoluit: ſed vix iubentis voce, voluntateq; perceptâ, ſaccharatum panem guſtat, comedit, totum abſumit. Quo fit, vt prompta illi animi obedientia, magis Guardiani, & Fratrum mentes, quàm diuturna illa, & voluntaria multorum annorum abſtinentia ædificauerit. Rurſus cùm in Aſculano Conuentu Guardianus, vt illius obedientiam probaret, nouum illi habitum, quem indueret obtuliſſet, eoq; Aſculanam vrbem, in quâ quotidianam ſtipem exigebat, circumire iuſſiſſet; grauior quidem hæc illi res viſa fuit, qui obſoleto, ac interpolo hactenùs ſemper habitu vſus fuerat, at leuem obedientia pręſtitit: nec quicquam enim Superioris pręcepto reluctans, vrbem adit, & vicos circumit. Guardianus verò, cùm ex promptâ obedientiâ diuino illum ſpiritu ductum intelligeret, ad priorem illam habitus paupertatem redire permittit. Quamuis autem caſtitatis prœlia duriſſima eſſe ſoleant; id tamen Dei potiſſimùm dono, cum Seraphino actum eſt; vt qui ab ipſâ ineunte ætate, caſtitatis hoſtem necdum pugnantem, ſeuerioris abſtinentiæ armis ſibi ſubiugauerat; nunquam deinceps reluctantem, ſed ſubiectum ſemper habuerit; primumq; virginitatis florem, quem à natiuitate tulerat; perpetuum & incorruptum vſq; ad mortem ſeruauerit. Tam ſeueram nihilominùs oculis cuſtodiam adhibebat, vt nullius vnquam mulieris vultum intueretur. Tantâ quoque ſui ipſius agnitione, tam vili exiſtimatione, tantâ deſpicientiâ, tantâ abiectione, tantâ denique proprij neglectus cupiditate, omnem animi ſuperbiam perſequebatur; vt perpetuo, atq; inſatiabili horum appetitu eſuriret. Hinc cum à Fratre quodam aliquandò

illi per faſtidium diceretur: Faceſſe quamprimùm hinc, habitus enim tibi grauiter fœtet. Mox Seraphinus: non habitus tantùm; ſed & animus intus peſſimè olet. Alias à Cardinali Aſculanæ vrbis Epiſcopo ad prandium inuitatus, quo ab omnibus irrideretur, cùm in ipſo prandij initio, bina oua illi abſorbenda allata fuiſſent; is vt ſe rudem, & agreſtem oſtenderet, ouum abſorbere ſimulans, illud ſibi in barbam, & mentum defluere ſinit: Rurſus præter morem, liquidam pultem, aliosq; cibos fuſcinulâ carpens; quaſi qui nobilium vrbanitatem imitari vellet; ſæpè vacuam fuſcinulam ori admouebat: quæ cum omnibus riſum excitaſſent, is optato fine potitur. Cùm etiam ſemel à ſæculari quodam viro, qui ab eo tot miracula patrari audierat, his verbis exciperetur: O te Beatum Seraphinum, qui nunc ſemper cum Deo verſaris, ac certa deindè in cœlo præmia expectas! mox ille dictum expuens. Quid me Beatum prædicas, inquit, num peccatorum maximus beatus eſſe poteſt? vtinam mihi purgatorij pœna, ad extremum vſque iudicij diem, toleranda à Deo adiudicaretur; quantæ à me Deo gratiæ haberentur. Miracula verò, quæ paſſim Dei virtute ab eo patrabantur, ne peruulgarentur, acrioribus interdum verbis, aliquando lepidis impedire conabatur. Iræ quoque impetum, & perturbationem ita extinxerat, vt columbâ mitior, quæ felle carere fertur, cuiquam iraſci, aut iræ ſenſum prodere penitus neſciret: Hæc porrò patientiæ virtus, quandoquidem in Seraphino tam præclara fuit, vt illum Deus ob id potiſſimùm elegiſſe videatur, vt in eo omnem patientiam oſtenderet, nonnullis rerum ab eo geſtarum exemplis illuſtranda eſt. Id Seraphinus, haud abſque Conditoris conſilio, ſecum à natiuitate tulerat, vt ijs naturæ donis careret, quæ hominem ad quælibet rectè agenda aptum efficiunt. Hinc magna, & quotidiana illi exercendæ virtutis occaſio exoriebatur: cum enim familiarum Præſides, illum, & ad domus miniſteria præſtanda gnauum, & ad propria munera accuratum expeterent; crebris eum correptionibus excitare, iniunctis pœnitentijs exagitare, verbis illudere, in fabulam vertere ſolebant, ita vt nullum ferè illi tempus à vexatione vacuum eſſet. Neq; id vnius, aut alterius anni ſpatio cum eo actum eſt: ſed cùm ad trigeſimum & quadrageſimum vſque annum aſperis huiuſmodi ita examinatus fuiſſet, vt patientiæ martyr nuncupari poſſet; nunquam tamen; à primâ illâ animi tranquillitate immutatus, idem ſemper, ac imperturbatus apparuit, atque adeò hæc voluptuosè excipiebat; vt cùm à Superiore grauiori aliquâ pœni-

tentiâ

tentiâ plexus eſſet, eâ peractâ, velut ſummâ lætitiâ geſtiens, proſtratus, illius pedes oſculabatur, ſæpeq; in hæc verba prorumpebat: Sic, Sanctule mi, ſic fieri debet. Deus tibi pro tanto beneficio gratiam reddat. Ex quo deniq; tam præclara à Deo dona conſequutus eſt, vt inde illi totius ſanctimoniæ fons, & ſcaturigo emanauerit. Hinc tam ſingularis patientiæ virum, cum quidam commendari audiſſet; Satanæ ſpiritu concitatus, quaſi ipſius patientiam probaturus, manu, plumbeâ laminâ armatâ, tam graui ictu nudum caput ipſius oppetijt, vt ſtupidum, atq; à ſenſu ferè alienum prçſtiterit: at Seraphinus cumprimùm à ſtupore ſibi redditus fuit, riſu illum excipiens: ô Sanctule, Sanctule inquit, (hæc enim vox illi familiaris erat) tibi Deus benedicat. Eâdem quoque in alterum, qui haud leuem illi colaphum impegerat, patientiâ vſus; quàm longè animum ab iracundiâ, nedum irâ alienum poſſideret, apertè oſtendit. Nec mirum, prioribus enim à ſuâ conuerſione annis, quibus necdum perfectum patientiæ gradum conſcenderat, cum à quodam Guardiano, qui eum ad ſcoriam vſq; examinandum ſuſceperat; creberrimis increpationibus, & correptionibus exagitaretur, grauiter animo affligebatur. Satanæ quoq; tentatio accedebat, qui Eremiticam vitam, ob ſuam in mechanicis rebus ineptitudinem, meliorem, & tranquilliorem illi fore perſuadebat. Quamobrem grauius aliquando his Guardiani, & Satanæ tentationibus pulſatus, in Eccleſiam ſe confert; atq; ante ſacræ Euchariſtiæ altare cum lachrymis proſtratus, animi ſui anguſtias Domino aperit, atq; ab eo ſuppetias poſtulat. Porrò clementiſſimus Dominus, qui ex eo admirabile patientiæ vas effingere decreuerat, hac illum cœleſti voce alloquitur: Seraphine, quid de aſperis, quæ tibi contingunt, conquereris? Ea tibi haud ſine meo conſilio accidunt. Si mihi placere, ac famulari cupis, tuiipſius abnegatione, ac rerum aduerſarum tolerantiâ, demùm Crucis viâ tibi progrediendum eſt. per quam ſi perrexeris, nunquã meum tibi auxiliũ deerit. Quamobrem, cum à Satanâ, qui poteſtate à Deo acceptâ, multis illum modis exagitabat, verberibus aliquandò cæderetur, eidem Seraphinus; cæde Satan, (aiebat) cæde, ne parcas: carnem enim mihi inimicam caſtigas. Plurima alia ipſius patientię exempla prętereo, quæ ex repentinâ malorum incurſione, quæ illi ſæpè accidêre, colligi poſſent, in quibus mira illius patientia enituit. Illud tamen prætereundum non eſt, quod cum ſibi in more poſitum haberet, vt quoties graui aliquâ iniuriâ, aut contumeliâ à quopiam afficeretur, ex ſeptem corollis, quas ſibi ex omnibus Dominicæ Paſſionis myſterijs colligerat, vnam

pro eo Domino perſolueret; contigit aliquando, vt pro quodam Guardiano, qui præter omnem modum eum pœnitentijs onerauerat; corollam ardentiùs in Eccleſiâ recitaret: quo tempore Domini vocem, hæc ſibi dicentem audit: Seraphine, tua hæc mihi oratio, quâ me ex animo pro ijs, qui mala tibi inferunt, rogas, tam grata eſt; vt quæcunque à me deinceps poſtulaueris, accipias. Hinc mirum planè, quàm ſtrenuè, quàm ardenter, quamq; indefeſsè pro fraternâ charitate pugnaret. Tantâ in pauperes liberalitate ferebatur, vt in Aſculano Conuentu, à Superiore quodam corriperetur, quod nimia ipſius in erogandis potiſſimum oleribus in pauperes liberalitas, in familiæ damnum redundaret; mox Seraphinus: Ne te (inquit) Pater olerum penuria ſollicitet; abundabunt olera; nec vllum familia detrimentum patietur. Res planè miraculo plena tunc viſa: cum enim occidente ſole, oleribus maiori ex parte præciſis, hortus vacaret; manè elucefcente, hortus tot oleribus vireſcebat; vt nullam vnquam inciſionem paſſus videretur. Hoc quoque modo, cum ab altero Conuentus Guardiano, quædam Seraphino horti portio conſcripta eſſet, quam ipſe conſereret, herbasq; pauperibus erogaret; inſudabat alterius horti culturæ omni diligentiâ proprius Fratrum hortulanus; olera purgabat, fimo confouebat; omne denique in his ſtudium, ac laborem impendens; haud tamen illorum incrementum aſſequi poterat: cùm Seraphini hortulus, nullâ ipſi culturâ adhibitâ, nullâ irrigatione, nullâ arte, nulloq; ab eo exantlato labore, tot braſſicis, ac oleribus quotidiè turgeſcebat; vt quo plura ab eo metebantur, eò plura excreſcerent. Vir adeò pauperum amator erat; vt cùm quæſtuarium munus exercens, panem in vrbe mendicaret, in eos tam liberalis eſſet; vt niſi ſocius obſtitiſſet, pane vacuus ſæpè domum redijſſet. At annonæ caritate vrgente, mediam potiùs ſibi panis portionem detrahi æquum putabat, quàm quod ſuo pauper ſubſidio defraudaretur. At non ad pauperes tantummodò, ſed ad vniuerſos, hac Seraphinus charitatis plenitudine effundebatur, ita vt omnia omnibus, vt omnes Chriſto lucrifaceret, efficeretur. In Aſculano Conuentu; cum familiâ, cuiuſdam noſtri Ordinis Sancti peruigilium, nullâ tamen lege præceptum, ex deuotione obſeruaret; Guardianus eo tempore quodam virium deliquio laborans, cœnâ ad naturæ inſtaurationem indigebat: qui cùm propter imbecillium ſcandalum à cœnâ abſtinere decreuiſſet, id Seraphinus animaduertens, charitatis fraudem meditatus Guardianum adit, refectioneq; ſe indigum ſimulans, tot mira arte com-

pacta verba componit; vt illum ſibi cœnæ ſodalem in Refectorium adduxerit: vbi dum ſe in miniſtrandis Guardiano cœnanti cibis ſollicitum præbet, Guardianus quidem neceſſariâ ſua refectione fruitur; is verò vix vnâ, aut alterâ panis buccellâ acceptâ, incœnatus recedit. Atque hoc ſæpè cum alijs quoque charitatis ſtratagemate vſus (quod & B.P.N. Franciſco olim familiare fuiſſe legimus) hinc quam perfectam animo charitatem gereret, facilè cuique perſpectum eſſe poteſt. Tam perfectæ mentis puritati, & vitæ innocentię Seraphinus inuigilabat; vt non modo grauiora crimina, ſed & minora tam graui odio proſequeretur; vt quamuis humanę naturæ imbecillitas, pro huius vitæ ſtatu, his omninò carere non poſſit; voluntarijs tamen, atque agnitis, nunquam in animo locum daret. Quapropter à nobili quadam muliere nunquam adduci potuit, vt leui quodam mendacio, cuiuſdam factum, ſub cuiuslibet vtilitatis prętextu; excuſaret. Cui mulier: Quid amplius, inquit, quam veniale peccatum eſt? At Seraphinus: An parum (inquit) tibi eſſe videtur? ita me Deus amet, quod ſi totus mihi mundus pretij loco appenderetur, dummodo huiuſmodi delictum, ſub qualibet boni, aut recti alicuius ſpecie patrarem, eo, & maiori pretio contempto, ab eo refugerem. Num id leue exiſtimas, quo Deus etiam in exiguo contemnitur; quo Spiritus ſanctus contriſtatur; quo charitatis feruor deperditur; quo tandem animus labefactatur, & ad pietatis opera pręſtanda grauior redditur? Equidem ſi tantillus cœleſtis, ac benigniſſimi in nos Patris amor animum pungeret, quî fieri poſſet, vt in id vnquam quis ſpontè conſilium propenderet, quo vel leuiter eum offenderet? His aliiſque quamplurimis, cùm improbam mulieris poſtulationem repreſſiſſet, integram animo innocentiam retinuit. Vir denique tantâ mentis puritate prędìtus fuit; vt qui ipſius confeſſiones excipere ſolebant, æquam plerumq; ſacræ abſolutioni in eo materiam non offenderent. Sanctæ orationis, ac diuinę contemplationis ſtudio tam aſſiduè inuigilabat, vt quamuis ab eâ nunquam vacaret, ad tertiam tamen vſq; noctis horam in Eccleſiâ perſtaret: tum breui, trium circiter horarum, ſomno ſibi conciliato, ad Horas Matutinas exurgens, orationem iterum ad lucem vſq; pertraheret: quo tempore frequenter à ſenſibus alienus, diuinis amplexibus inhęrebat. Cumq; aliquãdo ad quorundam morientium curam cũ Sacerdote miſſus, totam noctem in oratione duxiſſet, diem haud ſecùs, quã ſi longo ſomno potitus eſſet, in cõſuetis domus miniſterijs inſumebat. Hoc modo & in ſacræ Lauretanę domus ſacello, oratione

aliquando primâ luce in veſperum perductâ, ne quidem ab oratione ceſſaſſet; niſi à ſacræ Domus cuſtode ab eâ tandem auocatus fuiſſet. Eandem quoq; orandi conſuetudinem, cùm iter faciens, in ſæcularium domibus obſeruaret, dum ſemel ſeorſim in cubiculo orat, candida quædam columba circa ipſius caput volitans conſpicitur, quæ puram, ac diuini ſpiritus donis cumulatam ipſius animam indicaret. In Aſculanâ vrbe, cum iterum ſeorſim in cubiculo oraret, in ecſtaſim tollitur, poſt horam verò ad ſenſus rediens, cœleſtis Seraphini inſtar, vultus ardens conſpicitur. Rurſùs in Aſculano Conuentu, cum Vir Dei vbique conquęſitus, minimè reperiretur; eum tandem in horto oculis in cœlum erectis ſtantem, diuinâque ecſtaſi fruentem offendunt. Atque hæc quidem de illius orationis aſſiduitate. Quod enim ad ipſius apud Deum vim, ac robur ſpectat, haud facilè explicari poteſt, quot inde morborum curationes, quot miracula, quot prædictiones, quotque cœleſtes viſiones, quæ paulò poſt explicanda erunt, proculdubio emanarint. At ſingularis ipſius in Dæmones virtus enituit, quibuſcum tam ſtrenuè manum conſeruit, vt ijs etiam ignauiam exprobraret. Quot verò is à Satanâ infeſtationes, minas, verbera, præſertim orationis tempore, ſuſtineret, haud facilè eſt referre: ſæpè enim dum Aſculi orat, à Dæmonibus arreptus, in quandam S. P. N. Franciſci ædiculam, quæ in horto conſpicitur, deportabatur: vbi, dum eum diriſſimis plagis afficiunt; is illos his verbis prouocans, aiebat: cædite Dæmones, quid tam ſegniter opus veſtrum expletis? cædite, meas enim partes agitis, dum domeſticum meum hoſtem verbere perſtringitis. Orabat aliquando Aſculi Seraphinus, dum cœleſti Beatiſſimæ Virg. ſibi in aëre apparentis, conſpectu dignatus, tanto ſpiritus æſtu in eam ferri cœpit, vt toto corpore in aëra attolleretur. At inuidus Satan inſaniâ furens, vt eam ſpiritus voluptatem interciperet; per pedes arreptum, vi illum ad ſe attrahere nitebatur, quod cum aſſequi minimè valeret, ſuâmet rabie torquebatur. Alias quoq; in aëra ſublatum, ſolo allidere contendit: cumq; his, ac plurimis alijs Seraphinum infeſtationibus impeteret; is cunctos hoſce Dæmonum impetus, ſuâ ita patientiâ eludebat, vt maiores illis ſuâ oratione plagas inureret. Hinc tartareis ſpiritibus tam formidandus euaſerat; vt qui hominum corpora obſidebant, cùm illius præſentiam ferrè non poſſent, ab eo quam longiſſimè aufugerent, & ab obſeſſis corporibus diſcederent. Cùm verò potiſſimus, ad quem Seraphini oratio ferebatur, Dominicæ Paſſionis meditatio, ſcopus

eſſet,

eſſet,eam in quadringentas partes ſeu puncta diſſecuerat, ſeptemq́; ex his corollas,ſexaginta tribus cuique myſterijs aſſignatis compoſuerat; quas per ſingulos hebdomadę dies diſtributas, ſibi meditandas propoſuerat. Has tantâ animi compunctione, ac diuini amoris æſtu recitare ſolitus erat, vt in his magnam ſemper lachrymarum vim perfunderet. Nocte quadam ante Matutinas horas in Eccleſiâ orans,cùm neminem adeſſe putaret, ea Hymni: Stabat mater doloroſa,&c.verba pronuncians: Tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati,pœnas mecum diuide. In tam ingentem fletum erupit, vt nullum lachrymis finem daret. Quo tempore Domini mors,& ſepultura,piâ ab Eccleſiâ memoriâ celebratur; ſacellum in quo Chriſti corpus tunc reconditur, cum alijs ante diem Paraſceues ingreſſus,ab eo nunquam deinceps recedebat, quoad abſolutâ myſterij illius memoriâ,inde Chriſti corpus poſtridie aſportaretur. Tam ardenti erga ſacram Deiparam religione ferebatur, vt MARIAM ſibi poſt Filium apud Deum Mediatricem, Patronam, & Dominam conſtitueret, hanc diligeret,hanc veneraretur,hanc animo amplecteretur,in hanc vniuerſa illius vota conſpirarent. Si quid gratiæ, ſi quid virtutis, ſi quid diuinæ lucis, ſi quid donorum à Deo expeteret; MARIÆ interceſſioni ab eo impetrandum committeret, qui totum nos per MARIAM habere voluit, atque è regione, quidquid Deo offerre pararet, illud MARIÆ manibus offerendum commendaret, vt Deo gratum eſſe poſſit. Tantam denique ex eâ in nos gratiarum plenitudinem profluere agnoſcebat; vt cum nunquam Bernardum legiſſet; Bernardi tamen ſpiritum adeptus, ſæpè in hæc verba prorumperet: Tolle hoc ſolare corpus, quod mundum illuminat; vbi dies? Tolle MARIAM hanc maris ſtellam: tolle portam hanc lucis fulgidam: tolle conſurgentem auroram: tolle vt Sol electam, ex quâ diuinæ in nos lucis radij effluunt: quid niſi caligo inuoluens, ac denſiſſimæ tenebrę mortalibus relinquuntur? Tolle denique matrem, vbi filiorum lętitia? Hinc vniuerſos ad Beatiſſimæ huius Virginis cultum, & venerationem,quibus poterat verbis, prouocabat. Quamobrem cùm virum ſibi familiarem aliquando graui ærumnâ vexatum, ad opem Beatiſſimæ Virginis implorandam excitare vellet, eam ſibi nonnullis tentationibus afflicto aliquando apparuiſſe aperit; cuius ſolo aſpectu ita animo recreatus fuit, vt ab eo omnis ſtatim tentationis afflictio propulſata fuerit. Porrò hæc dicens, tantâ, mox ex illius memoriâ, ſpiritus voluptate efferri cœpit, vt velut ebrius in hæc vehementiùs verba erumperet: O quale

cordis gaudium! ò qualis voluptas! His tandem, cùm ſumma illius in Euchariſtiæ Sacramentum religio accederet, eò fiebat, vt quotidie fermè diuino illo pane refectus, tantâ in huius Sacramenti contemplatione mentis voluptate frueretur, vt in eâ pleraque horarum ſpatia inſumeret; ac ſæpè in mentis exceſſum raperetur. Hinc tam ſingulari Domini ſacerdotes veneratione proſequebatur; vt cùm ex his aliquem in vrbe obuium haberet, protinùs negotio omni intermiſſo, ad eum pergens, illius manus exoſcularetur. Cum verò Aſculi vrbis quidam Sacerdos, leprâ infectus, ſacra myſteria celebraret; id Dei ſeruus ægrè ferens, illum ſuâ oratione à leprâ curat, tamen ex humilitate, miraculum herbæ perfricatione celat. His igitur de Seraphini virtutibus, quibus ſibi apud Deum gratiam, & vitæ ſanctimoniam comparauit, vtcumque prælibatis; ad cœleſtia dona illi diuinitùs collata accedo, quibus D. O. M. præclaram vitæ ipſius excellentiam, eo adhuc ſuperſtite, apud homines teſtatam eſſe voluit: quæ cum partim cœleſtibus viſionibus, & abditiſſimarum rerum agnitione; partim certâ rerum futurarum prædictione, ac ſignorum opere comprehendantur; de his ſingillatim, quemadmodum ex proceſſu conſtant, agendum erit. Primùm itaque, quod ad viſiones ſpectat, quandoquidem inter alias ſancti huius Viri virtutes, hæc in eo ſingularis fuit, vt & virtutes, & ipſa Dei dona, quibus ipſius virtus agnoſci poſſet, ſummo ſtudio occultârit, quod eximium ipſius humilitatis argumentum fuit; inde accidit, vt præter paucas duntaxat, quæ ob aliorum potiùs vtilitatem, ipſâ Dei charitate impellente, quam ſponte ex illius ore, conciſè tantum, ac minus integræ excidêre, aliæ permultæ haberi non potuerint. His igitur quæ ſuperiùs enarrata ſunt pretermiſſis; ad cœleſtis gloriæ pręmia conſpectanda ſe aliquando ſubuectum fuiſſe; vbi eos, qui dura pro Chriſto hîc patienter pertulêre, maximâ in cœlo gloriâ potiri aſſerebat; pio, ac familiari olim viro, vt ipſius dolorem leniret, aperuit. Pleroſque etiam hac vitâ functos, cum Chriſto regnantes conſpexit, inter quos Fr. Donatum à monte Granario, ex noſtris Concionatorem, & Fr. Iacobum Aſculanum, Laicum, viros omni virtute ornatos, enumerauit. Deianiræ Biciariæ, mulieri Aſculanæ, quæ pro defuncto filio ſacras Miſſas celebrari poſtulabat, reſpondit: iam defunctus Miſſarum ſuffragio non indiget; etenim à pœnis ſolutus ad cœli gaudia conſcendit: Cui illa; vtinam id mihi certum. At Seraphinus: Id (inquit) certiſſimum habe: hiſce enim eum oculis inter Angelos conſedentem conſpexi. Martium Conſtantinum Aſcu-

lanum,

lanum, Pomponię virum, qui ab hoſtibus interfectus, abſque Sacramentis deceſſerat, vxori tam conſtanter illum cœleſti gloriâ potitum confirmat, vt non credentem his verbis increpauerit: Cur tam ægrè ô Pomponia, ad id, quod certiſſimum eſt, credendum pertraheris? vtinam eò ego nunc liber concederem, vbi is iam de ſuâ gloriâ tutus requieſcit. Hoc ipſum & Ludouicę Biciellæ de matris defunctę gloriâ renunciat. Alexandri Santucij defuncti matrem, quæ filij obitum perpetuis lachrymis lugebat, de filij gloriâ tam certam reddidit, vt diem illi, quâ ex purgatorijs pœnis in cœlum euolauerat, ad amuſſim indicauerit. Vincentium Aſculanum, virum probum, cùm ad extremum vſque ſpiritus halitum, Vir Dei piâ hortatione proſequutus eſſet, animam à corpore ſolutam ad cœleſtia euolantem cernens: Iam, inquit, ſalua res eſt, Vincentius cœlum conſcendit. Præterea eidem quoque familiari viro, cuius ſupra memini, cùm aliquando ſe inferorum ſupplicia conſpexiſſe, ac permultos, quos viuentes nouerat, iis cruciatos eſſe indicaſſet; cuidam etiam Aſculanę mulieri, cuius nomen conſultò reticetur, quæ ad matris defunctæ ſuffragium, ipſius orationes poſtulauerat, reſpondit. Ne pro matre ſuffragia quæras; ea enim ad inferos, Dei iudicio, damnata, viuorum ſuffragijs iuuari non poteſt: tu ſatage, vt melioris vitæ curſum inſtituas, ac te cœlo dignam prębeas. Aliâ quoque Dei virum viſione potitum, Fr. quidam ex noſtris, qui ante Matutinas Horas in Eccleſiam deſcenderat, haud leuiter affirmat. Cum enim Eccleſiam ingreſſus, ſplendorem ſolis luci ſimilem animaduerteret, ſtupore perculſus, atque vnde is ſplendor erumperet, ignorans; Seraphinum orantem, ac ſolaris globi inſtar emicantem intuetur. At neque minori Dei dono, occultas ſæpè hominum cogitationes, & conſilia inſpectat. Aſculano cuidam iuueni, necem aduerſario ſecum in animo machinanti, cogitationes aperit, arguit, animumq́; totaliter ab eo crimine auertit. Duci cuidam peditum à Montisſancti oppido, qui multis criminum maculis anteactæ vitæ curſum labefactauerat, cùm oculorum lumine careret, à ſancto Viro cœcitatis curationem poſtulanti, occulta ſcelera ſeuerâ increpatione manifeſtat. Fr. Hieronymo Aſculano, ex noſtris Sacerdoti, cùm adhuc ſęcularis eſſet occultam Dæmonis tentationem pandit, illumq́; ab eâ liberat. Tantâ Vir Dei Sacerdotes reuerentiâ proſequebatur, vt cumprimùm ex his aliquem in viâ obuium haberet, illius manus, vt dictum eſt, deoſcularetur. Hinc cum Sacerdoti cuidam ſibi familiari honorem frequenter redderet, contigit,

vt cùm Sacerdos turpi ſe peccato aliquando maculaſſet, in eum Seraphinus incideret: quem non modo ſolito honore non excepit; verùm nec conſpectum quidem prçterijt; at quamprimùm mentem pœnitentiâ, & confeſſione expiauit, rurſus eidem occurrens, ab eo conſueto, vti prius honore afficitur. Per id tempus cum binç Aſculanæ mulieres, ab eo Crucis ſignum expeterent, vni quidem ſignum non inuitus exhibet; alteri verò, quæ occulto adulterij crimine tenebatur, ſignum proferre recuſat. Ad rerum futurarum prçdictiones, quæ ex lucis propheticç dono proficiſcebantur, venio: at cùm hæ tam multæ ſunt, vt ſuâ legentium animos multitudine obruere valeant, grauioribus explicatis, cçteras indicandas potiùs, quam exarandas cenſui. Turia quædam, mulier Aſculana, cuius cùm ob ſummam partus difficultatem ſalus omninò deſperata eſſet, cumprimùm à viro Dei Crucis ſigno obſignata fuit, ab eo quoq; futura illius intra dimidiæ horæ ſpatium incolumitas aſſeritur, quam mortuo fœtu emiſſo conſequutura eſſet. Nicolaus Clauaneus, Aſculanus, iam ſacro oleo inunctus, ad vitæ occaſum properabat; cum ad eum Seraphinus accedens: Nicolae, inquit, ne vitæ exitum pertimeſcas, longior tibi reſtat via, te priùs Deus Capucinum, quam mortuum vult. Res dictum comprobauit. Marco Antonio, nobili Aſculano, cui ſupremum ægrotantis funera parabantur, incolumitatem, diuturnamq; vitam pollicetur. Matthço Vallomeo, Aſculano, ſimul cum Hyacintho fratre, ac nonnullis propinquis ad Canyſiæ bellum proficiſcente, Perugina mater grauiter eorum pericula reformidans, quidnam de his ſperandum eſſet, à viro Dei aliquando percunctatur. Cui ille: Omnes (ait) in patriam ſoſpites redituri ſunt: vnus duntaxat Hyacinthus, ſtrenuè pro Chriſti fide decertans, Martyr occumbet. Poſt hæc, cùm Aſculana vrbs cçteros redeuntes recepiſſet, ex his ſolum Hyacinthum, generoſo cruore conſperſum, cœlum excepit. Alexandrinæ, Alſatię, Annibalis nobilis vxoris matris, ad mortem ægrotantis, non ſolum incolumitatem, imò ſaluam maſculum parituram prçnunciat, rei porrò euentus eò omnibus admirabilior viſus fuit, quò nemo eam prçgnantem ſuſpicabatur, neq; Alexandrina ipſa fœtum in vtero prçſenſerat. Lucretia Santuccia ægrotans, ad eum morbi ſtatum deuenerat, vt à Phiſicis vitæ illi tempus in ſequentem tantùm noctem protenderetur: quo tempore cùm Sacerdos ex noſtris animam commẽdaturus accederet, Seraphinus ei æream quandam Chriſti Crucifixi imaginem, quam ſecum geſtabat, deoſculandam offert, his verbis:

Lucretia, inquit, Deo gratias, hæc enim infirmitas tibi non ad mortem, ſed ad vitam erit. Eodem verò tempore, in altero proximo cubiculo, Lucretiæ vir leui morbo correptus, in lecto iacebat: cùm eò Seraphinus oculos conuertens: Non ſic ille, (ſubdit) qui in eo cubiculo ægrotat: is enim breui ex hac luce diſcedet. Quid pluribus opus? illa è mortis faucibus erura, incolumitatem aſſequitur: hic vix morbi limina attingens, ad mortem rapitur. Canonici Alacinæ Aſculani ſoror, cùm propter exceſſum, quem in malorum perſicorum eſu occulto patrauerat, in grauem morbum incidiſſet, Seraphinum rogat, vt diuinam illi clementiam exoret. Cui ille corollam, quam ex malorum perſicorum nucleis compactam gerebat, oſtendens, quænam illa oſſa eſſent, interrogat: vt illa morbi ſui cauſam, tametſi occultam, ſe non ignorare intelligeret, moxque illi (quamuis à Medicis certæ neci condemnatam) ſanitatem, ſeque priùs vitæ curſum confecturum pollicetur. Hoc modo, & Finisbæ Orlandiæ lethali morbo in partu laboranti, vitæ, ac partus incolumitatem: Hieronymo Ancillotto, Medico ad mortem ægrotanti; Conſtantiæ Roſatæ, cuius anima iam Deo commendabatur; Bernardo Honufrio hecticâ febre correpto; Pamphiliæ Aſculanæ, viri grauiter ægrotantis periculum formidanti; Smeraldæ Ricciæ iam neci à Phiſicis adiudicatæ; Octauij Bandini, S.R.E. Cardinalis fratri, quem tanquam mortuum deflebant; Geruaſiæ Firmanæ grauiſſimè ægrotanti; Marthę Paulluciæ à Ciuitellâ, diutino morbo laboranti; Caſertano Principi, graui morbo oppreſſo; Deloëriç Cinthiæ iam ſenſuum vſu deſtitutæ; Bibianæ, Lucę Thomaſini vxori, cuius iam ſalus deſperata erat; Cinthię à Monteflorum, Dominici Barlocij vxori diuino faſcino languenti, liberationem, ac ſoſpitatem pręnunciat. In Aſculanâ vrbe, Thomę Diamantis Mocconæ filio, breui cœleſtis regni ſedem occupaturum pręmonet. Vincentia, Iulij Coticoni vxor, geminas vno partu filias ediderat, quas cum Seraphini precibus commendaret, haud aliam ab eo, præter hanc vnam vocem extorquere vnquam potuit: Fruſtra rogas, Vincentia; geminę enim hæ columbę ſunt, quæ ad cœli nidum adſpirant. Nobilis quędam mulier à Montevlmi, cuius nomen ſpontè pretereo, cùm patrem diutino morbo laborantem, qui ob quandam illius inobedientiam, tam graui in eam irâ excanduerat, vt ne vllam quidem de eâ ſibi mentionem fieri ſuſtineret, ſæpè fruſtrà ſuâ humilitate, ac omnibus officijs placare tentaſſet, ad virum Dei confugiens patris duritiem aperit. Cui ille: Æquo animo eſto (inquit) quod tuum erat

Patri exoluiſti, Verùm id te minimè lateat, miſeram illam patris tui domum magnâ Dæmonum multitudine occupari: haud is diu viuet ſuperſtes; at quod magis deplorandum, vitam cum æternâ morte commutabit. Nihil prorſus inane dictum, cùm enim ille poſt annum morbo conſumptus, ad vltimam vitæ lineam perueniſſet, ſanctis Eccleſiæ Sacramentis expiari abnuens, ijs, qui ſacram illi peccatorum confeſſionem perſuadebant, ſe crimine quodam conſtringi reſpondet, quod nulli vnquam aperire valeret. Hoc modo inexpiatus, & abſque Sacramentis ex hac vitâ, ſupremo inferni ſupplicio perimendus, deceſſit. Marco Stabili, Aſculano, à Seraphino, num vel vxorem ducere, vel religioſam vitam amplecti deberet conſilium expoſcenti, ſubridens reſpondet: Neq; connubia (inquit) iunges, neque ad religioſam vitæ formam pertinges. Melioris nobis vitæ genus, Marce, quærendum eſt, quod apud Superos manet. Id verò haud ſecus contigit, Viro Dei hoc anno è viuis ſublato: Marcus verò paulò poſt, neque vxore, neque religione potitus, humana deſerit. Ripæ Tranſonæ, cum ob maſculi partum, Gradaſſi Bonominis Familiam maximâ lætitiâ perfuſam cerneret, ad ſocium conuerſus: O quàm breue (inquit) eſt mundi gaudium! puer namque vaporis inſtar ad modicum apparentis, celeriùs tolletur: res dictum ſubſequuta. Puer enim vix tertium, vel quartum diem vidit ſuperſtes. Aſtolphus Guilerius, Aſculanus, cum ſpinæ ventoſæ morbum in pede quinquennij ſpatio patientiſſimè tuliſſet, Seraphini ſibi apud Deum opem implorat: cui vir Dei: Adhuc pauliſper, Aſtolphe, patienter ſuſtine, ac tum lætus quieſces: Etenim S.P.N. Franciſci dies, quæ abhinc vix bimeſtre abeſt; finem morbis ac doloribus, ſimulq; vitæ imponet. Hæc Aſtolphus, cùm iucundè accepiſſet, ſe in illum diem parat, ac S. P. Franciſci præſentiâ ante mortem potitus, cum eo ad cœleſtia migrat. His & alij plerique accedunt, quibus vir Dei futurum prophetico ſpiritu obitum prędixit. In his ſunt Hieronymus, Baptiſtæ Paduani filius, infans; Proſper Biciarius Medicus, Aſculanus; Lucretia Carlina, cui & obitus horam, & omnia morbi ſymptomata pręnunciat; Alfeniæ, nobilis Aſculanæ filius, exul à patriâ; Lauræ Faſtoriæ Aſculanæ filia nubilis; Fabritij Comentati à Montegranario infans maſculus; Franciſcus Meliorius Aſculanus, cui & mortis diem, & horam pręſignificat; Federicus Ferrus, Canonicus Aſculanus; Eugenia Belalta, virgo honeſtiſſima; Bartholomæus à Corano; Semidea, Lucij Santini Aſculani filia; Ponſolini Fornarij filius; Franciſcus Sfortia, Aſculanus; Æmilius Archan-

gelus,

gelus, Aſculanus; Poliſſena Rocia Aſculana; Marchiſiana Valenda, Aſculana, quam in ipsâ Dominici Natalis nocte morituram prænunciat; Franciſcus Maria Laurus, à Loro; Ioſephus, Conſtantiæ Paradiſæ filius; Ioannes Andreas, Mecotij fabri lignarij filius, qui leui morbo laborabat; Vincentius, Roſatus, Dux Peditum, nec minimùm ægrotans; Blaſius Pelagallus à Monteflorum; Mulier quædam Aufidana; Henricus Maſſeus, nobilis Aſculanus; Angelæ Gualatæ à Ripâ Tranſonâ filius; Serena Picilla, Aſculana, cui & duarum duntaxat horarum vitæ terminum præſcribit; Maria Maciarella, Aſculana; Iulia, Ioannis Baptiſtæ Auricolæ Aſculani vxor, quæ plenâ incolumitate fruebatur; Beatæ Seglettæ filia quinquennis; poſtremò Octauius Crantillus, Aſculanus, quem poſtridie hinc emigraturum prædicit, cùm ſolis radij ad ægrotantis lectum pertingerent: quæ & ipſo rei euentu comprobata fuêre. Varijs quoque mulieribus, quorum aliæ fœtum diſcernere non poterant; aliæ, ne de prole quidem cogitabant; futurum diſtinctè partum præſignificat. Finisbæ Orlandiæ, Diamanti Mocconiæ, Balthaſinæ Aſculanæ, Sophoniſtæ Marci Antonij Squarillæ vxori; Vincentiæ Petrochinæ, Cardinalis à Montelparo nepti; Claræ Iubariæ Anconitanæ; Petræ Franciſcæ, Vincentij Poſentij vxori, prægnantibus, maſculum omnibus fœtum, quem ſuo tempore enituntur, prenunciat: Gaſparinæ verò Thomæ nobilis vxori, necdum prægnanti maſculum; Octauij Cetarelli nurui, quam anteà prægnantem maſculum parituram affirmauerat; plures deinde liberos eidem futuros prędicit. Sophoniſtæ, cuius ſupra memini, fœminam primùm, quæ ad ſeptimum duntaxat vſque annum vitâ comite peruentura eſſet; alteram quoque, quæ Deo ſub Monialis velo conſecranda eſſet: puerum denique qui ſacerdotio inungendus eſſet, enixuram prenunciat. Rurſus Petræ Franciſcæ, ac Mariæ Conſtantię Pectinellæ fœminę ortum: Arthemię Turrianæ, quæ omnem procreandę prolis ſpem abiecerat, quatuor eam maſculos enixuram, ſæpè confirmat. Hieronymę tandem, Ioſephi Maſſei vxori, quæ cum liberos procreare non poſſet, cùm Seraphino conquerebatur, huic vir Dei: Tot (inquit) liberi tibi futuri ſunt, vt ij tibi fortè faſtidium pariant. Nonnullis etiam necdum de Capucinorum vitâ amplexandâ cogitantibus Religionis ingreſſum prędicit. Inter quos fuerunt, Frater Iuſtus à Montevlmi, Picentis Prouinciæ, Fr. Ludouicus à Monteguidono, & Antonius Gabrielius à Morrouallis, alijque non pauci. Marfiſę, Chriſtophori

Boni, Aſculani, vxori, quæ diutinam viri abſentiam, abſq; vllo illius ſalutis nuncio, lugebat; futurum viri poſt tertium diem reditum, & pericula, quæ euaſerat, exponit. Angelicam à monte S. Pauli adhuc puellam, quæ viro Dei Crucis ſigno munienda à matre aliquando oblata fuit, ſuam Deo virginitatem conſecraturam prænunciat. Alia prętereà quamplurima prophetico ſpiritu præſignificauit, quæ ſi vniuerſa explicanda forent, ijs facilè lectoris animus defatigari, atque à lectione deterreri poſſet; inſtitutam igitur hactenùs in ijs conſcribendis breuitatem proſequens, ab ijs primùm exordiar, qui à varijs corporis doloribus ab eo diuinâ virtute curati fuêre. Primùm Raguſinæ, Verbij Philippi Aufidani vxori, graui decem annorum ſpatio capitis dolore cruciatæ, cùm Seraphinus manus capiti impoſuiſſet, eodem tempore ſoluto capitis dolore, nunquam eo deinceps vexata fuit. Criſpinus Chorus, Aſculanus, grauiſſimo crurum dolore correptus, cùm per bimeſtre ita eo cruciatus fuiſſet, vt ne ea quidem mouere poſſet, vt dolorem leniret, in plateam ſe deferri curat: vbi dum foliorum luſui cum alijs incumbit, en Seraphinus aduentans, folia ex ludentium manibus extorta dilacerat, ac minutatim diſcerpit; cæteriſq; qui colludebant, dilabentibus, ſolus Criſpinus crurum morbo præpeditus conſiſtit. Cui vir Dei: Criſpine, ſi nunquam deinceps te luſurum ſpoponderis, à crurum morbo te curandum ſcias. Illicò Criſpinus promptiſſimè pollicetur. Quà ab eo pollicitatione acceptâ, vir Dei mox crura manu contingens, ac ſigno Crucis communiens, ita illi ſana, & valida reſtituit; vt, qui eò aliorum ope delatus fuerat, domum pedeſter redierit. Angelica Aſcula vniuerſali corporis dolore, ac prætereà cordis palpitatione ita laborans, vt nullis remedijs leuari poſſet; ad Seraphinum tandem profecta; cum is æreâ quadam Chriſti Crucifixi imagine, quam Corollæ appenſam gerebat, totum illius corpus obſignaſſet; vbi aliquantiſper, cum eâ ante ſacrum Euchariſtiæ altare orauit, iterum ſigno Crucis munitam dimittit: quæ mox à corporis dolore, & cordis deliquio libera domum redit. Marcellina, Alomei Aſculani vxor, tam graui in ſiniſtro latere, dolore cruciabatur, vt cùm illi reſpirationem adimeret; ſæpe illam ingentes rugitus edere compelleret; quam cùm Seraphinus ſuâ Crucifixi imagine conſignaſſet, præterijt: at vix is terga verterat, cùm à dolore libera, incolumis ſurgit, & miraculum magnâ voce prędicat. Beatrix, viro Dei propinqua, integri anni ſpatio, ita à podagræ doloribus afflictata fuerat, vt nullâ quiete frui poſſet:

hanc

hanc cùm Seraphinus ſuâ Crucifixi imagine crucis ſigno munijt, dolorem fugat,eamq; à podagrę morbo deinceps liberat. Ab eodem quoq; podagræ morbo in oppido Montisgranarij, Mecotium Darium diu laborantem; & Philomenam Franciſci Brichi vxorem, à Cephalalgiâ,quam diu ſuſtinuerat,eodem modo perſanat. Fr. Antonius Cingulânus, ex noſtris concionator, cùm diuturno capitis dolore,quo etiam in ſæculo afflictabatur, laboraret; vix illum Crucifixi imaginem illi à Seraphino oblatam, quâ etiam ab eo in fronte obſignatus fuit, exoſculatur; cùm protinùs à capitis dolore liber, perpetuo ab eo cruciatu vendicatur. Fr. Virgilius Pacificus à Monterubiano, Minor Conuentualis, ab acerrimo manus, & brachij dolore, à viro Dei Crucis ſigno communitus, ſtatim à dolore conualeſcit, neque vnquam deinceps eo afflictatus fuit. Hoc pacto & Rochus Aſculanus ab vtriuſque brachij languore; Aurania, Ferrantis Palettæ Aſculani vxor, ab ſiniſtri humeri cruciatu: Ioanna, Scipionis Porfilij vxor, à brachij tumore, ac inflammatione: Vincentia, à lupinorum morbo, quo grauiter vexabatur; vterumque à partus anguſtiâ: Auguſtinus Siſſantius à manus dolore: Fr. Valerius à Ripâ Tranſonâ, ex noſtris Laicus, ab odontalgiâ: Polinix Tuffina Nouanenſis,à cephaleâ:Innocentius Pitiotus,à colico dolore; Vrbinia Aſculana, ab vberum tumore; Beata Sgarilia,& Martina,Aſculanæ mulieres, à diutino renum cruciatu; Bartholomæns à Loro,à morbo cachexiæ,Benedictus à Monteguidone,à ſpinâ ventoſâ;Iulia à Montegranario,ab vniuerſali corporis tumore;Fr.Bonauentura Maceratenſis, ex noſtris concionator, à cephalalgiâ;Lucretia Odoarda,à genuum imbecillitate,ac dolore;Aurelia,Petri Andreæ Nouanenſis vxor,à colicâ paſſione; Balthas Grimaldus à Montegranario,à totius corporis doloribus,ab eo Crucis ſigno, vt plurimũ ſuâ illâ Crucifixi imagine adhibito, perſanantur. His plagis, ac vulneribus affecti accedant, quos viro Dei, ſolâ Dei virtute ſanatos fuiſſe, ex proceſſu exploratum eſt. Flaminius Cinacius,Dux peditum,lethale vulnus in pectore receperat:cui cũ aurea fiſtula, ex quâ ſanies efflueret, ac vulnus, quod conſolidari non poterat, patefactum ſeruaret, à Phiſicis perpetuò in ipſo vulnere retinenda applicata fuiſſet, eo maximè æger cruciabatur: quapropter Seraphini aliquando præſentiam nactus, ab eo ſupplex poſcit, vt ſuâ oratione à Deo ſibi vulneris illius curationem exoret. Cui vir Dei: Quid (ait) te in hoc vulnere cruciat? Mox ille: Aurea fiſtula (inquit) quam in vulnere reconditam gero. At Seraphinus

ægro colludens: Aureane? (ait) nimis profectò ſuperbum vulnus, quod, niſi aureâ fiſtulâ ſaniem eructet, haud ſibi ſatisfactum eſſe velit. Verùm in Domino confide, Flamini: vulnus abſque fiſtulâ curabitur. Cumq; faſcijs, quibus vulnus obtegebatur, explicatis illud patefactũ fuiſſet; mox vir Dei ſuâ illâ Crucifixi imagine vulnus contingit, & Crucis ſigno obſignat. Vix autem Crucis ſignum ediderat, cùm ex ſe aurea fiſtula è vulnere erumpens, vulnus ita ad incolumitatem parat, vt quarto, vel quinto poſt die, abſque fiſtulâ perfectè curatum fuerit. Theodorus Taſſus Aſculanus, qui fiſtuloſo vlcere in dexterâ manu laborans, nullis remedijs iuuari poterat, eodem modo, perfectè mox ſanatur. Horatius Lauania, Cyrneus miles, pugione in ſiniſtro latere confoſſus, nullo remedio ad vitæ metam properabat; cui cùm Seraphinus pacem cum aduerſario inire perſuaſit; ſigno Crucis ſuâ Crucifixi imagine, vulneri adhibito, poſtridie è vulnere incolumis, è lecto ſurgit. Auguſtinus Imperacius, & ipſe Cyrneus, lethali vulnere per latera tranſuerberatus, ad Seraphini preces confugiens, ab eo ſigno Crucis, nudato vulnere, communitur: quo accepto, poſtridie è lecto incolumis emergit. Ioannettus, diu atrum in facie calcinoma tulerat: quo indies excreſcente, ac carnem depaſcente, cumprimùm Seraphinus illud ſuâ Crucifixi imagine ſigno Crucis muniuit, eum confeſtim diuinâ virtute perſanatum dimiſit. Hoc quoque modo Franciſcum à Monteſancto, & Æmiliam à Loro, à cancro eorum vultus deuaſtante: Dianam à Loro, manu captam: Portiam Nicolai Seraphini filiam, quæ caſu ſibi digitum ſolâ cute pendentem obtruncauerat: Cittam Victoriam Odoardam, à graui apoſtemate: Ioannem Camillum Arpinum Aſculanum, à lethali capitis vulnere: Balthaſarem Aſculanum, graui in capite vulnere ſaucium: Pyrrhum Valerianum peditum Ducem, à manus vlcere, quod in cancrum degenerabat: Antonium Vallomeum Aſculanum, à profundo humeri vulnere: Franciſcum Monſeum Aſculanum, à fiſtuloſo femoris vlcere: Ioannem Marinum decem annorum puerum, grauiſſimè ex lapſu in capite ſaucium: poſtremò Marcum Aurelium Spoletanum, Aſculanæ vrbis Gubernatorem; ab incurabili manus vlcere, diuinâ virtute curat: cum enim ad eum vir Dei pro reo quodam captiuo rogaturus acceſſiſſet, his eum verbis compellat: iam inter nos Seraphine, paciſcamur: ille delicto, ego graui in manu vlcere teneor: ſi tu me ab vlcere liberum præſtiteris; ille meo decreto abſolutus, è carcere emerget. Hoc pacto accepto, cùm vir Dei nonnulla Crucis ſigna vlceri adhi-

buiſſet;

buiſſet; vix ad Palatij gradus peruenerat, cùm Marcus vlcus perſanatum cernens, reum è cuſtodiâ liberum abire iubet. Iam ad claudos, & membris captos accedo. Primus Vincentius Potentia, altero crure ita captus erat, vt eo nonniſi difficillimè progredi valeret, qui cum Seraphini preces implorat. Quid, inquit, de crure conquereris? nulla cruri ægritudo eſt. Mox crus ſuâ Crucifixi imagine conſignans, liberum protinùs illi greſſum reddit. Salomeam, Lucretiæ Antonellæ trium annorum filiam, vtroque pede ita mutilam, vt neq; incedere, neque ſtare vllo modo poſſet, vlnis exceptam, cùm nonnullis ſanctæ Crucis ſignis communijſſet, humi reponens, eam iubet incedere: quâ liberè, perinde ac ſi nullâ crurum imbecillitate teneretur, progrediente; is celerem ipſius obitum prędicit. Virgo quædam à Coſiniano, à lumbis deorſum, ita membrorum vſu deſtituta erat, vt ne ea quidem mouere poſſet, cumq; nulla illi incolumitatis ſpes affulgeret, Seraphini precibus obnixè ſe commendat, quam vir Dei ſuâ Crucifixi imagine varijs in membris obſignans, his eam vocibus compellat: Surge filia, & ad ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum, Deo pro beneficio gratias actura concede. Protinùs illa, tibijs conſolidatis, & toto corpore incolumitati reſtituto, ad Altare procedit, ac pedeſtris, & incolumis domum reuertitur. Stephanus à Capite rivi, femore ſibi ex arboris lapſu confracto, cùm octo menſium ſpatio in lecto iacuiſſet, vix fulcris adhibitis, paulùlum progredi poterat, cùm Seraphinus Crucis ſigno, vti ſolebat femori impreſſo, ita illum in momento reddit incolumem, vt eodem tempore, proiectis fulcris, ſua per vrbem, greſſu liberrimo, negotia geſſerit. Petrus Manfredus à Montegranario crus ſibi ex caſu confregerat; quod cùm nullo remedio inſtaurari poſſet, in lecto iacebat; cuius cùm Seraphinus cruri Crucis ſignum impertit, eodem mox tempore perſanatur. Eadem prorſus Dei virtute, & Bernardi Aſculani, & Iacobæ Mantocij vxoris crura confracta; & Hieronymam Aureliæ Roſatæ filiam, membrorum vſu deſtitutam, & Ioannam Candodori, Aſculani filiam, altero crure mutilam; & Octauium Bandirium, S.R.E. Cardinalem, cuius crus confractum fuerat; & Theodoram Antonij Fraſſi vxorem toto corpore attractam; & Mariam Semideæ filiam, quæ nullo membrorum vſu fruebatur; & Marinum Dionyſium à Montevlmi, qui ex arboris lapſu, ceruicis ſibi os confregerat; & Theodoram à Montegranario ex caſu toto corpore confractam, in perfectam corporis incolumitatem vendicat. Venio ad cœcos, mutos, ſurdos, gibboſos, & incurabiles, qui ab eo

in Proceſſu curati leguntur. Dum vir Dei per Lori oppidum iter faceret, quædam illi mulier vtroq; oculo capta oblata fuit; mox vbi is ſuâ Crucifixi imagine obſignauit, toto ſpectante populo, lux illi reſtituta fuit. Puer quoque, aduenæ cuiuſdam mulieris filius, qui eovſq; cœcitate laborauerat, quamprimùm ab eo Crucifixi imagine ſignum Crucis oculis adhibitũ accepit, eodem quoq; tempore oculorum lumen recepit. Porrò admiratione dignum videtur, quod Ioſepho Ferranti à Loro contigit: qui cùm integrâ cœcitate laborans, Seraphini miraculorum famam percepiſſet; tantam erga virum Dei fidem animo concepit, vt ſe omninò à cœcitate curandum ſibi perſuaſerit. Quapropter cùm ſe ad virum Dei Aſculum perducendum curaſſet, eo in itinere lux ei à Domino, qui in ſe vberiùs confidentes ſuis donis præuenit, reſtituitur. Aſculi rurſus puerum, Felicis Melioræ filium, luce orbatum, orans, ac Crucis illi ſignum impendens, ad oculorum lucem reuocat. His pleriq; oculorum morbo grauiter affecti accedũt, quos vir Dei in integrã incolumitatem vendicat. Inter hos enumerantur, Maria Ioanna Aſculana, quæ fiſtulâ in dextro oculo iam diu paſſa fuerat. Conſtantia Patinella Aſculana, dextro oculo orbata: Citta Tucia, & Sanctia Orifila, puellæ Aſculanę ob boæ morbum lumine captæ: Ioanna à Montevlmi, Ioannis Marini vxor, ignis ſcintilla obcœcata. Inter mutos Maria quędam, Litprandi textoris filia aſſeritur, quæ cùm muta ad quartum vſq; annum perueniſſet, à S. Viro benedicta, & ſuâ Crucifixi imagine ſignata, linguæ vſum accepit. Æſij, viro Dei, quædam 10. annorum puella, Catharina Octauiana nomine, oblata fuit, quæ confuſo, & indiſtincto duntaxat vocis ſono eatenùs res indicauerat. Huius linguam cùm ſua Crucifixi imagine contigiſſet, eaq; Crucis illi ſignũ edidiſſet; IESV illam nomen proferre iubet, dein MARIÆ: quibus diſtinctè prolatis, clarè deinceps omnia proloquuta fuit. Eodem modo cũ per Montisſancti oppidũ iter faciens, ægrotum ſigno Crucis incolumitati reſtituiſſet, mutum prętereà deprehendens, altero Crucis ſigno linguæ impreſſo, diſtinctè loquentem præſtat. Eodem tempore Hieronymo Vico, 13. annorum Adoleſcenti, adeò ſurdo, vt nequidem Campanarum ſonum perciperet, crucis ſigno adhibito auditũ reſtituit: gibboſum quoq;, qui ita curuus incedebat, vt manu terram contingeret, eodem crucis ſigno, ad priſtinam corporis valetudinem reuocat. In incurabilium numero, primus Cæſar quidem Amuratus à Montegranario recenſetur, qui incurabili quodam faucium tumore laborans, à Dei ſeruo crucis ſignaculo communitus protinùs diuina virtute curatur.

Poſt hunc, & Sebaſtiani Rubei filius, incurabili fiſtulâ prope ſexum affectus: Aſculi Alexander Benedictus venereâ lue correptus: Aufidi Theodorus Adamus, leprâ conſperſus: in oppido Montisgranarij Antonella Commentata, ab vlcere incurabili: Nesba Belliſarij à Montefucino vxor: Vincentius Morus Firmanus: Iulias Blaſius Aſculanus, à ſtrumis: Hippolyta Aſculana, & Ioannes Baptiſtà Georgius, ab hydropiſi: Hisba, Proſperi Gennaſij vxor, à paralyſi: Citta Salomea, Vlyſſis Caualcauechij filia, Maria Pomilia Aſculana; Ludouicus Aſculanus, hoſpes diuerſorius, Paulus Vechiolus Aſculanus, à comitiali morbo: Balthaſar Merletus, Aſculanus, à phthiſi: in Lori oppido Baptiſta Paſſacantandus, à vermiculari morbo; à viro Dei, ſigno tantùm Crucis adhibito, perſanantur. His & moribundi, quorum iam ſalus deſperata erat, à Dei ſeruo, velut ad vitam reuocati ſuccedunt. Baptiſta Auricola, Aſculanus, febri acutâ, & colico dolore laborans, Medicorum ope, ſenſibusq; deſtitutus: Auguſtina, Marci Tullij Aſculani vxor, anginâ correpta, omniumq; Medicorum ſententiâ ad necem damnata: in oppido Montisgranarij, Margarita, Alphonſi Nuzzæ filia, cui agonizanti funera parabantur: Ritius, Mineruæ Aſculanæ filius, iam moribundus, quibus ſignum Crucis impertiens, breui cunctos ad perfectam incolumitatem prouocat. Demum Pandolfina, Vlyſſis Palmiſicani vxor, cùm ob diuturnam hydropiſin eò euaſiſſet, vt de illius vitâ omnem prorſus Phiſici ſpem abieciſſent; virum Dei ad ſe accerſitum rogat, vt ſitim ſaltem ſibi extinguere liceat. Cui Seraphinus, vbi eam Crucis ſigno communiuit, aquæ frigidæ vrnam adferri iubet; eamq; ſigno crucis benedicens, his eam verbis confortat: Eia, Pandolfina, iam quantum libet, bibe, ac ſitim extingue. Porrò eâ bibente, cùm domeſtici mortis potum eam hauſturam putarent; vix illa aquam hauſerat, cùm hydropico humore decreſcente, tantùm mox incolumitatis aſſequuta eſt, vt poſtridie incolumis è lecto euaſerit. Plerique alij à varijs morbis ab eo quoque perſanantur. Peracius Maciarellus, Aſculanus, acutâ febre tam grauiter ægrotans, vt de illius ſalute Medici deſperarent, huius viri Dei oratione, ad ſalutem reuocatur. Huius quoque filius, trium annorum puer, qui herniâ laborabat, ab eo crucis ſigno perſanatur. Theodoram Huitratam vultus quidam tumor, atque oris morbus inuaſerat: quo excreſcente, cùm vix liquidioribus veſci poſſet, ſigno crucis à Dei ſeruo accepto, mox ab vtroque morbo liberatur. Leonardus Riccus ſpinâ ventoſâ, ac inſuper vomicâ in femore laborans, eodem modo curatur. Syluester

Caponius, nobilis Aſculanus, graui anginâ correptus, à viro Dei Crucis ſigno in gutture munitus, repentè conualeſcit. Seraphinus, Marchiniç Amatæ filius infans, poſt aliquot ſui natalis dies, toto corpore in tumorem verſo, longioris fermè vitæ ſpem matri interceperat, cùm viro Dei ad illius opem accerſito, is ſimul atque infantem in matris ſinu conſpexit: Ne de puero (inquit) ſollicita eſto: viuet infans: & quem hic modo tumidum profert, tertius poſt hunc dies tibi incolumem reddet. Cumq; puero Crucis ſignum impertitus eſſet, is confeſtim oculos aperiens, cœpit conualeſcere; donec tertium incolumis diem aſpexit. Hac ipſâ Dei virtute, ac ſigno Crucis adhibito, Nisbam, Hieronymi Contei Aſculani vxorem, ab vberum tumore; Cittam Serenam, & Hieronymum Armellinum à quartanâ febri; Ioannem Franciſcum, Paridis Antonelli filium, boæ morbo periculosè laborantem; Cittam Auraniam, à labiorum deformitate, quam ex ſalſi humoris fluxu contraxerat; Ioſephum Petri Marini filium, à diutinâ febri, ac ſtrumis; Marchoniam Stabilem, Aſculanam, à formiculari morbo, & grauiſſimis membrorum doloribus; Adrianum Creſimelem à Loro, ab herniâ; & ab eadem Fr. Stephanum à Monteſancto, ex noſtris Laicum, & Ioſephum à Vena Villâ; poſt hæc Thomam Vandinum, ſculptorem Camerinenſem; Petrum Angelum Bononienſem: Fr. Ioannem à S. Elpidio, ex noſtris Sacerdotem, & Fr. Ioannem Baptiſtam à Montegranario, Laicum, Iſchidico morbo: Camillum Botrum à S. Victoriâ, ſpleneticum: Fœlicitam, à Scatino nouo, à diuturno capitis, & ſtomachi dolore, Franciſcum Caluiam, & Mariam Maruciam à Nouanâ, graui febre laborantes, reddit incolumes. Supereſt iam, vt cætera huius ſerui Dei miracula, quæ paſſim prçter ægrotorum curationes ab eo patrata ſunt, breuiter percurram. Florauantis Latini à Montevlmi vxor lacte carebat, quo infantem grauiter febricitantem aleret. Quapropter omnibus Phyſicorum remedijs fruſtrà adhibitis, vltimum à Seraphino quçritur; qui panem Crucis ſigno munitum, ad eum è Conuentu mittens, eo vxorem veſci iubet: cuius eſu, non modò vxor lactis copiam aſſequitur, verùm & infans à febre curatur. Hoc modo, & Maria Auguſtilia, Lucç Albertini vxor, & Tarſia, Cæſaris Iuntæ Aſculani vxor, lactis ab eo abundantiam accipiunt. Hippolytus, Silentij Seraphini fratris filius, veneficio dementatus, cùm trium annorum ſpatio, velut inſanus per varias regiones pererraſſet; tandem ad virum Dei perductus, ab eoq; ſigno Crucis in fronte munitus, ita à faſcino liber domum redijt, vt eo nunquam

deinceps agitatus fuerit. Pari modo & Auguſtinus à Luco, à faſcino, quo à Dæmone alligatus fuerat, à Dei ſeruo abſoluitur. Pecuarios canes aliquando in eum hiante ore, ac rapido curſu tendentes, Crucis ſigno ſilentes, ac pacatos reddit. Rurſùs, cùm Ciuitellâ digreſſus, Aſculum cum nonnullis ſæcularibus viris rediret, cæteris copioſo imbre, qui è Cœlo cadebat, madidis; is nequidem vnâ pluuiæ guttâ perfuſus in veſpere conſpicitur. In Aſculano Conuentu pane deficiente, arcam panariam ſuis meritis è Cœlo plènam accepit. His & alijs quam plurimis diuinæ potentiæ miraculis, quibus D.O.M. ſerui ſui merita, & ſanctimoniam vberrimè teſtabatur; cũ tam celebre in Piceno eſſet Seraphini nomen, vt quacunq; in Conuentus Familiâ degeret, ad eum ægrotantium turbæ confluerent, id potiſſimùm in Lauri Conuentu accidit, vbi tanta quotidie languentium, & ægrotorũ multitudo ante Eccleſiæ fores iacens cernebatur, vt parum ab illâ Hebræorum piſcinâ abeſſet: quibus cùm vir Dei ſuâ illâ Crucifixi imagine Crucis ſignum impenderet, omnes fermè à morbo curabat. Viro Dei aliquando per Montemvlmi iter facienti, tam ingens populi turba occurrit, vt vix è medio, pallio, ac habitu vndiq; obtruncato emergere potuerit. Hoc ipſum illi, cùm in Montisgranarij Familiâ conſcriptus eſſet, ſæpè contingere ſolebat, ita vt integros dies in ægrotis Crucis ſigno conſignandis, frequenter impenderet. Res quidem Fratribus ita moleſta erat, vt eidem Guardianus aliquando dixiſſe feratur, quod ſi diu ea confluentium multitudo, quâ ſæpè diuina officia perturbari contingeret; illis ferenda eſſet, obedientiæ præcepto illi miraculorum poteſtas, vt olim à B.P. Franciſco B. Petro Catanio ſublata fuit, cohibenda eſſet. Quamobrem, ne ea Conuentus familia diutius illam moleſtiam ſuſtineret, inde Aſculum migrat: vbi cùm diu moras traxiſſet, tanta in eum vrbis deuotio fuit, vt eum omnes velut cœleſtem hominem, & conſolatorem vrbi datum agnoſcerent: atq; is è regione, tam ſingulari vrbem illam beneuolentiâ proſequutus eſt, vt quam plurima in eam, tum publicæ pacis, tum mutuæ concordiæ, & curationum beneficia contulerit. Poſtremò vt perenne illi amoris ſignum teſtaretur, eidem corporis ſui exuuias perpetuò aſſeruandas reliquit: etenim cùm pleroſq; in eâ vrbe annos magnâ cum ſanctimoniæ laude duxiſſet; iam ſeptuagenarius, vitæ ſuæ occaſum, quem ſæpè anteà prænunciauerat, propinquum intelligens, vehementius orationi, ac rerum diuinarum contemplationi incumbere, iuuentutiſq; ieiunia, atq; aſperitates ad ſenectutis annos reuocare cœpit. Diu Seraphinus occultũ in pectore

morbum patienter tulerat, eo tamen adeò ingraueſcente, vt iam ſupremum illi interitum minaretur, illum tandem declarare cogitur. Nullum morbus exteriùs malignitatis ſignum prodere videbatur: quo fiebat, vt & Medicus, & Fratres haud tanti morbum æſtimarent, pridie tamen, quàm è vitâ Vir Dei diſcederet, quò diuinis Eccleſiæ Sacramentis frui poſſet, proximum ſibi vitæ occaſum inſtare luculentiùs aperit. Cum verò neque id aſſerenti Fratres crederent, vix tandem Sacra illi Euchariſtia per modum Viatici miniſtratur. Dies erat Viro Dei ſuprema, cùm is ſacro Domini corpore refectus, inter ipſius amoris amplexus ad tertiam vſque poſt meridiem horam perſeuerat, quo tempore extremæ Vnctionis oleo inungi poſtulans, apertam à Guardiano repulſam patitur, id enim ab Eccleſiaſticâ Regulâ alienum ducebat, quâ extremæ Vnctionis Sacramentum in mortis articulo tantùm miniſtrari præſcribitur. Poſt hæc vir Sanctus genuflexus in lecto orans, cùm ad quartam à meridie horam perueniſſet, oculis in Cœlum ſublatis, his Dominum verbis precatur. O Domine I e s v, ſi loquor, nulla mihi fides adhibetur, tu ipſe loquere. Vix hæc protulerat, cùm vultu in pallorem mutato, mortis ſigna præferre cœpit. Porrò Fratres, qui Dei Virum obſeruabant, inſperatam illam vultus mutationem ſpectantes. ſummâ feſtinatione ad ſacrum Oleum accurrunt, ac Dei ſeruum inungunt. Quo ille inunctus, paulò poſt, perindè ac ſi in quietem concederet, placidè mortis ſomno conſopitur. Dei itaque ſeruo, hoc modo, præter omnem expectationem, è viuis ſublato; Guardianus, qui irruentem in eum turbam pertimeſcebat, nullum campanâ (vti mos eſt) ipſius exitus ſignum pulſari iubet, at pueri agminatim per vrbem incedentes, ſanctum Virum mortuum conclamabant: quo audito, tanta mox populi multitudo ad Conuentum confluxit, vt occluſis mercatorum tabernis, ſola vrbs abſque habitatore relicta videretur. Turbâ verò, ſancti Viri miracula, & beneficia celebrante, canentium potiùs hymnis, ac laudibus, quàm lugentium carminibus, Eccleſia perſonabat; mox vniuerſi certatim in ipſius oſcula, & amplexus ruere, capillos tondere, barbam præſcindere, vngues obtruncare, habitum diſcerpere; tantoque deuotionis impetu in eum ferri, vt & digitos, ac cætera corporis membra facilè diſſecaſſent; niſi Fratrum, ac decem virorum, ab vrbis conſeruatoribus miſſorum, prouidentia corpus intra cancellos occluſum fuiſſet, quo populus pertingere minimè poſſet. Terni intereà, & quaterni habitus, à multitudine diſcerpti fuêre. Sanctum verò Viri

corpus

corpus molle, ac tenerum, velut dormientis contrectabatur, atque adeò ſuaui odore perfuſum, vt cœleſtem Myrotheciam ſuâ odoris ſuauitate referret. Intempeſtâ igitur noctis horâ S. Viri corpus ligneâ arcâ occluſum, vrbis ſenioribus id petentibus, non in communi Fratrum ſepulchro; ſed ſeorſim ſub Altaris cancellis, conditum fuit. Cùm verò vndique, tum ex vrbe, tum ex vicinis, ac remotis Piceni oppidis, ad ipſius ſepulchrum turbæ confluere, vota appendere, Seraphini nomen inuocare, vrbis Proceres, coacto concilio Legatos ad Paulum V. Pont. Max. deſtinant, qui totius vrbis nomine Proceſſum de Seraphini vitâ, & miraculis inſtrui, & ad illius Beatificationem procedi poſtularent. Pontifice vrbis votis annuente, primùm Ordinario examen committitur. Excreſcentibus verò ad illius ſepulchrum miraculis, Anno 1610. Sacrâ S. Inquiſitionis Congregatione annuente, lampas ante illius ſepulchrū ardens ſtatuitur, quo tempore tot ſigna multiplicari cœperunt, vt non ſolum ex Piceno, ſed & ex remotioribus Aprutij, & Inſubriæ, & Galliæ ſubalpinæ partibus, vota ad illius ſepulchrum mitterentur. Quorum miraculorum memoria ne depereat, breuiori, quoad fieri poterit, hîc Compendio colligenda ſunt, eo modo, quo in proceſſu enarrantur. Rem igitur ab ipſis B. Viri apparitionibus exordiar, quibus poſt mortem à pleriſq; viſus eſt. An. 1604. quo Vir Sanctus ad fœliciorem vitam conceſſit; eadem nocte, quæ ipſius obitus diem ſubſequuta eſt, Portiæ Contæ, ſuę olim familiari, quæ ipſius adhuc mortem ignorabat, glorioſus apparens, poſt nonnulla conſolationis verba, in cœlum effertur. Anno 1605. Nicolaus Saluia Aſculanus, dum extremo cum morte agone conflictatur, ad Dei tribunal raptus, B. Virginem, ac pleroſque alios Sanctos, quos ille ſingulari veneratione proſequebatur, dextram Throni tenentes; ab altera Seraphinum, Beatorum Capucinorum agmine ſtipatum cernit: quo tempore Dæmones pleraq; aduerſus eum accuſationis capita coram Iudice proferentes, à Seraphino, qui rei cauſam defendendam ſuſceperat, oblatâ exceptione repelluntur: à quo etiam pleraque Chriſtianæ pietatis opera à Nicolao patrata; atque inter alia, plurima illius in Capucinos liberalitas, ac munificentia referuntur. Quapropter, cùm ad bonorum, ac malorum operum penſionem ventum eſſet; Seraphini operâ, & patrocinio, abſolutionis ſententia à Iudice profertur. Id cum Nicolaus, Franciſco Mariæ, Mediolanenſi Sacerdoti, qui ipſius tunc animæ curam agebat, retuliſſet, paulo poſt in Domino quieſcit. Anno 1605. Scipio Franciſcus, Aprutinus, febri continuâ in Ieſſi oppido

apud Capucinos laborabat, cùm intempeſtâ nocte quieſcens, à ſomno excitatur; ſenemq; Capucinum ſibi adſtantem cernit, qui his eum verbis compellat: Scipio, cedo dextram. Eo verò dextram porrigente: Ego (inquit) Fratrer Seraphinus ſum à Montegranario. Satage, vt B. Virginem, meq; ſingulari pietate proſequare: noſtrâ quidem interceſſione iam tibi à Deo incolumitas collata. Is verò repentè incolumis è lecto ſurgit. Anno 1622. dum Eliſabethæ Erapulenſi, peſtilenti febre correptæ, funera parantur, Seraphini ſibi opem implorat: qui hoc ipſo tempore ægræ perſpicuè apparens, eam his verbis affatur: Eliſabeth, ſi meum ſub peregrinę habitu ſepulchrum piè venerata fueris; integrâ incolumitate frueris. Protinusq; his dictis euanuit. Ea verò, cùm ab eo tempore conualeſcere cœpiſſet, ad Seraphini ſepulchrum integram incolumitatem aſſequitur. Vincentia, Nicolai Salui vxor, ad mortem ægrotans, Seraphinumq; inuocans, eundem mox ſibi adſtantem cernit, tam ingenti luce perfuſum, vt domum totam ſuo ſplendore illuſtraret: qui his ægram verbis alloquitur: Cur Vincentia, times? aut, quid de meo patrocinio dubitas? Longior tibi vita, meâ interceſſione condonatur: breui conualeſces, rei veritatem exitus comprobauit. Iuliana, Latini Ferri Aſculani filia, grauiter febricitans, pectoris pręthereà dolore affligtabatur; cùm Seraphinum rogat, vt ſuâ illi Crucifixi imagine, vti viuens ſolebat, pectus conſignet, ac febrem depellat: qui cùm mox illi ſe iucundum, ac feſtiuum videndum prębuiſſet, ſignum Crucis adhibet, eoque febrim, pectorisq; paſſionem protinùs fugat. Maria Auguſtilia Aſculana, acutâ febri cum acerrimo capitis dolore, ad vitæ occaſum feſtinans, cœleſtem Seraphini opem poſtulat, quo tempore eum cœleſti gloria affulgentem ſibi adeſſe conſpicit: qui vbi ægram verbis conſolatus eſt, atque vtrâque manu apprehenſam, ſedentem in lecto collocauit; protinùs incolumem præſtitit. Ioſephus, Felicis Montij Aſculani filius, vndecim annorum puer ad funera rapiebatur, quo tempore Seraphinum ſibi ad vitæ pręſidium inuocat, quem mediæ noctis horâ pręſentem intuetur; atque hac voce compellantem audit: Frater Ioſeph. Cui cùm, & ipſe, Fratrum more reſponderet, Aue Maria. Seraphinus puero adblandiens, illiusq; humerum leuiter concutiens: Ne timeas (inquit) vitâ viues. Moxq; incolumitati redditus, cùm exclamans: ô Sancte mi, ô ſancte mi, Sanctum Virum amplecti vellet, is ab oculis repentè euanuit. Nec fruſtrà Fr. Ioſephi nomine à S. Viro nuncupatus fuit, poſt adoleſcentiæ enim annos ad Capucinos fugiens, Fr. Ioſephi inter nos

nomen

nomen retinuit. Portia, Sebaſtiani Cacarelli vxor, cùm ab armatâ Prætoris familiâ ſibi noctè domum inuadi cerneret, vt virum, criminis de quo agebatur, inſontem apprehenderet; ad Seraphini mox opem confugit. Nec fruſtrà, nam eodem temporis momento plerique Monachi ac Presbyteri, eatenùs ignoti, vndique erumpentes, Sebaſtianum à Satellitij poteſtate eripiunt. Ægrotabat eo tempore Portia fœtum in vtero gerens, cùm S. P. Franciſcus, ac Seraphinus eidem poſt factum apparentes: Portia (inquiunt) à nobis miſſi ſunt, qui Sebaſtianum in libertatem vendicarunt, tu quoque noſtro patrocinio ab ægritudine libera eſto. Verùm ſæculari veſte dimiſsâ, cinereo te habitu contege. Quibus illa per omnia paruit. Poſt hanc B. P. Franciſci, ac Seraphini apparitionem, cùm Portia totam noctem illam in oratione inſomnem duxiſſet, fœtum, quem in ventre gerebat, velut è lumbis ſibi auelli, atque in aluum magno ſtrepitu dilabi percipit: ex quo tempore cùm vndique ex omnibus corporis ſpiraculis tetrum fœtorem effunderet; is adeò in ipſâ partus horâ excreuit, vt penè intolerabilis videretur. Quo tempore cùm mortuum, ac putridum ex aluo fœtum fudiſſet; cum lachrymis Seraphinum precatur, vt tantiſper vitæ enixo fœtui reſtituat, quoad ſacrâ Baptiſmatis vndâ regenerari queat. Nec vana illius petitio fuit: eâ namque in lachrymis perſeuerante, defunctus, ac putridus puer nonnulla, tum motu, tum oſcitatione, vitæ ſigna edens; mox ſacro Baptiſmate abluitur; ac poſt quinque aut ſex horarum ſpatia, in nutricis ſinu animam exhalat. Portia verò, cùm hoc ipſo tempore leui ſomno detineretur, Seraphinum hæc ſibi dicentem audit: Tu quoq; ô Portia, extremum cum tuo fœtu diem clauſiſſes, niſi vitam tibi à Domino impetraſſem. Quapropter Deo gratias age; diuinamq; tibi miſericordiam tuâ pietate auge. Malateſta Matteuccius à Montenoui, laterum, ac renum dolore oppreſſus, lampadis, quæ ante Seraphini ſepulchrum lucet, oleo inunctus; atq; eodem tempore B. Viri præſentiâ, hacq; voce dignatus: Malateſta; ecce quem inuocaſti, Seraphinus te à dolore liberum, & incolumem reddit. Perfectæ incolumitati reſtituitur. Ab iiſdem quoque laterum, ac renum doloribus Modeſtina Blanchina, à B. Viro illi in ſomnis apparente, ac doloris locum manibus contingente, hisq; eam verbis conſolante: Blanchina, iam te dolores deſeruêre, liberatur. Terentia, Paulacij Aſculani vxor, matricali dolore ſæpe vexata, dum Seraphinum ſibi è Cœlo auxiliatorem deprecatur; præſentem Seraphinum cernit, hæc ſibi verba inculcantem: Filia, Cœlum patientiâ, ac doloribus

comparatur. Cumq; ſuâ illam Crucifixi imagine, quam viuens geſtabat, conſignaſſet; ab eo deinceps dolore eam liberam præſtat. Eo quoq; apparente, ac doloris locum contrectante, Deiurtina, Tullij Electi Aſculani vxor, quæ ex lapſu pedem ſibi grauiter læſerat, inſtantaneam pedis curationem conſequitur. Praxedes tertianâ grauiſſimè ægrotans; Fabricia Aſculana, crurum dolore afflictata; Marianus Pariſianus, peſtilenti febre laborans; Lucia à Montenoui, linguæ morbo vexata, ab eo incolumitatem aſſequuntur. Nonnullæ quoque aliæ illius apparitiones in Proceſſu leguntur, quas, breuitatis ſtudio, prætermitto; vt ad cætera Sancti huius viri Miracula explicanda accedam. Necdum Seraphini corpus tumulo conditum fuerat, cùm Fabricius Furcula Aſculanus, qui diu corpore imbecillis, ac pedibus mutilus in lecto iacuerat, eius obitus famâ perceptâ, ab eo obnixè precibus poſtulat, vt eum, antequam tumulus contegat, & ab oculis rapiat, ſibi intueri, ac deoſculari liceat. Annuit votis benigniſſimè è Cœlo vir Sanctus: cùm enim poſt orationem Fabricius ſibi corpori vires addi perciperet, fulcro adhibito, lentè ad Capucinorum Eccleſiam procedit; vbi Seraphini corpus in feretro collocatum conſpiciens orat, accedit, corpus exoſculatur; plenamq; ab eo incolumitatem poſtulans, poſtulata accepit. Eodem tempore Portia Aſculana, dentium dolore grauiter vexata, vbi S. Viri corpus deoſculata fuit, mox à dolore libera, Deo, ac B. Viro gratias agit. Philippus Albarinus à Camplio, cùm duodeviginti menſium ſpatio ita languidus in lecto iacuiſſet, vt abſque alteriùs adminiculo moueri non poſſet; voto emiſſo, mox diuinâ ſe virtute roboratum, & conſolidatum percepit. Maria Felix, Marci Lucidi Aſculani filia, quæ genuum morbo ita laborabat, vt ſeipſâ progredi minimè valeret; voto ad Seraphinum nuncupato, ac lampadis, quæ ante illius ſepulchrum ardebat, oleo inuncta, morbo mox effugato, libera incedit. Eliſabeth, Antonij Bergomatis filia, decem annorum ſpatio alterius manus neruorum debilitatem paſſa, Seraphini pallium manu contingens, protinùs ſanatur. Carolus, Peruſinæ Aſculanæ filius, cùm vtroque pede ad tergum verſo natus, neque incedere, neq; ſtare vllo modo poſſet; poſt plurima ad pedum reſtitutionem remedia fruſtrâ tentata, tandem voto à matre ad Seraphinum emiſſo, delatoq; ad S. Viri ſepulchrum puero; is, qui ocreas ferreas gerebat, in pedes conſtitutus, non tam ſtare, quàm liberè progredi, & regredi cœpit. Demum Balthaſar à Montemonaco, altero pede claudus; Conſtantia ab Ancarano, altera manu capta; Ioannis Dominici à

Montealto filius,à lumbis deorſum membris mutilus,lampadis ante S.Viri ſepulchrum ardentis,oleo illiti, integrâ membrorum incolumitate perfruuntur. Margarita, Mauritij à Patrinione filia, quæ vt riuſque oculi, ex boæ morbo, cœcitatem contraxerat, oculis illi B. Viri habitus particulâ à matre bis, terq; perfricatis, integrum oculorum lumen recipit. Ioannis Franciſci Aſculani filia, Citta nomine,ob eundem boæ morbum,dextro oculo penitùs cœca; altero verò iam obſcurâ luce fruens, voto ad S.Virum emiſſo, vix ab oratione ſurgit, cùm clariori ſe luce frui experta, integram poſtridie vtriuſque oculi cœleſti dono aſſequitur. Inter eos verò, qui varijs corporis doloribus cruciati, ſancti huius Viri ſuffragio ab ijs liberati fuêre, primus eſt Petrus à Montegranario, qui grauiſſimo capitis dolore correptus, cùm de venerando Viri Dei ſepulchro votum nuncupâſſet, nullâ interpoſitâ morâ ab eo diuinâ virtute curatur. Ab eodem & Manſueta Aſculana, & Alberina Iuuenalis, & Dominica Campllienſis, & Delia,Marcellinæ Cornilis famula, Viri Dei ſepulchrum viſitantes liberantur. Theodora Gineſtica, partus doloribus oppreſſa, Crucifixi imagine, quæ olim Seraphini fuerat, obſignata, mox ſalua fœtum emittit. Zenobia, Gaſparis Tutij vxor, cingulo B.Viri ſe præcingens, à partus doloribus vendicatur. Hoc modò & Maureliæ Confectæ, & Felici Montiæ, & Argeriæ, Felicis Graſſi vxori,partus dolore laborantibus,partus incolumitas condonatur. Maria, Mantucij Aſculani vxor, humeri dolore vexata; Gaſparina Aſculana pectoris; Maria Pellicana, alterius poplitis; Catharina à Cerreto, renum; Iuliana, Maſſaronis Ferri vxor, vberis; Nicolea Aſculana,Curtij Barbitonſoris vxor,odontalgię; Ludouica, Phœbi Aſculani filia,ſtomachi; Manſueta Aſculana, crurum; Euſebia, Ioannis nomine Cardinalis vxor, alteriùs brachij; Simona à Montemonaco, morbi vniuerſalis; Maria Ioanna Ortonenſis, colici; Iunipera Alexandrina Pedonenſis, aurium; Benedictus à Monterubiano, femorum; Salpitia Pelagalla Aufidenſis, laterum; Matthæa Auſtea à Patrinione, & Catharina, Franciſci Placentini coniux, Seruiliani incola, ſtomachi dolore laborantes, voto ad Seraphinum emiſſo curantur. Ad eos venio, qui febre, ac varijs languoribus affecti, B.Viri merito incolumitatem adepti fuêre. In his prima eſt Druſilla à Montemonaco, Dominici Garulli vxor, quæ cùm febre correpta, ſanguinis prætereà profluuio laboraret; cui ſiſtendo nullum prorſùs remedium prodeſſet, cùm lampadis S.Viri oleo inuncta eſſet, protinùs & ſanguinis fluxus areſcit, & ab eâ febris

abſcedir.

abſcedit. Eodem lampadis oleo illita Hippolyta à Monterubiano, à tertianâ febri; Paulus Bucius à Luco, à febri continuâ; Gaſpar Alexandrinus Campolienſis,à ſanguinis profluuio; Emidius, Rochi, nobilis Aſculani filius, à peſtilenti febre; Catharina, Ioannis Pauli à Bononiolâ filia, à comitiali morbo; Angelus Montucius à S. Anatolia, & Troianus Gallus Auximenſis, ab herniâ,B.Viri interceſſione liberantur. Aſcanius, Vincentij Piláti filius,cùm diu venereâ lue contabuiſſet, matris voto ad Seraphinum facto, protinùs eâ exterſâ,ad ſalutem adducitur. Taſia Ceſtignianenſis S. Viri oleo inuncta, à calculorum morbo incolumis erumpit. Lucia à Montealto paralytica, ad B.Viri ſepulchrum delata, à paralyſi dimittitur. Ioſephus puer, ad extremam vſque membrorum ariditatem adductus, ad B.Viri ſepulchrum ſaluti reſtituitur. Maria Ioanna, & Franciſcus Nouellus, Aſculani, acutâ febre correpti, voto ad Seraphinum concepto, mox ad incolumitatem redeunt. Marcus Georgius Aſculanus, à comitiali morbo; Franciſcus Orlandus ab hæmorrhoïde; Fineſdea à Liciano, à manus vlcere; Alexandra à Venarotâ, Contes Lentius,Hortenſius Conſtantinus, Franciſcus Carpanus, Fr. Angelus Mediolanenſis ex noſtris Laicus, Ioſephus Tecius Camplienſis, & Hieronymus Etneus Amandulenſis, à continuâ febri; Franciſcus Cicarellus, à comitiali morbo; Simon Aſculanus, à diuturnâ febri; ſancti Viri ſepulchro venerato, liberationem aſſequuntur. Fr. Paulus Fortucius, Magiſter Ordinis Conuentualium, manu S.Viri canabaceum cingulum contrectans,à chiragrâ mox curatur. Ioſephus Antonij Marcotij filius, & Angelus Appinianenſis, porrigine affecti,S.Viri lampadis oleo inuncti,ab eâ conualeſcunt. Cùm S. Viri corpus in alterum tumulum translatum fuiſſet, Cenſius Ortonenſis,Scipio Barba, ac Petrus Barba, peſtilenti febre laborantes,cùm illius pulueris modicum cum aquâ hauſiſſent, eodem tempore incolumes redduntur. Quarta quoque Ioanna Maria, Ioſephi Ballarini vxor, Ortonenſis, colico dolore acerbè cruciata, eodem puluere hauſto conualeſcit;alijq; permulti. Nonnulli quoque vlceribus,ac vulneribus ſauciati, promptam ab eo curationem accipiunt. Inter hos enumerantur, primùm Decimius Branchus, qui cùm ex alterius brachij aduſtione nullâ per annum quiete frui potuiſſet, voto ad S. Virum emiſſo, mox à brachij plagâ perſanatur. Germania Interamnenſis, graui in dextero latere abſceſſu laborans, cùm nullâ Chirurgorum arte curari potuiſſet, voto de B. Viri ſepulchro venerando pro eâ à patruo oblato; mox ante expletum votum, integrâ

abſceſſus curatione potitur. Mariæ Camplienſis debitores, vt ipſius moleſtiâ cârerent, eam domi pugionibus aggredientes, pleriſq; eam ictibus confodere conantur: ſed eâ Seraphini opera, poſt primum vulnus acceptum inuocante, cæteri ictus caſſo vulnere in veſtem tantùm, ac induſium perferuntur. Poſt hæc, acceptum vulnus, quod lethale erat, S. Viri oleo inunctum breui tempore curatur. Cæſar Mutinenſis, cùm ob catapultariæ glandis vulnus, quod in ore acceperat, neque os aperire, neque cibo vllo vti poſſet; humano medio deſtitutus, ſepulchri B. Viri oleo inungitur; cuius virtute mox illi, & os aperitur, & vulnus breui tempore ſanatur. Sexta porrò ægrotorum claſſis eorum eſt, qui diuinâ prorſus virtute S. Viri ſuffragio è mortis faucibus eripiuntur. In hoc ordine prima eſt Catharina, Nicolini à Marano trium annorum filia, quæ cùm repentinâ morbi vi, ſenſibus omnibus deſtituta, propiùs ad interitum, quam ad vitam accederet; vix præfatæ lampadis oleo inuncta, oculos aperit, linguæ vinculum ſoluit, atque intra quadrantis horæ ſpatium integrè à morbo conualeſcit. Eodem oleo illita Maria Mucrarella, mortiferè ægrotans, cùm nullâ Medicorum arte leuari poſſet, confeſtim in vitam, & incolumitatem aſſurgit. Tertius quoq; Ioannes Baptiſta à Torciano, vitæ ſpe omninò deſtitutus, huius olei inunctione communitus, de morbo triumphat. Ioſepho Aſculano lethali febre laboranti, Medicorum ſententiâ funera parabantur: quo tempore voto ad S. Virum concepto, ab eo febris fugatur; capitis dolor, quo acerbè affligebatur, abſcedit; & poſt breue tempus incolumis euadit. Maria à Iuliâ nouâ, Hieronymi Dominici vxor, colicâ paſſione, & calculorum morbo, ad extremam vſque lineam adducta, cùm exiguum capſulæ S. Viri ſegmen ſibi collo alligaſſet, in vitam mox, ac ſalutem vendicatur. Petri Sanctes Aſculani vita, propter ſæuientem acutæ, ac peſtilentis febris vim, in eo diſcrimine verſabatur, vt nulla ipſius ſoſpitati ſpes relicta eſſet: quo tempore, cùm tota domus familia, Seraphini è cœlo opem implorans, votum emiſiſſet, mox ab ægroto ſudor erumpens, febrim fugat, ægerq; viribus breui tempore recuperatis, è lecto ſurgit. Maria Franciſca puella, Rogerij Romoaldi filia, à B. P. Franciſco precibus impetrata, cùm boæ morbo ita ægrotaret, vt de illius apud Medicos ſalute actum eſſet; voto à matre pro eâ ad Seraphinum nuncupato, ab eo apparente futura illi incolumitas annunciatur. Iulij Cæſaris Grifonelli, Præpoſiti Eccleſiæ S. Iacobi Vrbis Aſculanæ, ſalus ita deſperata erat; vt trium vel quatuor

horarum à Medicis illi vitæ ſpatium præſcriberetur: quo tempore totâ Domus familiâ pro eo orante, ac Seraphini ſuffragium implorante, cùm is oblatum ſerici multitij præſegmen, quod ſancti Viri corpus contigerat, ſibi in ſinu collocâſſet, hoc ipſo temporis momento, diuinâ ita virtute recreatur, vt febre abſcedente, perfectam mox incolumitatem adeptus fuerit. Marocia à Montenoui, Petri Valentis coniux, & Bartholomæi Marinelli à S. Victoriâ vxor, partus doloribus ita oppreſſæ; vt cum partu vitam profuturæ crederentur, ſancti Viri cingulo præcinctæ, mortis periculum euadunt, ac fœtum ſoſpites fundunt. Ioannes Franciſcus, cùm in tertiam hecticæ febris ſpeciem incidiſſet, concordi Medicorum iudicio neci adiudicatus, ſancti Viri ſepulchrum venerans, incolumis redditur. Ioannes Eſclepius à S. Elpidio, cum morte colluctans, cùm aquam, in quam ſancti Viri habitus particula immerſa fuerat, hauſiſſet, ſimul cum eâ & corporis incolumitatem hauſit. Atque hæc quidem, & alia quamplurima Vir Sanctus è cœlo ægrotis beneficia præſtitit, quæ ſolâ Dei virtute, tùm ex ipſâ curatione, tùm ex curationis modo patrata fuiſſe conſtat. Verùm, quod ſequitur, omnem prorſùs, & curationis modum, & naturæ ordinem excedit: cùm enim hîc de puellę animâ à mortuis excitatâ agatur; hinc omne procul dubium arceatur, quin diuinæ in eo omnipotentię opus nobis agnoſcendum ſit. Puella igitur Marantij à Spinitello filia, binos annos nata, in quandam profundæ, ac fœtidę aquæ ciſternam, nemine obſeruante dilabitur; aquæ tamen ſtrepitu percepto, cùm ex domeſticis quidam eò feſtinaſſet, puellam in aquis demerſam cernens, patrem, qui haud longè aberat, inclamat. Iam à puellę caſu mediæ horæ pars effluxerat, cùm ſcala adfertur. Intereà puella bis, vel ter ex aquę profundo in ſuperficiem euecta, tandem extincta ventre ſupino immobilis aquæ ſupereminet: quo tempore è ciſternâ educta, cùm omnibus propèmodis, num etiamnum vita ſuperſtes eſſet, tentata, nulla prorſus vitæ ſigna ederet; quin potiùs atro vultus colore, ac totius corporis tumore ſe extinctam proderet: cumq; omnia parentes humanę artis remedia deperijſſe cernerent, communi conſilio ad Seraphinum confugientes, filiæ ab eo multis lachrymis vitam poſtulant, voto precibus adiuncto. Vix illud vterq; parens conceptis verbis explicuerat, cùm puella ad viuos reuocatur, vultusq; colore mutato matrem appellat. Præter enarrata hactenus miracula, alia quędam indicanda ſunt, quæ tum ægrotis, tùm alijs S. Viri opem implorantibus, è cœlo patrata & collata fuere.

Virgi-

Virginia Tucia à Seraphino adhuc inter viuos agente, IESV nomen chartulæ impreſſum acceperat; cuius virtute cùm à graui quadam ægritudine liberata eſſet, eo poſt ſancti Viri mortem innumeris propemodum ægrotis ſalutem contulit. Æneas Faſtorius à Lauro, cùm à Seraphino adhuc ſuperſtite panem, ad Lauram ſororem ægrotantem deferendum accepiſſet; eo Laura conualeſcens & in fruſta comminutum pleriſque ægrotis, poſt ſancti Viri obitum, diſtribuens, ijs incolumitatem conciliat. Alter quoque panis Dianæ à Lauro, à ſancto Viro in humanis agente traditus, pleraque eiuſmodi poſt ipſius mortem miracula præſtat. Hoc quoque modò cùm Seraphinus ſuperſtes, Sophoniſſæ cuidam à Montecaſſiano, precariorum globulorum corollam tribuiſſet, pleraque eâ poſt mortem miracula patrata fuêre. Alexander à Caretto, Aſculani agri oppido, cùm repentinâ è cœlo tempeſtate ingruente, triticum, quod in areâ expoſitum erat, ab inundationis periculo ſubducere non poſſet; vultu Aſculum verſo, Seraphinum rogat, vt ſuum illi triticum ſeruet. Neque illius vacua beneficio oratio fuit: nam contiguis areis aquarum diluuio deuaſtatis, ne pluuiæ quidem gutta Alexandri aream attigit. Petro Sardellæ Fulloni pallium furto ſubreptum fuerat, qui Seraphinum pro pallij reſtitutione orans, à Sacerdote quodam vrbis Confeſſario pallium recipit. Laurentius Sciarra, ex morbo inſanus, cùm poſt multos dementiæ annos, diem extremum abſque orationis vſu, ac Sacramentis concluderet; Spinellus Fratrius Seraphino ſe voto obſtringit, ſe ipſius ſepulchrum veneraturum; dummodò tam diu mentis incolumitatem ægro conferat, quoad Eccleſiæ Sacramentis frui queat. Vix eo voto concepto, Laurentius ad mentem redit, Sacramentis potitur, ac piè in Domino finem concludit. His itaque, atque alijs propè innumeris, tùm in vitâ, tùm poſt mortem miraculis claruit Seraphinus; Obijt verò Anno 1604.

In Piceni Prouinciâ Fr. BERNARDINVS à MONTECARDO, Laicus, cùm præter alias animi virtutes, tantam puritatem à Deo conſecutus fuiſſet, vt nullâ vnquam ſe culpæ mortiferæ labe maculatum ſenſerit; ante ſupremum vitæ occaſum cœleſti viſione fruitur, in quâ Deum Patrem ſuæ miſericordiæ brachijs vniuerſas orbis partes complectentem intuebatur: in quæ cùm ſeipſum proieciſſet, obitus ſui tempore prænunciato, in diuinæ tandem miſericordiæ ſinu quieſcit, Anno 1604.

In Syracuſanâ Prouinciâ Fr. MATTHÆI ENNEI, Laici, celebris etiamnum virtutum memoria viget; qui cùm Regulari obſeruantiâ, orationis ſtudio, ac charitate potiſſimùm præcelleret, nonnulla in Platienſi vrbe miracula edidiſſe fertur: vbi etiam vitam magnâ cum ſanctimoniæ laude cum morte commutat. Huius baculo, poſt mortem Horatio cuidam architecto, membris mutilo, ſalus integrè reſtituta fuit. Obijt anno 1604.

Fr. HVGO BLESENSIS, Laicus, in Turonenſi Prouinciâ, Vir fuit virtutum omnium ſplendore ornatiſſimus, ac præſertim altiſſimæ paupertatis ſtudioſus: cuius ea in extremis vox fuit: *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.* Paucis poſt obitum diebus elapſis, Dominico Ambianenſi, qui trigeſimum Miſſarum numerum pro eo celebrare decreuerat, cœleſtis gloriæ lumine perfuſus apparet; atque illius Roſarij granum Franciſcæ cuidam grauiter ægrotanti admotum ſtatim ab ægritudine vendicat. Obijt anno 1605.

Fr. CYPRIANVS SESTINENSIS, Laicus, in Piceni Prouinciâ maximis virtutibus, ac præſertim charitate, & patientiâ floruit. Cuius ſanctimoniam Deus ſingulari, ac miraculoſâ aliquando rerum prouidentiâ teſtatam voluit.
Obijt anno 1605.



Fr. SAL-



FRATER SALVATOR CANIANENSIS FRATRUM CAP.
LAICUS.

Fr. SALVATORIS CANIANENSIS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER SALVATOR CANIANENSIS, Laicus, inter illuſtriores Prouinciæ S. Angeli Viros haud immeritò celebratur. Hic dum in Serra Conuentu ſub Franciſco à Vico, viro prudente probationis annum agit, tot eum humani generis hoſtis, vt à Religionis ſinu abſtrahat, tentationibus adoritur, vt his nouus palæſtrita perterritus, reditum ad ſæcularem vitam, ſecum meditari cœperit. Quapropter re cum Magiſtro communicatâ, cùm is eum à ſæculi propoſito reuocare minimè poſſet, his illum tandem verbis affatur: Iam, ſi tibi, ô Saluator, ad tuos redire animo conſtitutum eſt, ito, non pugno. Verùm Domino ſaltem, antequam decedas, valedicito; atque ante Crucifixi imaginem, quæ in Eccleſiâ eminet, quinquies Orationem Dominicam, cum Angelicâ ſalutatione proferto. Res Saluatori facilis viſâ: mox in Eccleſiam pergit, & dum Orationes Dominicas, atque Angelicas ſalutationes recitat, Dei benignitas mox ſuâ illi clementiâ adeſt. Etenim viſibili aſpectu, ex Chriſti Crucifixi vulneribus, quinque in eum ſanguinis radij tantâ virtute feruntur; vt ijs Saluator perterritus, atque animo prorſus immutatus, in Religionis ita amorem exarſerit, vt duriſſima quæque, vel ipſam potiùs mortem perferre, quàm Religionis propoſitum deſerere, ſibi altè deinceps in animo fixerit. Quamobrem vbi ſolemnia Religionis vota nuncupauit, tantâ vitæ auſteritate carnem coërcere cœpit; vt perpetuò à carnibus abſtinens, maiorem anni partem, pane ſolo, & aquâ contentus, tranſigeret; & ſi quicquam his adderet, id acetarium, vel alia cruda herba eſſet ſale condita. Hac abſtinentiæ lege S. P. N. Franciſci Quadragenas celebrare conſueuerat; tantoq; ſenſus voluptatem ſtudio perſequebatur, vt cùm ſemel caſei modicum, ad quem appetitu ferebatur, deguſtaſſet, tantundem deinde calcis, ad eam guſtus voluptatem caſtigandam dentibus contriuerit. Interea nulli corporis labori parcens, aſſiduâ vel in horto, vel in ſtipis mendicatione, vel alijs domus miniſterijs exercitatione, corpus defatigabat: ita vt nullâ vnquam illi diei hora abſque

labore

labore elaberetur: Laſſo verò corpuſculo cùm ſomnus vrgeret, nudæ tabulę lectum, ac vitis ſarmentum, aut ligni fruſtum puluinar miniſtrabant. Breuiſſimo ſomno contentus, reliquam noctis partem, in ſacris vigilijs, nunquam intermiſsâ oratione, impendebat. Sandalijs, cæterorum Fratrum inſtar, cùm in principio vteretur, colico ſæpè dolore torquebatur: at ille nouo medendi genere ſecum excogitato, ſandalia deponit; ac nudipes incedens id Dei virtute aſſequitur, vt mitior deinceps colici illi doloris pœna fuerit. Tam familiare illi orationis ſtudium erat, vt neque inter diurnos labores ab illâ vacaret. Quo fiebat, vt Satan, qui ipſius orationis exceſſus ferre non poterat, varijs illum ſpectris, imaginibus, ac beſtiarum formis aſſumptis, ab oratione auocare niteretur. Quæ ille ita paruipendebat, vt Satanæ etiam ignauiam exprobraret: hincq; deuictus Satan abſcedere cogeretur. Dum aliquando Quæſtuarij munere Rodij fungitur, mulier quædam illum ſub Eleemoſynæ titulo in domum introductum, libidine tentat. At inuictus caſtitatis pugil, flagello, quod ſecum gerebat, exerto, impudicam mulierem longiùs fugat. Alteram quoque viduam mulierem, quæ illum in cellâ vinariâ lagenam implentem ad turpem copulam pellexerat, ſuaui admonitione à libidine reuocat. Tantâ enim ſermonis ſuauitate pręſtabat, vt eâ pleroſque occultis criminibus innixos ad pœnitentiam, & ſcelerum confeſſionem cõmpulerit. Porrò ex geminâ hac caſtitatis victoriâ, illud Saluator à Deo præmium, & coronam tulit; vt deinceps omnis libidinis ſenſu caruerit. His cùm Saluator apud Deum virtutibus pręcelleret, tantam ab eo aduerſus Dæmones poteſtatem acceperat, vt illos etiam ab obſeſſis corporibus expelleret. Quapropter Satan ſemel domum redeuntem his præſens verbis aggreditur: Durè nimium me, Saluator, proſequeris: næ vlciſcar ego. At Saluator in eum Crucis ſignum vibrans, ad tenebras adigit. Clarum erat Saluatoris nomen, & vbiq; ſanctimoniæ ipſius fama peruulgabatur. In S. Nicandri oppido, à quodam Ordinis beneuolo, qui Morantus appellabatur, hoſpitio exceptus, cùm is, vxorq; ipſius moleſto morbo affligerentur, S. Viri occaſionem nacti, ex aquâ, quæ ex lotione pedum ſuperfuerat, ſibi lauacrum adhibentes, vterque à morbo tam perfectè, ab eo tempore curatus fuit, vt eo nunquam deinceps vexatus fuerit. Poſtremò in Rodij Conuentu, lethali ægritudine correptus, obitu ſuo Fratribus prænunciato, dum oculos in Chriſti Crucifixi imaginem defigit, Deo ſpiritum reddit, Anno 1606.

In Rheginâ Prouinciâ Fr. FRANCISCVS SYNOPOLITANVS, Laicus; cùm priùs in habitu, & cingulo, delicias ac vanitatem quæreret, à B. P. N. Franciſco in viſione correptus, animo, & vitâ in melius mutatâ, tanto cœpit deinceps ſuiipſius deſpectu fulgere, tamque perfectâ Regularis obſeruantiæ diſciplinâ præcellere, vt ante mortem cœleſtis gloriæ viſu illi frui datum fuerit, quâ poſt mortem donatus piè creditur.

Obijt anno 1606.

***





FRATER FRANCISCVS A DAROCHA FRATRVM
CAPVCINORVM LAICVS

Fr. FRANCISCI A DAROCHA LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER FRANCISCVS à DAROCHA, vulgato Arragoniæ oppido, Laicus, humili loco natus, à pueritiâ futuræ ſanctitatis ſigna præſeferre cœpit: puer namq; à puerilibus, velut graui mentis ſenio præditus, abſtinens, quæ pietatis ſunt, tantùm curare videbatur. Vnde Beatiſſimæ Virginis, quam ſingulari ab ineunte ætate veneratione proſequi didicit, Horas quotidie perſoluere, Corollas, & Roſaria recitare, corpuſculum inediâ, etiam inter diurnos labores affligere ſolebat; ſtatuta ab Eccleſiâ ieiunia, ac præterçà Veneris, ac Sabbathi dies, adhuc puerulus ieiunio ita proſequi conſueuerat; vt ab eo nullâ, aut ætatis, aut laboris ratione habitâ, vnquam recederet. Ætate verò adoleſcente, cùm patris ſui gregem paſceret; mentem quoque oratione, ac rerum diuinarum meditatione reficiebat, ſuaque cum pauperibus edulia diuidebat; maioribusque anni feſtiuitatibus, pinguiorem ex grege anniculum ſelectum, ad Fratres, qui de Obſeruantiâ nuncupantur, deferens, Deo holocauſtum medullatum offerebat. Hac vitæ innocentiâ, ac pietate iam ad 20. annum peruenerat, cùm ſeſe Beatiſſimæ Virginis obſequijs, in ſacrâ Montisſerrati Æde mancipat: vbi poſt aliquot annos ſuam Monachis domus illius adminiſtratoribus operam præſtans, potiorem ſacrę Deiparæ venerationi operam dabat. Verùm cùm hoc in Monaſterio, nulla animo quies, ac tranquillitas daretur; hoc relicto, in alteram Dei Genitricis Domum, quæ Barcinone ſub eâdem appellatione erecta erat, ſe confert: vbi cùm Capucinorum, quos nunquam anteà viderat, habitum, vitam, & mores diu ſecum contemplatus eſſet, eorum tandem numero ſe adſcribi poſtulans, anno ſuæ ætatis 27. Religionis ſinu excipitur, atque inter Laicos, Franciſci nomine inſignitus, adnumeratur. Vix Franciſcus inter B. P. Franciſci filios conſcriptus fuit, cùm B. P. veſtigia, pręſertim in humilitate ſecum imitari ſtatuit; cuius ſedulâ exercitatione, ac præſertim oratione, tam altam ſuiipſius cognitionem à Deo eſt aſſecutus, vt in vllum ſuperbiæ, aç propriæ exiſtimationis genus efferri non poſſe, cum

familiari

familiari aliquando Fratre colloquens, aſſerere haud dubitauerit. Hinc nullo magis, quàm ſui deſpectu, ac deiectione delectabatur; ita vt Fr. Franciſcus Peccator vocari vellet. Si quis verò eum Fr. Franciſcum vocaret, is protinùs, vt peccatorem adderet, admoneret. Cùm verò in publicâ Fratrum accuſatione, ſuas coram Superiore culpas aperiret, eas tantopere augebat, perinde ac ſi ad eas puniendas nec ipſæ Inferorum pœnæ ſufficerent. Paupertatem quoq; S.P. Franciſci ſponſam tam auidè complexus eſt, vt prǫter ea, ad quæ, vel honeſtas, vel neceſſitas cogeret, vniuerſa reſpueret: atque adeò paupertatis amator erat, vt & pauperum, qui ad Conuentus fores confluebant, non ſolùm inopiam, Monaſterij rebus ſubleuaret; verùm & laceras veſtes reſarciret; eosque Chriſtianę doctrinæ rudimenta doceret. Vitæ auſteritatem ita coluit, vt etiam ſenex, vix vnquam panis fruſtulis, quæ alijs ſuperfuerant, ſibi repoſitis, aliud prǫter pulmentum, quod ex pauperum ollâ ſibi hauſerat, obſonium adderet; nudipes ſemper abſque ſandalijs incederet; corpus quotidiè verberibus cęderet; vt cùm ſomnus vrgeret, non iacens, ſed ſedens quieſceret: tantáq; carnis macerandę cupiditate teneretur; vt ſi libera illi à Superioribus poteſtas facta fuiſſet, Antonios, ac Hilariones ſuâ corporis auſteritate æquaſſet. Senſuum omnium cuſtodiam tam ingenti ſtudio eſt proſecutus; vt cùm Quęſtuarij viginti ſex annorum ſpatio munus exercuerit; nunquam tamen toto eo tempore, vllius mulieris oculis aſpectum permiſerit: quo factum eſt, vt in Cathaloniæ Prouinciâ Fœminifugę nomen ſibi comparâſſet. Linguam quoque tam arctâ ſilentij cuſtodiâ premere ſolebat, vt vix cum Fratribus colloqueretur: ſæculares verò tam ſuaui rerum diuinarum colloquio recrearet, vt ex eo plerique ad ſcelerum pœnitentiam, ac pietatis ſtudia prouocarentur. Orationem tandem tam ſibi familiarem elegerat, vt ſiue domi, ſiue foris ageret, hanc ſibi comitem indiuiduam ſemper haberet. Domi quidem integras plerumque in oratione noctes abſumebat. Foris verò (quod rarum eſt) etiam inter homines, mentem ita cum Deo coniunctam gerebat; vt curarum, ac rerum mundanarum, ſtrepitus omnes ſub eâ pertranſeuntes, ad ipſum non pertingerent; ſed velut ſuprema quædam aëris regio ab omni rerum tumultu vacaret. Hinc Franciſcus cœleſtibus donis, ac diuinâ luce illuſtrari cœpit, quâ & intimas hominum cogitationes, & futuros rerum ſucceſſus prænoſceret. Arragoniæ Prouinciâ fundatâ, cùm in eam Franciſcus Superiorum iuſſu profectus fuiſſet, in Cæſarauguſtę Conuentu, in quo

Nouitij educabantur, moras trahebat: quo tempore Nouitius quidam moleſtis cogitationibus, ac tentationibus pulſatur; ac propemodum deuictus, dum cum alijs orationi vacat, ad ſæculum remeare ſecum animo verſabat: quo tempore Franciſcus hanc animi tempeſtatem in Nouitio diuinâ luce penetrans, ab oratione ſurgens, ad Nouitium magno cum ſilentio pergit, ac ter blandè illius pectus percutiens: Quid animo agitas (inquit) Frater? has protinùs cogitationes, quæ à Dæmone ſunt, procul expelle. Atque his dictis, omnis ea ſtatim tentatio à Nouitio pulſa fuit. Alteriùs Nouitij vitam Religioni perniciosſam fore diuino ſpiritu prenoſcit, Familiæq; prænunciat. Tertium quoque à communi flagellatione abſtinentem, cùm tenebræ Chorum occuparent, diuinâ luce perfuſus conſpicit, eumque, vt ſe cum alijs pro Chriſto flagellis cædat, monet. Clerico etiam ægrotanti futuram incolumitatem prędicit. Hac quoque propheticâ luce pleraſque nobili cuidam mulieri, quæ Gratia de Arnedo appellabatur, futuras ærumnas, quæ illi accidêre, pręnunciat, & ad earundem tolerantiam animat. Oſcæ beneficus quidam noſter, Michaël Palatio nuncupatus, ita grauiter ægrotabat, vt cùm Medici ei omnem vitæ ſpem adimerent, ſacra Vnctio pararetur: At Franciſcus domeſticis inquit: Extremâ modò vnctione non eſt opus; in alterum, ac diuturnum eam tempus differte: Michaël enim cras incolumis erit. Domeſticorum itaque precibus adductus cum ægro pernoctat. Michael verò cùm noctem ſomno quietam, ac ſuauem duxiſſet, manè ſe ab ægritudine liberum, & inculumem cernit, Medico rem præter modum admirante. Quinquageſimum tunc Michaël ætatis annum agebat, cùm eidem Franciſcus futuram vſque ad ſeptuageſimum annum, ac nunquam interruptam corporis incolumitatem, quâ is deinceps eò vſque potitus eſt, pręſignificat. Poſtremò Oſcæ Ioanni Valeſquex, S. Luciæ Eremitæ, nonnulla, quæ ad futuri ſui obitus pręſcientiam ſpectabant, aperit. Cæterum huic propheticę luci, ſignorum quoque, quibus Deus ſerui ſui ſanctimoniam è cœlo illuſtrare voluit, ſplendor accedit. In his primùm in puellâ quâdam, Gratiæ de Arnedo, Dinaſtę de Torreſecas, nepte, patratum legitur: quæ cùm Oſcæ continuâ ac moleſtâ febri laboraret, Franciſci benedictione protinùs conualeſcit. Eâdem Cæſar Auguſtę puer quartanâ febri correptus, ab eâ confeſtim curatur. Oſcæ Phyſicus quidam, Azcoius nomine, in Oſcenſi Academiâ Profeſſor, quatuor ægrotos, ſolâ Franciſci benedictione à mortis faucibus

erutos

erutos olim certâ fide teſtatus fuit. Denique cùm ingens Franciſci apud omnes ſanctimoniæ rumor percrebuiſſet, quamplurimi ad Conuentum ægroti confluentes, ab eo Crucis ſigno curabantur. Quamobrem cùm Oſcæ Guardianus, cui necdum Franciſci virtus perſpecta erat, eum Ianitoris officio fungentem, pleriſque ægrotis ante eum genuflexis, benedictionem impertientem conſpexiſſet, rem ægrè ferens, acriter illum in Refectoriò facti obiurgat; & vt eum maiori, vt putabat, confuſione exciperet, quaſi ioco, vniuerſos Conuentus ægrotos in Refectorium deferri mandat, vt ijs ipſo modo, quo alijs ſolebat, ex obedientiâ benedictionem impenderet. At D. O. M. cuius nutu, ac virtute is ſigna patrabat, ioco in rem ſeriam, ac confuſione in Franciſci gloriam conuerſis, id agit, vt benedictione illis à ſancto Viro ex ſuperioris obedientiâ, collatâ, cuncti; atque inter eos tabidus quidam Frater, plenâ incolumitate potiti fuerint. Prçter hæc Oſcæ vinum emendicans, vas vino vacuum, ſemiplenum ſuâ oratione reddit. Cumq; Ioannem Eremitam, cuius ſuprà memini, hoſpitio aliquando excepiſſet; vino deficiente aquam in vinum conuertit. At prçclarum illud, quod illi ſacra Altaris Myſteria aliquando inſpectanti accidit: cùm enim Altaris Miniſter, quo tempore vinum Sacerdoti miniſtrandum erat, vinum in ampullâ ad ſacrum Domini ſanguinem conficiendum, minimè adeſſe cerneret; mox æditũum quçrens, eum abeſſe comperit; cumq; omnem vini ſpem ſibi ſublatam eſſe conſpiceret, ad celebrantem vacuâ ampullâ redit. Id Franciſcus cernens, cùm diuinum Sacrificium interrumpi ægrè ferret, ampullam manu apprehendens, Deumq; pauliſper orans, eam vino plenam Miniſtro reſtituit. Pleraque etiam alia ſigna patrâſſe fertur, quibus cùm Deus ſerui ſui adhuc viuentis prçclara apud ſe merita teſtata voluiſſet; ipſi tandem præmia, & coronas daturus, in Oſcenſi Conuentu futuri illum obitus prçmonens, certum illius diem præindicat. Quamobrem cùm paulò poſt grauiter ægrotare cœpiſſet; in ipſo ſuæ infirmitatis exordio, ſeptimam ſibi diem ſupremam fore prçdixit. Interea, quæ animæ ſunt, curans, conſcientiam expiat, ſacro Viatico ſe munit, ac tot ſolidæ virtutis, atque Euangelici viri ſigna exhibet; vt cùm Phyſicus ab eo quçrens, quid hoc tempore magis illius mentem afficeret, an Cœli gloria? aut Inferorum ſupplicia? Neutrum (inquit) ſed ſola Dei voluntas, à quâ æquè Cœli gloriam, ac Inferni pœnas ferre paratus ſum; me integrum poſſidet. Poſt hæc fine illius appropinquante, cùm Guardianus inſolita illum lçtitiæ

ſigna edere conſpexiſſet,ab eo, quæ noua illius hilaritatis cauſa eſſet, percunctatur. Cui Franciſcus ingenuè: Quidni, Pater, (inquit) ſummâ voluptate afficiar, cùm Beatiſſimam cœlorum Reginam, multis Virginum, ac Sanctorum choris ſtipatam hìc præſentem videam; quæ me hinc emigrantem expectat, vt ad cœli gloriam ducat? His dictis, cùm Crucifixi imaginem, quam manu geſtabat, deuoto cordis affectu exoſculatus eſſet, caput inclinans, quaſi ab eo benedictionem poſtularet, ſeptimâ ſuæ ægritudinis die, purum Deo ſpiritum reddidit; membris poſt mortem, haud ſecus, quàm ſi viua eſſent, naturali mollitie, ac flexibilitate conſtantibus relictis. Cæterùm, quàm Franciſci vita Deo accepta fuerit, quamplurimis poſt illius obitum miraculis à Deo, ad ipſius inuocationem patratis, manifeſtum fuit: nam annus necdum ab ipſius ſepulturâ effluxerat, cùm ipſius caput à cæteris membris auulſum, cuidam ex noſtris Concionatori, ad Medicorum vſque deſperationem ægrotanti admotum, tam integram in momento illi incolumitatem reddidit, vt eo die ſacrum Miſſæ Sacrificium in gratiarum actionem Deo obtulerit. Ioannes de Torellas, nobilis Oſcenſis, tertianâ febri laborans, cùm Franciſci opem implorans, oſſiculo ex illius corpore auulſo, ſibi frontem attigiſſet, poſtridie incolumis euaſit. Eodem oſſiculo Rhedarius Oſcenſis, Banna nomine, à graui odontalgiâ; Fr. Martinus Sadauenſis, Sacris initiatus, à pectoris languore; Sacerdos quidam ad mortem ægrotans, à mortis periculo, in ſalutem vendicatur. His & alij accedunt, qui aquâ, in quâ idem oſſiculum immerſum fuerat, epotâ, protinùs conualuère. Inter hos prima eſt Paſtoræ cuiuſdam mulieris Zutelenſis filia, quæ cùm deſperatâ ſalute ægrotaret, aquam huiuſmodi ebibens, mox ad ſalutem reuocatur. Hoc modo in eadem Zutelę vrbe, nobilis cuiuſdam filius, graui morbo oppreſſus. In Burguntinę Conuentu Fr. Ludouicus Ferrarienſis; Oſcæ quoq; Balthaſar Sermonius tertianâ febre ægrotantes; Ceruariæ Fr. Simon Burtinenſis, ex noſtris Laicus, grauiter languens; In Lucenſi oppido prope Darocham, mulier periculoſo morbo laborans; Cæſaraugustę puer lethali vulnere ſauciatus. Huius prętereà S. Viri habitu, diuinæ pleriſque ægrotis curationes, ad quas humana Medicorum ars pertingere non poterat, conferuntur. In his mulier quædam, Maria nomine, in Oſcenſi vrbe, quæ Medicorum ſententiâ morti adiudicata fuerat, Franciſci habitus particulâ ſibi adhibitâ, ſtupente Phyſico, confeſtim integrâ incolumitate fruitur. In Tarraſonenſi vrbe Anno 1610. eiuſdem vrbis incola agricultor à comitiali morbo:

Oſcæ, Fr. Bernardinus Tutelenſis, ex noſtris Laicus, ad Medicorum deſperationem ægrotans: Fr. Philippus à Magallonio, Clericus, à cephalalgia: idemq; rurſus à febri: Fr. Ioannes Oſcenſis, Sacerdos, à graui morbo: Fr. Angelus Gerundenſis, & Fr. Franciſcus Valentinus, à capitis morbo: Antonius Inciſa Turriaſonenſis agricola, graui ſtomachi dolore languens: Beatrix de Alagon, priùs à graui vlcere; tum à faucium tumore; tertiò à febri; poſtremò ab odontalgiâ; atque ab eâdem odontalgiâ, ex noſtris Fr. Angelus Antilionenſis, Laicus Burtinæ Maria Claromontana, nobilis fœmina, à ſanguinis profluuio, Franciſci habitus particulam contingentes curantur. Cæſarauguſtæ Catharina quædam de Oniate, morbo incurabili laborans, cùm flagellum, quo Franciſcus viuens vti ſolebat, capiti admouiſſet, ſtatim à morbo ſanatur. Adhæc nobilis quædam mulier Oſcenſis, cùm alterius oculi tumore maximè cruciaretur, ad Franciſci ſepulchrum accedens, ab eo ſupplex oculi curationem poſtulat: quæ leui ibi ſomno correpta, cùm ab eo euigilâſſet; arefactum tumorem, oculumq; priſtinæ incolumitati reſtitutum ſenſit. Prætereà, nobilis quædam mulier Oſcenſis, & Cæſarauguſtanus adoleſcens, illa à graui capitis dolore, hic à febri, admoto Franciſci flagello, liberantur. Poſtremò Cæſarauguſtæ Fr. Michaël à Berbegale, Capucinus, graui herniâ laborans, voto ad Franciſcum nuncupato: Fr. Antonius à Lingares, eiuſdem Ordinis, grauiter ægrotans, Franciſci reliquijs ſibi applicatis in incolumitatem vendicantur. His & pleraq; alia addi poſſent, quæ ſola fama, nullo ſcripto prodita, integra ſeruat. Obijt Vir Sanctus Anno 1607.

Fr. MANSVETI A SALSVBIO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER MANSVETVS à SALSVBIO, Laicus, Vir immortali memoriâ dignus, cùm inter ſuæ conuerſionis initia, gulæ aliquando tentatione victus, nonnulla clam abſq; Superioris benedictione edulia deguſtaſſet; nocte quieſcens, viperas & colubros ſibi in ſomnis deglutire viſum: quare experrectus eo tantopere expauit, vt non modò ab eo vitio reſipuerit; verùm tantâ deinceps abſtinentiâ, atq; auſteritate, obedientiâ, humilitate,

ſimplicitate, atque alijs virtutibus floruerit; vt cùm in ciuitate Parmenſi Eleemoſynarij onus ſuſtineret, tot pueros ſtupidâ febre laborantes, ſolo Crucis ſigno adhibito, curauerit, vt cœleſtis puerorum Medici nomen ſibi in eâ vrbe comparauerit. In eadem quoque vrbe inter alios, moribundum puerum ſigno Crucis protinùs ad vitam, & incolumitatem reuocauit. Arimini, Caſſandram Diotaleui à periculoſo partus dolore, ſuo illi canabaceo cingulo miſſo, liberauit: ac demum plurimâ apud omnes virtute clarus, ad Deum migrat,

Anno 1608.





FRATER MARCVS A SCOTONETO FRATRVM
CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. MARCI A SCOTONETO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER MARCVS à SCOTONETO, Laicus, clariſſimâ virtutum, ac cœleſtium ſignorum luce illuſtris, cùm ab adoleſcentiâ ſæculum ſpernere, mundi huius oblectationes fugere, ſenſuum mortificationi ſtudere, diuinis rebus, ac preſertim orationi incumbere didiciſſet; cœleſti viſione ad Capucinorum gremium adducitur: cùm enim Capucinorum fama ad illius aures nunquam perueniſſet; quoties è domo egrediebatur, binos Fratres, Capucinorũ habitu indutos, ante ſe gradientes intuebatur: quos cùm accelerato greſſu attingere ſtudet, haud tamen id aſſequi vnquam poterat. Quapropter rem á Deo profectam agnoſcens, in eorum habitus, ac vitæ formam cœpit animo propendere. Eo factum eſt, vt Foroſempronium aliquando profectus cùm in Capucinos incidiſſet, habitus formam agnoſcens, cum ijs agere cœperit: atq; inſtituti rationem edoctus, Religionis ſinu exceptus fuerit. Purus, ac Virgo ad Religionem accedens, virginitatem, ac vitæ innocentiam, non modò ad extremum vſq; vitæ occaſum integram retinuit; verùm & maximis virtutibus, admirabiliq; vitæ ſanctimoniâ cumulauit. In Religione etenim Laicorum numero adſcriptus, tam mirâ obedientiâ, ſimplicitate, patientiâ, paupertate, humilitate, charitate, ac totius Regularis obſeruantię diſciplinâ, elucere cœpit, vt in agreſti homine, & vix Religionis palæſtram ingreſſo, veterani palæſtritæ virtutem ac prẹſtantiam cuncti perſpicerent. Orationis cùm plurimùm ſtudio incumberet, cœleſtibus à Deo plerumque viſionibus, quâ viâ in virtutum exercitatione progredi deberet, inſtruebatur: quarum vnam aut alteram explicare libet. Orabat Marcus aliquando, cùm in mentis exceſſum raptus, à Domino in aulam quandam regio apparatu ornatam ducitur; in quâ conuiuantium menſam tot, tantisq; pretioſis dapibus opertam cernit, vt lautiones, aut pretioſiores excogitari minimè poſſent. Hinc in alterum à Domi: o obſcurum locum adductus, in eo conuiuium tam à priori diuerſum cernit; vt præter cœpas, allia, mucidum panem, acidum vinum, ac ſimilia pauperrimorum edulia nihil occurreret, quibus conuiuantes veſcebantur. His dum Marcus

ſtupens inhæret, atque horum myſterium ignorat; vtriuſq; conuiuij ſenſum illi Dominus his verbis aperit: Vidiſti, Marce, aulæ conuiuium, quo nihil tibi aut pretioſiùs, aut iucundiùs excogitari poſſe videtur. Hæ cœleſtes deliciæ ſunt, quibus ſæpè ſeruos, & amicos meos in oratione excipio. Verùm ne in hac deliciarum vbertate animo luxurient, alterum illis inter mentis tenebras, & cordis ariditates paro: atque illud eſt, quod ſecundo loco tam tenue, ac tantâ ciborum penuriâ inſtructum vidiſti, vt vix conuiuantibus neceſſaria miniſtret. Sed cùm à me vtrumque illis conuiuium paretur; æquo profectò animi affectu ſecundum, ac primum illis conuiuium accipiendum eſt: cùm in ijs, non quæ appoſita, ſed à quo appoſita ſunt, ſpectari debeant. Rurſùm, cùm ſpiritu excederet, Dominus illi totum orbem terrarum, quaſi argentum ſpectandum præbet; ex quo fructuum loco, flammarum globuli vndique pullularent: quo Dei ſeruus erudiebatur, quo pacto ſe in rerum conditarum conſideratione gerere deberet; nimirum, vt à concretâ hac rerum naturâ animum abſtrahens, mundum velut luciḋiſſimum quoddam Dei opus, argenti inſtar effulgens, contemplaretur: ex quo dum ardentiores diuinæ in nos charitatis flammas erumpere animaduertit, quoties in eum oculos defigit, ijs totus animo inflammaretur. Aliàs quoque poſt aliquot menſium ſpatia, miræ pulchritudinis Crucem in aëre emicantem intuebatur; cuius aſpectu mirum in modum ad Chriſti Domini imitationem accendebatur. Poſt hæc, duorum menſium ſpatio, tam aſſiduâ ſpiritus actione in Deum ferri cœpit, vt iugi quodam mentis ſtupore abſorptus, exteriorum ſenſuum vſu deſtitutus videretur. Quo fiebat, vt toto hoc tempore, nullum in Conuentu miniſterium agere valeret; cibi omnes illi inſipidi videbantur; ac ſpirituali voluptate exuberante, corporalis guſtus ſilebat: Hinc tantam corporis imbecillitatem contraxerat, vt greſſu nutante, vix progredi valeret. In Dominicę Paſſionis meditatione animum vt plurimum exercebat; quam cùm vberioribus lachrymis proſequi non poſſet, lachrymarum à Domino donum poſtulans, illum intus ita loquentem percipit: Marce, cùm in meæ Paſſionis memoriâ lachrymæ areſcunt, mutuò à Matre meâ ſuas tibi lachrymas petens; eas mihi pro tuis offer, eæq; mihi æquè, ac tuæ gratæ erunt. Nullam cùm Marcus literarum peritiam teneret, à Fratribus aliquando prouocatus, vt litteras diſceret, quo B. Virginis Officium perſoluere valeret; in id priùs animum intendere noluit, quàm Deiparę in oratione beneplacitum exploraret. Quæ eidem apparens:

Marcè (ait) Regula tuum tibi Dominicarum Orationum Officium præſcribit, quid tibi litteris opus eſt? Hoc diligenter perſolue: atque intra tuæ vocationis metas te contine. Quapropter hoc Beatæ Virginis oraculo edoctus, ſe à litteris abſtinuit. Incredibili hic Dei ſeruus erga infirmos charitate ferebatur: quapropter cùm à ſtipe mendicandâ veſpere ad Conuentum rediret; licet ex labore feſſus, mox ad ægrotos accedens, neceſſaria illis miniſteria perſoluere conſueuerat. Quo factum eſt, vt in Anconitano Conuentu, poſt exhibita ægrotantibus officia, ante ſacræ Euchariſtiæ Altare orans, in mentis exceſſu, illi aurea quædam ſcala aureis gradibus diſtincta demonſtrata fuerit; quæ cùm à terris ad Cœlos pertingeret, qui per eam aſcendebant, Angelos ſibi obuios habebant, à quibus ad Cœli gaudia ducebantur. Hanc verò, Fraternæ charitatis ſcalam eſſe intellexit; quæ tametſi altero extremo terris inhæreat, vtpote in terreno, atque ægrotorum miniſterio fundata: per eam tamen aſcendentes ad Cœlum ducit. Hoc Dei ſpiritu cùm Marcus ad præſtantiora virtutum ſtudia prouocaretur, eodem quoque occulta penetrabat, ſecretaq; cordium arcana ſcrutabatur. Nonnullis quoque illum à Deo miraculis illuſtratum fuiſſe noſtra monumenta ferunt. Cùm enim Anconæ Lucretia Tancredi, ſeptem annorum ſpatio vberis morbo laborâſſet; cunctisq; ad illius curationem remedijs adhibitis, à Phiſicis tandem incurabilis iudicaretur, Marco illa morbum aperit; qui ſigno Crucis vberi impreſſo, mox vber incolumitati reddit. Huius quoque filiam, ſigno Crucis adhibito, à pedum morbo liberat. Fr. Franciſcus Piſaurenſis, Sacerdos, graui cephalalgiâ vexabatur: quo tempore Marcum rogat, vt Crucis ſignum capiti ſuo impendat. Reluctabatur is: at ipſius precibus deuictus, ſignum adhibet, protinusq; à capitis dolore liberatur. Fr. Hieronymus à Caſtro Ferretonum, qui hoc anno 1608. ſecundò Generalis fuerat. Anconæ aliquando colico dolore grauiter cruciabatur: qui cùm Marci ſanctimoniam non ignoraret, ab eo Crucis ſignum poſtulat. Recuſabat ille: verùm Guardiani præcepto compulſus, ſignum præſtat; atque eodem tempore dolor fugatur. Fr. Maurus à Criprâ, Laicus, decem annorum ſpatio colicos dolores paſſus, ijs ita ſemel cruciabatur, vt magno in vitæ diſcrimine verſaretur. Cui cùm Medicus vnctionem præſcripſiſſet; Marcus, cui à Guardiano Mauri cura commiſſa fuerat, ægrotum inuncturus genuflectit; ſemelq; Oratione Dominicâ, cum Salutatione Angelicâ perſolutâ, cùm ante vnctionem doloris locum ſigno Crucis obſignaſſet, ſtatim

dolor abſceſſit: eoq; deinceps nunquam afflictatus fuit. Intereà, Marcus tot modis à Dæmone, Iuſtorum omnium hoſte infeſtari cœpit; vt non modò ſub diuerſis belluarum formis, eum ab orationis ſtudio reuocare conaretur, verùm & diris verberibus cæderet: quæ ille inuictâ animi patientiâ ſuſtinens, eâ duriùs Dæmonem feriebat. Hoc pacto cùm diuturno hoc Dæmonum bello laceſſitus, victor ad Coronam accederet, ab Hieronymo à Caſtro Ferrotorum Romam vocatur; vbi circa huius anni initium ſupremo morbo correptus, cum Eccleſiæ Sacramentis, ac perpetuâ mentis in Deum eleuatione ſe ad Domini aduentum pręparâſſet, tandem inter Dei laudes, ac B. Virginis Hymnos exultantem Deo ſpiritum reddidit, Anno 1608.

Fr. INNOCENTII A IVLIANO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER INNOCENTIVS à IVLIANO, Laicus, cùm vitam in ſæculo varijs criminum maculis aſperſam duxiſſet; nouâ inter Capucinos inſtitutâ, ita veteris labem abſterſit, vt vitæ innocentiâ, morum honeſtate, carnis, & ſenſuum mortificatione, paupertatis ſtudio, humilitate, charitate; plurimâ denique virtute, eam ſanctimoniæ apud omnes famam ſibi comparauerit, vt Crucis ſigno miracula patrâret: cùm enim in Neapolitano Conuentu Immaculatæ Conceptionis, Franciſcus à Caſtroforti, Laicus, in Noſocomio febricitans iaceret; quo tempore ægrotus Innocentij ſanctimoniâ permotus, ab eo ſigno Crucis obſignari poſtulat: qui cùm ſignum illi exhibuiſſet, mox à febri incolumem reddit. Hic cùm Neapoli magnâ cum ſanctimoniæ laude vitæ curſum confeciſſet; poſt mortem nepti, quæ ſe illius ſuffragijs commendauerat, in ſomnis apparens, coniugis illi mortem, quæ deinde ſecuta fuit, prenunciat. Huius filia, quæ graui in altero brachio laborabat morbo, Innocentij ope à matre imploratâ, conualuit. Polita Innocentij ſoror, cùm vniuerſali corporis morbo ita afficeretur, vt intolerabiles penè dolores ſuſtineret, vi tandem doloris compulſa, altius Innocentium Fratrem inclamans: Nunquid (inquit) Innocenti, ita ſororis oblitus es, vt nulla

te mei his doloribus obrutæ miſeratio pungat? Age, diuinam pro me miſericordiam interpella; atque ab his pœnis libera. Vix hæc gemens protulerat, cùm ſe liberam ab omni ita dolore ſenſit, vt his deinceps nunquam afflictata fuerit. Eadem iterum tertiâ febre laborans, cùm ſacrum toreuma, quo Innocentius olim vſus fuerat, ſibi collo appendiſſet, ab eâ ſtatim curatur. Hoc ipſum ſacrum amuletum binis viris febricitantibus impoſitum, ijs incolumitatem contulit.

Fr. PACIFICI GALLI
LAICI
VITA, ET GESTA.

FRATER PACIFICVS GALLVS, Cathaloniæ Prouinciæ Laicus, Vir plurimâ virtute illuſtris, præter innumeras animi virtutes, quibus ad miraculum præditus erat, tanta fuit orationis preſtantiâ dotatus, vt ardentioris diuinæ charitatis flammâ correptus, quotidiè ferè in clamores erumpere compelleretur: quos cùm omni ſtudio comprimere tentaret, ſeſe humi proſternens, tantâ ſpiritus vi exagitabatur, vt animam tunc agere videretur. Denique cùm nullâ ratione hunc ſpiritus æſtum cohibere valeret, eo ſæpiſſimè altiùs è terrâ efferebatur. Noctes plerumque inſomnes cùm in oratione duceret, aliquando quinque, aut ſex cubitorum altitudine ſupra lampadem, quæ ante ſacræ Euchariſtię Altare ardet ferri toto corpore viſus. Hoc modo Barcinone, cùm in publicâ Fratrum accuſatione à Guardiano illi pœnitentiæ loco iniunctum fuiſſet, vt Orationem Dominicam, cum Angelicâ Salutatione ante ſacram Euchariſtiam perſolueret, ibi in mentis exceſſum raptus, & corpore in ſublime elatus, tamdiu immobilis perſtitit, quoad Guardianus, Fratre ad eum miſſo, illum ab ecſtaſi reuocaret. At neque in menſâ, cùm pia aliqua lectio legeretur, ita ſibi imperare poterat, quin vel in clamores; vel, ſi clamores maximâ ſibi vi illatâ compeſceret, in totius corporis tremores, ſpiritus vim exhalaret. Cæterùm, tam frequentes hos mentis exceſſus patiebatur, vt etiam, dum horti culturæ incumbit, ac ligone terram effodit, fixis in cœlum oculis, diu immobilis permaneret. Hos verò tùm mentis exceſſus, tum ſpiritus impetus, cùm nullâ ratione cohibere

poſſet;

poſſet; his maximè,propter inditam animo humilitatem angebatur: eò potiſſimùm, quod hæc omnium oculis paterent. Quaprόpter pectus tundens, ac ſe indignum peccatorem exclamans, à Fratribus veniam expoſcere conſueuerat; perinde ac ſi ſcelus quoddam patraret. Intereà mirâ tum in Fratres, tùm in pauperes charitate ferebatur; tantaq; vitæ auſteritate,ſenſuum cuſtodiâ, mulierum fugâ, humilitate, patientiâ, tot denique, virtutibus emicabat; vt nullus cuiquam ſuſpicioni locus eſſe poſſet, quin hæc à Deo profecta cenſerentur. Præter raptus, ac mentis exceſſus prophetico quoque ſpiritu à Deo præditus fuit; quo Leonardo Perpinianenſis Eccleſiæ Canonico, occultum aliquando illius mentis conſilium aperuit,atq; ab eo abſtinere monuit. Exortam aliquando in mari tempeſtatem oratione,ac benedictione ſedauit. Currum limo infixum, quem plerique ſimul iuncti agricolæ inde amouere non poterant, indictâ omnibus Angelicâ Salutatione, ſolus è cœno eruit. Deniq; per integrum annum moleſtâ corporis ægritudine, ac patientiâ probatus, octogenarius Perpiniani in Domino obdormiuit, claro nomine poſteris relicto. Poſt mortem verò, cum maximâ Perpinianenſis populi frequentiâ illius funera celebrata fuiſſent; eiusq; habitus propter notam Viri ſanctimoniam, in fruſta conciſus; & capitis, ac barbæ illi capilli obtruncati fuiſſent, pleriſque etiam miraculis hæ ipſius Reliquiæ à Deo illuſtratæ fuerunt, ex quibus nonnulla hìc recenſere libet, certâ fide probata. Ludouici Sabellas Phyſici qui Pacifici funeri interfuerat, ex eoq; habitus fruſtum, ac capillos tulerat, filius adhuc puer in extremis laborabat: quo tempore pater Pacifici apud Deum ad filij præſidium merita inuocans, ipſius habitus, & capillorum Reliquias moribundi filij collo appendit. Poſt hæc obdormiens, Pacificum ſibi in ſomniis apparentem, atque incolumitatem filio reddentem cernit. Quare à ſomno ſtatim excitatus cùm ſe ad filium contuliſſet, eum à febre liberum, atq; incolumem reperit. Chriſtophorus Iacobi Comaladæ filius, cùm lethali morbo correptus eſſet, Pater Pacifici habitus particulâ ipſius pectori admotâ, eiusq; è cœlo opem implorans, corporis ſalutem conſequitur. Hieronyma Nogues Barcinonenſis, ad Medicorum deſperationem ægrotans, cùm maritus eius votum ad S. Virum emitteret, quamprimum in ſalutem aſſurgit, atque incolumitatem conſequitur. Poſtremò, Monialis quædam vrbis Perpinianenſis, poſt Pacifici obitum, eum cœleſti gloriâ donatum diuinâ ſe reuelatione accepiſſe teſtatur. Obijt Vir Sanctus Anno 1608.

Fr. LVDOVICI A PEDACIO LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER LVDOVICVS à PEDACIO, Laicus, Vir illuſtris, cùm vitam ita cum virtute compoſuiſſet, vt abſtinentiâ, humilitate, paupertate, obedientiâ, caſtimoniâ, & cæteris, quæ perfectum, ac Seraphicum hominem reddunt, virtutibus mirum in modum excelleret, cœleſtia quoque à Deo, tùm prophetiæ, tum patrandorum miraculorum dona accepit, quibus ipſius apud Deum ſanctimonia probata fuit. Cùm enim in Conuentu Pedacij Eleemoſynarij aliquando munus gereret, cuidam Franciſco Leoneto pretioſus equus, iam aliquot menſium tempore elapſo, furto ſublatus fuerat: ex quo Colidonia vxor ob id plurimùm angebatur, quod vir quibuſdam furti ſcelus adſcriberet, quibuſcum grauis, ac funeſta rixa excitanda foret. Has Colidonia cùm Ludouico animi anguſtias communicâſſet, is protinus: Nihil (inquit) extimeſcas, Colidonia: hæc à vobis Deus mala auertet: Sacræ tantùm Deiparæ præſidijs confide: cras enim veſpertinâ horâ equus præ tuæ domus foribus ſtabit. Neque à dicto res aliena fuit. Silliani, Portiæ Mirabellę grauiſſimâ febre laborantis incolumitatem Fabritio viro pręnunciat; & vt matrem adhuc valentem admoneat, vt ſuis animæ rebus conſulat, hortatur; neque enim nonum diem ſuperſtitem conſpecturam pręſignificat. Haud ſecus res accidit: nona enim dies quæ vxorem incolumem reddidit, matrem è medio ſuſtulit. Hieronymi cuiuſdam frater in oppido Cellarię cùm in exules incidiſſet, de illius redemptione Hieronymus agebat, ſimulq; Ludouici orationum pręſidia implorabat, cui Ludouicus: Hieronyme (inquit) quam pro fratris redemptione pecuniam paraſti, in meliores domus tuæ vſus ſerua: frater enim abſque vllâ redemptione liber domum rediturus eſt. Quod ſi celerius illius præſentiâ frui optas, iter ad ipſum carpe, obuiam tibi illum in itinere habiturus. Hieronymus igitur viam ad exules aggreditur; neque adhuc mediam confecerat, cùm fratrem venientem conſpiciens, verum S. Viri vaticinium experitur. In Conuentu Meſioraci, fur adueniens corium pro ſandalijs, atque alia ad ſacrorum vſum ſpectantia ſecum auferr.

Re com-

Re compertâ, Guardianus, dum cùm Fratribus de fure perquirendo agit, eidem Ludouicus: Nulla (inquit) Pater, ob furtum te cura ſollicitet; cras enim fur ipſe vinculis conſtrictus ad nos veniet, cunctaq; furto ſubrepta reſtituet. Poſterâ verò die, fur in armatum ſatellitium incidens, vinctus ad Monaſterium ducitur, resque furto ſublatæ Fratribus reſtituuntur. His pleraque alia huius ſancti Viri vaticinia addi poſſent, quæ breuitatis ſtudio prętereo, vt nonnulla ipſius miracula proſequar. Nobilis quidam Vir in Capucinos beneficus, Ioannes Baptiſta de Abbate dictus, cùm per agrum quendam iter faceret, in puteum quendam latentem, ſex cubitorum altitudine profundum, atque aquâ ſemiplenum, caſu incidit: ex quo cùm nullâ ratione emergere valeret, magno in vitæ diſcrimine, tùm ob ſenilem ætatem, tùm etiam frigidam aëris conſtitutionem (erat enim hyems) verſabatur. His dum animi anguſtijs, humanâ omni ſpe deſtitutus, premitur; paruula quædam Crux, quam nuper â Ludouico dono acceperat, illi in mentem venit: hanc igitur deoſculari, ac Ludouici opem implorare cœpit: moxq; ſe diuinâ virtute è puteo erutum, ac ſolido loco conſiſtentem cernit. In Sillani oppido Vincentiam Claromontanam, vtroque lumine orbatam, atque altero crure, ac manu mutilam, vt eorum vſu omninò careret, poſt ſex dierum orationem Ludouicus priſtinæ incolumitati diuinâ virtute reſtituit. Cumq; illa nuncium horum Ludouicum certiorem facturum ad Conuentum miſiſſet; Ludouicus nuncio verba præueniens: Quid nunciaturus ſis (inquit) non ignoro. Vincentia iam malorum ſuorum â Deo remedium accepit. Iam redi, & vt Deo grata eſſe curet, meo illi nomine renuncia. Pedacij quoq; infantem, quem cùm puella inter brachia geſtaret, cadens ſuo corporis pondere oppreſſerat, Beatiſſimæ Virginis interceſſione ad vitam reuocat. In pago Periti, cùm oleum à muliere peteret, illa vas oleo vacuum oſtendens, mox illius oratione plenum offendit. Huius tandem ſancti Viri nepos, arboris caſu oppreſſus, cùm linguæ vſu ita deſtitutus eſſet, vt peccata ſua Sacerdoti confiteri non poſſet; ei loquelæ vſum tamdiu ſuâ oratione à Deo impetrat, quoad conſcientiæ ſuæ maculas coram Sacerdote abſtergere valeret. Itaq; cùm pari virtute, & vitæ curſu pleroſq; in Religione annos magnâ cum ſanctimoniâ traduxiſſet, Conſentinæ mortalem cum immortali vitam commutat, Anno 1608. de quo illud poſt mortem admirabile fertur, quod cùm ipſius corpus de more geminâ fune ſuſtentatum, in ſepulchrum demitteretur, alterâ perfractâ, præpoſterè dęlapſum

in ſepulchro incompoſitum iacebat: quo tempore ſeipſum in ſepulchro componens, vultu ad Cœlum conuerſo, palmiſq; ante pectus iunctis apparuit, perinde ac ſi ſupremam corporum reſurrectionem expectaret, Cœlum ſimul cum animâ conſcenſurus.

Fr. Illvminatvs Placentinvs, Laicus eiuſdem Prouinciæ, multarum virtutum Vir celebratur; cui aliquando oranti Nicolaus Dianenſis Sacerdos, pro quo is Deo preces obtulerat, glorioſus apparens, cœleſti ſe gloriâ donatum aperuit. Obijt anno 1608.

Fr. ANTONII NVCERIENSIS, SIVE à NEAPOLI, LAICI

VITA, ET GESTA.

FRater Antonivs Nvceriensis, Laicus, quem quædam M.S. noſtra à Neapoli nuncupant, nobili exortus progenie, vitæ ſuperbiam calcans, humillimum inter Capucinos Laicorum ſtatum ſibi amplectendum delegit: in quo tam præclarè, tantâq; cum virtute verſatus eſt, vt inter illuſtriores Religionis Viros locum ſortitus fuerit, purus, ac Virginitatis dono præditus, cùm ad Religionem acceſſiſſet, in eâ ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio, vſq; ad ſupremum vitæ occaſum, tantam morum honeſtatem, tam diligentem vitiorum omnium fugam, tam ſollicitam ſenſuum cuſtodiam, tam præclaram vitæ innocentiam; tam denique indefeſſum virtutum omnium ſtudium colere viſus eſt; vt quid in eo reprehendi poſſet, nihil prorſus haberetur: quæ verò tùm admiratione, tum imitatione digna in eo elucerent, quamplurima conſpicerentur. Poſt aliquot in Neapolitanâ Prouinciâ annos ab eo magnâ cum virtute tranſactos, in Hiſpaniam miſſus, Cathaloniæ Prouinciam maioribus Euangelicæ perfectionis exemplis illuſtrare cœpit: ab eo enim tempore, & rigidiùs carnem ieiunijs extenuare, & verberibus mactare, & vigilijs atterere exorſus; inſomnes in oratione noctes in Eccleſiâ ducere conſpicitur. Quo fiebat, vt eo tempore raptus, & ecſtaſes pateretur. Accidit aliquando, vt in Eccleſiâ, ante ſacræ Euchariſtiæ Altare orans, ita ſpiritu ſurſum ageretur; vt & corpore in aëra, ad lampadem vſque ante Venerabile ardentem, efferri viſus fuerit: nonnunquam etiam Fratres Antonij cellam, dum intus orat, clariſſimâ luce fulgentem

conſpi-

conſpiciunt. Pleriſque Antonium à Deo viſionibus cohoneſtatum fuiſſe communis olim fama fuit: ex quibus vnam, aut alteram referre haud importunum erit. Orabat Barcinone aliquando Antonius, cùm mente excedens, Angelum ſibi pręſentem cernit, qui eum in Cœlum volatu celerrimo ſubuectum, cœleſtis illius Hieruſalem pulchritudinem, ſplendorem, & gaudia ſpectare iubet. Horum dum Antonius aſpectu vix ſibi conſtare videtur; quendam inter cœleſtis illius vrbis ciues candidâ luce fulgentem, & clariſſimos gloriæ ſplendores radiantem præ cæteris intuetur, cuius intuitu maximè oblectabatur. Mox ad eum Angelus: Antoni, inquit, num quem intueris, agnoſcis? Cui Antonius: Haud profectò, niſi mihi ſignificaueris. Tunc Angelus: Is Ioannes Euangeliſta eſt, quem ſingulari tu ipſe veneratione proſequeris. Alteram quoq; inter pleroſq; Virginum Choros, cœleſti gloriâ clariùs emicantem Virginem cernens, cùm ab Angelo, quænam illa eſſet, ſciſcitaretur; eam Catharinam Virginem & Martyrem, in quam is pari quoque deuotione ferebatur, eſſe audit. Moxq; ad ſenſus redit. Illuſtris præterea illa viſio fuit, quam refert Antonius Vincentius, Ordinis Prædicatorum, in ſecunda parte Libri Hiſpano idiomate conſcripti, qui inſcribitur: *Hiſtoria general de los Sanctos, y Varones illuſtres en Sanctidad de Catalona.* In quâ S. Raymundi de Pennafort geſta recenſet: vbi inter alia hæc habet: Cùm Religioſus quidam Capucinus nomine Fr. Antonius à Neapoli, anno 1596. tam acerbè, ac periculosè ægrotaret, vt Medici iam de illius vitâ deſperarent, implorauit ipſe D. Raymundi Barcinonenſis opem: & eâ nocte, in quâ illius interitus, tanquam certus habebatur, apparuit illi quidam Religioſus S. Dominici; ad cuius conſpectum maximum morbi leuamentum, & conſolationem pariter ſentiebat. Poſtridie ortâ luce, adeò ſe meliorem valetudinem aſſecutum cognouit, vt Medici illam miraculoſam prædicarent. Quare cùm precatus eſſet Deum, vt ſignificaret ſibi, quiſnam eſſet Religioſus ille, ob cuius merita eo beneficio affectus eſſet; eâ horâ, quâ horologium ſolito ictu decimam horam matutinam ſignabat, apparuit illi idem glorioſus D. Raymundus, ſuper ſedem pretioſiſſimam ſedens, placidoq; ac hilari vultu, & ad riſum propenſo in illum aſpiciens; perſeuerauitq; in illum per duas vel tres horas: & cùm diſparuiſſet, ab eo tempore ſenſit ſe, tam ab eo morbo, quo decumbebat oppreſſus, quàm ab alijs ægris corporis affectionibus, quibus ſæpè ſæpiùs affligebatur, omninò confirmatum, ac liberatum.

Cæterùm, Antonium Propheticum à Deo, quo res futuras præ-noſceret, ac mentium occulta peruaderet, donum accepiſſe, plurima huius rei exempla abundè teſtantur. Extat inter alia grauiſſimum Gaſparis Ægidij, Epiſcopi Vicenſis, teſtimonium ad nos tranſmiſ-ſum, ac proprio Chirographo obfirmatum, nonnulla huiuſmodi exempla recenſens; quod ad ampliorem rerum veritatem hìc appo-nendum duxi.

EXEMPLAR TESTIMONII EPISCOPI VICENSIS.

PRæclarè noui Fr. ANTONIVM à NEAPOLI, Religioſum Capucinum, Laicum, illoq; familiariter vſus fui, quando ambo in Regno Aragoniæ Turiaſſone morabamur: ego reſpectu mei domicilij; ille verò reſpectu fundationis, & ædificationis Conuentus. Fuit mihi certè in Aragoniâ cum illo plu-rimus vſus, & diuturna conſuetudo; & dico fuiſſe mihi exiſtimatum illum imprimis Sanctum, & ſpiritus excellentiſſimi Religioſum, & peculiaribus donis cœleſtibus à Deo illuſtratum: ſpecialiter verò dono dignoſcendi, ac penetrandi ſpiritus, ſpiritus Prophetiæ, nec non & altiſſimæ contemplationis. Ego quippe communicaui cum eo plura ad bonum animæ meæ, & diuerſarum aliarum animarum ſpectantia; indeq; & agnoui, patefacere illi Deum ſecretiora arcana cordium, & vias, per quas vnicuique animarum incedendum erat, vt ad altiorem perfectiorem aſcenderent. Propter effectus etiam, quos experiebantur in ſe eædemmet animæ (cum quibus etiam ego poſtea ſum collocutus) perſpicuè vidi, abſque Dei ſpecialiſſimo lu-mine, & diuinâ reuelatione non potuiſſe illum intelligere, quæ in-tellexerat; tùm quia erant effectus futuri contingentes, tùm quæ de-pendebant à diuinâ gratiâ, & ad profectum interiorem animæ per-tinebant. Contigit mihi pluries audire illum, cordis mei cogitatio-nes occultas, mihi dicentem, & aperientem, quas ego cum nullo ho-minum communicaueram; ſed neque per exteriùs prolata verba, ex-teriùs aliquod ſignum earum dederam; nec illas quauis aliâ viâ, quâ arcanum cordis mei noſſet, oſtenderam. Prætereà, aliquoties, præ-nunciauit mihi futuros rerum euentus, quas ſucceſſu temporis vidi fideliter adimpletos; quarum multæ ſpectabant ad perſonas ſpiri-tuales, in quas erat Deus præclara beneficia collaturus: quæ ſanè tempeſtiuè iiſdem collata, & prophetiam adimpletam eſſe mihi

conſtat ex certâ relatione perſonarum earundem. Eæ verò res, quæ prædicebantur ab ipſo, interiores adeò erant, vt iuxta Sanctorum regulas, errori minimè ſubiacere poſſent, quod non ſubijcerentur ſenſibus exterioribus, nec interioribus, & in intimo animæ ſentiri deberent. Et quandoque alios prænunciabat euentus de rebus exterioribus ſimul & interioribus. Porrò, ſcientia, peritia, & lux, quam habebat circa myſticam Theologiam, adeò inſignis erat; vt cùm ego ſæpiùs eum alloquerer, iuxta ea, quæ in Sanctorum libris legerem, & rebus ad eam pertinentibus; audirem illum tanto verborum pondere de ea eloquentem, tamq; ſublimem doctrinam tradentem, vt admirationem planè mihi concitaret. Nec immeritò: cùm eſſet ipſe Religioſus Laicus, ac ſcientiarum ignarus; & ſuper hæc dilucidè conſpicerem, ea, quæ loquebatur, vel docebat, tum in ſubſtantiâ, tùm in modo dicendi, ſcientiam omnem humanam, labore, ac ſtudio comparatam excedere. Accedit ad hæc, quod etiam circa Fidei ſacra myſteria, & Theologiæ Scholaſticæ ſubtilitates, audiebam illum interdum mirabiliter eloquentem. Communicabam ego cum eo plurima circa diuerſarum animarum ſtatum, quæ per vias extraordinarias incedebant; & ex reſponſis eius, quæ oportebat perſpicuè reddi, virum illum ecſtaticum intellexi, & continuæ orationis paſſiuæ: ſic, vt de eo dici poſſet, quod de D. Dionyſio affirmat D. Hierotheus, quod erat diuina patiens. Noui ego caſus aliquos valdè peculiares, verèq; inſignes de prędicto Fr. Antonio, qui ex certiſſimo fonte ad notitiam meam profluxerunt. Quorum primus eſt, qui ſequitur: Dum ipſe Fr. Antonius Cæſarauguſtanum coleret Conuentum, quadam nocte totam illam in oratione tranſegit. Exorto die cùm primùm diluxit, petiuit licentiam egrediendi Conuentum, vt cuidam animæ languenti ſubueniret, ac mederetur. Et cùm iam per vrbem incederet, magna quidem feſtinatione ſuo in itinere procedebat. Quod animaduertens ſocius, monuit illum, vt attenderet id, quod deceret habitum, & profeſſionem ſuam. Cui reſpondet Fr. Antonius; vt celerrimum faceret gradum, quod ingens neceſſitas id poſtularet. Et cùm iam ad lapideum pontem fluminis Iberis deueniſſent, occurrit illi quidam homo, qui deferebat ſecum funem ſub pallio, vt ſe ſuſpendio præfocaret. Ad quem accedens Fr. Antonius, prodidit illi deliberationem iniquam ſe perdendi, quæ latebat in eius pectore, & infelicem animæ ſtatum, ad quem hoc cœptum conſilium eum perduxerat. Et ſuper hæc prænunciauit illi voluntatem citiſſimè obeundi mortem, cui ſe cum omnimoda

animæ ſuæ ruinâ ſubdiderat, Deum illi citò adimpleturum; quia breui emoriturus erat. Quare conſuluit ei, vt illius ſceleris, & aliorum maculas diligenti Confeſſione deleret: & popoſcit ab eo, quem gerebat ſecum funem abſconditum. Credidit ille Fr. Antonio: tradidit illi petitum funem; & ab eo digreſſus peccata ſua Sacramentali Confeſſione expiauit, & breui mortuus eſt, iuxta Fr. Antonij prædictionem. Hunc ego caſum accepi à Religioſis ipſis, qui tunc in eodem Conuentu cum Fr. Antonio commorabantur; & ſpecialiter à Patre F. Franciſco de Touet, Sacerdote Religioſo magnæ exiſtimationis, qui illum mihi tanquam certum & indubitatum referebant.

Alio die, cùm per vicum quendam vrbis Cæſarauguſtanæ incederet, celeriorem faciens gradum acceſſit ad hominem quendam, cui planè erat in animo grauem in Deum committere offenſam. Patefacit illi cogitationes cordis eius; & reprehendens monuit eum, vt peccata ſua per Confeſſionem elueret: quia die craſtinâ eâdem horâ, quâ hæc audiebat, defunctus ad ſepulturam erat adducendus. Credidit, & obedijt homo ille; & quamprimùm è corporis vinculis euolauit. Aderat Fr. Antonio, quando peccatorem illum arguebat, alter Ciuis Cæſarauguſtanus, vir ſæcularis, qui per vicos eundem peccatorem comitabatur; & audiuit omnia, quæ Fr. Antonius locutus eſt ad ſocium ſuum, & omnia, quæ tunc audierat, mihi fideliter enarrauit: quæ certiſſimè prænunciata eſſe comprobauit rerum euentus: Etenim poſtridiè prædictus Ciuis Cæſarauguſtæ, eadem horâ, quâ prædixerat Fr. Antonius, proſecutus eſt cadauer ſocij ſui, quando in feretro ferebatur ad ſepulchrum. Retulit quoque mihi ſemel, & pluries P. Fr. Franciſcus de Touet, Sacerdos, & Religioſus Capucinus, qui iam pridem Cæſarauguſtæ mortem obijt cum magnâ Sanctitatis opinione; quod cùm ille in ſæculo adhuc agens, Religioſus fieri cuperet, erat illi animus ad Carthuſiam mirè propenſus: quam mentem ſuam & propenſionem, neque Fr. Antonio, neque vlli alij ex Fratribus aperuerat, per quem poſſet ad notitiam Fr. Antonij peruenire. Stabat die quâdam dictus P. Franciſcus adhuc ſæcularis, habitu ſcholaris indutus, iuxta Conuentus Cæſarauguſtani ianuam; accedensq; Fr. Antonius dixit illi, vt demitteret errorem mentis: quia nolebat Deus, vt Carthuſianam Religionem ſuſciperet; ſed Capucinus futurus erat.

Alius caſus ex ore dicti Fr. Antonij ad aures meas dimanauit, & ex certâ aliorum aſſeueratione, in quo ſe dono Prophetiæ clariſſimè illuſtratum oſtendit. Fuit Turiaſſone quidam Religioſus alterius

Religio-

Religionis, qui dum antea in ſæculo ageret, per multos annos liberrimam, & grauibus culpis coinquinatam vitam egerat; ſed tandem diuino numine afflatus Religioſum ſtatum ſuſceperat: & Deus in Religione beneficijs eum illuſtrans, ad perfectionem per viam ducebat extraordinariam. Hunc ego, dum in ſæculo verſaretur, nouerám, & eodem iam facto Religioſo vtebar quoque familiariter; & huic Religioſo, cum prædicto Fr. Antonio, magnus equidem, & frequens pariter vſus erat; & ſciebam ego optimè viam illius extraordinariam. His præmiſſis, quæſiui ego ab hoc ſancto Religioſo Fr. Antonio, quæ, & qualis eſſet via illa inſolita, & minimè communis; & quid ſentiret de Religioſo illo per eas vias cœlitùs ducto. Qui mihi reſpondit, Religioſum eum per viam illam inſuetam breui magnum eſſe perfectionis ſplendorem aſſecuturum, eſſeq; à Deo Orationis continuæ dono munerandum; quod erat beneficium cæteris maius ex his, quæ conferre ſolet Deus in hiſce vijs animæ interioribus: continuationem autem orationis, cuius cœleſti munere donandus erat, tantam fore, vt etiam occupatus ſomno, ab oratione non deſiſteret: & quando expergiſceretur, experturum eſſe, collecturumq; fructum orationis, quem Deus illi contulerat edormienti: in parte quoque ſuperiore illius animæ diuinitùs eſſe collocandam quandam quaſi nubeculam lucis mirabilis, ex quâ perpetuo influxu diuinæ miſericordiæ in illum influerent: & denique accepturum eſſe cœlicum donum dignoſcendorum ſpirituum, & viarum interiorum; & multos ſpiritus per certam perfectionis viam rectè duceret. Hæc mihi prænunciauit Fr. Antonius. Poſt hæc fuit mihi cum eodemmet Religioſo, de quo talia prędicta ſunt, annorum plurium diuturnus vſus, & ex eius ore accepi ego, & intellexi omnia, & ſingula, quæ de eo prędixerat Fr. Antonius, in eo adimpleta fideliter eſſe. Cumq; ego non parum admirarer, quod homo anteà in ſæculo corruptâ adeo, & liberrimâ vitâ, tam breui extolleretur ad tantam cum Deo familiaritatem; Reſpondit mihi idem Fr. Antonius, Deum miſericordijs, gratijsq; elargiendis, cum aliquibus perinde ſe gerere in principio, atque ſe gerit cum alijs poſt annorum plurium ſpatium in obſequio ſuo traductum: quia per viarum illarum iter volebat confirmare eorum animos, quo roborati, ac expediti eſſent ad ſuſcipiendas exercitationes aliquas ad obſequium ſuum ſpectantes: affirmauitq; mihi ſe nouiſſe aliquos ſpiritus, cum quibus Deus liberalitate ſimili vſus erat. Et inter alia exempla peculiariter enarrauit mihi de quodam Religioſo Capucino Nouitio, qui fuerat in ſæculo

ſicarius

ſicarius,& graſſator, & in plurima homicidia, & grauiſſima alia ſcelera fuerat lapſus; quem cùm Deus benignè reſpiciens, ad ſe conuertiſſet, & conceſſus illi eſſet ad noſtram Capucinam Religionem ingreſſus, intra ſex menſes illius mentem Deus ad contemplationem altiſſimam eleuauit. Quare cùm adhuc in Nouitiatu degens, in ſupremum incidiſſet morbum, eoq; ingraueſcente, iam ad ſe adferretur Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum; cùm primum in cellulam, vbi decumbebat, intrauit, conuertit oculos, & mentem ad illud; prolatoq; hoc ſolo verbo: O Domine! mens eius manſit abſorpta, & in Deum eleuata, & vultus eius accenſus, & igneus: & ſic illo diuini amoris impetu feliciter raptus, Creatori ſuo ſpiritum reddidit. Generaliter autem aſſerere valeo de hoc ſancto Religioſo Fr. Antonio, eum tam Cæſarauguſtæ, vbi diu commoratus eſt, quàm Turiaſſone, quam vrbem aliquamdiu coluit, maxima quidem animarum lucra fuiſſe, in diuerſis omnium conditionum perſonis; floruiſſeque mirificè ſpirituali gratiâ conuertendarum ad meliorem vitam plurium animarum, eripiens illas, & educens à profundo miſeriarum barathro, in quod ſtabant miſerabiliter immerſæ. Præter hæc, Vir quidam perilluſtris, Martinus ab Eſpes, & Alagon nomine, Lagunæ Baro, nunc verò Marchionatus titulo auctus, familiariſſimè Antonio vtebatur: qui cùm turpe facinus breui explendum animo machinaretur; Antonius rei diuinitus admonitus, actutum ad eum accedit, ac machinatum ab eo ſcelus, cum omnibus circumſtantijs eidem aperiens, tam ſeuerè illum obiurgat, vt tremens ille mox ſe ad ipſius pedes proſtrauerit; qui pede viri colla conculcans, quaſi ipſius ſuperbiam contriuiſſet, tam humilem, ac manſuetum reddidit, vt in alterum planè virum mutauerit. Huic quoque Baroni, qui ob grauem Margaritæ filiæ ægritudinem, de quâ Cæſarauguſtâ, vbi illa ægrotabat, litteras acceperat, magnopere animo cruciabatur, ægrotam iam conualuiſſe aperit, maturiusq; de illius incolumitate litteras accepturum affirmat: quæ paulò poſt à primo tabellario illi redditæ fuerunt. Rurſus, cùm idem Baro grauiter Cæſarauguſtæ ægrotans, Antonij apud Deum ſuffragia imploraret, lætum ab eo nuncium accipit, ab eâ ſe quamprimùm ægritudine incolumem emerſurum; quod haud ſecus, quàm prędixerat, contigit. Eidem quoque pleraq; alia futura prædixit, quæ ſuum tandem effectum ſortita ſunt. Cæſarauguſtæ publicus quidam Tabellio, Mattheus Solozanus nomine, nefandum quoddam ſcelus animo verſans, maturiùs illud moliturus erat: quo tempore Antonius

illum

illum domi conueniens, totam machinati ſceleris telam dilucidè explicat; eundemq; tam acerbè increpat, vt tremefactus Matthæus animum non modo à ſcelere reuocauerit; verùm & ita mores mutauerit, vt ab eo tempore pietatis ſtudioſus euaſerit. Ibidem Vir quidam illuſtris, ad turpe quoddam facinus pergebat, qui ſancti Viri conſpectum pertimeſcens, in quadam domo, ne ab eo videretur, ſe abſcondit. At Antonius rerum omnium à Deo certior factus, vbi ad domus fores peruenit, deliteſcentem virum appellat; cunctaſq; illius cordis cogitationes patefaciens, ſuâ correptione meliorem, quàm inuenerat, dimiſit. Hoc modo, & tres ſcholarum Candidatos, qui in ſcelus condixerant, reuelato ſcelere, ab eo reuocat. In Conuentu noſtro Cæſarauguſtano, Antonius aliquando Nouitium, Matthęum nomine, ad ſæculum remeantem offendit; quem cùm ad infernum properare, affirmaſſet: & ad reditum hortatus fuiſſet, alapam illi in fronte impingit; quæ tantæ virtutis fuit; vt ſtatim Nouitius animo mutatus, in genua procubuerit, iterumque ſibi Religionis habitum profuſis lachrymis reſtitui popoſcerit, ac poſtmodum in eâ magnâ cum virtutum laude ad obitum vſq; verſatus fuerit. Religioſo cuidam omni virtute ornato extremum, ante decennium, obitus diem prædixit. Comiti de Fuentes pleraq; occulta, quæ is animo gerebat, aperuit; quæ (vt idem teſtatur) Deo ſoli nota erant. Plurimas huius generis occultas animi cogitationes, ne longior Hiſtoria texatur, aperit: Ioanni Auguſtino, Nobili Cæſarauguſtano: Ludouico de Vera, Monacho Carthuſiano: Ioanni Calcerano de Pinos: Franciſco Dominico Taragenſi, qui in cuiuſdam necem conſpirauerat: Ioanni Montanerio & Antonio Trullo, Ciui Barcinonenſi: Franciſco Aſtor, Regio Conſiliario: Franciſco Cors, Barcinonenſi Iuriſperito: Hieronymo Roig Medico, qui viro cuidam aduerſario necem machinabatur: Gabrieli Ruis, Barcinonenſi Mercatori: Alphonſo Deril, Comiti Orcai: Ioanni Coſconio Cæſarauguſtano: & Michaëli Calcorano de Pinos, Comiti Vallisfogonæ: quibus intima mentis conſilia nullo verbo aut facto prodita, ita patefecit, vt nulli præterquam diuinæ reuelationi id adſcribi valeret. Præter autem ſuperius enarrata, plura alia compendio enarrare libet. Nobili cuidam Viro, qui turpem vitam Barcinonæ ducebat, immaturam mortem, quæ paulò poſt ſecuta eſt, pręnunciat. Carolum Freges, cuius à Medicis ſalus deſperabatur, incolumem futurum, aliaq; eidem ventura, quæ euenêre, prædixit. Nobili mulieri, quæ partus abortum patiebatur,

fœtum incolumem, quem ſuo tempore tulit, pollicetur. Duorum quoq; Barcinonenſium Virorum, quorum alter deſperata valetudine laborabat, futuram incolumitatem præſignificat. Ioannem de Aragona, ob turpem vitam à Deo ægritudine, ac morte caſtigandum prænunciat. Cæſarauguſtano cuidam aleatori Dei iram, qua breui inexpiatus, letho eripiendus eſſet, comminatur. Eandem quoq; tabernario multis vitijs contaminato prænunciat. Alijs prætereà duobus viris, qui integrâ valetudine fruebantur, in oppido Calatorai, vni poſt quintum, alteri poſt quintum decimum diem, vitæ occaſum præſignat. Cæſarauguſtæ Petrum Ludouicum Martinez diabolicę tentationis, antequàm ab eâ corriperetur, pręmonet. Braulio cuidam Cæſarauguſtano vxoris mortem, futuras nuptias, ac pleraq;, quæ illi poſt hæc euentura erant, aperit. Eâdem in vrbe binis ægrotantibus incolumitatem; alteri incolumi quotidianam febrem: Comitiſſæ Saualliæ maſculi partum: mulieri ſterili prolem, prophetico ſpiritu prędicit. Stephaniam nobilem Gerundenſem, filij moribundi occaſum lugentem, de futurę illius ſalutis certitudine conſolatur. Rurſus verò ægrotanti incolumitatem, promittit. Amitam verò tertianâ febri leuiter laborantem, letho eripiendam pręmonet. Barcinonæ, Ioanni Gallego, Iuriſperito, qui grauiſſimè ægrotabat, tum futuram morbi curationem, tùm pleraq; ad illius vitæ ſtatum pertinentia, pręſignificat. Matthiam mercatorem de ſerici merce, quam è Neapolitanâ vrbe expectabat, ſollicitum, quâ die Barcinonam cum nauigio appellere deberet, certiorem reddit. Franciſco Alexandro Barcinonenſi futuram vxorem, atque alia, quæ illi euentura erant: Franciſco Saulo Genuenſi, integrâ valetudine fruenti, intra bimeſtre vitæ occaſum pręnunciat. Plura huiuſmodi prætereo, ne Lectoris animum multitudine obruant. His plurima etiam accedunt Miracula, quibus D. O. M. Antonij ſanctimoniam teſtatus fuit. Vir Dei aliquando per Almaniam oppidum iter faciens, cuiuſdam ſui olim familiaris domum ingreditur; qui cùm in lecto ægrotaret, ſimul atq; eum aduentantem conſpexit, è lecto emergens, ante Virum Dei genuflexus procedit: Cumq; is Beatiſſimæ Virginis imaginem, quam ſecum geſtare conſueuerat, eidem oſculandam porrexiſſet; vix æger prima illi oſcula infigit, cùm repentè à morbo liber euadit. Alter eiuſdem oppidi Vir, qui odontalgiâ laborabat, cùm ab eo genuflexus Crucis ſignum poſtulaſſet, eo accepto, ſtatim à morbo curatur. Andreæ Pauli Morali, Beatricis vxoris grauiſſimè ægrotantis, poſt orationem breuem, incolumitatem pollicetur.

Franciſcus Dominicus Taragenſis, herniâ grauiter laborabat; cui cùm nulla Medicorum remedia eatenus profuiſſent, Antonius poſt orationem, herniȩ locum manu contingens, mox conſolidatis membranis hernia curatur. In oppido Angliſolæ Maria, Petri Ioannis Dominici filia, omni ſpe ſalutis deſtituta, cum morte colluctabatur; cùm ad eam Vir Dei accedens, IESV nomen illius brachio alligat, & paulisper pro eâ Dominum rogat; ſtatimq; morbi vi repreſsâ, quæ iam iam moritura credebatur, in vitam vendicatur. Ducis de Maqueda filius Barcinonæ, cùm acri tibiæ dolore torqueretur, Antonium rogat, vt pallio ſuo ægram tibiam inuoluat: Id cùm Vir Dei præſtitiſſet, ſtatim effugato dolore tibia conualuit. Ca ſaraugustanæ mulieris filium grauiter ægrotantem, vbi cinereum B. P. N. Franciſci habitum quinquennio illi deferendum perſuaſit, ſuâ oratione ſanat. Alium quoque Barcinonenſem virum, Alexandrum Moxum nomine, morti à Medicis adiudicatum, cùm manu contigiſſet, ac Crucis ſigno obſignâſſet, illicò præſtitit incolumem. Andreæ Regnes filio velut mortuo funera parabantur; ad quem accedens Antonius, cùm certum à patre promiſſum accepiſſet, ſe aleis valedicturum, ac S. Antonium Vlyſipponenſem deinceps præcipuâ veneratione proſecuturum, ſuâ oratione priùs à necis periculo liberat; tum integræ ſanitati reſtituit. Conſueuerat Vir Dei ſacræ Deiparȩ ſecum Imaginem geſtare; quam cùm ægrotantibus oſculandam traderet, illos in incolumitatem vendicabat. Hæc, & alia quamplurima cùm D.O.M. per eum ſigna patraret, eo fiebat, vt non ſolùm in Cathaloniâ; verùm & in Aragoniâ clarum eſſet Antonij Neapolitani nomen. Antonius igitur ab Aragoniæ Prouinciâ Barcinonam à Patribus reuocatus, quò clariùs pateſceret, num is aurum, & argentum, an fœnum, & ſtipulam, in animo gereret, plurimis mortificationum generibus eo conſilio ab ijs probari cœpit. Quapropter eo in Barcinonenſi Conuentu incluſo, ac velut in cuſtodiam dato cuncta illi cum ſæcularibus viris colloquia prohibentur; Fratribusq; ſecretâ lege cauetur, ne quis blandum cum eo verbum loqueretur: quin potiùs ſcommatibus, ac ſarcaſmis ab omnibus oppeteretur. In Refectorij verò Capitulo, inſtar Nouitij, tot increpationibus, ac iniunctis pœnitentijs exagitabatur, quaſi nouam, ac ſeueram Religionis probationem ſubiret. Neque id ad tertium, vel quartum vſque diem; ſed integros menſes rigidâ hac in ſpiritus probatione traduxit: ſed cùm in his non tam illius patientia efflореſceret, quàm voluptuoſa quædam mentis iucunditas in ipſius vultu, atque ver-

bis obſeruaretur, perfecta illius virtus cunctis perſpecta, illum apud fratres illuſtriorem reddidit. ſpiritusq; dignis probationibus examinatus, nullum deinceps ſuſpicioni locum reliquit. Vix autem hac tentatione probatus, Vir Dei ad vitæ coronam à Domino vocatur: ſtatim namque pleuritidis morbo laborare cœpit. Cùm verò ſæpiùs anteà obitus ſui tempus præſignificaſſet, aduentante tunc ſupremo vitæ ſuæ periodo, arctiùs Domino patientiæ, ac charitatis vinculo copulari curat; ac tandem Barcinonæ ad perennem cœleſtis vitæ fontem decurrit. At ne abſque cœleſti teſtimonio ipſius ad cœleſtem gloriam tranſitus fieret, is eâdem ſui obitus horâ, Moniali cuidam Ordinis S. Dominici, quæ in Barcinonenſi vrbe plurimâ vitæ ſanctimoniâ prę̨ſtabat, cœleſti ſplendore perfuſus apparet, has edens voces: En ſoror, hac horâ ad cœleſtia regna migro. Alter quoque Carthuſianus Monachus, eâdem horâ orationi vacans, geminos viros Capucino habitu contectos, & clariſſimâ luce fulgentes conſpicit, qui ab Oriente cœlum verſus tendebant: quorum alter Thau manu gerens, alteri ſe viæ ducem prębebat; protinusq; virum Thau dextrâ geſtantem S. P. Franciſcum eſſe intellexit: Alterum verò Antonium, quem ille in cœlum recto tramite ducebat. Poſt hæc, cùm Barcinonenſis quidam tabernarius, olim Antonio familiaris, qui pannos, & bombycinas telas venales habebat, nocte quâdam in ſtrato ſuo quieſceret; accidit vt accenſus ignis ædes ſuas inuaderet: quo tempore Antonius mercatori apparens, illum excitat, ac dextrâ apprehenſum eò ducit, vbi flamma ædes deuorare cœperat; moxq; ex illius oculis euanuit: Mercator verò auxilium à vicinis depoſcens, flammam exurgentem extinguit, impenſiusq; ſuo liberatori gratias agit. Huius ſancti Viri corpus ſecundo poſt ſepulturam anno, integrum & incorruptum repertum, amplius illius gloriæ teſtimonium reddit. Obijt Vir Sanctus Anno 1609.

Fr. Nar-

Fr. NARCISCI DIANENSIS LAICI GVARDIANI

VITA, ET GESTA.

FRATER NARCISSVS DIANENSIS, Laicus; cùm in Fratrum, de Obſeruantiâ nuncupatorum, familiâ, nouem annorum ſpatio, quo inter eos verſatus eſt, miris virtutibus, ac præſertim oratione, in quâ frequentes animi exceſſus patiebatur, emicaret; inde ad Capucinos purioris obſeruantiæ ſtudio migrans, cœleſtem propemodum vitam agere videbatur: vitæ namque auſteritate, abſtinentiâ, obedientiâ, humilitate, paupertate, charitate, ac cæterarum virtutum laude clarus, diuinarum præſertim rerum contemplatione ita præcelluit, vt diuinæ ſuauitatis, quam in priori Ordine prægustauerat, voluptate abſorptus, frequentiusq; in mentis exceſſum raptus, magis cum Deo, quàm cum hominibus conuerſari videretur. Tanto is erga puerum IESVM amore flagrabat; vt, quem intus in pectore occluſum gerebat, hunc ſemper ore eructaret, ac proloqueretur: & quanquam rara eius eſſent cum alijs colloquia, cùm tamen de puero IESV mentio fieret, de eo vberius ora ſoluens, totus exardeſcere videbatur. Eo fiebat vt cùm Quæſtuarij onus ſuſtineret, quid quæreret, interrogatus: Meum IESVM (aiebat) quæro. Ita vt Sponſæ illius Canticorum amorem æmulatus, verba etiam ſibi ſumere valeret dicentis: *Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea.* Cœleſti porrò hoc pueri IESV igne accenſus, dum ille noctu in cellâ oraret, tam ardentis amoris flammas ex imo pectoris efflare conſueuerat, vt ſæpè in has voces Hiſpanicas erumperet: O amores! ô amores! Contigit verò, vt aliquando Fr. Franciſcus Turolenſis, qui Narciſci voces, ac repentinum ſilentium obſeruauerat, pedetentim ad illius cellam pergens, fores aperit, Narciſſumque mente excedentem, atque in aëra ſublatum cernit. Interdum quoq; ex hortulo flores colligens, his lecti partem aſpergebat. Quod cùm Nouitius quidam admiraretur, is accitum Nouitium his verbis affatur: Ne mirere (inquit) Fili, quod lectuli partem floribus aſpergam: non enim hæc mea, ſed pueri IESV cubilis pars eſt: hîc dulcis meus IESVS cubat: Quapropter æquum eſt hanc floribus exor-

nari. Sicq; Sponſæ illud ſibi aſſumere poterat: *Lectulus noſter floridus.* Hæc porrò ardentiſſimi amoris flamma, quâ Narciſſi animus erga puerum Iesvm accendebatur, prophetici illi ſpiritus lucem peperit, quâ futuros rerum euentus, qui Deo ſoli perſpecti ſunt, longè antequam euenirent, proſpiceret: quod nonnullis exemplis manifeſtum fuit. Ioſepho cuidam de Pla, viro primario, atq; in Ordinem deuotiſſimo, qui plurimam in Conuentu ædificando auri ſummam conferre parabat, rei familiaris poſthæc vſuram, & incrementa percepturum prænunciat. Quod ita prorſùs euenit: Nam Monaſterij ædificatione peractâ, Ioſeph duo millia aureorum ſibi ad annuos reditus excreuiſſe comperit. Huius quoq; Ioſephi vxori, quiſnam anno ſequenti ibi Guardianus futurus eſſet, curioſiùs inquirenti, ſtatim Narciſſus, Fr. Ioannem à Villafrancâ indigitans: Hic (ait) veſter Guardianus erit. At rei euentus id ex Dei duntaxat reuelatione eum accepiſſe, non obſcurè declarauit. Poſtremò, nonnullis antequam è viuis excederet, diebus, Narciſſus, cuiuſdam Clerici, qui illi familiaris erat, domum ingreſſus, cùm illum inde abeſſe comperiſſet, domeſticis ait: Renunciate Anxio Morfort, Narciſſum extremum illi valedicturum huc acceſſiſſe: quamprimùm vero mutuum nobis apud immortales occurſum futurum. His verbis cùm celerem vtriuſque, & ſuum, & Clerici obitum præſignificaſſet, hæc ab eo prophetico ſpiritu dicta, rei euentus confirmauit. Nonnulla quoq; ab eo patrata ſigna referuntur: atq; illud primum, quod cùm vxori Onufrij Bledæ, canabaceum funem ex mandato Prouincialis tradidiſſet, illa poſt primos dolores, poſterioribus partus doloribus non expectatis, feliciter filiam peperit. Dominicus Ioannes à Villaraſa febri æſtuans, cùm illi Narciſſus nomen ſuum chartulæ impreſſum collo appendiſſet, paulò poſt pulſâ febri incolumis è ſtrato ſurgit. Huius poſt hæc vxor (Brianda Frigola nomine) cùm acrioribus in teſtinorum doloribus torqueretur, quibus curandis nulla Medicorum pharmaca ſatis eſſe poterant, Narciſſi ſuffragio ſanatur. Narciſſus verò domum reuerſus, cùm ægrotare cœpiſſet, ſeſe ad Domini aduentum, quem breui adfuturum non ignorabat, parans; dum ſua apud Sacerdotem peccata expiat, in mentis exceſſum rapitur. Ex quo tandem ſibi redditus, Confeſſione peractâ, ac ceteris morientium Sacramentis eximia pietate ſuſceptis, nono ægritudinis die ſanctimoniâ clarus, Valentiæ ad Dominum migrat, cœleſti gloriâ coronandus, quam pleraque poſt mortem, ob ipſius merita, à Deo patrata Miracula conteſtantur: cùm enim illius obitus famâ per vrbem diffuſâ, magnâ vtriuſq; ſexus fre-

quentia ad illius funera confflueret; æſtuanteq; populi deuotione habitus in particulas diſcinderetur,capilli, barbaq; euellerentur, inter alios Ludouicus Ferrerius adoleſcens, qui ſtrumis laborabat, cùm defuncti manu locum attigiſſet,collum diſcerpi,ac in fruſta ſecari ſibi videbatur; at paruo temporis interuallo elapſo, Ludouicus à ſtrumis liber fuit. In vrbe Valentina Moyſes Mironius, Sacerdos, diutinâ febri laborans, cùm pallio, quo Narciſſus olim vſus fuerat, caput ſibi operuiſſet, ſtatim pulſâ febri incolumis euaſit. Alter, Ferragut nomine, qui cephalalgiâ, ac præterea febri grauiter cruciabatur, cùm ſtrophiolum, quo Narciſſi caput extremâ in ipſius ægritudine contectum fuerat, ſibi capiti impoſuiſſet ab vtroq; morbo confeſtim liberatur. Idem ſtrophiolum cùm Hieronymo Ferragut, Valentino, ob febrim continuam neci à Medicis adiudicato, impoſitum fuiſſet, paulò poſt in vitam, & incolumitatem reſpirat. Brianda Ioſephi Pla, cuius ſuperius memini, vxor, cùm eodem fune, quem à Narciſſo olim acceperat, iterum in partus doloribus ſe præcinxiſſet, ab his ſtatim libera fœtum emittit: atq; eodem ducentæ aliæ mulieres prægnantes à partus periculo liberatæ referuntur. Huius filia Brianda nomine, dyſenteriâ tam grauiter laborabat, vt ipſius vitæ occaſus breui expectaretur: Cùm itaque præfatum Narciſci ſtrophiolum ſibi impoſuiſſet, poſt breue tempus integræ incolumitati reſtituitur. Angela quoque Feirera Valentina, diutinâ odontalgiâ, quæ nullis remedijs tolli, aut leuari poterat, præter modum afflictata cum Cruce, quam à viuente adhuc Narciſſo acceperat, ſibi molares contigiſſet, breui temporis interuallo plenam illius curationem aſſequitur. Hoc ipſo Crucis contactu huius Angelæ filia pleuritide correpta, cùm laterum dolore grauiter cruciaretur, ſimul à dolore, ac pleuritide paruo interiecto temporis ſpatio, perfectè curatur. Frater Hieronymus Valentinus, ex noſtris Concionator, qui dentium dolore ſæpe torqueri conſueuerat; ſimul atque Narciſci pallio genas contingeret, liber à dolore efficiebatur. Alter, qui graui carnis tentatione vexabatur, quam nec ieiunia, nec oratio pellere valerent, vix B. Viri merita inuocans, ipſius pallium ſibi adhibuit, cùm nullâ interiectâ temporis morâ, libidinis ſpiritu effugato, liber de tentatione triumphat. Mulier, cui lac in vberibus aruerat, quo fœtum enutrire poſſet, cùm habitus Narciſſi particulam vberi applicaſſet, protinus lactis fons ex vberibus erumpit. Poſtremò, mulier quædam Valentina, Bocca nomine, cùm habitus Narciſſi particulam in ſinu repoſuiſſet; accidit, vt antequam ad quietem concederet,

ardentes in camino prunas cinere contegens, chartulam, quâ habitus particula inuoluta erat, inter prunas è ſinu ſibi excidiſſe, non aduerteret. Quamobrem mane illuceſcente, cùm è lecto ſurgens ad caminum acceſſiſſet, ignem è prunis excitandi cauſâ, chartulam nullà ex parte ab igne, aut prunis læſam conſpicit, & admiratur. Obijt Vir Sanctus Anno 1609.





FRATER IACOBVS A MANFREDONIA FF.^{tum} CAPVCINORVM
LAICVS

Fr. IACOBI A MANFREDONIA LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER IACOBVS à MANFREDONIA, Laicus, in ipſo Iuuentutis flore, florentes mundi illecebras declinans, potioresq; Crucis aſperitates, quàm ſæculi delicias æſtimans, ad Capucinos deflexit. Quapropter ab ipſo ſuæ conuerſionis exordio, vt verum ſe Crucis diſcipulum oſtenderet, carnem cum vitijs, ac ſenſuum concupiſcentijs ita crucifigere didicit, vt vix illi vitæ neceſſaria permitteret: cùm enim præter Eccleſiæ, & Regulæ ieiunia, S.P.N.Franciſci quoq; Quadrageſimas obſeruaret; ex his quadragenaria Chriſti, & S. Michaëlis ieiunia fabis madefactis tantummodo celebrans, harum quantum manus capere poſſet duntaxat ſibi ad quotidianum victum adhibere conſueuerat. Aſpero ſemper cilicio eſt vſus. Lectus illi, nudæ tabulæ, ac puluillus, vitis ſarmentum, perpetuus fuit. Corpus tot ſæpè flagris cædebat, vt ſanguinis aſperſione impreſſa humi veſtigia relinqueret: verberum verò plagis, nouo medicamenti genere, viuæ nimirum calcis cataplaſmate mederetur. Caſtitatis propugnator acerrimus fuit; ita, vt cùm ardentes à Dæmone libidinis faces ſibi in carne aliquando accendi perſentiſceret, brumali tempore, nudus, gelidiſſimo ſub aëre tamdiu immobilis perſtiterit, quoad libidinis flammæ, à Dæmone excitatæ extinguerentur. Verùm, cùm inde herniæ morbum contraxiſſet, genitalesq; partes, quò hernia curari poſſet, Chirurgo patefieri neceſſe eſſet, tam pudicitiæ amicus fuit, vt Beatiſs. Virginis opem implorans, ab eâ in momento curatus fuerit. Denique, cùm in die perpetuis corpus, vel horti, vel quotidianæ mendicationis laboribus attereret; noctu verò tam breuem illi ſomni requiem daret, vt vix ſomnum ipſum attigiſſe videretur, feſſa membra haud aliâ, quàm orationis, ac diuinæ contemplationis quiete refouebat. Hinc copioſâ Dei luce perfundi, vberioribusq; Dei donis in eâ potiri cœpit: quo fiebat, vt ſæpè in mentis exceſſus raperetur præſertim in Conuentu Turris Maioris, vbi aliquando in Eccleſiâ orans in ſublime efferri, ac vultu ita emicare viſus eſt, vt Solis lucem æmularetur. Rurſus, dum Laurini, poſt Matutinas Horas orationi incumbens, mentem ad Sacræ Communionis

refectionem parat; fulgentiſſimum quaſi Solis globum ſibi pręſentem cernit; quem cùm humanis oculis ferre non poſſet, manibus ſibi oculos contegens, ab eo viſum declinare conabatur. At globus ille lucidus eidem inter manus inſiliens, tam cœleſti illius animum voluptate imbuit, vt ab humanis rebus abſtractum, totum in Dei imaginem transformauerit. Poſt hæc Prophetico à Deo ſpiritu imbutus, cœpit futura prędicere. Cùm Turris Maioris Dynaſta ad Lauretanas Beatiſſimę Virginis ædes plurimo cum comitatu profecturus, à Iacobo peteret, vt pro eo preces ad Deum funderet, ſtatim Prophetico ſpiritu correptus adſtantibus ait: Haud omnes, qui Ducem comitantur, ad nos incolumes redibunt: vnus neci iura perſoluet. Duce verò cum ſuis iter agente, cùm B. Virginis Corollam pro eo antelucanâ horâ recitaret; vix præ inſolitâ animi anguſtiâ eam proſequi poterat; quo tempore illi reuelatum fuit, Ducem magno in vitæ periculo verſari. Cumq; tota periculi ſeries eidem explicata fuiſſet, protinus Duciſſam rerum certiorem reddens, Ducem à periculo liberum affirmat: quæ hoc tempore tabellario ad Ducem expedito, rem ita geſtam, vnumq; ex Ducis aſſeclis glande peremptum (vt Vir Dei prędixerat) occubuiſſe accepit. Poſt hæc Duciſſæ Turris Maioris nurus abſentis, ante ſex dies; ac pręterea Duciſſæ Bouini filię etiamnum incolumis; demùm S. Seueri Principiſſæ, poſt quintum decimum diem futurum obitum pręnunciat. Æthiopiſſæ quoque captiuæ, quæ in Mahometicę legis cultu pertinax erat, futuram ad Chriſtianam Fidem conuerſionem pręſignificat. Neapoli per aliquod tempus dimoratus, Franciſco de Caſtro futuras nuptias, Regij Oratoris, ac tandem Proregis in Neapolitano Regno munus prędicit: ac Philippi III. Hiſpaniarum Regis prolem, ac prolis numerum, & qualitatem futuram diſtinguit. At verò, non modò Prophetiæ, ſed & miraculorum dono clarus, multos Diuinâ virtute ægrotos incolumitati reſtituit. Inter hos Morconij, cùm Eugenium quendam de Rubeis deſperatâ à Medicis ſalute ægrotantem inuiſiſſet, ipſius apud Deum opem efflagitantem, his verbis protinùs affatur: Euge, Eugeni, in Domino confide; citò conualeſces. Vix hæc prolocutus fuerat, cùm æger à morbo reſpirans, paruâ interiectâ morâ incolumis redditur. Cùm in Conuentu Turris Maioris verſaretur, in Virum quendam vndique vlceribus affectum aliquando incidit: quem cùm vrbis Duciſſa intuita eſſet, ad Iacobum conuerſa ait: Iacobe, pauperculi iſtius tam malè plagis affecti non miſereris? Cui Iacobus: Ecquidnam ad ipſius miſeriam

ſubleuandam præſtare valeo? Age (inquit illa) Crucis ſignum vlceribus imprime, vt eo perſanetur. Reluctabatur Iacobus: Neque enim (aiebat) vir peccator hæc poteſt ſigna patrare. At Duciſsâ id ab eo importunius efflagitante, tandem Vir Dei ſingulas vlcerum plagas Crucis ſigno petens, cùm extremam obſignâſſet, æger, plagis conſolidatis, incolumis euaſit. In Prouinciam Barienſem vnà cùm Fr. Syluestro Roſcianenſi profectus, cùm Fratrem quendam grauiter ægrotantem inuiſiſſent, mox Syluester ad Iacobum: Iacobe Frater (inquit) ſignum Crucis huic fratri noſtro impende. Cui Iacobus: Non meum, ſed tuum eſt, Pater, qui Domini es Sacerdos, hæc ſigna impendere. At Syluester: Illud (inquit) ex obedientiâ redde. Cui cùm Iacobus obſiſtere minimè valeret, ſignum ægroto in fronte præſtat, quo mox æger conualuit. Hoc modo & puerum, qui graui morbo laborabat, ſanitati reſtituit. Pleraque alia, preter hæc Iacobum ſigna patraſſe M. S. noſtra referunt, quæ cùm ſcripto minimè tradita ſunt, ſilentio oppreſſa perière. His cùm apud omnes illius ſanctimoniæ fama percrebuiſſet, tot Dei ſeruus à Satanâ, tùm clam, tùm palam infeſtationibus oppetebatur, vt interdum, dum in Eccleſiæ Choro noctu ſolus orat, Dæmonem ſub canis ſpecie Pſalterij folia crebrò vertentem cerneret: quandoq; verò Satan horribilem aſpectum prę ſeferens, vt eum ab oratione auocaret, terrere conaretur. Semel tandem, cùm eidem pallium ex humeris tuliſſet, in campanarum obeliſcum detulit. Hæc ille Diaboli tentamenta, quibus eius virtus magis perficiebatur, cùm humili patientiâ deuinceret, ad vitæ tandem coronam appropinquans, in Conuentu Turris Maioris, quartanâ febri ſeptuagenarius ægrotare cœpit: quam cùm quotidiano labore, ac conſuetâ vitæ aſperitate ſuperare ſperat, grauiorem in morbum incidit; quo tempore cùm ob inopiam Medicorum, Fr. quidam Neapolitani Noſocomij commoda illi in mentem reuocaret, huic Vir Dei: ſi in Neapolitani Conuentus Noſocomio (ait) æger iacerem, in hominum manibus decumberem: hìc verò in Dei manibus libens ſto, id à Dei miſericordiâ ſperans, me in Domini mei IESV CHRISTI ſinu, ac ſub B. Michaëlis Archangeli patrocinio, hìc extremum diem clauſurum. Triduo igitur ante Dominici Natalis diem, cùm animum à peccatis Sacramento expiaſſet; ac Sacro Domini corpore refici poſtulaſſet, ſui obitus diem, ac horam præſignificans, die ipſo Natalis Domini, circa meridianam horam, Anno 1609. Deo ſpiritum reddidit, plurimâ populorum turbâ ad illius funera confluente.

Fr. MANSVETI A VALLE CAMVNORVM, LAICI VITA, ET GESTA.

FRATER MANSVETVS à VALLE CAMVNORVM, Laicus, cùm ad extremam vſque ſenectutem, vitam mirâ innocentiâ, ac mentis puritate, admirabili quoque pietate ornatam duxiſſet; perpetuum ſe, quoad vixit, Regularis obſeruantiæ, ac perfectæ virtutis exemplar cunctis ſuſpiciendum præbuit. Huic, cùm tam ardens orationis ſtudium eſſet, vt iuges ferè ex intimo amoris incendio lachrymæ ex oculis defluerent; hinc admirabilis illius orationis virtus ſeſe offerre viſa eſt, quâ ſæpenumero in Deum efferebatur, vt à ſenſibus abalienatus, ſolo ſpiritu cum Deo ageret. Id illi aliquando Benacum Lacum nauigio traijcienti accidit; in quo trium horarum ſpatio tam immobilis, ac inſenſibilis perſtitit; vt licet in varia à Socio diſtractus vix tandem ſibi redditus fuerit. In Conuentu Alimeni, agri Bergomenſis, cùm Manſuetus ſacris Myſterijs de more aliquando in dextro Euangelij latere, (erat enim auris obtuſæ) intereſſet; lucis globus ex Altari erumpere viſus, qui ad Manſuetum ſe extendens, ipſius caput maximâ intuentium admiratione obumbrat. Rurſus, dum ſolus in Eccleſiâ orat, vocem è Cœlo ter hæc verba repetentem audit: Remittuntur tibi peccata tua. Iterum, cùm in Conuentu S. Victoris, Vrbis Mediolanenſis, Prouincialia Comitia celebrarentur, atram nubem, quæ procellam, ac vaſtitatem frugibus minabatur, rectaq; ad Conuentum ferebatur, in genua procidens, ac pauliſper orans, tum Cruce, Regulæq; codice manu apprehenſis, ac in nubem appropinquantem Crucis ſignum vibrans, tam repentè diſſoluitur, vt puſillo tempore elapſo, vix eius veſtigia viſa fuerint. Poſtremò, Ioannes Baptiſta, Milanus, Epiſcopus Bergomenſis, ſe à graui morbo Manſueti oratione curatum fuiſſe, haud ſemel teſtatus fuit. Is igitur cùm plurimos in Religione annos in iuſtitiâ, & ſanctitate traduxiſſet, octogenarius tandem Mediolani ad Dominum migrat Anno 1610.

***

Fr. THEODORI PANORMITANI LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER THEODORVS PANORMITANVS, Cathalonienſis Prouinciæ Laicus, ex ſæculi mercaturâ, ad Domini negotiationem translatus, tam præclaram in eâ operam, ac laborem contulit, vt credita ſibi, licet minora in Religione talenta, boni, & fidelis Serui inſtar, multiplicauerit. Laicorum hic vitam, quæ circa Marthæ potiſſimùm miniſterium verſatur, ita cum Mariæ otio coniunxit, vt nec Mariæ otium turbaret, neque à Marthæ opere abſtineret: neque enim ſolum Conuentus hortulum; ſed & animi agrum humilitate, obedientiâ, paupertatis ſtudio, patientiâ, charitate, ac cæteris Regularis obſeruantiæ virtutibus, quibus egregiè præſtabat, operoſiùs excolebat; eodemq; tempore tam ſuauiter diuinæ contemplationis otio fruebatur, vt ſæpiſſimè animo à ſenſibus alienato, inter Cœleſtium deliciarum conuiuia cum Deo epularetur. In Perpinianenſi Conuentu, cùm in Cellâ aliquando oraret, ecſtaſi correptus, vultu ita accenſo apparuit, vt diuini amoris flammis totus exuri videretur. Hoc modo rurſùs, cùm Angeli cuiuſdam Cordonæ Perpinianenſis domus gradus conſcenderet, mente excedens, diu ibi exſtaticus permanſit. Prophetico prætereà ſpiritu, pleraſque tùm occultas animi cogitationes, tùm res futuras Franciſco Cors, Barcinonenſi Iuriſperito aperuit. Maximâ quoque Theodorus, cùm B. Antonium Olyſipponenſem Religione coleret, nonnulla in ipſius nomine miracula patrâſſe, communis apud omnes fama fuit. Inter quæ illud refertur. Ægrotabat Barcinonæ iam deſperatâ à Medicis valetudine, nobilis quædam mulier, Maria Pagnera nomine; ad quam ob morbi contagium cùm accedere nemo auderet, accedens Theodorus: Quid (inquit) aditum prohibetis? Liberum mihi præbete greſſum: mecum enim eſt fidus Achates, qui ægræ ſalutem reſtituet. Cumq; ingreſſus ægram ad S. Antonij opem implorandam prouocaſſet, in eiuſdem S. Antonij nomine ſtatim incolumem reddit. Poſt hæc ad Blandæ Conuentum profectus, accidit, vt peregrinus quidam à Fratribus hoſpitio acceptus, in lethalem, & contagioſum morbum

inciderit; quem cùm Theodorus curandum ſuſcepiſſet, eo tandem è viuis erepto, is eodem morbo ægrotare cœpit: quo tempore, cùm generali peccatorum Confeſſione mentem expiâſſet; Sacerdos, qui ipſius Confeſſionem excepit, quam ille ex matris vtero virginitatem tulerat, virginitatem Deo tunc reddidiſſe, non obſcurè compertum habuit. Obijt apud omnes ſanctimoniæ famâ clarus Anno 1610.





FRATER LEONARDVS A MONTE ALTO
FFrum CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. LEONARDI A MONTEALTO LAICI


VITA, ET GESTA.

FRATER LEONARDVS à MONTEALTO, Laicus, à teneris annis diuinâ benedictione præuentus, tam piâ in res diuinas, ac præcipuè in Capucinorum Ordinem propenſione ferri cœpit, vt cùm primum eò aduentantes Capucinos cerneret, in eorum protinùs ſinum aduolaret. Adoleſcente verò ætate, crebris, apertisq; B.P. Franciſci apparitionibus cohoneſtatur; qui ſe illi ſæpenumero Capucinorum habitu tectum oſtendens, eiusq; animum ad preſtantiora attollens, hæc illi verba inculcabat: Leonarde, Capucinorum caſtris te adiunge. His Beatiſſimi Patris vocibus, & aſpectu, cùm Leonardi animus magis indies à ſæculi amore auulſus, Apoſtolicæ vitæ ſtudio inflammaretur, diuinis tandem conſilijs ſibi obtemperandum ſtatuit; purusque, ac nullâ carnis labe contaminatus, ad Religionem accedit. Porrò, hæc animi puritas, ac virgineus candor, tot ſibi in Religione comites virtutes adiunxêre, vt deliciarum Domini hortus videretur, in quo omnium Euangèlicarum perfectionum genera conſita eſſent: ibi enim mundi contemptus, ibi ſuiipſius odium, ibi mentis humilitas, ibi cœca obedientia, ibi inuicta malorum tolerantia, ibi aſperæ carnis caſtigationes, ibi nuda rerum omnium paupertas, ibi tandem excellentiſſima Dei, ac proximi charitas, ſuos vbiq; odores efflabat. Inter has verò potiſſimùm ſeſe efferebat oratio, in quâ cùm eximiam animi puritatem ardentiſſimæ charitatis incendio coniungeret, ſæpiſſimè in mentis exceſſum rapiebatur. Auximi is aliquando orabat, cùm ſpiritu ad Sacras Lauretanas Ædes raptus, nonnullâ à Beatiſſ. Virgine cœleſtia documenta accepit. Geſtabat eo tempore Sacra Deipara in ſinu dulcem IESVM infantulum; in quem cùm Leonardus oculos intenderet, tanto illius mens amoris ardore colliquefiebat, vt cùm præ illius deſiderio æſtuans, ſe integrè illi poſſidendum traderet, diuinus ille puer ſacro nummo, quem manu gerebat, amatorem ſuum donauerit. Rurſùs, dum in eodem Auximi Conuentu orat, mente excedens, iterum ad Sacram hanc Domum, cui is deuotiſſimus erat, in ſpiritu fertur; vbi cœlorum Reginæ, ac pueri IESV aſpectu dignatus,

ab his cœleſtia arcana addiſcit, ac pleraſque conſolationes percipit: quibus cùm ſemper humilior, ac diuinâ charitate ardentior fieret; contigit tertiò; vt cùm Anconæ verſatur, in Eccleſiâ aliquando orans, diuino monitu in cellam pergeret: quo tempore Satanam, vt iter ſuum impediret, è regione venientem cernens, tam valido illum vocis clamore adoritur, vt ad fugam compulerit. Poſt hæc cellam ingreſſus, in eâ puerum IESVM tam pulchrum, tam amabilem, tantoq; ſplendore renitentem offendit, vt præ illius amore ebrius, eum inter vlnas aſſumens, chariſſimè ſinu complexus fuerit; diuq; cœleſtibus hiſce delicijs potitus, dulcem IESVM in Cœlum abeuntem, tenerrimo amoris affectu proſequeretur. Porrò, ex cœleſti hoc pueri IESV amplexu, tanta in eum odoris ſuauitas redundauit, vt triduo poſt hæc ſuauiſſimo odore flagraret. Iterùm, cùm in eodem Anconitano Conuentu orationi vacaret, in mentis exceſſum raptus, B.P.N. Franciſcum, in Patriarchæ modum, velut multorum filiorum parentem conſpicit; è cuius vultu tam ingens lucis fulgor emanabat, vt totum Orbem illuſtrare videretur: quo ex aſpectu ad ipſius ſectanda veſtigia vehementius excitatus fuit. His Leonardus, atque alijs à Deo donis accumulatus, cùm duos ſupra triginta annos Deo fideliter, atque omni cum virtutum odore famulatus eſſet, Maceratæ, pari cum pietatis laude, vitæ curſum exegit.

In Piceno Fr. ALEXIVS MACERATENSIS, Laicus, præter virtutum coronam, quâ vitæ curſum exornauit, Tolentini, ſigno Crucis Ioſephum Barnabæum, quartanâ febri laborantem, reddit incolumem. Imbrem quoque, ne Nobiles quaſdam mulieres attingeret, ſuâ oratione coërcet; cùm tamen vndiq; è nubibus flueret.

Obijt anno 1610.



FRATER MODESTVS ANVCIBVS FRATRVM
CAPVCINORVM LAICVS.

Fr. MODESTI A NVCIBVS LAICI

VITA, ET GESTA.

FRATER MODESTVS à NVCIBVS, Laicus, ex grauioris culpæ ſpinâ ſuauiſſimam ſuæ conuerſionis vuam expreſſit; & ex priorum vitiorum tribulis, dulciores poſterioris ſanctimoniæ ficus collegit: cùm enim vxorem in adulterio deprehenſam manu ſuâ trucidaſſet, noxæ huiuſmodi aculeus ita illius animum pupugit, vt ad eam expiandam, perpetuam ſibi apud Capucinos pœnitentiam elegerit. Huius Viri tam perfecta ad virtutem conuerſio fuit; vt ſimul atque Religionis gremio exceptus fuit; perfectioris vitæ, quæ in B. P. N. Franciſco, aliiſque præclaris Seraphicæ huius militiæ viris præluxerat, normam ſequendam ſtatuerit. Hinc mundo renunciare; hinc ſeipſum omni ſtudio abnegare; hinc pullulantes animo cupiditates perimere; hinc ſenſus freno cohibere; hinc carnem ieiuniis; atque aliis macerationibus premere; hinc omnes corporis voluptates proſequi; hinc nudam rerum paupertatem amplecti; hinc humilitatem teſtari, caſtitatem colere, moderationem in omnibus ſeruare, ac cæteris virtutibus animum exornare didicit. Poſtremum verò illius Charitatis ſtudium erat, quâ tantopere flagrabat; vt pro omnibus, ſiue ægrotis, ſiue valentibus, aut egenis, aut diuitibus ſeipſum immolare cuperet. Eam tandem à Domino gratiam conſecutus eſt, vt quamplurimis ægris, vel oratione, vel Crucis tantùm ſigno adhibito incolumitatem conferret; quorum hîc nonnulla exempla referre libet. Ducis Andreæ primogenitus filius ardentiſſimâ febri laborabat, cùm Modeſtus tempore, quo is ſopore detinebatur, importunis Duciſſæ precibus victus, Crucis illi ſignum præſtat; indeq; æſtutum abſcedit. Puer verò paulò poſt à ſomno experrectus, matrem accerſens, ait: Capucinus Frater mihi incolumitatem contulit: vbinam ille eſt? Protinuſq; incolumis è lecto ſurrexit. Minerua quædam Andrienſis, Ordini cumprimis deuota, cephalalgiâ ſæpè laborabat: quam cùm capitis dolor arripiebat, Modeſto accito, ab eo Crucis ſigno obſignata, mox dolore abſcedente, curabatur. In eadem quoq; vrbe Deianira Viſſoquarta grauiſſimis doloribus

diu cruciata fuerat, quare Modeſtum, vt à Deo ſuis orationibus finem cruciatuum impetret, obſecrat. Modeſtus verò, cùm Deum pro eâ ſe rogaturum ſpopondiſſet; intempeſtâ nocte dum ægra euigilans conſuetis doloribus angitur, en Modeſtus ab eâ præſens, & viſibilis cernitur, breues illi dolores fore, illamq; quamprimùm ſummâ pace fruituram promittit. Illa autem poſt vnum atq; alterum diem, à cunctis doloribus ſoluta, omni cum pietate in Domino quieuit. Cùm Modeſtus ex S. Trinitatis Monte, Caietæ, lapidem ſibi aliquando ſumpſiſſet, eo multorum ægrotorum morbos diuinâ virtute curabat. Hoc modo Andriæ, cùm Deliæ Campanilę filius neruorum attractione, atq; ardenti febre laboraret; ter, vti ſemper ſolebat, oratione Dominicâ, ac Salutatione Angelicâ perſolutis, aquam, in quâ huiuſmodi lapis immerſus fuerat, puero propinans, eum confeſtim ad priſtinam ſanitatem reuocauit. Eâdem quoq; in oppido Nucum geminos cuiuſdam mulieris filios, grauiter febricitantes, in potu exhibitę, protinùs à febre curat. Tot deniq; Andriæ morborum curationes diuinâ virtute pręſtitit; tantaq; illius apud omnes ſanctimonię fama erat; vt cùm eum Medici ad ægrotorum viſitationem accedentem cernerent, eos Medicorum ope non indigere affirmarent; eò, quod Modeſtus eos ſuâ oratione curaret. His & alia Miracula accedunt, quibus Deus Serui ſui ſanctimoniam paſſim teſtatam voluit: Andriæ namque Ioannis Baptiſtæ Zina dolium vino corrupto plenum, in optimum & generoſum commutat. In eâdem ciuitate Syluiæ Conoſcitoræ vas oleo vacuum plenum reddit. In Barienſi vrbe vinum à Beatrice Efrem emendicans, accidit dolium ad fecem vſque exhauſtum fuiſſe; at Modeſti meritis, dolium non ſolum lagenas impleuit; ſed quod miraculum mirum in modum auget, dolium in anteriorem partem pendens, ad tertium vſque menſem vinum emiſit, ac toti Beatricis familiæ ſatis fuit. Annæ Detolæ Barienſi, quæ ex tribus panarię cocturæ partibus, quas ex clibano ſibi adferri iuſſerat, tertiâ tantùm ſibi ſeruatâ, reliquas ei largita fuerat, tertiam illam partem ita ſuâ oratione multiplicauit, vt ea tredecim dierum ſpatio toti familiæ ſuffecerit, quæ aliàs vix tertium, aut quartum diem attingere potuiſſet. Eadem quoq; triticum ad Fratrum, atque aliorum pauperum vſum erogans, eandem tritici menſuram non ſemel ſub anni finem, S. Viri oratione ſibi reſtitutam vidit. Poſtremò, cùm in Andrię Conuentu Fratribus, nec non foreſtarijs panis deficeret; Vir Dei haud animo fractus arcta quædam panis fruſtula cuiq; apponit, quæ ita oratione ſuâ multiplicat,

vt ij & Fratres ſatiati, & plus, quam appoſitum erat, ſuperfuerit. Prophetico quoque ſpiritu illum fuiſſe prædicum, quæ ſequuntur exempla demonſtrant. Primùm, Deianiræ Viſtoquartæ aliquando tam graui febre, ac cordis oppreſſione laboranti, vt eam Phiſici neci adiudicarent, breui incolumem futuram prænunciat. Eidem immaturam viri mortem prędicit. Fratri Gregorio à Nucibus, antequam ad Capucinos accederet, graui, ac periculoſâ corporis infirmitate detento; longiùs adhuc ſuperſtitem victurum, atque inter Capucinos extremam vitæ lineam clauſurum præſignificat. Hoſtunij Lucretiæ Capurſiæ vterque parens aduerſâ valetudine detinebatur; de quorum vitâ cùm dubia apud Medicos ſpes eſſet, Modeſtum illa interpellat, vt pro vtriuſque parentis ſalute Deum ſuâ oratione exoret: qui ad eam protinus: Quid (inquit) Lucretia, parentum te metus ſollicitat? ſoſpes illis vita erit: at qui modò ſoſpes eſt frater, breui ſua morti tributa ſoluet. Dictum ipſe rerum euentus comprobauit. Poſtremò, Ioannes Franciſcus Lenta, cùm deſperatâ à Medicis valetudine extremùm laboraret, eò Modeſtus accerſitus, vt moribundum ad pium vitæ occaſum ſuâ hortatione diſponeret, cùm primùm ad ægrotum acceſſit, ipſius manum apprehendens: Ludouice (ait) cur tuum mortis metus animum agitat? tibi vita condonata eſt; craſtina dies te incolumitati reſtituet. Res planè miraculo plena fuit: qui enim tunc animam agere videbatur, vix ſequentis diei lucem aſpexit, cùm è lecto incolumis exilijt. Plura hic, tum Prophetici ſpiritus, tùm Miraculorum exempla edidit, quæ ſcripto haud conſignata fuerunt; quibus cùm D. O. M. ſerui ſui vitam, virtute, ac ſanctimoniâ plenam illuſtrare voluiſſet; eum quoque poſt plurimos Religionis labores in Tranienſi Conuentu ad Superos vocatum, dignis tandem præmijs, vt piè credimus, cohoneſtauit Anno 1611.

In S. Angeli Prouinciâ Fr. IVSTINVS NEAPOLITANVS, Laicus, Vir magnarum virtutum, præſertim verò effuſæ in pauperes charitatis commendatur. Quo factum eſt, vt Laurentium quendam de Magiſtris, apoſtemate in ventris vmbilico laborantem, iam à Medicis morti adiudicatum, Crucis ſigno perſanauerit. Obijt Anno 1612.

***

Fr. Matthias à S. Agatha, vitæ innocentiâ, atque animi puritate in Bononienſi Prouinciâ, commendatur: qui cùm in morte diuinâ quâdam viſione cohoneſtatus fuiſſet, inter riſus, ac cœleſtes conſolationes, animam efflauit, Anno 1582.

In Meſſanenſi Prouinciâ Fr. Petrvs Calaber, diutino corporis languore, ac patientiâ probatus, deuictis quoque Dæmonum tentationibus, quibus in morte exagitatus fuit, defœcatus, atque argento purior, Meſſanæ diem extremum claudit Anno 1582.

In Pariſienſi Prouinciâ Fr. Franciscvs Arelatensis, maximis virtutibus emicans, Beatiſſimæ Virginis, nec non pueruli Iesv nonnunquam aſpectu dignatur. Denique obitu ſuo longè ante Fratribus prænunciato, feliciùs in Domino obdormiuit Anno 1589.

Fr. Ioannis à Manfredonia, apud Appulos etiamnum celebris memoria viget; qui à muliere incontinentiæ tentatus aufugit: Cumq; virginitatem, & vitæ auſteritatem virginitatis cuſtodem, cæteraſq; perfecti hominis virtutes, integrè vſque ad canos proſecutus eſſet, in morte cœleſtium ſupplicationem Beatiſſimæ Virginis præſentiâ illuſtratam cernens, Deo animam tradit Anno 1592.

E Panormitanâ Prouinciâ Fr. Lvdovicvs Panormitanvs, Nouitius, velut è florenti germine gemma erumpit: qui nobiliſſimo genere ortus, cùm purus ad Religionem acceſſiſſet, poſt aliquot probationis menſes, inde purior emerſit. De quo id in Ordinis monumentis traditum eſt; quod cùm à Ioanne Panormitano, Noſocomij Præfecto, illi vitæ occaſus, quo ſe ad eum pararet, ex Medicorum iudicio nunciaretur, mox eidem Ludouicus: Ego quidem (ait) ad extremam vitæ metam propero; at tu celeriùs ad metam pertinges: Tu prior præcurres; ego poſterior ſequar. Subriſit Ioannes, qui tunc perfectâ valetudine fruebatur. At Ludouicum non humano, ſed diuino ſpiritu percitum id monuiſſe, rei exitus facilè declarauit: Ioannes enim poſtridie ardentiſſimâ febre correptus, tertio poſt die, vitam cum morte commutat: Ludouicus verò biduo poſt Ioannem, & ipſe rebus humanis valedicit; cuius facies poſt mortem tam ſplendida apparuit, vt angelicam potiùs, quam humanam ſpeciem præſeferret. Obijt Anno 1596.

Sæuâ lue Pedemontanam regionem occupante, dum Fr. Hieronymvs à Vigveria ardentiori charitatis æſtu incenſus, peſte laborantibus miniſtrat, eodem morbo conſumptus, præclarum vitæ finem ſortitur: cuius ſuffragia poſt mortem, ad mulieris ob-

ſeſſæ opem implorata, eam à Dæmonum poteſtate vendicarunt. Obijt Anno 1598.

In Pariſienſi Prouinciâ Fr. ONVFRIVS PINTIZARENSIS, Nouitius, tanti fuit animi candoris, & vitæ probitatis; vt cùm necdum abſoluto probationis anno, ſupremo morbo correptus, cum morte conflictaretur; maximus ſplendor, & Angelorum multitudo in eius cellâ viſa fuerit, qui ſolutam è corpore animam in cœlum extulère. Atque eâdem horâ ab altero in Eccleſiâ orans, vndique cœleſti luce perfuſus conſpicitur. Obijt Anno 1599.

APOSTROPHE AD LECTOREM.

LEctor aduerte in elogijs Virorum Illuſtrium, quos hoc Catalogo complexus ſum nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt præſagia futurorum Arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illius orationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitus demum nonnullis ſanctimoniæ vel martyrij videor appellationem tribuere. Cæterum horum pleraq; iam ante hac ab alijs ſcriptoribus prodita fuerunt atq; à me totidem pene verbis ex ipſis deſcripta. Ea verò quæ addidi à viris, quos probe fidei exiſtimo, accepi. Verum hæc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atq; approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum auctorum fide pondus obtineant; atque adeo aliter quam humanam hiſtoriam proinde Apoſtolicum Sacræ Congregat. S. Romanæ & Vniuerſalis Inquiſitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè atque inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem decreti à Sanctiſſimo Domino N.D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me vel cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare vel famam & opinionem ſanctitatis, aut martyrij inducere ſeu augere nec quicquam eius exiſtimationi adiungere nullumq; gradum facere ad futuram aliquando vllius gratificationem vel Canonizationem aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me reliqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent. Hoc tam ſanctè profiteor quam decet eum qui ante Sedes Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione & actione dirigi.

FINIS.

VIRORVM ILLVSTRIVM

Virtutum & Miraculorum Sanctimoniâ Inſignium,
Quorum Vita & Geſta in præſenti
FLORVM SERAPHICORVM TOMO
Exarantur,

INDEX TRIPLEX,

Quorum

I. Continet Apparitiones, ac Reuelationes nonnullas B^{mæ}. Virginis.
II. Virorum Illuſtrium Ordinem Hierarchicum.
III. Alphabeticum.

INDEX

REVELATIONVM & APPARITIONVM nonnullarum Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

	Annus Christi.	Annus Religio.	Pagina
Frater Auguſtinus ab Albintemilio, Commiſſarius Generalis.	1585	61	3
Frater Hieronymus a S. Martiano, Definitor.	1603	79	4
Frater Pacificus a Seſtino, Guardianus.	1584	60	6
Fr. Auguſtinus Genuenſis, Guardianus	1606	82	6
Fr. Vrbanus Panormitanus. Concionator.	1611	87	3
Fr. Michael a Foro Cornelij, Concionator	1586	61	7
Fr. Angelus Foroliuienſis, Concionator.	1585	61	7
Fr. Quidam, Concionator.	1602	78	10

	Annus Chriſti	Annus Religio.	Pagina
Franciſcus Arelatenſis, concionator.	1597	73	11
Auguſtinus Mediolanenſis, concionator.	1594	70	14
Anſelmus Roſcimanenſis, concionator.	1607	83	14
Andreas à Gandeſa, ſacerd.	1605	81	2
Ioannes à Colleamato, ſacerd.	1591	67	10
Chryſoſtomus Albidonenſis, ſacerd.	1593	69	11
Eugenius à Vallecamonica, ſacerd.	1603	79	14
Vincentius Andrienſis, ſacerd.	1592	68	15
Marcus à Morella, ſacerd.	1608	84	17
Dominicus Veronenſis, ſacerd.	1600	76	17
Liberatus Meylenſis, ſacerd.	1606	82	17
Fulgentius Aſculanus, ſacerd.	1584	60	18
Fridericus à Tipherno Metaurenſi, ſacerd.	1602	78	20
Angelus à Viſſo, ſacerd.	1608	84	20
Antonius Faneſtris, ſacerd.	1588	64	21
Vincentius à Saleducio, ſacerd.	1592	68	24
Iacobus à Villa Noua, ſacerd.	1592	68	27
Antonius à Francia, ſacerd.	1603	79	31
Placidus à Tyraceno, clericus.	1600	76	24
Ioannes Gerundienſis, clericus, nouitius.	1581	57	34
Antonius à Coriolano, laicus.	1581	57	21
Fr. Reynerius à Burgo S. Sepulchri, laicus.	1589	65	24
Alexius à Viglebano, laicus.	1581	57	25
Michael Gallus, laicus.	1598	74	27
Vincentius à Noromano, laicus.	1594	70	27
Antonius Bergomas, laicus.	1586	62	28
Ioannes à Caſtro Baronia, laicus.	1598	74	32
Petrus Vffugenſis, laicus.	1598	74	32
Conſtantinus à Patrico, laicus.	1586	62	32
Franciſcus Narenſis, laicus.	1599	75	34
Petrus Petacienſis, nouitius.	1600	76	36
Ruffinus Galleratenſis, laicus.	1587	63	36
Franciſcus Arelatenſis, laicus.	1589	65	38
Angelus ab Erauertio, laicus.	1606	82	38
Bartholomæus ab Alexandria Statiellorũ, laicus.	1608	84	38
Euſebius à Venafro, laicus.	1600	76	40
Paulus à Calauello, laicus.	1583	59	40
Andreas Strimanenſis.	1586	61	41
Petrus à Martina, laicus.	1590	76	43
Ignatius Agrigentinus, laicus.	1600	73	43
Matthæus Salinenſis. nouitius.	1597	82	43
Franciſcus à Cephalodio, nouitius.	1606	75	45

Iunipe.

	Annus Chriſti.	Annus Religio.	Pagina
Fr. Iuniperus à Guſſaco, laicus.	1599	75	45
Fr. Michael à Venafro,	1590	66	45
Fr. Frater Quidam,	1589	65	46
Fr. Ioannes à Manfredoniâ.	1592	68	46

INDEX

FLORVM SERAPHICORVM,

ſiue

VIRORVM ILLVSTRIVM

SECVNDVM ORDINEM HIERARCHICVM.

Generales.

Fr. Frater Marius à Foro Sarzinio, Generalis.	1581	57	2
Fr. Ioannes Maria Tiſſanenſis, General.	1584	60	10
Fr. Hieronymus à Monte Florum, gener.	1584	60	15
Fr. Iacobus à Foroſarzinio, gener.	1586	62	28
Fr. Euangeliſta à Canobio, general.	1595	71	34

Procuratores Generales in Curiâ Romanâ.

Fr. Franciſcus Mediolanenſis. Procurat. Ordinis.	1583	59	37
Fr. Syluester Roſcianenſis, Procurator Ord.	1596	72	43

Definitores Generales.

Fr. Ludouicus à Iuuenacio, Definit. gener.	1587	63	47
Fr. Iacobus Superatenſis, Definit. gener.	1594	70	53
Fr. Angelus Ioioſaius, Definit. general.	1608	84	56
Fr. Matthias Salodienſis, Defin. gene.	1611	87	66

Commiſſarij Generales.

Fr. Dionyſius Spoletanus, Commiſſar. gener.	1582	58	73
Fr. Franciſcus ab Aquis Bormijs. Commiſſar. gener.	1583	59	75
Fr. Hieronymus Mediolanenſis, Commiſſar. general.	1584	60	79
Fr. Anſelmus à Petrâ Molariâ, Commiſſ. general.	1584	60	86
Fr. Auguſtinus de Albintemelio, Commiſſar. gener.	1585	61	90
Fr. Cherubinus à Nucibus, Commiſſar. general.	1592	68	92
Fr. Lucas Eratuertienſis, Commiſſar. general.	1598	74	97
Fr. Archangelus Alarconius, Commiſſar. general.	1598	74	100
Fr. Marius à Piceleone, Commiſſar. general.	1603	79	102
Fr. Fœlix à Petra Honorij, Commiſſar. general.	1596	72	104

	Annus Chriſti.	Annus Religio.	Pagina
Fr. Appollonius Brixienſis, Commiſſar.gener.	1603	79	105
Bonauentura à Monte Regali. Comm.general.	1604	80	105
Prouinciales.			
Fr. Sebaſtianus Argyrenſis, Prouincialis.	1583	59	107
Iacobus Mediolanenſis, Prouincial.	1584	60	111
Zacharias à Trebiano, Prouincial.	1585	61	113
Ioannes Baptiſta Prattenſis, Prouincial.	1586	62	114
Iacobus à Petra Rubea, Prouincial,	1586	62	118
Ambroſius à Ciuitate Ducali, Prouinc.	1587	63	120
Petrus à Murro, Prouincial.	1588	64	125
Bernardus Auximenſis, Prouincial.	1591	67	126
Bartholomæus Caſenas, Prouincial.	1592	68	130
Bernardinus Aragonenſis, Prouincial.	1593	69	135
Bernardinus à Colle Petracio, Prouinc.	1594	70	138
Clemens à Grauina, Prouincial.	1595	71	144
Gabriel à Monte Nouo, Prouincial	1598	74	147
Fr. Franciſcus à Vico, Prouincial.	1599	75	150
Laurentius à Monte Politiano, Prou.	1601	77	151
Spiritus Balmenſis, Prouincial.	1602	78	155
Dominicus à Coſta, Prouincial.	1606	82	158
Franciſcus Luſitanus, Prouincial.	1607	83	159
Coſmas Caulonenſis, Prouincial.	1607	83	161
Franciſcus à Caſtellone. Prouincial.	1608	84	164
Cherubinus à Quilliano, Prouincial.	1612	88	167
Bernardinus à Cilento, Prouincial.	1586	62	174
Hieronymus Picens, Prouincial.	1593	69	174
Hieronymus Aquarienſis, Prouinc.	1595	71	174
Antonius à Petra Molaria, Prouinc.	1603	79	175
Angelicus Panormitanus, Prouinc.	1605	81	175
Paulus Aletinus. Prouincial.	1608	84	175
Definitores Prouinciales.			
Fr. Seraphinus Neapolitanus, Defin. Prouinc.	1593	69	177
Andreas à Gandeſa, Definit. Prouincial.	1605	81	179
Archangelus Scotus, Defini. Prouincial.	1606	82	181
Clemens Apricinenſis, Definit. Prouinc.	1608	84	188
Guardiani.			
Fr. Hieronymus Nouarienſis, Guardian.	1582	58	191
Ioannes à Frentano, Guardian.	1582	58	196
Baſilius Siracuſanus, Guardian.	1582	58	198
Athanaſius Tiracenienſis, Guardianus.	1582	58	200

Eliſa-

		Annus Chriſti.	Annus. Religio.	Pagina.
	Eliſæus à Meſſana, Guardian.	1582	58	201
	Pacificus à Seſtino, Guardian.	1584	60	202
	Cyprianus à Monte Coruino, Guardian.	1584	60	208
	Albertus Bergomas, Guardian.	1585	61	212
	Ioannes à Nouocomo, Guardian.	1585	61	214
	Conſtantinus à Saluatore, Guardian.	1586	62	217
	Iacobus à Belfortio, Guardian.	1586	62	220
	Iſaias Mediolanenſis, Guardian.	1586	62	222
	Aurelius Mediolanenſis, Guardian.	1588	64	225
	Michael à Denia, Guardian.	1589	65	227
	Petrus Beſſonius, Guardian.	1589	65	231
	Anſelmus Bononienſis, Guardian.	1590	66	234
	Ioannes à Colleamato, Guardian,	1591	67	236
	Laurentius Oſcenſis, Guardian.	1591	67	239
	Andreas Taurinenſis. Guardian.	1593	69	242
	Iuſtinus à Nurſia, Guardian.	1594	70	245
Fr.	*Andreas Cremonenſis, Guardian.*	1594	70	248
	Raphael à Monſeria, Guardian.	1595	71	249
	Andreas à Seſtino, Guardian.	1597	73	249
	Stephanus Tyracuenſis, Guardian.	1597	73	250
	Ambroſius Vrbinas, Guardian.	1600	76	252
	Marcellus Tripluminenſis, Guardian.	1601	77	255
	Franciſcus Nouarienſis, Guardian.	1603	79	263
	Zacharias Mediolanenſis, Guardian.	1605	81	266
	Hilarion Vibonenſis, Guardian.	1605	81	269
	Antonius Maria Aſtenſis, Guardian.	1605	81	272
	Auguſtinus Genuenſis, Guardian.	1606	82	273
	Conſtantinus Mutilenſis, Guardian.	1607	83	275
	Vincentius à Petramelia, Guardian.	1608	84	277
	Benedictus Canfeldenſis, Guardian.	1610	86	280
	Rogerius Tiphernas, Guardian.	1610	86	291
	Bonauentura Calaritanus, Guardian.	1611	87	294
	Ioſephus à Leoniſſa, Guardian.	1612	88	295

Magiſtri Nouitiorum.

	Fr. Thomas Atrienſis, Magiſt. Nouitior.	1583	59	341
	Fabritius Camerinenſis, Magiſt. Nouitior.	1584	60	342
	Ludouicus à Sulmona, Magiſt. Nouitior.	1588	64	342
Fr.	*Secundinus Aſtenſis, Magiſt. Nouitior.*	1589	65	344
	Dionyſius Aletinus, Magiſt. Nouitior,	1589	65	346
	Bartholomaus Caſenas, Magiſt. Nouitior.	1592	68	347
	Hilarius Cebenſis, Pedemontanus, Magiſt. Noui.	1598	74	350

	Annus Christi	Annus Religio.	Pagina
Fr. Matthias à Concha, magiſter nouitiorum.	1599	75	352
Franciſcus à Meſſapia, magiſter nouitiorum.	1600	76	361
Antonius Camertes, magiſter nouitiorum.	1601	77	362
Andreas à Villa Eccleſiæ, magiſt. nouit.	1602	78	362
Benedictus Rhegienſis, magiſt. nouit.	1602	78	366
Ioannes Baptiſta à S. Agatha, mag. nouit.	1603	79	367
Angelus à Monte Coruino, magiſt. nouit.	1603	79	367
Michael Louanienſis. magiſt. nouit.	1606	82	367
Syluius Mediolanenſis, magiſt. nouit.	1608	84	369
Remigius Bergomas, magiſt. nouit.	1610	86	374
Iulianus Camertes, magiſt. nouit.	1611	87	375
Andreas ab Enna, magiſt. nouit.	1612	89	376

Prædicatores.

Fr. Michael Angelus à Mediolano, Prædicator.	1582	58	377
Ioſephus Barcinonenſis, prædicat.	1584	60	377
Franciſcus à Concha, prædicat	1584	60	381
Auguſtinus à Luciniano, prædicat.	1585	61	381
Petrus Placentinus, prædicat.	1585	61	382
Angelus à Forolinio, prædicat.	1585	61	383
Marcus Terlitienſis, prædic.	1585	61	384
Michael Hiſpanus, prædicat.	1585	61	386
Marianus Iauenenſis, prædic.	1585	61	387
Antonius à Cephalunio, prædicat.	1585	61	387
Syluius ab Hoſtabrich, prædicat.	1586	62	387
Petrus Maceratenſis, prædicat.	1587	63	388
Cherubinus à Peſcaria, prædicat.	1587	63	388
Fr. Franciſcus à Mazara, prædicat.	1588	64	388
Marianus à Naſo, prædicat.	1588	64	389
Dominicus à Buſchetto, prædicat.	1589	65	391
Petrus à Campis, prædicat.	1589	65	402
Ioſephus Oxibienſis, prædic.	1589	65	404
Antonius à Mundulpho, prædicat.	1590	66	404
Petrus à Montemagno, prædicat.	1591	67	406
Angelus Breſſonius. prædicat.	1591	67	406
Syluester Albingenſis, prædicat.	1592	68	406
Hilarion à Iuiols, prædicat.	1592	68	406
Alphonſus Lupus Hiſpanus, præd.	1593	69	408
Ambroſius Senenſis, prædicat.	1593	69	415
Petrus Trigoſius, prædicat.	1593	69	416
Archangelus Alimenſis, prædicat.	1595	71	417
Maximus Meſſanenſis, prædicat.	1596	72	419

Ruffi-

		Annus Christi.	Annus Religio.	Pagina
	Ruffinus Roſſanenſis, Prædicat.	1597	73	419
	Ambroſius Mediolanenſis, Prædic.	1601	77	419
	Ægidius è Portu S. Mariæ, prædic.	1603	79	422
	Ioannes Alareonius, prædicat.	1603	79	423
	Michael Perpinianenſis, prædicat.	1604	80	426
	Fabianus à Centellas. prædicat.	1604	80	426
	Bonauentura à Nurſiâ, prædicat.	1607	83	426
Fr.	*Vrbanus Frentanenſis, prædicat.*	1607	83	426
	Michael Angelus Badenſis, præd.	1609	85	427
	Syluerius Meſſanienſis, prædicat.	1609	85	428
	Cherubinus Maurianenſis, prædic.	1609	85	429
	Archangelus ab Auletâ, prædic.	1609	85	430
	Marcellus Curenſis, prædicat.	1610	86	431
	Michael Angelus, Venetus, prædic.	1612	88	433
	Ioannes à Fano, prædicat.	1612	88	435

Sacerdotes.

		Annus Christi.	Annus Religio.	Pagina
	Fr. Vitalis Mediolanenſis, Sacerdos.	1581	57	435
	Raynerius Biturgienſis, ſacerd.	1581	57	437
	Antonius à Lotito, ſacerd.	1582	58	438
	Simon Butrienſis, ſacerd.	1582	58	438
	Angelus Brixienſis, ſacerd.	1583	59	439
	Fulgentius Aſculanus, ſacerd.	1584	60	439
	Liberius à Cortonâ, ſacerd.	1585	61	440
	Ioannes Maria à Maurettâ, ſac.	1585	61	441
	Sebaſtianus Fauentinus, ſacerd.	1585	61	441
	Antonius Montopolitianus, ſacerd.	1586	62	441
	Angelus Solofrenſis, ſacerd.	1586	62	441
Fr.	*Gaſparus à Baleari maiore, ſacerd.*	1586	62	441
	Antonius Siculus, ſacerd.	1586	62	441
	Benedictus Valentinus, ſacerd.	1587	63	442
	Gregorius à Prato Regum, ſacerd.	1587	63	442
	Thomas Aletinus, ſacerd.	1587	63	442
	Matthæus Calabei, ſacerd.	1587	63	442
	Philippus Inÿcienſis, ſacerd.	1588	64	442
	Ioannes Illyricus, ſacerd.	1588	64	443
	Thomas à Carauiniâ, ſacerd.	1588	64	445
	Lucas à Bardania, ſacerd.	1588	64	446
	Guido Finarienſis, ſacerd.	1589	65	446
	Franciſcus Peruſinus, ſacerd.	1589	65	446
	Bonauentura Rheginenſis, ſacerd.	1589	65	446

Bernard.

	Annus Chriſti	Annus Religio.	Pagina
Bernardus Cantuenſis, ſac.	1589	65	446
Philippus à Ricineto, ſac.	1589	65	446
Pius Tuticenſis, ſac.	1589	65	447
Rochus Genuenſis, ſac.	1589	65	447
Ioſephus & Bernardus Celtiberi, ſac.	1589	65	447
Hieronymus à Biblinoua, ſac.	1588	64	447
Ludouicus ab Alcamo ſac.	1590	66	449
Ioannes à Petra ficta, ſac.	1590	66	452
Candidus Brixienſis, ſac.	1591	67	453
Iacobus Cremenſis, ſac.	1591	67	454
Marcus à Maraldo, ſac.	1591	67	455
Hieronymus Foroliuienſis, ſac.	1591	67	455
Bonauentura Valentinus ſac.	1591	67	455
Vincentius Andrienſis, ſac.	1592	68	456
Gabriel ab Inſulis Balearibus ſac.	1592	68	456
Vincentius à Saludecio, ſac.	1592	68	458
Angelus à Burino, ſac.	1592	68	459
Seraphinus Nouocomenſis, ſac.	1592	68	459
Chryſoſtomus Albidonenſis, ſac.	1593	69	460
Cornelius à Salue ſacerd.	1593	69	460
Benedictus Saluenſis, ſacerd.	1593	69	460
Fr. *Auguſtinus à Siciniano, ſacerdos.*	1594	70	460
Fœlix Pongadienſis, ſacerdos.	1594	70	460
Modeſtus Mutinenſis, ſacerdos.	1595	71	461
Benedictus à Venafro, ſacerdos.	1595	71	462
Ambroſius Ziſonienſis, ſacerdos.	1595	72	463
Petrus Belga, ſacerdos.	1595	71	464
Emmanuel Taurinenſis, ſacerdos	1595	71	464
Sylueſter Cingulanus, ſacerdos.	1595	71	464
Nicolaus Aurilotus, ſacerdos.	1595	71	464
Ioannes Luſitanus, ſacerdos.	1597	73	464
Franciſcus à Paterno, ſacerdos.	1598	74	466
Obitius Brixianus, ſacerdos.	1599	75	468
Ioannes à Ferandina.	1599	75	469
Petrus Alenſis, ſacerdos.	1600	76	470
Ioannes Alexanientis, ſacerdos.	1600	76	470
Dominicus Veronenſis, ſacerdos:	1600	76	470
Ægidius Enneus, ſacerdos.	1602	78	472
Laurentius, florentinus ſacerdos.	1602	78	475
Elias ab Antico, ſacerdos.	1602	78	475
Antonius à Francica, ſacerdos.	1603	79	475
Vincentius ab Interamnia, ſacerd.	1603	79	477

Cheru-

	Annus Chriſti.	Annus Religio.	Pagina
Cherubinus à Caſtro S. Petri, Sacerd.	1603	79	479
Stephanus à Tiſerno Metaurenſi, ſacerd.	1603	79	483
Dionyſius Mediolanenſis, ſacerd.	1603	79	486
Paulinus à Cluſonio, ſacerd.	1603	79	486
Bonauentura Aletinus, ſacerd.	1603	79	486
Gerardus Venetus, ſacerd.	1603	79	486
Ioannes Euangeliſta, Mechlinienſis, ſacer.	1603	79	486
Gregorius Bruxellenſis, ſacerd.	1603	79	487
Bernardus Eccanenſis, ſacerd.	1605	81	487
Franciſcus à Ripa, ſacerd.	1606	82	487
Michael à Valentia, ſacerd.	1606	82	490
Franciſcus Tyrolenſis, ſacerd.	1606	82	491
Alexander à Lauro, ſacerd.	1606	82	491
Bonauentura à Petraſicta, ſacerd.	1606	82	491
Liberatus Mylenſis. ſacerd.	1606	82	491
Auguſtinus à Tyraceno, ſacerd.	1606	82	492
Fr. Dauid à Gaſſaco, ſacerd.	1607	83	492
Antonius Conſentinus, ſacerd.	1607	83	492
Matthæus & eius ſocij, ſacerdot.	1608	84	494
Angelus à Viſſo, ſacerd.	1608	84	494
Gregorius à M.infredonia, ſacerd.	1608	84	495
Zacharias Montenſis, Belga, ſacer.	1608	84	495
Franciſcus à Grandeſa, ſacerd.	1608	84	496
Ioannes Bergomas, ſacerd.	1609	85	495
Antonius ab Ebolo, ſacerd.	1609	85	499
Marcellus Piſtorienſis, ſacerd.	1610	86	502
Paulus à Vernia, ſacerd.	1610	86	503
Ioannes Franciſcus à Lodronio, ſac.	1511	87	503
Philippus Conſtantienſis, ſacerd.	1611	87	503
Angelus Tolentinus, ſacerd.	1611	87	503
Auguſtinus Nurſinus, ſacerd.	1611	87	503
Clemens Velitienſis, ſacerd.	1612	88	504
Hilarion Britannus, ſacerd.	1612	88	504
Clerici.			
Ioannes Gerundenſis, Cleric. Nouitius.	1581	57	506
Nicolaus Hiſpanus, Cleric.	1581	57	508
Auguſtinus Brixienſis, Cleric.	1582	58	509
Fr. In Piceni Prouincia quidam cleric. Florentinus.	1582	58	509
Mauritius à Monte Montanario, cler.	1583	59	509
Sebaſtianus Vranienſis, cleric.	1583	59	510
Ludouicus Aletinus, cleric. nouitius.	1584	60	510

	Annus Christi.	Annus Religio.	Pagina.
Paulus Barcinonenſis, cleric.	1584	60	513
Matthæus à Baſſeio,	1585	61	514
Matthias Aneſinus, cleric.	1586	62	515
Ioannes ab Ameria, cleric.	1588	64	515
Archangelus à Mediavilla, cler. Diacon.	1589	65	515
Paulus Dertruſanus, cler. Diacon.	1589	65	515
Seraphinus Antuerpienſis, cleric.	1590	66	515
Ioannes Franciſcus Æſinus, cleric.	1590	66	516
Hieronymus Lirenſis, cleric.	1590	66	517
Ioannes Franciſcus Bononienſis, cler.	1594	70	519
Angelicus à Caſtro veterano, cleric.	1594	70	522
Damaſcenus à Riuello, cleric.	1594	70	522
Clemens Panormitanus, cleric.	1595	71	523
Clemens Placentinus, cler.	1597	73	523
Ioannes Baptiſta à Biſsiniano, cler.	1598	74	524
Fr. *Franciſcus Narenſis, cleri.*	1599	75	524
Ioannes Maria Genuenſis, cleric.	1599	75	525
Michael Angelus Genuenſis, cler.	1599	75	525
Seraphinus Panormitanus, cler.	1599	75	525
Auguſtinus Tyracenienſis, cler.	1606	82	492
Franciſcus à Molliario, cler.	1601	77	525
Petrus à Martina, cler.	1602	78	525
Baſilius Genuenſis, cler.	1603	79	525
Franciſcus Rhegienſis Galloligur. cle.	1604	80	526
Ioſephus Valentinus, cler.	1605	81	526
Ægidius Mediolanenſis, cler.	1607	83	526
Ioannes à Preſſana, cler.	1607	83	526
Bonauentura Barcinonenſis, cler.	1609	85	526
Angelus Valentinus, cler.	1609	85	527
Ioannes à Verſuchio, cleric.	1611	87	528

Laici.

Fr. Alexius à Viglebano,	1581	57	528
Bonauentura Veronenſis, laic.	1581	57	530
Seraphinus Rheginus. laic.	1581	57	532
Vitus Hyrminienſis. laic.	1582	58	534
Arſenius Mediolanenſis, laic.	1583	59	541
Fr. *Antonius Veregranenſis, laic.*	1583	59	544
Paulus à Calauello, laic.	1583	59	545
Vitalis Herbitenſis, laic.	1583	59	548
Leo Matteolenſis, laic.	1583	59	556
Benedictus à Colleamato, laic.	1584	60	557

	Annus Christi	Annus Religio	Pagina
Onuphrius Piſtorienſis, laic.	1584	60	559
Ioannes Piſanus, laic.	1584	60	560
Franciſcus à Nucibus, laic.	1584	60	560
Philippus a Marſico veteri, laic.	1584	60	561
Manſuetus à Nouellaria. laic.	1584	60	561
Santus Montopolitanus, laic.	1585	61	561
Lucidus à Cortona, laic.	1585	61	563
Lucidus à Luciniano, laic.	1585	61	563
Ludouicus Mediolanenſis, laic.	1585	61	563
Benedictus Mandurienſis, laic.	1585	61	563
Iacobus Rhegienſis, laic.	1586	62	564
Gerardus Florentinus, laic.	1586	62	567
Honorius à Seſtino, laic.	1586	62	568
Alexius à Butrio, laic.	1586	62	569
Antonius Bergomenſis, laic.	1586	62	569
Conſtantinus Patricenſis, laic.	1586	62	571
Bernardinus à Cherio, laic.	1586	62	574
Antonius Rheginus, laic.	1586	62	579
Iuniperus a Samboij, laic.	1586	62	591
Ventura Soncinates, laic.	1586	62	591
Fœlix à Cantalicio, laic.	1587	63	593
Fr. Ruffinus à G llarato, laic.	1587	63	630
Chriſtophorus Panormitanus, laic.	1587	63	636
Thadeus Lucenſis, laic.	1587	63	637
Vincentius Peruſinus, laic.	1587	63	637
Pacificus Theanenſis, laic.	1587	63	637
Maſſæus Matteolenſis, laic.	1587	63	638
Bernardinus à Trebia, laic.	1588	64	633
Onufrius à ColleCrucis, laic.	1588	64	639
Raynerius à Burgo S Sepulchri, laic.	1589	65	641
Valentinus ab Altomuro, laic.	1589	65	668
Marianus à Concha, laic.	1589	65	668
Antonius à Cruce. laic.	1589	65	668
Petrus à Martina, laic.	1590	66	668
Antonius à Leoniſſa, laic.	1590	66	671
Peregrinus Mediolanenſis, laic.	1590	66	673
Lazarus Apicenſis, laic.	1590	66	673
Maſſæus Rauennas, laic.	1590	66	673
Franciſcus Maria Ferrarienſis, laic.	1590	66	673
Euſebius Calaber, laic.	1590	66	673
Guidus à Cortona, laic.	1591	67	673
Fabianus Bergomas, laic.	1591	67	673

		Annus Chriſti.	Annus religio	Pagina.
	Otto Cortonienſis, laic.	1591	67	673
	Bartholomæus Darrocenſis. laic.	1591	67	673
	Baptiſta Rotundanus, laic.	1592	68	674
	Samuel à S. Antimo, laic.	1592	68	675
	Marinus à Garitola, laic.	1592	68	676
	Andreas Caſtulenſis. laic.	1592	68	677
	Thomas Rotundanus, laic.	1592	68	677
	Petronius Vercellenſis, laic.	1592	68	677
	Franciſcus Monopolitanus, laic.	1593	69	677
	Ioannes Nauarreus, laic.	1593	69	678
	Ioannes à Seminaria, laic.	1593	69	680
	Stephanus Claramontanus, laic.	1594	70	683
	Auguſtinus Senenſis, laic.	1595	71	684
	Maximinus Mantuanus, laic.	1595	71	685
	Saluator Sardus, laic.	1596	72	685
	Conradus à Balneis, laic.	1596	72	687
	Pacificus Italus, laic.	1595	72	691
	Sebaſtianus Matteolenſis, laic.	1595	72	693
	Nicolaus Reſcianenſis, laic.	1595	72	693
	Antonius à Thoro, laic.	1597	73	693
Fr.	*Antonius à Vico, laic.*	1597	73	695
	Laurentius Atinenſis, laic.	1598	74	696
	Saluator à Tiſſa, laic.	1598	74	698
	Andreas à Catania, laic.	1598	74	702
	Humilis à Tyraceno, laic.	1598	74	703
	Philippus à Funiano, laic.	1598	74	704
	Franciſcus Aprilianenſis, laic.	1598	74	704
	Moricus à Viſſo, laic,	1599	75	705
	Iuniperus à Guſſaco, laic.	1599	75	705
	Onufrius à Sorbano, laic.	1599	75	706
	Michael à Moromanno, laic.	1599	75	707
	Anſelmus à Serra, laic.	1599	75	707
	Antonius à Baërra laic.	1599	75	707
	Lucas Calaber, laic.	1600	76	708
	Bonauentura Hiſpanus, laic.	1600	76	708
	Macharius à Caſtrobono, laic.	1600	76	710
	Bartholomæus Mutinenſis, laic.	1600	76	711
	Ludouicus à Lacu nigro, laic.	1600	76	711
	Dionyſius à Taberna, laic.	1601	77	711
	Angelus Fauentinus, laic.	1602	78	711
	Curatus Bergomas, laic.	1602	78	713
	Hilarius à Campo longo, laic.	1602	78	713

	Annus Chriſti.	Religio Annus	Pagina.
Vincentius à Conileone, laic.	1603	79	714
Bonauentura à Neto, laic.	1603	79	716
Ioannes à Sarnano, laic.	1603	79	718
Peregrinus a Bontia, laic.	1603	79	718
Anaſtaſius Antuerpienſis, laic.	1603	79	718
Vincentius à Chio, laic.	1604	80	718
Seraphinus à Monte granario, laic.	1604	80	722
Bernardinus à Monte Cardo, laic.	1604	80	755
Matthaus Enneus laic.	1604	80	756
Hugo Bleſenſis, laic.	1605	81	756
Cyprianus Seſtinenſis, laic.	1605	81	756
Saluator Canianenſis, laic.	1606	82	758
Franciſcus Synopolitanus, laic.	1606	82	760
Franciſcus à Darocha, laic.	1607	83	760
Manſuetus à Salſubio, laic.	1608	84	765
Marcus à Scotoneto, laic.	1608	84	768
Innocentius à Iuliano, laic.	1608	84	771
Pacificus Gallus, laic.	1608	84	772
Fr. *Ludouicus à Pedacio, laic.*	1608	84	774
Illuminatus Placentinus, laic.	1608	84	776
Antonius Nucerienſis, laic.	1609	85	776
Antonius à Neapoli, laic.	1609	85	778
Narciſſus Dianenſis, laic.	1609	85	787
Iacobus à Manfredonia, laic.	1609	85	792
Manſuetus à Valle Camunorum, laic.	1610	86	795
Theodorus Panormitanus, laic.	1610	86	795
Leonardus à Monte alto, laic.	1611	87	799
Alexius Maceratenſis, laic.	1610	86	800
Modeſtus à Nucibus, laic.	1611	87	802
Iuſtinus Neapolitanus, laic.	1612	88	804
Matthias à S. Agatha, laic.	1582	58	805
Petrus Calaber, laic.	1582	58	805
Franciſcus Arelatenſis, laic.	1589	65	805
Ioannes à Manfredonia, laic.	1592	68	805
Ludouicus Panormitanus, laic.	1595	72	805
Hieronymus à Vigueria, laic.	1598	74	805
Onufrius Pintizarenſis, laic.	1599	75	806

INDEX ALPHABETICVS.

A.

	Annus Chriſt.	Pagina.
Ægidius Enneus, Sacerdos.	1602	472
Ægidius à Portu S. Mariæ, conc.	1603	422
Ægidius Mediolanenſis, cleric.	1607	526
Albertus Bergomas, conc.	1585	212
Alexander à Lauro, ſacerd.	1606	491
Alexius à Viglebano, laic.	1581	528
Alexius à Butrio, laic.	1586	569
Alexius Marceratenſis, laic.	1610	800
Alphonſus Lupus Hiſpanus, conc.	1593	408
Ambroſius à Ciuitate Ducali, conc.	1587	120
Ambroſius Senenſis, conc.	1593	415
Ambroſius Ziſonienſis, ſacerd.	1595	463
Ambroſius Vrbinas, conc.	1600	252
Ambroſius Mediolanenſis ſacerd.	1601	419
Anaſtaſius Antuerpienſis, laic.	1605	718
Andreas Caſtulenſis, laic.	1592	677
Andreas Taurinenſis, ſacerd.	1593	242
Andreas Cremonenſis, ſacerd.	1594	248
Andreas à Seſtino, ſacerd.	1597	249
Andreas à Catania, laic.	1598	702
Andreas à Gandeſa, ſacerd.	1605	179
Andreas Ennenſis, conc.	1612	376
Andreas à Villa Eccleſiæ, ſacerd.	1602	362
Angelicus à Caſtroueterano, cleric.	1594	522
Angelicus Panormitanus, conc.	1605	175
Angelus à Brixia, conc.	1583	439
Angelus à Foroliuio, conc.	1585	383
Angelus Soloſrenſis, cleric.	1586	441
Angelus Foroliuienſis, ſacerd.	1585	383
Angelus Breſſonius. conc.	1591	406
Angelus à Burino. ſacerd.	1592	459
Angelus Fauentinus, laic.	1602	711
Angelus à Montecoruino, ſacerd.	1603	367
Angelus Ioioſaius, conc.	1608	36
Angelus à Viſſo, ſacerd.	1608	494
Angelus Valentinus, cleric.	1609	527
Angelus Tolentinas. ſacerd.	1611	505

Anſel-

		Anni Christi.	Pagina.
	Anſelmus à Petramolaria. concion.	1584	86
	Anſelmus Bononienſis, concion.	1590	234
	Anſelmus à Serra, laic.	1599	707
	Antonius à Lotito, ſacerd.	1582	438
	Antonius Veregranenſis, laic.	1583	544
	Antonius à Cepalunio, concion.	1585	387
	Antonius Montopolitanus, conc.	1586	441
	Antonius Siculus, ſacerd.	1586	441
	Antonius à Bergomo, laic.	1586	569
	Antonius à Cruce, laic.	1589	668
	Antonius à Mondulpho. conc.	1590	404
	Antonius à Leoniſſa, laic,	1590	671
	Antonius à Vico, laic.	1597	695
	Antonius à Baëza, laic.	1599	707
	Antonius à Petramolaria, concion.	1603	176
	Antonius à Neapoli, laic.	1609	778
	Antonius à Francia, ſacerd.	1605	475
	Antonius Ebolenſis, ſacerd.	1609	499
	Antonius Nucerienſis, laic.	1609	776
	Antonius Maria Aſtenſis, ſacerd.	1605	272
Fr.	Antonius Rheginus, laic.	1586	579
	Antonius à Thoro, laic.	1597	693
	Antonius Camertes, ſacerd.	1601	362
	Antonius Conſentinus, ſacerd.	1607	492
	Archangelus à Mediavilla, cler.	1589	515
	Archangelus ab Arimino. ſacerd.	1595	417
	Archangelus Alarconius, concion.	1598	100
	Archangelus ab Auleta, concion.	1609	430
	Archangelus Scotus, concion.	1606	181
	Apollonius à Brixia, ſacerd.	1603	105
	Arſenius Mediolanenſis, laic.	1583	541
	Athanaſius Tyracenienſis, ſacerd.	1582	200
	Auguſtinus Brixienſis, cleric.	1582	509
	Auguſtinus ab Albintemelio, concion.	1585	90
	Auguſtinus à Luciniano, concion.	1585	381
	Auguſtinus à Siciniano, ſacerd.	1594	460
	Auguſtinus Senenſis, laic.	1595	684
	Auguſtinus Tyracenienſis, cleric.	1606	492
	Auguſtinus Genuenſis, concion.	1606	273
	Auguſtinus à Tyraceno, ſacerd.	1606	492
	Auguſtinus à Nurſia, ſacerd.	1611	503
	Aurelius Mediolanenſis, ſacerd.	1588	225

Bapti-

B.

		Annus Chriſti.	pagina.
	Baptiſta à Rotunda, Laic.	1592	674
	Bartholomaus Darocenſis, laic.	1591	673
	Bartholomaus Cæſenas, ſacerd.	1592	130
	Bartholomaus Cæſenas Eremita nuncupatus, ſac.	1592	347
	Bartholomaus Mutinenſis, laic.	1600	711
	Baſilius Syracuſanus, ſacerd.	1582	198
	Baſilius Genuenſis, cleric.	1603	525
	Benedictus à Colleamato,	1584	557
	Benedictus Mandurienſis, laic.	1585	563
	Benedictus Valentinus, ſacerd.	1587	442
	Benedictus Saluenſis, ſacerd.	1593	460
	Benedictus à Venafro, ſacerd.	1595	462
	Benedictus Rhegienſis, concion.	1602	366
	Benedictus Canfeldenſis, Anglus, con.	1610	280
	Bernardinus à Cilento, concion.	1586	174
	Bernardinus à Cherio, laic.	1586	574
Fr.	Bernardinus à Trebio, laic.	1588	638
	Bernardinus Aragonenſis, ſacerd.	1593	135
	Bernardinus à Colle Petracio, conc.	1594	138
	Bernardinus à Monte Cardo, laic.	1604	755
	Bernardus Luſitanus, cleric.	1591	453
	Bernardus Cantuenſis, ſacerd.	1589	446
	Bernardus Celtiber, ſacerd.	1589	447
	Bernardus ab Auximo, concion.	1591	126
	Bernardus Eccanenſis, ſacerd.	1605	487
	Bonauentura Veronenſis, laic.	1581	530
	Bonauentura Reggienſis, ſacerd.	1589	446
	Bonauentura Valentinus, ſacerd.	1591	425
	Bonauentura Hiſpanus, laic.	1600	708
	Bonauentura Aletinus, ſacerd.	1603	486
	Bonauentura à Neto, laic.	1603	716
	Bonauentura à Monteregali, conci.	1604	105
	Bonauentura à Petrafícta, ſacerd.	1606	490
	Bonauentura à Nurſia, conc.	1607	426
	Bonauentura Barcinonenſis, cleric.	1609	526
	Bonauentura Calaritanus, ſacerd.	1611	294

C

Candidus à Rezzato, ſacerd.	1591	453
Cherubinus à Peſcaria, concion.	1587	388
Cherubinus à Nucibus, concion.	1592	[illegible]

		Annus Chriſti.	Pagina.
	Cherubinus à Caſtro S. Petri, Sacerd.	1605	479
	Cherubinus Maurianenſis, concion.	1609	429
	Cherubinus à Quilliano, ſacerd.	1612	167
	Chriſtophorus Panormitanus, laic.	1587	636
	Chryſoſtomus Albidonenſis, ſacer.	1593	460
	Clemens à Grauina, ſacerd.	1595	144
	Clemens Panormitanus, cler.	1595	523
	Clemens Placentinus, cler.	1597	525
	Clemens Apricinenſis, concion.	1608	188
Fr.	Clemens Velitrenſis, ſacerd.	1612	504
	Conradus à Balneis, laic.	1596	687
	Conſtantinus à Saluatore, ſac.	1586	217
	Conſtantinus à Patrico, laic.	1586	571
	Conſtantinus Mutilenſis, ſacer.	1607	275
	Cornelius à Salue, ſacerd.	1593	460
	Coſmas Caulonenſis, ſacerd.	1607	161
	Curatus Bergomas, laic.	1602	713
	Cyprianus à Montecoruino, ſacer.	1584	208
	Cyprianus Seſtinenſis, laic.	1605	756

D.

	Damaſcenus à Riuello, Cleric.	1594	522
	Dauid à Guſſaco, ſacerd.	1607	492
	Dionyſius à Spoleto, concion.	1582	73
	Dionyſius Aletinus, concion.	1589	346
Fr.	Dionyſius à Taberna, laic.	1601	711
	Dionyſius Mediolanenſis, ſac.	1603	486
	Dominicus à Boſchetto, conc	1589	391
	Dominicus Veronenſis, ſacerd.	1600	470
	Dominicus à Coſta, concionat.	1606	158

E.

	Elias ab Antico, Sacerd.	1602	475
	Eliſæus à Meſſana, ſacerd.	1582	201
Fr.	Emanuel Taurinenſis, ſacerd.	1595	464
	Euangeliſta à Canobio, Gener.	1595	43
	Euſebius Calaber, laic.	1590	673

F.

	Fabianus Bergomas, Laic.	1591	673
Fr.	Fabianus à Centellas, concion.	1604	426
	Fabricius Camerinenſis, ſacer.	1584	342

		Annus Christi.	Pagina.
	B. Fœlix à Cantalitio, laic.	1587	523
	Fœlix Pongadienſis, laic.	1594	460
	Fœlix à Petra Honorij, conc.	1596	104
	Franciſcus ab Aquis Bormijs, conc.	1583	75
	Franciſcus Mediolanenſis, con.	1583	37
	Franciſcus à Concha, concion.	1584	381
	Franciſcus à Nucibus, laic.	1584	560
	Franciſcus à Mazzara, conc.	1588	388
	Franciſcus Peruſinus, concion.	1589	446
	Franciſcus Arelatenſis, laic.	1589	805
	Franciſcus Monopolitanus, laic.	1593	677
	Franciſcus à Paterno, ſacerd.	1598	466
	Franciſcus Aprilianenſis, laic.	1598	704
	Franciſcus à Vico, ſacerd.	1599	150
Fr.	Franciſcus à Naro, cleric.	1599	524
	Franciſcus à Meſſapia, ſacerd.	1600	361
	Franciſcus à Moliano, cleric.	1601	525
	Franciſcus Nouarienſis, ſacerd.	1603	263
	Franciſcus Regienſis, cleric.	1604	526
	Franciſcus à Ripa, ſacerd.	1606	487
	Franciſcus Tyrolenſis, ſacerd.	1606	491
	Franciſcus Sinopolitanus, laic.	1606	760
	Franciſcus Luſitanus, concion.	1607	759
	Franciſcus à Darocha, laic.	1607	760
	Franciſcus à Caſtellone, ſacerd.	1608	164
	Franciſcus à Gandeſa, ſacerd.	1608	495
	Franciſcus Maria Ferrarienſis, laic.	1590	673
	Fulgentius Aſculanus, ſacerd.	1582	439

G.

	Gabriel ab Inſulis Balearib. ſacer.	1592	456
	Gabriel à Montenouo, concion.	1598	147
	Gaſpar à Balcari maiori, ſacer.	1586	441
	Gerardus Venetus, ſacerd.	1603	486
	Gerardus Florentinus, laic.	1586	567
Fr.	Gregorius à Prato Regum, ſacerd.	1587	442
	Gregorius Bruxellenſis, ſacerd.	1603	457
	Gregorius à Manfredonia, ſac.	1608	495
	Guidus Finarienſis. ſacerd.	1589	446
	Guidus à Cortona, laic.	1591	673

Hiero-

H.

		Annus Christi.	Pagin
Fr.	*Hieronymus Nouarienſis, Sacerd.*	1582	19
	Hieronymus à Monte florum, Gener.	1584	15
	Hieronymus Mediolanenſis, conc.	1584	79
	Hieronymus à Bibli noua, ſacerd.	1588	447
	Hieronymus Lirenſis, cleric.	1590	517
	Hieronymus Foroliuienſis, ſacerd.	1591	455
	Hieronymus Picens, ſacerd.	1593	174
	Hieronymus Aquarienſis conc.	1595	174
	Hieronymus à Vigueria, laic.	1598	805
	Hilarion ab Iniols, Hiſp. conc.	1592	406
	Hilarion Vibonenſis, ſacerd.	1605	269
	Hilarion Britannus, ſacerd.	1612	504
	Hilarius Cebenſis, ſacerd.	1598	350
	Hilarius à Campo longo, laic.	1602	713
	Honorius à Seſtino, laic.	1586	568
	Hugo Bleſenſis. laic.	1605	756
	Humilis à Tyraceno, laic.	1598	703

I.

Fr.	*Iacobus Mediolanenſis, ſacerd.*	1584	111
	Iacobus à Foroſarzinio, Gener.	1586	28
	Iacobus à Petrarubbia, ſacerd.	1586	118
	Iacobus à Belfortio, ſacerd.	1586	220
	Iacobus Regienſis, laic.	1586	564
	Iacobus Cremenſis, ſacerd.	1591	454
	Iacobus Superatenſis,	1594	53
	Iacobus à Manfredonia, laic.	1609	792
	Illuminatus Placentinus, laic.	1608	776
	Innocentius à Iuliano, laic.	1608	771
	Ioannes Gerundenſis, cler. noui.	1581	506
	Ioannes à Frentano, ſacerd.	1582	196
	Ioannes Piſanus, laic.	1584	560
	Ioannes Nouocomenſis, conc.	1585	214
	Ioannes Illyricus, ſacerd.	1588	443
	Ioannes ab Ameria, cleric.	1588	515
	Ioannes à Petrafiƈta, ſacerd.	1590	452
	Ioannes à Colleamato, ſacerd.	1591	236
	Ioannes à Manfredonia laic.	1592	805
	Ioannes Nauarreus, laic.	1593	678
	Ioannes à Seminaria, laic.	1593	680

	Annus Christi.	Pagina.
Ioannes Luſitanus, ſacerd.	1597	464
Ioannes à *Ferandina. ſacerd.*	1599	459
Ioannes Alexianenſis, ſacerd.	1600	470
Ioannes Alarconius, concion.	1603	423
Ioannes à *Sernano, laic.*	1603	718
Ioannes à Preſſana, cleric.	1607	526
Ioannes à Bergomo, ſacerd.	1609	496
Ioannes à Veruchio, cleric.	1611	528
Ioannes à Fano Romuli, conc.	1612	435
Ioannes Baptiſta Prattenſis, conc.	1586	114
Joannes Baptiſta à Biſſiniano, cle.	1598	524
Joannes Baptiſta à S. Agatha, ſac.	1603	367
Joannes Euangeliſta Mechlinienſis, ſacerd.	1603	486
Joannes Franciſcus Æſinus, cle.	1590	516
Joannes Franciſcus Bononienſis, cler.	1594	519
Fr. *Joannes Franciſcus à Lodronio, ſac.*	1611	503
Joannes Maria à Tiſſa, General.	1584	10
Joannes Maria à Mauretta, ſacerd.	1585	441
Joannes Maria Genuenſis, cleric.	1599	525
Joſeph Barcinonenſis, concion.	1584	377
Joſeph Oxibienſis, concion.	1589	404
Joſeph Celtiber, ſacerd.	1589	447
Joſeph Valentinus, cleric.	1605	526
Joſeph à Leoniſſa, conc.	1612	296
Iſaias Mediolanenſis, ſacerd.	1586	222
Julianus Camertes, ſacerd.	1611	375
Iuniperus à Samboij, laic.	1586	591
Iuniperus à Guſſaco, laic.	1599	705
Juſtinus à *Nurſia, ſacerd.*	1594	245
Juſtinus Neapolitanus, laic.	1612	804
L		
Laurentius Oſcenſis, ſacerdos.	1591	239
Laurentius Atinenſis, laic.	1598	696
Laurentius à Montepolitiano. conc.	1601	151
Laurentius Florentinus, ſac.	1602	475
Lazarus Apuenſis, laic.	1590	673
Fr. *Leo Matteolenſis, laic.*	1583	556
Leonardus à Montealto, laic.	1611	799
Liberatus Milenſis, ſacerd.	1606	491
Liberius à Cortona, ſacerd.	1585	440
Lucas à Bardania, ſacerd.	1588	446

		Annus Christi.	Pagina.
	Lucas Eratuertienſis, ſacerdos.	1598	97
	Lucas Calaber, laic.	1600	708
	Lucidus à Cortona, laic.	1585	563
	Lucidus à Luciniano, laic.	1585	563
	Ludouicus Aletinus, nouitius.	1584	510
	Ludouicus Mediolanenſis, laic.	1585	563
Fr.	*Ludouicus à Iuuenatio, conc.*	1587	47
	Ludouicus à Sulmona, conc.	1588	342
	Ludouicus Alcamenſis, ſacerd.	1590	449
	Ludouicus Panormitanus, nouitius. laic.	1596	805
	Ludouicus à Lacunigro. *laic.*	1600	711
	Ludouicus à Pedacio, laic.	1608	774
	M		
	Macharius à Caſtrobono, laic.	1600	710
	Manſuetus à Nouellaria, laic.	1584	161
	Manſuetus à Valle Camunorum, laic.	1610	795
	Manſuetus à Salſubio, laic.	1608	765
	Marcellus Trifluminenſis, ſac.	1601	255
	Marcellus Curenſis, conc.	1610	431
	Marcellus Piſtorienſis. ſacerd.	1610	502
	Marcus Terlitienſis, conc.	1585	384
	Marcus à Maraddo, ſacerd.	1591	455
	Marcus à Scotoneto, laic.	1608	768
	Marianus Iauenenſis, conc.	1585	387
	Marianus à Naſo, conc.	1588	389
	Marianus à *Concha, laic.*	1589	668
	Marinus à Garitola, laic.	1592	676
Fr.	*Marius à Foroſarzinij. Generalis.*	1581	2
	Marius à Piceleone, ſacerd.	1605	102
	Maſſaus, Matteolenſis. laic.	1587	638
	Maſſaus Rauennas, laic.	1590	673
	Matthaus Calaber, ſacerd.	1587	442
	Matthaus Enneus, laic.	1604	756
	Matthias à S. Agatha.	1582	805
	Matthias Aneſinus, cleric.	1586	515
	Matthias à Baſſia,	1585	514
	Matthias *à Concha, ſacerd.*	1599	352
	Matthias *à Salodio, conc.*	1611	66
	Mauritius à Montemontanario. *cler.*	1583	509
	Maximinus Mantuanus, *laic.*	1595	685
	Maximus Meſſanenſis, *conc.*	1596	419

		Annus Christi.	Pagina.
Fr.	*Michael Hiſpanus, conc.*	1585	386
	Michael à Denia, ſacerd.	1589	227
	Michael à Moromanno, laic.	1599	707
	Michael Perpinienſis, conc.	1604	424
	Michael à Valentia, ſacerd.	1606	490
	Michael Louanienſis, ſacerd.	1606	367
	Michael Angelus à Mediolano, conc.	1582	377
	Michael Angelus Genuenſis, cleric.	1599	525
	Michael Angelus Venetus, conc.	1612	433
	Michael Angelus Badenſis, conc.	1609	427
	Modeſtus Mutinenſis, ſacerd.	1595	461
	Modeſtus à Nucibus, laic.	1611	802
	Muricus à Viſſo, laic.	1599	705
	N.		
Fr.	*Narciſſus Dianenſis, laic.*	1609	787
	Nicolaus Hiſpanus, cleric.	1581	508
	Nicolaus Aurilotus, ſacerd.	1595	464
	Nicolaus Roſcianenſis, laic.	1596	693
	O.		
Fr.	*Obitius Brixianus, ſacerd.*	1599	468
	Onufrius Piſtorienſis, laic.	1584	559
	Onufrius à Colle Crucis, laic.	1588	639
	Onufrius à Sorbano, laic.	1599	706
	Onufrius Pintizarenſis, nouit. laic.	1599	806
	Otho Cortonienſis, laic.	1591	673
	P.		
Fr.	*Pacificus à Seſtino, ſa.*	1584	202
	Pacificus Theanenſis, laic.	1587	637
	Pacificus Italus, laic.	1595	693
	Pacificus Gallus, laic.	1608	772
	Paulinus à Cluſonio, ſacerd.	1603	486
	Paulus à Calauello, laic.	1583	545
	Paulus Barcinonenſis, cleric.	1584	513
	Paulus Deturſanus, diacon.	1589	515
	Paulus Aletinus, ſacerd.	1608	175
	Paulus à Vernia, ſacerd.	1610	503
	Peregrinus Mediolanenſis, laic.	1590	673
	Peregrinus à Pontia, laic.	1603	718
	Petronius Vercellenſis, laic.	1592	677

Petrus

		Annus Chriſti.	Pagina.
	Petrus Calaber, Laic.	1582	805
	Petrus Placentinus. Concion.	1585	382
	Petrus Maceratenſis, concion.	1587	388
	Petrus à Campis, concion.	1589	402
	Petrus Beſſonius,	1589	231
	Petrus à Martina, laic.	1590	669
	Petrus à Montemagno, conc.	1591	406
	Petrus Trigoſius, concion.	1593	416
	Petrus Belga, ſacerd.	1595	464
Fr.	*Petrus Alenſis, ſacerd.*	1600	470
	Petrus à Martina, cleric.	1602	525
	Petrus à Murro, ſacerd.	1588	123
	Philippus à Marſico, laic.	1584	561
	Philippus Inycenſis, ſacerd.	1588	442
	Philippus à Ricineto, ſacerd.	1589	446
	Philippus à Funiano, laic.	1598	704
	Philippus Conſtantienſis, ſacer.	1611	503
	Pius Tuticenſis, ſacerd.	1589	447
	R.		
	Raphael à Monſeria, concion.	1595	249
	Raynerius Biturgienſis, ſacerd.	1581	437
	Raynerius à Burgo S. Sepulchri, laic.	1589	641
Fr.	*Remigius Bergomas, ſacerd.*	1610	374
	Rochus Genuenſis, ſacerd.	1589	447
	Rogerius à Tipherno, ſacerd.	1610	291
	Ruffinus Galaratenſis, laic.	1587	630
	Ruffinus Roſſanenſis, concion.	1597	419
	S.		
	Saluator Sardus, Laic.	1596	685
	Saluator à Tiſſa, laic.	1598	698
	Saluator à Caniano, laic.	1606	758
	Samuel à S. Antimo, laic.	1592	675
	Sanctes à Montopoli, laic.	1585	561
Fr.	*Sebaſtianus Argyrenſis, conc.*	1583	107
	Sebaſtianus Vranienſis, cleric.	1583	510
	Sebaſtianus Fauentinus, ſacer.	1585	441
	Sebaſtianus Matteolenſis, laic.	1596	695
	Secundinus Aſtenſis, ſacerd.	1589	344
	Seraphinus Rheginus, laic.	1581	532
	Seraphinus Antuerpienſis, cler.	1590	515

		Annus Chriſti.	Pagina.
	Seraphinus Nouocomenſis, Sac.	1592	459
	Seraphinus à Neapoli, ſacerd.	1593	177
	Seraphinus Panormitanus, cler.	1599	525
	Seraphinus à Montegranario, laic.	1604	722
	Syluerius Meſſanenſis, concion.	1609	428
	Simon Butrienſis, ſacerd.	1582	438
	Spiritus à Balma, concion.	1602	155
Fr.	*Stephanus Claromontanus, laic.*	1594	683
	Stephanus Tyracenienſis, ſacerd.	1597	250
	Stephanus à Tiferno Metaurenſi, ſac.	1603	483
	Syluеſter Albingenſis, concion.	1592	406
	Sylueſter Cingulanus, ſacerd.	1595	464
	Sylueſter Roſcianenſis, concion.	1596	43
	Syluius ab Hoſtrabich, concion.	1586	387
	Syluius Mediolanenſis, ſacerd.	1608	369
	T.		
	Thadæus Lucenſis, Laic.	1587	637
	Theodorus Panormitanus, laic.	1610	796
Fr.	*Thomas Atrienſis, ſacerd.*	1583	341
	Thomas Aletinus, ſacerd.	1587	442
	Thomas à Carauinia, ſacerd.	1588	445
	Thomas Rotundanus, laic.	1592	677
	V.		
	Valentinus ab Altomuro, laic.	1589	668
	Ventura Socinas, laic.	1586	595
	Vincentius à Peruſia, laic.	1587	637
	Vincentius Andrienſis, ſacerd.	1592	455
	Vincentius à Saleducio, ſacerd.	1592	458
	Vincentius ab Interamnia, ſac.	1603	477
Fr.	*Vincentius à Conileone, laic.*	1603	714
	Vincentius à Chio, laic.	1604	718
	Vincentius à Petramelia, ſac.	1608	277
	Vitalis à Mediolano. ſacerd.	1581	436
	Vitalis Herbitenſis, laic.	1583	548
	Vitus Herminienſis, laic.	1582	534
	Vrbanus Frentanenſis. conc.	1607	426
	Z		
	Zacharias à Trebiano, ſacerd.	1585	113
Fr.	*Zacharias Mediolanenſis. ſac.*	1605	266
	Zacharias Montenſis, ſacerd.	1608	496

FINIS.



Digitized by Google